Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Ioannis Calvini Epistolae et responsa : quibus interiectae sunt insignium in Ecclesia Dei virorum aliquot etiam Epistolae. Eiusdem I. Calvini vita

https://hdl.handle.net/1874/432030

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

J. CALVINI
Epistolæ.
BEZA IVXTA J. CALVEM.
PETR. MARTYR
in Epist ad Romanos.

F. fol.
175

F. fol.
145

26.
P.
V.8 40.6

Miscellanea Theologica

Folio n°. 145.

IOANNIS
C. A. LVINI
EPISTOLAE ET
RESPONSA.

QVIBVS INTERIECTÆ
sunt insignium in Ecclesia Dei virorum
aliquot etiam Epistolæ.

EIVSDEM I. CALVINI
VITA A THEODORO BEZA
GENEVENSIS ECCLESIÆ
Ministro accuratè descripta.

INDEX RERVM INSIGNIORVM.

Omnia nunc primùm in lucem edita.



Exdonat. hüb. à Birrbel.

GENEVÆ,
Apud Petrum Santandreanum.

M. D. LXXV.



ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. FRIDERICO COMITI PALATINO AD RHENVM, BAVARIAE Duci, Sacri Romani Imperij Electori primario, Gratiam & pacem à Domino.

MIgraturus ad Dominum Johannes Caluinus, quum de commodis Ecclesiæ ne tum quidem cogitare desineret, sua mihi περιλια, id est schedarum ingentem aceruum commendauit, vt si quid in iis inuenissem quo possent adiuuari Ecclesiæ, id quoque in lucem ederetur. Cogitanti autem hac de re mihi, eáque omnia peruolutanti, multiplices obstiterunt difficultates, quominus id tam citò præstaretur quàm ego volui, & fortassis etiam oportuit. Præterquàm enim quòd euoluendis tot schedis aliorum etiam opera fuit adhibenda, & multum in eo temporis ponẽdum, & consequutæ sunt in hac ciuitate calamitates, pestis videlicet aliquot annos continuata, & tumultus illi ingentes in contiguo nobis regno excitati, quæ & me & illos institutum opus sæpissime abrumpere coegerunt. Magna quoque nobis in Epistolarum delectu difficultas, maligna præsertim ac peruersa huius sæculi hominum ingenia reputantibus, oborta est. dum horum scriptorum editionem sic temperare studemus, vt quoad eius fieri poterit, sine cuiusquam offensione quàm plurimis prosit. Multa quippe familiariter inter amicos dici scribíque consueuerunt, præsertim ab ingenui spiritus hominibus, qualis fuit Caluinus si quisquam nostris temporibus alius, quæ minimè expediat emanare. Et habenda quoque nobis fuit non modò personarum, verùm etiam temporum & locorum ratio. Itaque ex plurimis non ita multa tandem edidimus, eáque expunctis interdum nominibus, ne cui præberemus expostulandi argumentum. qua in re etsi testari de nostra diligentia bonáque fide merito possumus, tamen non temere metuimus, vt ne sic quidem omnium iudiciis perinde satisfecerimus. Fuerit enim hoc, præsertim in opere tam vario, & tanta sententiarum multis de re-

bus varietate, non modò perdifficile, verùm etiam ἀδυνάτον. Omnibus quidem certè prodesse studuimus, & futurum speramus, vt illis quidem qui nullum ad hæc legenda præiudicium attulerint, neque ex eorum genere fuerint, quibus verè dicit Comicus nihil quicquam esse iniustius, nostrum saltem institutum probetur: improbos autem calumniatores, aut apertos veritatis hostes, non est profectò cur vel tantillùm moremur. Cæterum Illustrissime Princeps, dũ apud me ipsum reputarem quanti Celsitudinem tuam Caluinus ipse fecerit, venit & illud in mentem, si hãc tibi vltimam ipsius scriptorum partem consecrarem, hoc ipsum facturum me, quod ille si superstes esset, facturus erat. Fuit enim hoc illi in more positum, & quidem vt aiebat, Apostoli exemplo, vt quos videbat dignos esse quorum virtutes reliqui sibi proponerent imitandas, eos libenter operum saltem suorum initiis nominatim appellaret. Sed & illud vicißim ausim mihi singulari Celsit. tuæ humanitate fretus polliceri, fore vt qua beneuolentia Caluinum ipsum viuum tanquam excellentem seruum Dei complexus es, eadem quoque scriptum istud vtilißima nostris futurísque temporibus multa complectens, perinde atque auctoris ipsius manu oblatum accipias. quod quidem à Celsit. tua vehementer etiam atque etiam peto. Bene Vale. D. Iesus Celsit. tuam heroicis omnibus donis magis ac magis locupletet, & singulari suarum Ecclesiarum bono quàm diutißimè conseruet. Geneuæ, Calend. Februariis, Anno temporis vltimi CIↃ IↃ LXXV.

Celsit. tuæ addictißimus
Theodorus Beza.

Admonitio ad Lectorem.

QVÆ in huius operis editione à nobis requiri posse existimauimus, eorum nobis hic reddendam rationem putauimus, quæ tum nostri officij esse duceremus, tum ad ipsam operis tractationem comparatiorem Lectorem redderent.

Primùm igitur quòd ad tempus attinet, ita equidem editionem hanc & seram fatemur, & postumam, vt simul affirmare non dubitemus, si quis totius operis ex numerosis & perquam implicitis chartis extricandi summam aliquam apud se vel cogitando subduxerit, minùs fortasse nostram hac in parte cessationem esse reprehensurum.

Ordinem verò in Epistolis collocandis ad annorum indicationem exegimus bona saltem ex parte: exactè tamen non præstitimus, quòd præter assiduas difficultates è re ipsa nascentes, scriptorũ etiam congeries attentionem nostram aliquando fefellerit.

In delectu ipso demum (omnia enim istiusmodi scripta emittere nunc quidem non potuissemus) testamur, imprimis vnam publici commodi rationem nobis fuisse propositam: proinde si quibus nostrum hoc iudicium vbique non satisfaciet, postulamus, vt quod noluimus ad cuiusquam probi offensionem referri (absit enim illud à nobis) illud sequius ne accipiant, & ex illo potius interpretentur, nempe

Opere in tanto fas esse obrepere somnum. Interiecimus etiam insignium illorum in Ecclesia Dei virorum aliquot epistolas, quòd ad ipsorum pietatem, eruditionem, zelũ pro domo Dei, sanctissimam denique inter se testandam coniunctionem tanquam illis auctoribus propitiis nobis id fas esse bono publico persuasum haberemus.

Illud insuper addimus, quòd quum pleraque amicorum Caluini ad ipsum eruditas literas, & non perinde Caluini ipsius ἀμοιβαίας nanciscerémur, non antè edendas à nobis illas iudicasse, quàm aliunde istas Caluini quæ desiderantur (quod ab ipsis Lectoribus benignè postulamus si quas nobis conferre poterunt, vti nos hoc à multis quod sine ipsorum incommodo ac dispendio fiat, lubenter expectabimus) adiungere, ac reponere possemus. Atque huius rei argumento hic agnoscimus, ne dimidiam quidem partem istorum quæ nunc exeunt Caluini scriptorum saluam futuram penes nos fuisse, nisi vel aliunde remissa, vel ex ipsis αὐτοχείροις descripta quamplurima habuissemus; vti ad eam rem vnius præcipuè Caroli Ionuilæi studiosissimi istarum rerum custodis fidem, diligentiam, operam denique & operosam & sumptuosam nobis appositissimam fuisse profitemur. Et tamen quum ita se res habuerit, inde ex parte factum admonemus, vt non pauca ERRATA inter excudendum ac dispungendum oculos & mentem effugerint, quæ saltem ad calcem libri tantò exactius connotanda studuimus.

Alterum etiam adiiciendum putauimus, venisse nobis in mentem nempe, fieri posse vt quædam ex illis quæ hic reperiuntur, apud nonnullos fortasse manuscripta non perinde extent, siue apices singuli, siue dictiones, ac fortasis etiam sententiæ aliquæ conferantur, tum quòd bonam hic fidem & certam di-

ligentiam præstari à nobis satis esse duxerimus, tum etiam quòd nonnulla subinde προόκλησα, aut merè familiaria, aut denique minùs ad rem ipsam pertinentia quum occurrerent, expungenda sine vlla fraude iudicaremus, ne quid videlicet à verè seriis Lectorem intentum reuocaret.

Postremò quum non pauca ex Gallicis istius argumenti & exempli scriptis occurrerent nobis, quæ cum nonnullo lectorum vsu adiungi Latinis natis si & ipsa Latina facta essent, videremus, (dum & ipsorum Gallicorum, & Gallicæ Latinorum translationis edendæ occasio sese deinceps offerret) ad certum vsque numerum nunc quidem Gallica Latinè exprimenda curauimus: in quibus bonam etiam fidem præstitam testamur, reliqua autem quæ in translationis exactiori opera desiderarentur, benignè cõdonari postulamus: Translationes ipsas porrò hac ad marginem nota (*Ex Gallico*) designari voluimus.

QVVM HVIVS EDITIONIS initiò non ita commodum videretur integras ipsas Epistolarum inscriptiones vbique præfigere, ne quid tamen hac in parte desideretur, præcipuas ex ipsis aliquot hîc etiam repræsentauimus, quales saltem in nostris exemplaribus vt plurimùm extabant.

Bucerus Caluino. Verè docto miréque facundo viro D. Io. Caluino, purioris Christianismi instauratori eximio, suo in D. fratri & Symmystæ vnicè colendo.

Cal. Bucero. Doctissimo viro D. Martino Bucero fidelissimo Christi Ministro, & fratri mihi plurimùm obseruando.

Melan. Caluino. Reuerendo viro, eruditione ac virtute præstanti D. Io. Caluino, fratri suo charissimo.

Cal. Melanchthoni. Præstantissimo viro D. Philippo Melanchthoni.

Grynæus Caluino. D. Io. Caluino suo amico & fratri dilectissimo.

Cal. Grynæo. Eruditissimo viro D. Symoni Grynæo amico singulari.

Buling. Caluino. Clarissimo viro D. Io. Caluino Geneuensis Ecclesiæ ministro fideli, charissimo fratri.

Cal. Bulingero. Præstantissimo Christi Ministro D. Henr. Bulingero Tigurinæ Ecclesiæ fido pastori, Symmystæ plurimùm colendo & fratri integerrimo.

Far. Caluino. Clarissimo Christi seruo Io. Caluino pastori Ecclesiæ Geneuensis, magno illustratori doctrinæ pietatis, fratri & Symmystæ quàm charissimo.

Cal. Farello. Insigni Christi seruo Gul. Farello Neocomensis Ecclesiæ Pastori, fratri humanissimo.

Myconius Caluino. D. Io. Caluino doctissimo Geneuensis Ecclesiæ doctori, optimo, synceriſſimóque Symmystæ in D. venerando.

Cal. Myconio. Eximio Christi seruo D. Osual. Myconio Basiliensis Ecclesiæ pastori fideliſſ. fratri mihi plurimùm obseruando.

Viretus Caluino. Eximio Christi seruo D. Io. Caluino, Geneuensis Ecclesiæ pastori fideliſſ. fratri & Symmystæ suauissimo.

Cal. Vireto. Optimo atque mihi amicissimo fratri P. Vireto Lausann. Ecclesiæ pastori.

Brentius Caluino. Reuerendo & doctissimo viro D. Io. Caluino docenti Euangelion Filij Dei Geneuæ, domino ac fratri suo in Christo obseruando.

Cal. Brentio. Eximio Domini nostri Iesu Christi seruo D. Io. Brentio, Symmystæ ac fratri in D. honorando.

Martyr Caluino. Clarissimo viro D. Io. Caluino Geneuensis Ecclesiæ Ministro fideliſſimo, atque mihi plurimùm obseruando.

Cal. Martyri. Clarissimo viro, & fido Ecclesiæ Tigurinæ doctori Theologo D. Petro Martyri mihi verè obseruando.

Sultzerus Caluino. Viro præstantissimo D. Io. Caluino Geneuensis Ecclesiæ Antistiti, amico & patrono suo colendissimo.

Cal. Sultzero. Eximiæ pietatis ac doctrinæ viro D. Sultzero Basiliensis Ecclesiæ fido pastori, fratri & Symmystæ colendissimo.

Beza Caluino. Eximio seruo Dei D. Io. Caluino patri mihi obseruantissimo, & Geneuensis Ecclesiæ fideliſſimo pastori.

Cal. Bezæ. Ornatissimo viro & fideli Christi seruo D. Theod. Bezæ, amico & fratri integerrimo.

Vitus Theodorus Caluino. Clarissimo viro D. Io. Caluino Ecclesiæ Gebennatium doctori fideli, Domino & amico suo charissimo.

Blaurerus Caluino. Summo Theologo spectatissimæque pietatis viro D. Io. Caluino, domino & fratri cumprimis suspiciendo, longéque charissimo.

Capito Farello. Gulielmo Farello, Ministro Christi sanctissimo, indiuiduo suo fratri.

Cal. Sleidano. Eximio Viro & amico verè colendo D. Io. Sleidano.

Cal. Mercero. Ornatissimo viro eximiáq; pietate & doctrina prædito D. Mercero amico integerrimo.

Caluinus de Augustana Confessione folio 182 et 291

INDEX EPISTOLARVM
quæ non sunt ipsius Caluini.

Basilienſium Miniſtrorum pag. 116.
Bernenſium Miniſtrorum 118.
Bezæ 247.252.252.262.264.265.
Blaureri 212.271.
Brentij 76.
Bucери 8.23.26.35.42.75.75.365.366.370. 372.372.373.
Bulingeri 74.79.93.95.103.111.119.127.147. 172.174.
Capitonis 9.
Farelli 58.80.116.128.146.173.225.
Felicis Crucigeri 257.
Feræi 26.
Gaſp. Carmeli 95.
Gaſp. Lizeri 131.
Gaſp. Oleuiani 226.
Grynæi 361.363.364.365.365.
Ex. Bernardi 22.
Knoxi 321.
Leonis Iudæ 22.
Legatorum Pontificis orationes 284.
Lutheri 23.
Martyris 147.149.205.213.223.
Melanchthonis 107.148.162.174.279.
Myconij 40.54.57.79.
Perucelij 192.
Principum Proteſtantium 283.285.
Richerij 195.
Saliniaci 261.
Scaffuſ. Miniſtrorum 119.
Sultzeri 41.51.136.148.
Tigurinorum Miniſtrorum 120.
Vireti 86.103.151.270.
Waldenſium 233.
Watelli 323.
Viti Theodori 62.
Vtenhouij 193.224.
Zuichij 34.

IOHANNIS CALVINI

VITA A THEODORO BEZA

GENEVENSIS ECCLESIAE MINISTRO

accuratè descripta.

SI QVIS erit qui me alio quàm tuendæ veritatis studio existimet ad hanc Iohannis Caluini vitam describendam accessisse, facilè me vt spero, ab hac calumnia præsens rerum humanarum status vindicabit. Vix enim vllum est breuius ad omnem calamitatē compendium, quàm virtutem laudasse: extremæ verò dementiæ fuerit, quod malum possis vel vno silentio redimere, id vltrò tibi accersere. Quòd sine virtutem quidem vllam impunè prædicare patiuntur scelerati, quid iis expectandum est, quibus pietatem, id est quiddam ipsa virtute superius, prædicare propositum est? cui non improbi tantùm homines aduersantur, sed etiam plerunque ij ipsi bellum indixerunt, qui maximè probi videri ac interdum esse student. Nec enim vllos habet pietas acriores inimicos, quàm eos ipsos qui falsam religionem pro vera seriò sunt amplexi. Sed ista me quantumuis in speciem terribilia minimè tamē perculerunt. Turpe enim fuerit malorum metu bonos silere, & superstitiosorum clamoribus oppressam Religionis vocem conticescere. Quòd si quis excipiat longè aliud esse Caluini vitam scribere, quàm veritatem defendere, fatebor equidem ego longè aliud esse hominem quàm veritatem: sed hoc tamen dicere non erubescam, haud temere dictum esse ab eo qui est αὐτάληθεια, Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos, & Qui vos audit, me audit. Clamitēt igitur homines tum qui id sibi per ignorantiam persuaserunt, tum qui per improbitatem sic loquūtur, Lutherum, Zuinglium, Caluinum à nobis pro diis haberi, qui tamen quoties libet Sanctorum cultores vt idololatras reprehendamus. Clament, inquam, isti quantùm & quandiu volent. Habemus quod illis regeramus: nempè longè aliud esse verè sanctorum hominum labores pro Religione susceptos, dicta denique & facta commemorare (quarum rerum cognitione boni meliores euadant, improbi verò redarguantur, qui nobis vnus est scopus in hoc scriptorum genere) quàm, vt ipsi faciunt, partim verè Sanctorum hominum vitam non minùs impiis quàm ineptis narrationibus (vt quod Abdias ille nescio quis in Apostolorum historia fecit) dedecorare, partim ex putidissimis mendaciis fabulosas historias (quas vulgò Legendas Aureas barbaro vocabulo, ego Ablegandas Stercoreas appello) conflare, ac tandem etiam veterum deorum idôla mutatis tantùm nominibus in vsum reuocare. Tam igitur absumus ab istis mortuorum cultoribus, quàm tenebræ luci repugnant. Illud enim seuerissimis additis comminationibus prohibet Dominus: nos Deo iubenti in ipsius opera corporis & mentis oculos intendere, obsequimur. Nemo enim est opinor, qui non homines inter omnia Dei opera, & rursum inter cæteros mortales eos qui sanctitate simul ac doctrina pollent, maximè nobis cognoscendos & obseruandos esse fateatur. Non temerè certè Daniel stellis cōparat sanctos Dei homines, qui fœlicitatis iter suo splendore cæteris commōstrent: quorum fulgorem qui totum extingui morte patiuntur, digni sunt quos tenebræ rursum multò quàm antea densiores inuadant. Cæterum ne illos quidem placuit imitari, qui dum ἀποδεικτικὸν & κατηχητικὸν illud dicendi genus sectantur, veritatem non tam exornarunt, quàm suspectam nonnullis reddiderunt. Itaque non quàm ornatè, sed quàm verè scriberem laborans, simplici potius narratione vtendum putaui.

Ioh. 20. 21. Luc. 10. 16.

Dan. 12. 3.

M. D. IX. ¶Natus est Iohannes Calvinvs Noviodvni Veromanduorũ aut certè proximorũ Veromãduis finium oppido celebri, Anno à D. natiuitate M. D. IX. VI. ID. Iulij, Patre Gerardo Caluino, matre Ioanna Franca, vtroque honestæ famæ & mediocribus facultatibus parente. Erat is Gerardus non pauci iudicij & consilij homo, ideóque nobilibus eius regionis plærisque charus: quod in causa fuit, vt inter Mommorios (quæ familia illic fuit nobilitate præcipua insignis) liberaliter admodum paterno tamen sumptu Caluinus filius à prima pueritia educaretur. Eos deinde Lutetiam studiorum gratia secutus, præceptorem habuit in Gymnasio Marchiano Maturinum Corderium, spectatæ tum probitatis tum eruditionis virum, & insignem semper habitum in omnibus ferè Galliæ scholis iuuentutis erudiendæ magistrum: Geneuæ demum, eo ipso anno quo Caluinus, VI. Nonas Septembris mortuum: quum annum agens octuagesimum quintum, eo docendi munere in hoc Gymnasio Geneuensi fungeretur. Translatus deinde in Gymnasium ab Acuto monte cognominatum, Hispanum habuit doctorem non indoctum: à quo exculto ipsius ingenio quod ei iam tum erat acerrimum, ita profecit, vt cæteris sodalibus in Grammatices curriculo relictis, ad Dialectices & aliarum quas vocant, artium studium promoueretur. Destinarat autem eum pater ab initio Theologiæ studiis, ad quæ vltrò illum inclinare ex eo colligebat, quòd in illa etiam tenera ætate mirum in modum religiosus esset, & seuerus omnium in suis sodalibus vitiorum censor: quod ex nonnullis etiam Catholicis idoneis testibus multis pòst annis celebri iam eius nomine, audire me memini. Itaque quasi rebus sacris destinato, pater beneficium ab Episcopo Noviodunen. impetrauit in Ecclesia Cathedrali quam appellant, ac deinceps etiam Parochiæ Curationem in pago vrbi vicino qui Pons Episcopi dicitur, ex quo ortus ipse Gerardus Caluinus pater in vrbem ipsam postea transierat: quo loco constat Iohannem ipsum Caluinũ antequã Gallia excederet (nullis alioqui pontificiis ordinibus initiatum) aliquot ad populum conciones habuisse. Sed hoc consilium interrupit vtriusque mutatus animus. Patris quidem, quòd Iurisprudentiam certius iter esse ad opes & honores videret: filij verò, quòd à cognato quodam suo Petro Roberto Oliuetano (cui Gallicæ Ecclesiæ conuersa ex Hebræo Biblia Neocomi impressa debent) de vera Religione admonitus, legendis sacris libris se tradere, à superstitionibus verò abhorrere, ac proinde sese ab illis sacris seiungere cœpisset. Profectus ergo iuris ciuilis audiendi causa Aureliam, vbi tunc Iurisconsultorum Gallorum facilè princeps Petrus Stella docebat, mirum quantopere breui tempore profecerit: adeò quidem vt quum sæpissimè obiret ipsorum Doctorum vices, Doctor potius quàm Auditor haberetur: eique discedenti Doctoratus insignia absque vllo pretio, summo docentium omnium consensu quasi optimè de Academia merito offerretur. Interea tamen ille sacrarum literarum studium simul diligenter excolere, in quo tantùm etiam promouerat, vt quicunque in ea vrbe aliquo purioris Religionis cognoscendæ studio tangebantur, ad eum etiam percontandum ventitarent, eiúsque tum eruditionem tum ardorem magnopere admirarentur. Testantur autem nonnulli adhuc superstites, qui tum ei familiares & contubernales fuerunt, consueuisse illum per id tempus, postquam frugaliter admodum cœnasset, ad mediam vsque noctem lucubrare, manè verò experrectum quæ legisset in lecto aliquandiu meditari, velutique concoquere, nec facilè in ea meditatione passum interpellari. quibus continuatis vigiliis ille quidem solidam eruditionem, & excellentẽ memoriam est consecutus: sed illam vicissim vt verisimile est, ventriculi imbecillitatem contraxit, quæ varios ipsi morbos, & tandem etiam intempestiuam mortem attulit. Erat tum Academiæ Bituricensis magna celebritas, quòd eò euocatus ex Italia Iurisconsultus ætatis suæ facilè princeps Andreas Alciatus veniisset, quem sibi quoque Iohannes noster audiendum putauit. Itaque quum eò migrasset, amicitiam iniit & Religionis & literarum nomine cum Melchiore Wolmaro Germano Rotuillensi, Græcarum literarum publico tum illic professore: cuius maximè viri eò libentius memini, quòd eũdem ego à prima pueritia ad pubertatem vsque præceptorem vnicum habui; cuius doctrinam, pietatem, cæterásque virtutes, admirabilem denique in erudienda iuuentute dexteritatem nunquam satis possim prædicare. Hoc auctore & adiutore Caluinus Græcas literas didicit, cuius beneficij memoriam omnibus postea testatam esse voluit, consecratis ipsius nomini Commentariis quos in alteram ad Corinthios Epistolam edidit. In his igitur studiis versantem, ita tamen vt sacras literas assiduè

tereret,

tereret, adeóque nonnullas interim conciones in agro Biturigum, in oppidulo quod Linerias vocant, præsente & probante illius domino haberet, repentina mors patris nuntiata in patriam reuocauit. Inde paulò post Lutetia transiens quum annum ageret vigesimumquartum, egregium illum commentarium scripsit in Senecæ libellum de Clementia: quo scriptore grauissimo, & ipsius Caluini moribus planè conuenientè valde delectatum eum fuisse constat. Ibi paucis mensibus innotuit omnibus purioris Religionis studiosis, inter quos frequenter postea non sine insigni pietatis testimonio commemorantem eum audiuimus Stephanum Forgeum celebrem mercatorem, postea pro Christi nomine crematum, cuius etiam nomen edito postea contra Libertinos libro celebrauit. Ab eo tempore sese Caluinus abiectis reliquis studiis Deo consecrauit, summa piorum omnium qui tum Lutetiæ occultos cœtus habebant voluntate, nec ei mox defuit, in quo sese strenuè exerceret. Erat tum Academiæ Parisiensis Rector, ita vt illic fit, designatus Nicolaus Copus Gulielmi Copi Basilienſis Regij medici filius: cui quum de more habenda esset Cal. Nouembris oratio, quo die à Pontificiis Panagia celebrantur, suggessit eam Caluinus, in qua purius & apertius quàm antea consueuissent, de Religione disserebatur. Hoc verò Sorbona ferre non potuit, nec probauit Senatus quem Parlamentum appellant: à quo citatus Rector sese quidem in viam cum suis apparitoribus dedit, sed ab amicis in itinere admonitus vt sibi ab aduersariis caueret, domum reuersus, ex ipso postea Regno excedens Basileam se contulit. Itum est etiam in Gymnasium quod Fortretum vocant, vbi tum Caluinus sibi domicilium delegerat: quo fortè domi non reperto, deprehensis inter schedas multis amicorum literis, nil propius factum, quàm vt plurimi in maximũ vitæ discrimen incurrerent: ita tum erant acres illi admodum aduersus Ecclesiam iudices, & in his quidem præcipuè Iohannes quidam Morinus, cuius adhuc nomen ab insigni sæuitia celebratur. Sed hanc tempestatem Dominus Reginæ Nauarrensis vnicæ Regis Francisci sororis admirabili ingenio præditæ mulieris, & piis tunc admodum fauentis intercessione dissipauit, misso in aulam, ibique perhonorificè ab ea accepto & audito Caluino. Inde ille Lutetia relicta in agrum Santonicum demigrans, amico cuidam operam dedit, cuius rogatu breues quasdam admonitiones Christianas scripsit, quas Parochis nonnullis inter Sacra recitandas tradebant, vt paulatim populi ad veritatis indagandæ studium allicerentur. Eodem tempore Neracum Aquitaniæ vrbem venit, Iacobum illum Fabrum Stapulensem senem salutaturus, quem eadem illa Nauarrena Regina à Sorboniſtis Matæologis ob Mathematices & alia philosophiæ recta studia Parisiensi Academiæ non sine diutino acerrimóque certamine restituta, & Scholasticam Theologiam exagitatam, in vitæ discrimen adductum liberarat, & in illa suæ ditionis vrbe collocarat. Excepit autem iuuenem bonus senex, & libenter vidit, futurum augurans insigne cœlestis in Gallia instaurandi Regni iustrumentum. Rediit aliquantò pòst Lutetiam Caluinus, eò quasi Dei ipsius manu euocatus. Venerat enim illuc impius ille Seruetus, iam tum suum aduersus sacram Triadem virus dispergens: quem sese nihil magis appetere quàm eius colloquium simulantem, condicto lòco & tempore Caluinus (idque non citra magnum vitæ periculum, quòd tum latere propter accensam aduersariorum rabiem cogeretur) diutius quidem sed frustra expectauit, illo ne Caluini quidem conspectũ ferente. Fuit autem is annus XXXIIII. supra sesquimillesimum horrenda in multos pios sæuitia insignis, M. D. Gerardo Ruffo Sorbonico Magistro sed pietatis studia magnopere tunc adiuuante, i- XXXIIII. témque Coraldo Augustiniani ordinis, (qui vnum & alterum iam annum fauore Nauarrenæ adiuti, negotium Christi in vrbe plurimùm promouerant) non modò ex pulpito deturbatis, sed etiam in carcerem coniectis: & eousque inflammata fascinati Francisci regis ira ob schedas quasdam aduersus Missam per vrbem sparsas, ipsiusque regij cubiculi foribus affixas, vt publica decreta supplicatione, cui vnà cum liberis suis tribus nudo capite ardentem facem quasi expiationis causa gestans interfuit, quatuor vrbis celebrioribus locis Octonos Martyres viuos vstulari iuberet, atque adeò solenni iureiurando testaretur, se ne liberis quidem suis parsurum, si fortè teterrimis illis vt vocabat, hæresibus essent infecti. Eiusmodi rerum statum intuens Caluinus paulò postquam Aureliæ insignem illum libellum edidisset, quem Psychopannychian inscripsit aduersus illorum errorem, qui dormire seiunctas à corporibus animas errore à vetustissimis vsque sæculis repetito docebant, secedere ex Gallia statuit, eóque

consilio vnà cum illo quicum eum apud Sanctonas aliquandiu vixisse diximus, iter Basileam versus per Lotharingiam ingressus, non procul vrbe Metensi in maximam difficultatem incidit, alterius ex sertis perfidia pecunia vtrique surrepta, qui altero ex equis validiore strato tam repente se in fugam dedit, vt deprehendi nullo pacto potuerit, heríque ipsis ab omni viatico relictis imparatissimis: adeò vt ab altero demum seruulo decem mutuò sumptis coronatis vix Argentinam, indéque Basileam peruenerint. Ibi præcipuos habuit amicos summos illos homines Symonem Grynæum, & Wolfgangum Capitonem, seséque Hebraïcis literis dedit: & quamuis latere modis omnibus studeret, id quod ex Epistola quadam Buceri ad eum altero pòst anno data liquet, tamen edere coactus est Christianæ Religionis Institutionem quam vocauit, operis longè maximi rudimentum. Quum enim illam Francisci regis carnificinam ægrè ferrent Germani Principes qui Euangelio nomen dederant, & quorum ille tum amicitiam ambiebat, hoc vnum ille σοφὸν φάρμακον auctore Gulielmo Bellaïo Langæo repererat, vt sese nonnisi in Anabaptistas pro verbo diuino suum tantum Spiritum iactantes, & omnium Magistratuum contemptores animaduertisse diceret. Quod dedecus veræ Religioni inustum non ferens Caluinus, eius edendi libri occasionem arripuit, meo quidem iudicio incomparabilis: addita excellenti ad Regem ipsum præfatione, quam si fortè legisset ille, aut ego vehementer fallor, aut magnum esset illi meretrici Babylonicæ iam tum vulnus illatum. Erat enim ille Rex non quales eum sunt consecuti postea. sed acerrimus rerum æstimator, iudicij ad dignoscendum verum non parui, eruditorum fautor, neque per se à nobis alienus. Sed illum hæc audirè nedum legere neque populi Gallici, neque ipsius regis peccata passa sunt, quibus ira Dei iam tum propinqua imminebat. Edito hoc libro suáque veluti præstita patriæ fide, Caluinum visendæ Ferrariensis Ducissæ Ludouici XII. Francorum regis filiæ, cuius tum pietas celebrabatur, simúlque Italiæ veluti procul salutandæ desiderium incessit. Illam igitur vidit, simúlque quantùm id illum facere præsens rerum status sinebat, in vero pietatis studio confirmauit, vt eum postea viuum semper vnicè dilexerit, ac nunc quoque superstes gratæ in defunctum memoriæ specimen edat luculentum. Cæterum ex Italia, in cuius fines se ingressum esse dicere solebat vt inde exiret, in Galliam regressus, rebus suis omnibus ibi compositis, abductóque quem vnicum superstitem habebat Ant. Caluino fratre, Basileam vel Argentinam reuerti cogitantem, intercluſis aliis fi.ibus per Allobrogum fines iter institutum prosequi bella coëgerunt. Ita factum vt Geneuam veniret, nihil ipse quidem de illa vrbe cogitans, sed vt mox apparuit, diuinitus eò perductus. Erat enim in illam vrbẽ paulò antè mirabiliter introductum Christi Euangelium duorum summorum virorum opera, Gulielmi Farelli Delfinatis non vt quidam commenti sunt ex cœnobio, sed ex schola Iacobi Fabri Stapulensis prodeuntis, & Petri Vireti Orbensis ex agro Bernens. ac Friburg. ditionis, quorũ postea laboribus copiosissimè Dominus benedixit. Eos igitur quum vt inter bonos fieri solet, Caluinus transiens inuisisset, tum Farellus vt erat planè vir ille Spiritu quodam heroico afflatus, multis eum verbis frustra obtestatus, vt secum potius Geneuæ laboraret, quàm longius excurreret, nec ei facilè Caluinus assentiretur, At ego tibi inquit, studia tua prætexenti denuntio Omnipotentis Dei nomine, futurum vt nisi in opus istud Domini nobiscum incumbas, tibi non tam Christum quàm teipsum quærenti Dominus maledicat. Hac terribili denuntiatione territus Caluinus sese Presbyterij & Magistratus voluntati permisit: quorum suffragiis accedente plebis consensu delectus non Concionator tantùm (hoc autem primùm recusarat) sed etiam Sacrarum literarum Doctor, quod vnum admittebat, est designatus anno Domini M. D. XXXVI. mense Augusto. Atque idem hic annus inito inter duas ciuitates Bernam & Geneuam arctiori fœdere, & Lausannæ ad Christum accessione, habita aduersus Pontificios libera disputatione, qui Caluinus quoque interfuit, celebratus est. Tunc edita est à Caluino Christianæ doctrinæ quædam veluti formula, vixdum emergenti è Papatus sordibus Geneuensi Ecclesiæ accommodata. Addidit etiam Catechismum, non illum in quæstiones & responsiones distributum quem nunc habemus, sed alium multò breuiorem, præcipua Religionis capita complexum. Aggressus deinde cum Farello & Coraldo, pleríque ex collegis timiditate turbas fugientibus, nonnullis etiam quæ maxima Caluini solicitudo fuit clàm opus Domini impedientibus, Ecclesiam componere, à ciuibus primùm omnium contendit, vt

Prima editio an. 1535 facta.

M. D. XXXVI.

coactus

coactus populus vniuersus, eiurato palàm papatu, in Christianam Religionem ac disciplinam paucis capitibus comprehensam iuraret. Quod etsi non pauci recusarent, vt in vrbe vixdum ex Sabaudi Ducis retibus, & Antichristi iugo liberata, & multis adhuc factionibus æstuante, dedit tamen Dominus xx. Iulij Anno M. D. XXXVII, vt palàm præcunte publico Scriba, à Senatu Populóque Geneuensi in Christianæ Religionis ac disciplinæ simul capita iuraretur. Istis verò exacerbatus Satan & frustra, quòd per externos hostes infinitis modis tentarat, efficere sese pietatis obtentu ratus, primùm omnium Anabaptistas, deinde Petrum Caroli de quo mox dicemus, opposuit, qui opus istud Domini, siue quòd illud qualecunque iam erat, ei magnopere ingratum esset, siue quòd ea quæ postea consecuta sunt prospiceret, non interturbarent modò, verùm etiam destruerent prorsus atque subuerterent. Sed anteuerterat Satanam Dominus, quod ipse rei euentus docuit. Anabaptistas enim Caluinus & Collegæ publica liberáque disputatione conuocatos, ea grauitate ex vno Dei verbo confutarunt XV III. Martij Anno M. D. XXXVII, vt quod raræ cuiusdã fuit fœlicitatis, ab eo tẽpore vix vnus aut alter in hac Ecclesia apparuerit. Alter Ecclesiæ turbator P. Caroli nomine, maiores & diuturniores turbas dedit, quarum duntaxat summã recensebo, quòd tota huius certaminis historia extet, & ex quadã Caluini ad Grynæum epistola colligi possit. Istũ gnauiter impudẽtem Sophistã mater Sorbona quæ pepererat, postea tãquam hæreticum, nõ ita de ipsa meritum eiecit. Venit igitur ille primùm quidem Geneuam, inde Lausannam, postea Neocomum: Satanæ Spiritu vsque adeò vbique comite, vt quocunque venisset, certa suæ turpitudinis impressa vestigia relinqueret. Vbi se videbat à nostris argui, ad aduersarios transibat: ab illis rursum ad nostros, vti illius artes apertè descriptæ extant prolixa quadam Farelli ad Caluinum epistola. Tandem igitur apertè cœpit optimum quenque, & quidem imprimis Farellum, Caluinum, Viretum, quasi de Sacra Triade minùs rectè sentientes criminari. Habita est ea de re Synodus Bernæ valde frequens, in qua damnatus calumniæ P. Caroli paulatim postea defecit, tandémque Mediomatrices subornatus venit, vt opus Domini quod fœliciter illic Farellus inchoarat, impediret. Inde scripta epistola pios apertè lacessiuit, vt Apostasiæ suæ plena spe facta, beneficium aliquod canis famelicus obtineret. Romam autem nihilominus remissus, vt coràm ipsi Bestiæ satisfaceret, ibíque cum ludibrio exceptus, premente inopia & Gallica scabie, vix in Xenodochium receptus, stipendium tandem peccati, mortem videlicet à filio peccati retulit. Et hic quidẽ fuit illius infœlicis exitus. Interea Caluinus, anno videlicet M. D. XXXVII, quòd multos in Gallia videret veritatem quidem intus probè noscentes, sibi tamen indulgentes, quin Christum animo colere satis esset, etiamsi Papisticis sacris interessent, duas elegantissimas epistolas edidit: Vnam de fugienda idololatria Nicolao Chemino, quo amico & hospite vsus Aureliæ plurimùm fuerat, Officiali postea Cenomanensi designato: Alteram de Papisticis Sacerdotiis, Gerardo illi Ruffo cuius antea memini, quique Abbatia quadam ac deinceps Episcopatu post editum illum Parisiensem tumultum donatus, non modò postea satis rectum cursum non tenuit, verùm etiam Heram suam Nauarrenam Reginam paulatim pessumdedit. Cæterum hæc illum agentem grauissimæ domesticæ seditiones exceperunt. Admissum fuerat in vrbe sicut antea diximus, Euangelium, & Papatus eiuratus. Sed extrusa simul à plerisque non fuerant indigna multa flagitia, quæ in ea vrbe Canonicis & impuro illi Clero tot annos addicta, diu viguerant: & veteres inter quasdam primarias familias inimicitiæ bello Sabaudico susceptæ, adhuc exercebantur. Quibus leni primùm admonitione, deinde grauiori aduersus refractarios increpatione tollendis, quum nihil proficeretur, & eousque malum processisset, vt Ciuitas priuatorũ quorundam factione in diuersas partes scinderetur, & non pauci sese in ordinem iuratum redigi nullo modo paterentur, eò tandem deueniendũ fuit, vt magno heroicóq; Spiritu præditi Farellus, & Caluinus cũ Coraldo Collega (quem quum vt antea diximus, strenuè Lutetiæ pro veritate depugnasset, Caluinus Basileam, indéque Geneuam postquã illic ipse constitisset, perduxerat) apertè testarentur, sese Cœnã Domini tam inter se discordibus, & ab omni Ecclesiastica disciplina alienis ciuibus, ritè celebrare non posse. Accedebat & aliud malũ, quod videlicet in quibusdam ritibus Ecclesia Geneuens. à Bernens. discreparet. Vtebantur enim Geneuenses pane communi, & Baptisteria illa quæ vocant

M. D. XXXVII.

M. D. XXXVIII.

tanquam ad Baptiſmi Miniſterium minùs neceſſaria, itémque dies Feſtos excepto die Dominico ſuſtulerant. quibus de rebus quum Synodus Lauſannæ à Bernenſibus coacta ſic decidiſſet, vt Azymum panem illáquæ reſtitui Geneuæ poſtularet, collegium autem Miniſtrorum Geneuenſium ſe prius audiri æquum duceret, eámque ob cauſam altera Tigurum Synodus eſſet indicta, his oblatis occaſionibus, qui tum fuerant creati Syndici (annuus hic eſt ſummúſque in Republica Geneuenſi Magiſtratus) factionum ac diſcordiarum duces populum conuocant: eóque rem perducunt fruſtra ſeſe Caluino cum eiuſdem ſententiæ Collegis ad reddendum omnium rationem offerente, vt maiore parte meliorem ſuperante, tres iſti fidi Dei ſerui intra biduum excedere vrbe iuberentur, quòd Cœnam Domini celebrare recuſaſſent. Hoc decretum quum eſſet Caluino renuntiatum, Certe, inquit, ſi hominibus ſeruiuiſſem, mala mihi merces perſolueretur, ſed bene eſt quòd ei inſeruiui qui nunquam non ſeruis ſuis rependit quod ſemel promiſit. Et quis iſta non exiſtimaſſet certam perniciem Eccleſiæ Geneuenſi allatura? Euentus tamen contrà oſtendit diuina prouidentia id factum, partim vt alibi opera fidelis ſerui ſui vſus, variis eum experimentis ad res maiores inſtrueret, partim vt ſeditioſis illis ſuo ipſorum impetu ſubuerſis, Eccleſiam Geneuenſem à multis ſordibus repurgaret. Vſqueadeò ſeſe Dominus in cunctis ſuis operibus, ac præſertim in Eccleſiæ ſuæ gubernatione admirandum præbet. Sed hæc omnia poſtea res ipſa patefecit. Tum verò magno cum bonorum omnium dolore tres illi edicto parentes, quum Tigurum primùm veniſſent, ibíque coacta Helueticarum Eccleſiarum aliquot Synodo, atque ex Synodi decreto per Bernenſium interceſſionem tentatis, ſed fruſtra, Geneuenſium animis, Caluinus quidem Baſileam inde ſeſe, ac mox Argentinam contulit. Illic igitur ex illius vrbis Senatus voluntate, à ſummis illis viris quibus tanquam lucidis gemmis illa tum Eccleſia fulgebat, Bucero, Capitone, Hedione, Nigro & aliis eorum collegis ad Theologicam profeſſionem propoſito honeſto ſtipendio euocatus, non modò Theologiam illic docuit magna cum doctorum omnium applauſu, ſed etiam ex Senatus conſenſu, Gallicam Eccleſiam conſtituta etiam Eccleſiaſtica diſciplina plantauit. Sic expectatione ſua fruſtratus Satan, pro Geneuenſi Eccleſia Caluinum alibi exceptum, & aliam mox alibi natam Eccleſiam conſpexit: nihilò interea ſegnius laborans, vt ædificium Geneuenſe prorſus concuſſum penitus euerteret. Itaque mox reperit malè feriatos nonnullos, qui vt pietatis neſcio cuius obtentu, iniquiſſimum illud decretum regerent, panem communem quo antea in Cœna vtebantur, in Azymum cenſerent conuerti oportere, ſcilicet vt nouis diſſidiis anſam præberent. Neque hoc conſilium Satanam fefelliſſet, niſi Caluinus bonos nonnullos iſta mutatione vſque adeò offenſos, vt etiam à Cœna ſibi abſtinendum putarent, ſeriò monuiſſet, ne ob iſtud ἀδιάφορον litem mouerent. Sic obtinuit panis Azymi vſus: de quo etiam poſtea reſtitutus Caluinus nunquam contendendum putauit, minimè tamen diſſimulans, quid alioqui magis eſſet probaturus. At ecce longè mox aliud periculoſius malum, Anno videlicet M. D. XXXIX. exortum, ſimúlque Caluini diligentia extinctum. Erat tum Epiſcopus Carpentoratenſis Iacobus Sadoletus magna eloquentia homo, ſed qua imprimis ad opprimendam veritatis lucem abuteretur: nec aliam ob cauſam in Cardinalium numerum adſcitus, quàm vt vir alioqui vitæ non flagitioſæ, quos poſſet colores falſæ religioni induceret. Is obſeruata eius temporis occaſione, deſtitutum tantis paſtoribus gregem facilè ſe intercepturum arbitratus, viciniam quoque prætexens (eſt enim Carpentoratenſis Ciuitas Delfinatui, & hic rurſus Sabaudiæ contiguus) literas dedit deſideratiſſimis quos vocat, Senatui, Conſilio, populóque Geneuatium inſcriptas, in quibus nihil eorum prætermiſit, quæ ad eos in Rom. illius meretricis gremiũ reuocandos pertinerent. Illis nemo tum erat Geneuæ qui reſponſum opponeret: adeò vt niſi peregrino ſermone ſcriptæ fuiſſent, magnum Ciuitati in eo rerum ſtatu damnum daturæ fuiſſe videantur. At illas Caluinus Argentinæ quum legiſſet, omnium iniuriarum oblitus, ſic ſtatim & verè & eloquenter reſpondit, vt ille mox totum iſtud negotium tanquam deſperatum omiſerit. Sed neque tandiu expectauit Caluinus, vt legitimum illum paſtoris affectum teſtaretur, quem aduerſus Geneuenſes ipſos tum apud ſuos grauiſſimè pro communi pietatis cauſa laborantes retinebat: cuius demum affectus luculentum teſtimonium exhibent inſignes Epiſtolæ quas ad illos anno ipſo quo reiectus eſt ac proximè conſecuto Argentinæ dedit, quibus nimirum hoc vnum agit,

M. D. XXXIX, cui etiam ſequens proximè coniungitur.

vt &

vt & ad resipiscentiam coram Deo, & ad tolerantiam aduersus improbos, & ad pacem cum suis pastoribus fouendam, & ad Dei inuocationem imprimis exhortetur: atque ita illos comparat ad optatam illam lucem ex suis illis funestissimis tenebris iterum expectandam, vti etiam euentus mirificè comprobauit. Tum quoque Institutionem Christianam multò auctiorem, Commentarios in Epistolam ad Romanos Symoni Grynæo amicissimo suo dicatos, aureolum denique libellum edidit de Cœna Domini, in Gallorum suorum vsum, quem deinde latinum fecit Galasius: quod argumentum ita dextrè simul ac eruditè videtur explicasse, vt ea tot infœlicissimarum controuersiarum decisio in qua doctissimus ac optimus quisque meritò acquieuit, illi potissimùm secundum Deum accepta feratur. Nec minor fuit eius fœlicitas in multis in viam reuocandis Anabaptistis, inter quos duo præcipui fuerant, vnus Paulus Volsius, cui iam olim Erasmus suum illud Enchiridium militis Christiani dicauerat: quo pastore postea vsa est Argentinensis Ecclesia: Alter Ioannes quidam Storder Leodiensis, cuius postea peste extincti viduam Idelletam nomine, grauem honestámque fœminam, Caluinus ex Buceri consilio vxorem duxit. Hæc tum Caluini studia fuerunt Argentinæ ad annum vsque M. D. XLI, quo anno fuerunt à Cæsare Wormatiam primùm, deinde Ratisbonam Comitia componendis Religionis dissidiis conuocata. Iis quòd ita Theologorum Argentinensium collegio placuisset, Caluinus adfuit, minimè quòd constat Ecclesiis, ac suæ præsertim Galliæ inutilis, & Domino Philippo Melanchthoni, & Gaspari Crucigero beatæ memoriæ imprimis gratus, adeò vt eum ille sæpe Theologum cognominarit, hic verò priuatum de Cœna cum eo colloquium habuerit, eiúsque cognitam sententiam disertè comprobarit. Iam autem aduenerat illud tempus, quo constituerat Dominus Geneuensis Ecclesiæ misereri. Itaque eorum Syndicorum vnus quorum opera factum fuerat decretum, vt fidi pastores eiicerentur, ita sese in Reipublicæ administratione gessit, vt seditionis reus, dum per fenestram proripere se conatur, præceps ruens vt erat ingenti corporis mole, ita sese attriuerit, vt intra paucos dies ex illo casu sit extinctus. Alter homicidio perpetrato, capite multatus est. Reliqui duo malæ etiam administratæ in quadam legatione Reipublicę accusati solum verterint, sintque absentes damnati. His veluti spumæ sordibus eiectis, Ciuitas Farellum suum & Caluinum cœpit requirere. Ac quum de Farello recuperando à Neocomensibus minimum spei affulgeret, enixè domum in Caluinum intenta, Argentinam Legati adiuncta etiam Tigurinorum intercessione mittuntur, qui ab Argentinensibus Caluinum repetant. Argentinenses præbent se difficiles. Caluinus ipse quanuis quæ improborum quorundam culpa sustinuerat, ipsius in Geneuenses animum nihil immutassent, tamen à turbis abhorrens, & quòd Dominum videret ministerio suo in Argentinensi Ecclesia benedicere, planè se rediturum negare. Bucerus quoque & cæteri ægerrimè se illum dimissuros testati. Perstantibus tamen Geneuensibus, censuit tandem Bucerus illorum precibus esse ad tempus concedendum: quod tamen à Caluino nonnisi interposita graui diuini iudicij denuntiatione, & proposito Ionæ exemplo fuit impetratum. Sed quoniam in id tempus hæc inciderant, quo Caluino Ratisbonam ad Comitia (sic enim fuerat decretum) cum Bucero proficiscendum erat, dilata fuit eius discessio: & tantisper à Bernensibus impetrarunt Geneuenses, vt Petrus Viretus Lausanna Geneuam iret. Quò libentius in vrbem rediit Caluinus, eum videlicet habiturus collegam, cuius opera & consilio in instauranda Ecclesia plurimùm adiuuari posset. Sic aliquot menses præteriere, quibus tandem elapsis Caluinus XIII. Septembris Anno Domini M. D. XLI. Geneuam regressus est, summa cum vniuersi populi, ac Senatus imprimis singulare Dei erga se beneficium seriò tum agnoscentis congratulatione: vt Argentinenses vrgere nunquam destiterit, vt quod de certi illo temporis spatio cautum fuerat, expungeretur. Concesserunt id quoque tandem Argentinenses, ea tamen conditione vt ius ciuitatis honorarium quod in Caluinum contulerant, saluum esset, & præbendæ quam vocant annuos reditus retineret. Quorum illud probauit Caluinus, istud verò vt acciperet nunquam ab eo extorqueri potuit, vt qui nihil minùs quàm opes curaret. Restitutus autem Ecclesiæ suæ flagitanti Caluinus, hanc in illius instauratione rationem tenuit, vt quòd eam vrbem videret omnino his frænis indigere, testaretur imprimis, se non posse ministerio suo

ritè fungi, niſi vnà cum doctrina Chriſtiana, Preſbyterium quoque legitimum cum πολιτείᾳ Eccleſiaſtica reciperetur. Tum igitur (qua de re mox plenius dicemus) & Preſbyterorum deligendorum, & totius illius ordinis leges perlatæ ſunt verbo Dei conſentaneæ, & ciuibus ipſis gratæ, quas poſtea miris modis Satan abrogare fruſtra eſt conatus. Scripſit quoque Catechiſmum Gallicè & Latinè, ab illo priore minimè diſcrepantem, ſed multò auctiorem, & in quæſtiones ac reſponſiones diſtributum : quem meritò nobis liceat admirandum quoddam opus vocare, tantopere plurimis etiam exteris populis probatum, vt non modò vernaculis plurimis linguis, vtpote Germanica, Anglica, Scotica, Belgica, Hiſpanica, ſed etiam Hebraicè ab Immanuele Tremelio Iudæo Chriſtiano, & Græcè ab Henrico Stephano legatur elegantiſsimè conuerſus. Qui deinceps fuerint ordinarij eius labores, ex reipſa diiudcari poteſt. Alternis hebdomadibus totis concionabatur, triduo verò docebat : ſingulis diebus Iouis Preſbyterij cognitionem regebat, diebus Veneris in communi collatione Scripturæ, quam Congregationem vocamus, iuſtam penè lectionem habebat : varios ſacros libros doctiſſimis Commentariis illuſtrabat, modò Religionis hoſtibus reſpondebat, modò neceſſariis de rebus vndiquaque ſcribebat. Quæ quiſquis attentè legerit, mirabitur tot tantíſque laboribus vnicum homunculum ſufficere potuiſſe. Vtebatur autem plurimùm Farello & Vireto, quibus tamen ipſe multò plus conferebat. Sed eorum amicitia & coniunctione non minùs improbis inuiſa, quàm piis omnibus iucunda mirabiliter delectabatur. Et ſanè iucundiſſimum erat ſpectaculum, tres iſtos tantos in Eccleſia Dei viros vſque adeò in opere diuino conſentientes, eóſque diuerſis donis florentes cernere & audire. Excellebat quadam animi magnitudine Farellus, cuius vel audire abſque tremore tonitrua, vel ardentiſsimas preces percipere nemo poſſet, quin in ipſum penè cœlum ſubueheretur. Viretus facundiæ ſuauitate ſic excellebat, vt auditores ab ipſius ore neceſſariò penderent. Caluinus quot ſonabat verba, tot grauiſſimis ſententiis auditoris mentem explebat : vt ſæpe mihi in mentem venerit, perfectum quodammodo videri poſſe paſtorem, qui ex tribus illis eſſet conflatus. Vt ad Caluinum redeam, non his modò curis, ſed domeſticis etiam externíſque aliis multis exercebatur. Sic enim Dominus benedicebat eius Miniſterio, vt ex omnibus orbis Chriſtiani partibus, partim eius conſilium in cauſa Religionis efflagitarent, partim ad eum audiendum concurrerent : adeò vt Italicam, Anglicam, Hiſpanicam denique Eccleſiam Geneuæ viderimus, neque tot capiendis hoſpitibus ſufficere poſſe vna ciuitas videretur. Domi verò etſi à bonis colebatur, ab improbis metuebatur, & optimè res erant conſtitutæ, non deerant tamen qui ſtrenuè illum exercerent. Quæ certamina ſigillatim explicabimus, vt habeant poſteri ſingulare fortitudinis exemplum, quod pro viribus imitentur. Igitur vt ad hiſtoriam redeamus, ſimulatque in vrbem rediit, memor illius Sententiæ : Quærendum eſſe primùm regnum Dei, vt cætera adiiciantur, nihil habuit antiquius, quàm vt Eccleſiaſticæ politiæ leges verbo Dei conſentaneæ Senatus conſenſu perſcriberentur : à quibus poſtea diſcedere, neque Miniſtris ipſis, neque ciuibus liceret. Id verò adeò antè probatũ, nonnullis ſenſim ex vulgo, atq; ex primariis ciuibus qui Papam quidem exuerant, Chriſtum verò nomine tenus induerant, odioſum fuit. Nonnulli quoque ex iis Miniſtris, qui bonis illis eiectis in vrbe manſerant (quorum tamen præcipui poſtea flagitiorum rei turpiter ſtationem deſeruerant) etſi teſtimonio conſcientiæ conuicti repugnare non audebant, clanculum tamen obſiſtebant, ſéque in ordinem cogi non facilè patiebantur. Neque verò deerat quod huic ſuæ improbitati prætexerent, aliarum videlicet Eccleſiarum exemplum, in quibus nullus eſſet excommunicationi locus. Non deerant denique qui Papiſticam tyrannidem ſic reuocari clamitarent. Sed has difficultates vicit Caluini conſtantia, cum inſigni moderatione coniuncta : qui quum ex ſacris literis non doctrinæ modò, verùm etiam adminiſtrationis Eccleſiaſticæ petendam eſſe rationem demonſtraſſet, & doctiſſimorum eius ſæculi hominum, veluti OEcolampadij, Zuinglij, Zuichij, Philippi, Buceri, Capitonis, Myconij ſententiam ex ipſorum ſcriptis oſtendiſſet, nec propterea damnari Eccleſias ipſas tanquam non Chriſtianas, quæ eoúſque nondum promouiſſent, vel eos paſtores qui ſuos greges eo fræno non indigere exiſtimarent, denique demonſtraſſet quantùm inter papaſticam tyrannidem & iugum Domini

Mat. 6.33.

mini interesset, abstinuit facilè, vt Ecclesiasticæ politiæ leges quibus etiamnum vtitur hæc Ecclesia, summo consensu conscriptæ, perlectæ, populíque suffragiis probatæ x x. Nouemb. reciperentur. Hæc etsi fœliciter erant cœpta, tamen quum non sine difficultate reipsa vsurpari posse consideraret Caluinus, totus in eo erat, vt & Viretum, quem ad tempus duntaxat aliquod concesserant Bernenses, & Farellum, quem Neocomenses eiectum exceperant, Collegas perpetuos haberet: sed hoc frustra tentauit, Vireto mox Lausannam reuerso, Farello verò Neocomi permanente, vt restitutæ huius Ecclesiæ laudem penè solus reportaret. Anno sequente Caluinum non pauca exercuerunt, vt enim quæ domi vrgebant præteream, instabat tum foris etiam inflammatus hostium Euangelij furor, multos ex Gallia, & Italia in vicinam & celebris iam nominis vrbem extrudens: quibus consolandis omníque officij genere reficiendis, mirum quanto studio sese iam tum impenderit: vt eos omittam quos in ipsis leonum faucibus versantes, vndiquaque missis literis solabatur. Accessit eo anno duplex aliud maximum malum, annonæ videlicet caritas, & pestis plerunque illius comes. Erat autem hæc iam tum Geneuæ consuetudo, vt peste laborantes suum extra vrbem Nosocomium haberent: vbi quum pastoris constantis ac seduli opera requireretur, pleríque contagionis periculum detrectantibus, tres sese obtulerunt, Caluinus videlicet, Sebastianus Castellio, (de quo postea plura dicturi sumus) & Petrus quidam Blanchetus: inter quos sortitione facta, quum Castellio cui sors obtigerat, mutata nihilominus sententia subire hoc onus impudenter detrectaret, Caluinum inuitum Senatus, ipséque adeò Blanchetus hoc onus in se recipiens amplius sortiri prohibuerunt. Tum quoque alia grauia inciderunt. Nam & Petrum Tossanum Monsbelgardensem Pastorem exercebat controuersia de Cœna Domini, & Basileæ quoque non deerant qui Ecclesiasticæ disciplinæ vix iacta fundamenta, frustra in contrarium laborante Myconio subruerent, qui duo consilia cum Caluino conferebant. Apud Mediomatrices autem siue Metenses etsi Farellus eò euocatus fœliciter laborabat, opus tamen Domini partim aperta vi, partim per Apostatam P. Caroli cuius antea meminimus, valde impediebatur. Quibus in rebus quantùm scribendo, monendo, hortando, modis omnibus denique laborarit Caluinus, partim ex eius editis literis intelligi potest, partim verò qui sunt adhuc superstites testificantur. Sed & audacior quàm vnquam antea Sorbona P. Liseti tum in Parlamento Parisiensi principis infaustæ infœlicíque memoriæ hominis fauore, ausa fuit facinus, quod mirum videri posset Episcopos, aut ipsum saltem Pōtificem pati potuisse, nisi iampridem Ecclesiarum opibus inter se vt inter prædones fieri solet, dispertiendis occupati, suo præcipuo munere quod in administratione verbi positū esset vltrò bonis istis quos vocant, doctoribus cessissent: ea tamen conditione, vt tanquam canes dominis illis suis subseruiant, ex quorum mensis ossa tandē millies abligurita corrodūt. Ausa fuerat igitur Sorbona, nullo neque diuino neque humano iure fulta, fidei Christianæ articulos præscribere, eiusmodi quidem, vt tum sua falsitate, tum illis summis ineptiis quæ sunt illi sodalitati familiares, omnem sibi ipsis auctoritatem apud homines non prorsus amentes meritò derogare potuerint: quibus tamen alij metu, alij per imperitiam vltrò subscripserant. Itaque respondit iis Caluinus, ita vt & errores solidis rationibus pereruditè refutaret, & eorundem stultitiam omnibus non penitus insulsis suauiter deridendam propinaret. Sic est annus ille exactus quem alius nihilò mitior excepit, iisdem malis caritate videlicet ac peste Sabaudiam infestantibus: & pergente vicissim Caluino domi quidem suos confirmare, foris verò Ecclesiarum hostes fortiter reprimere, editis præsertim libris quatuor de liberi arbitrij controuersia, quos Philippo Melanchthoni dicauit, aduersus Albertum Pighium Campensem, sophistam illius ætatis facilè principem, à quo etiam fuerat pro Antagonista delectus, ex quo videlicet reportata insigni victoria, galerum mox à Pontifice consequeretur. At ille hoc suo labore frustratus, id vnum assequutus est quod merentur veritatis hostes, nempe vt & doctis sanísque hominibus fœteret, & ab ipso Satana deciperetur. Eos autem libros quanti faceret testatus est suis literis Philippus, quas idcirco etiam edendas putauimus, vt habeat posteritas certum luculentúmque testimonium, quod aduersus vtriusque calumniatores opponat. Sed & ex eiusdem Caluini literis eodem anno Ecclesiæ Monsbelgardensi scriptis, quid sit iis respondendum quiuis cognoscet, qui de nimia ipsius seueritate in exercendis Ecclesiasticæ politiæ legibus queruntur.

M. D. XLII.

M. D. XLIII.

M. D. XLIIII. Sequutus est annus supra sequimillesimum quadragesimus quartus, in quo Caluinus de Neocomensium in Ecclesiasticis censuris instituto suam sententiam aperuit. Domi verò Sebastianus ille Castellio, cuius antea leuitatem notauimus, vt erat quadam ταπεινοφροσύνης specie ineptissimè ambitiosus, ac planè ex eorum genere quos græci ἰδιογνώμονας appellant, indignatus quòd suas ineptias in Gallica Noui Testamenti versione Caluino non probasset, eousque efferbuit, vt exotica quædam docere non contentus, palàm etiam Canticum Solomonis tanquam impuram & obscœnam cantionem ex Canone expungi iuberet, & repugnantes Ministros atrocissimis conuitiis proscinderet. Id illi verò sibi non ferendum meritò rati, hominem ad Senatum vocant: vbi pridie Cal. Iunij patientissimè auditus, cognitáque causa calumniæ damnatus, ex vrbe excedere iussus est. Inde Basileam quum venisset, tandem ibi admissus, qualem se præstiterit, alibi à nobis dicetur. Cæterum anno superiore quum Carolus quintus aduersus Gallum totis viribus mouens Germanis sic cauisset, vt tantisper dum Concilium vniuersale cogeretur, quod sese curaturum promittebat, neutri partium præiudicio facto inter quas de Religione disceptabatur, vtrinque pari inter se iure vterentur: plurimùm ea re commotus Pontifex Romanus Paulus III, grauissimam in ipsum Cæsarem expostulationem edidit, quòd Catholicis hæreticos scilicet exæquasset, & in alienam messem iniecisse falcem videretur. Respondit Cæsar quod æquum censuit. Caluinus autem, quòd in iis literis grauiter læsa erat Euangelij veritas piorúmque innocentia, Pontificis audaciam repressit. Fuerunt tum Spiræ coacta imperij Comitia: qua accepta occasione Caluinus libellum edidit de Necessitate reformandæ Ecclesiæ, quo haud satis scio an aut neruosius, aut grauius eius argumenti scriptum nostro sæculo editum fuerit. Eodem anno Caluinus tum Anabaptistas tum Libertinos (in quibus veteres omnes quantumuis portentosæ renouatæ sunt hæreses) duobus libellis ita refutauit, vt neminem iis attentè lectis arbitrer extitisse, qui vel ab istis nisi sciens & prudens decipi potuerit, vel si antea deceptus erat, non vltrò in rectam viam redierit. offensa est tamen isto libro in Libertinos edito Nauarrena, quòd ab illius horrẽdæ sectæ Antesignanis duobus Quintino & Pocqueto quos nominatim Caluinus arguerat (rem penè incredibilem) eousque fuisset fascinata, vt quum alioquin illorum mysterium non teneret, pro bonis viris illos haberet, ac proinde sese quodammodo per eorum latus confossam arbitraretur. Quod quum intellexisset Caluinus, sic illi mira quadam moderatione respondit, vt & dignitatis, & collatorum ab hac Regina in Ecclesiam Christi beneficiorum memor, ingenuè tamen & cordatè vt fortem Dei seruum oportuit, nimiam illius in admittendis istiusmodi hominibus imprudentiã reprehenderit, & ministerij sui auctoritate asseruerit: effecerit denique vt horrendæ Libertinorum sectæ homines, qui in Galliam vsque sese effundere cœperãt, postea sese intra Hollandiæ & proximarum regionum fines continuerint. Tot autem illius anni laboribus defunctum, noua rursum certamina sequentis anni eáque longè

M. D. XLV. grauissima exceperunt. Nam quasi pestis diuinitus immissa exhauriendæ ciuitati totíque viciniæ non sufficeret, vsque adeò apud pauperculos nonnullos auaritia tum valuit, quorum opera ditiores in curandis ægrotis ac repurgandis ædibus vterentur, vt & horrenda coniuratione pestifero vnguine domorum postes ac limina atque alia quæuis obuia inficerent, vnde mox dira pestis sequebatur, & horrendo iureiurando solenniter concepto inter se Satanæ se manciparent, si sceleris conscios vllis tormentis adacti prodidissent. Non pauci tamen partim in vrbe, partim in vicinis regionibus deprehensi, iustíque suppliciis sunt affecti. Sed incredibile dictu est, quantam Geneuæ & ipsi imprimis Caluino inuidiam Satan hoc artificio conflarit, quasi scilicet ibi planè ille regnaret, vbi quàm maximè oppugnabatur. Fuit hic idem annus infamis illa plusquam immani carnificina, quam Aquense Parlamentum in fratres Waldenses Merindolæ, & Cabrieris, totóque illo tractu, non in vnum aut alterum quempiam, sed in populos ipsos nullo nec ætatis, nec sexus discrimine incensis etiam vicis exercuit. Hæc autem mala Caluinum refugientes Geneuam pauculos solantem ac reficientem eò vehementius premebant, quòd eos antea literis, summissíque pastoribus purè in Euangelio instituendos curarat, suáque apud Germaniæ Principes & Helueticas ciuitates intercessione periclitantes antea seruarat. Glisccebat tum quoque rursum infœlix illa de Cœna Domini decertatio, Osiandro homine superbo monstrosíque ingenij sopitam flammam fodiente: quod incendium quominus sopiretur,

sopiretur, per Caluinum certè non stetit, cuius ea de re ad Philippum vnam & alteram Epistolam edendam curauimus. Sed vtriusque sanis consiliis nullum locum tribuit eius hominis intemperies, quem vterque Periclem vocabat. Interea pestis in vrbe desæuiens multos bonos tollebat. Caluinus autem ex suggestu in nonnullorum flagitia, ac præsertim aduersus scortationes quæ ne tum quidem desinere poterant, pro viribus detonabat, bonis quidem adsentientibus, sed paucis quibusdam δημαγώγοις bonorum conatus infringentibus, donec ipsi sese vltrò sicuti suo loco dicetur, præcipites dederunt. Accedebat denique ad hæc mala, quòd tum quoque non deessent parum illæ quidem tẽpestiuæ de iure Ciuitatis disceptationes: nec pati possent aliunde fideles pastores Ecclesiastica bona pontificiis erepta non sic vt oportuit plerisque locis administrari: Multi tunc clamores, multæ querelæ, multi denique scribendo ac loquendo labores, sed frustra plerunque suscepti: apertè quidem profitente Caluino, se quidem tot scrilegiis minimè fauere, quæ diuinitus tandem sciret seueriſſimè vindicanda, sed in eo tamen iustum Dei iudicium agnoscere, quòd bona tam malè prius à sacrificis acquisita, non sineret Dominus Ecclesiarum ærariis inferri. Alia præterea duplex solicitudo Caluinũ eodem hoc anno domi simul & foris exercuit. Redierat tũ Geneuam patriam suam veterator quidam quanuis adhuc iuuenis, postquam aliquandiu Eremitam in Galliis simulasset. Eum pietatis speciem initiò præ se ferentem Caluinus, (homo si quisquam alius in deprehendendis aliorum ingeniis sagacis solertísque iudicij) quum mox agnouisset, admonere primùm ac mox liberius etiam, postea ambitiosè nimium in congregationis cœtu sese efferentem increpare cœpit. Hoc ille non ferens, reperit facilè ex iis in quorum scelera inuehi solitus erat Caluinus, quorum fauore & studio adiuuaretur: adeò vt quum fortè ageretur de pastore in mortui locum subrogando, palàm ille cum suis sacrum Ministerium ambiret. quid multis? interposita sua auctoritate iubet Senatus istius rationem haberi. Obstitit cum suis collegis Caluinus, & quantopere hic ambitus verbo Dei repugnaret, ostendit: obtinuítque bona cum Senatus venia, vt scriptis Ecclesiasticis legibus staretur. Erant tunc quoque in Galliis nonnulli qui persecutionum metu initiò lapsi, eousque postea sibi placere cœperant, vt eos negarent peccare, qui in veram Religionem intenti, corpore duntaxat Pontificiis sacris interessent. Hũc igitur pernicioſissimum errorem iam olim à patribus damnatum, Caluinus cuius illi seueritatem nimiam esse causabantur, & scripto luculento refutauit, & adiunctis doctissimorum Theologorum Philippi Melanchthonis, Buceri, P. Martyris, & Ecclesiæ Tigurinæ sententiis ita coërcuit, vt ab eo tempore piis omnibus fœtuerit Nicodemitarũ nomen: Ita enim illi vocabantur, qui errori suo sanctissimi viri illius exemplum pretexerent. Hunc annum alius nihilò mitior excepit. Prætet- M. D.
quam enim quòd aduersus frequentes nuntios de Cæsaris aduersus Religionem molitionibus, & Pontificis fraudes, à quo summissos incendiarios ferebant, confirmandus erat ciuium animus, deplorandus erat in eo præcipuè ciuitatis status, quòd tantùm abesset vt improborum petulantia tot ferulis domari se pateretur, vt contrà magis efferretur, adeóque prorsus erumperet. Erant enim ducem nacti vanissimum quidem, sed audacem & ambitiosum imprimis (quem idcirco Caluinus Comici Cæsaris nomine in suis Epistolis designat) Amedeum Perrinum nomine, hoc etiam iampridem consecutum, vt Generalis Capitaneus populi suffragiis crearetur. Is ratus id quod res erat, stare se suíque similes vigentibus legibus, ac præsertim Caluino assiduè aduersus eorum lasciuiam detonante non posse, tandem quid vnà cum suis meditaretur, apertè hoc anno prodere cœpit. quod quum animaduersum simul ac repressum fuisset Senatorum auctoritate, tacuit ipse quidem, sed ita vt mox aportius improbitas sese proderet. Ecce enim paulò pòst ex ipso Senatu quidam in hominum cœtu satis frequenti Caluinum vt falsa docentem corripit, à duobus ex pastorum collegio (vt existimatur) clanculum impulsus, ebrioso vtroque, nec minùs quàm cæteri seueritatem legum metuente. Et hunc quidem latratum Caluinus nihil est moratus. Vocatur tamen ille in ius, cognitáque causa ex SC. infamiæ dãnatur, coniunctíque duo illi falsi pastores exauctorantur, ipsáque adeò œnopolia interdicuntur, tantùm abest vt malorum improbitas quidquam valuerit. Quod autem incendium hoc anno repressum fuerat, M. D.
eo qui proximè sequutus est, nempe quadragesimo septimo supra sesquimillesimum XLVII.
prorsus erupit, nec aliud tempus eo sæculo magis calamitosum incidit: Germaniæ Ecclesiis eò redactis, vt vnà cum proceribus & vrbibus partim sese vltrò dedentibus, par-

tim vi captis, vno momento euersum videretur, quicquid tot annis tantísque laboribus extructum fuerat, iíque demum beati à plerísque haberentur, quos istis tumultibus tempestiua mors eripuisset. His publicis tot Ecclesiarum calamitatibus quantopere pium illud pectus cruciatum existimabimus, non aliter etiam in media pace in Ecclesias quantumuis remotas affectum, quàm si omnes illas humeris impositas gestaret? Quid verò? Quum summos illos viros quos amicissimos habuit, Philippum dico, Bucerum, Martyrem videret ita periclitantes, vt morti quàm vitæ propiores essent, quantis eum doloribus conflictatum putabimus? Fortissimo tamen animo Caluinum tempestates istas superasse, tum ipsius scripta testantur, tum etiam res ipsa comprobauit: quum domi multò acrius ab improbis vexatus, suo tamen ex illo gradu ipsis ne tantillùm quidem cesserit. Itaque vt ad domestica certamina redeam, quum in eo totus esset, vt Euangeliũ quod annuntiabat, ostenderet non in speculatione quadã, sed in ipsa Christiana vita positum esse, hostes eos necessariò expertus est, qui omni pietati ac honestati, ipsi denique patriæ bellum indixerant. Eorum vt antè diximus, facilè princeps erat Perrinus ille, quum ea tum esset & illius & suorum conditio, vt & ab ipsis extrema quæuis tentanda constaret, & improbi apertè instarent, vt istorum omnium cognitio à Presbyterio ad Senatum transferretur. Presbyterium ex aduerso vrgere sancitas de Ecclesiastica disciplina leges verbo Dei cõsentaneas, ipsiusque adeò Senatus opem implorare, ne quid detrimenti acciperet Ecclesia. Iudicauit Senatus ratas esse Ecclesiasticas leges oportere, illúdque reipsa confirmauit. Ac tandem quum ille sua audacia sese in extremum discrimen coniecisset, exitus totius rei is tum quidem fuit, vt Senatu motus, abrogatóq; Capitanei nomine priuatus viueret. Hæc autem omnia, etsi coram Magistratu agebãtur, dici tamen non potest, quantopere Caluinũ exercuerint: siquidẽ eousque semel in ipsa Curia coactis Diacosiis deuentum est, vt penè exertis iam ensibus, parum abfuerit quin mutuis cædibus Curiam ipsam cruentarent: quam seditionem Caluinus cum collegis superueniens, oppositò imprimis suo ipsius capite inhibuit, quanquam sceleratorum factio in illum præcipuè ferretur: ipso nihilominus eorum scelera pergente grauissimè detestari, eosque grauissimè prout merebantur increpare. Neque verò vana fuit iudiciorum Dei denuntiatio. Siquidem per id tempus quidam famosum libellum scripsisse, & sacro pulpito adfixisse deprehensus, in quo tum alia multa nefaria in sacrum Ministerium, tum etiam illud scriptum erat, Caluinum esse in Rhodanum præcipitandum, causa dicta infinitarum aliarum blasphemiarum præter expectationem conuictus, capitis supplicio affectus est. Quinetiam post eius interitum inuentus est libellus ipsius manu aduersus Mosen ipsumque adeò Christum professò scriptus, quo impietatis scelere dubium non erat, quin alios etiam aliquot infecisset. Scripsit autem hoc ipso anno in mediis illis certaminibus Caluinus Antidotum aduersus Tridentini cõciliabuli sessiones septem: itemque Rotomagensem Ecclesiam missis literis aduersus Franciscani cuiusdam fraudes renouatorum à Libertinis Carpocratis errorum venenum ibi spargentem, confirmauit. Anno sequente, id est, quadragesimo octauo supra sesquimillesimum, erupit eiusdem illius factionis malum, iis (quod penè incredibile est) maximè abutente Satana, qui tamen præcipuè mederi malis istis studebant, Farello nempe & Viretо. Qui ineunte statim anno quum Geneuam venissent, & orationem in Senatu grauissimam de componendis dissidiis habuissent, Caluino quidem nihil aliud quàm emendationem morum postulante, Perrino verò cum suis nihil non simulante, vt pristinum locum reciperet, tum quidẽ visa sunt omnia composita, sed bonis viris impositum potius fuisse, res ipsa mox comprobauit. Perrino siquidem restituto, eousque sese extulit sceleratorum improbitas, vt thoracibus etiam quibusdam in crucis modum dissectis, quibus sese mutuò agnoscerent palàm vterentur, & alij suis Canibus Caluini nomen imponerent, alij Caluinũ in Cainum transformarent, non pauci denique illius odio abstinere se à Cœna D. testarentur. quæ omnia quum fortiter ille & collegæ ipsius reprehenderent, vocatis in Senatum, vicit quidem facilè bonorum innocentia: tandémque XVIII. Dec. solenni iureiurando sancita rursum est ἀμνηστία. Sed hæc omnia per simulationem facta fuisse, nec aliud tum quæsiuisse Perrinum, quàm vt Syndicatum adeptus, aditum sibi & suis ad omnia perdenda magis ac magis patefaceret, euentus comprobauit. Caluinus autem istis concertationibus non modò non cessit, verùmetiam quasi in otio sex Epistolas Pauli doctissimis commentariis illustrauit: & Interim illud quod vocant, pessundandis Germanicis

M. D. XLVIII.

manicis Ecclesiis editum, grauissimo scripto refutauit, verámque instaurandæ Ecclesiæ rationẽ ostendit: Astrologiæ denique quam iudiciariam vocant, cui plusculùm tribuere non pauci videantur, falsitatem atque vanitatem elegantissimo libello patefecit. Tùm quoque à Brentio Basileæ exulante literis salutatus, amicissimè illum consolatus est, in qua coniunctione vtinam perstare Brentius institisset. Bucerum in Anglia exulantem tunc quoque ingenuè monuit, vt magis perspicuè de Cœna Domini scriberet ac loqueretur, & amicissimè solatus est. Simúlque Sommersetum Ducem Angliæ protectorem indignissima postea morte affectum accuratè scriptis literis eorum admonuit, quæ si tùm essent in illo regno animaduersa, multas fortasse tempestates Ecclesiæ Anglicanæ deuitassent. Crescebat in istis certaminibus mirabiliter Ecclesia Geneuensis, quod vt mirum in modum Satanam & malos angebat, ita Caluini excipiendis pro Christi nomine exulibus intenti studium vehementer acuebat: cui solicitudini sic fauit anno consequente Dominus, vt etsi non extincta prorsus, attamen ad tempus sopita furiosorum improbitas videretur. Et sanè induciis egebat ille, præsertim casu domestico grauiter afflictus: amissa videlicet vxore lectissima fœmina: quem tamen casum ita constanter tulit, vt hac etiam in re singulare fortitudinis exemplum toti Ecclesiæ præbuerit. Eodem hoc anno exorta in Saxonicis Ecclesiis contentione de rebus Adiaphoris, quum à Caluino quoque consiliũ peteretur, sententiam hac de re suam liberè exposuit: Philippo etiam officij admonito, quem nonnulli vt in eo molliorem accusabant, immeritò id quidem, vt accuratius postea Caluinus cognouit. Tùm enim erat ignotum quo animo malus ille genius & tota Flaccianorum cohors impelleretur: quæ tot postea turbas dedit, & nunc quoque opus Domini labefactat, non aliter sanè, nec minùs impudenter ac furiosè, quàm si ab ipso Rom. Pont. magnis stipendiis esset conducta. Cæterum hoc Ecclesiis Germanicis inflictum vulnus contrario beneficio Dominus apud Heluetios compensauit, Farello simul ac Caluino Tigurum profectis, vt, quum visus esset quibusdam Caluinus Consubstantiationi nonnihil fauere, de communi in ea re omnium Helueticarum Ecclesiarum consensu omnibus liqueret. Neque verò difficilè factu fuit, vt inter bonos & veritatis amantes conueniret. Scripta est igitur summa omnium Helueticarum & Rheticarum Ecclesiarum approbatione consensio, quæ præsertim D. Bulingerum cum Caluino, Tigurinámque Ecclesiam cum Geneuensi arctissimo vinculo magis ac magis colligauit, in qua etiam omnes adhuc perstamus, & ad extremum vsque fauente Deo perstituros nos speramus. sic annus ille fœlix nobis exactus est si cum cæteris conferatur: cuius eò libentius memini, quòd is mihi primæ ad Ecclesiasticas functiones vocationis meæ vocante me Lausannensi Ecclesia, impellente verò Caluino, initium fuerit. Scripsit quoque per id tempus binas eruditissimas epistolas Lælio Socino Senensi Tiguri diu versato, ac tandem etiam mortuo. Ex iis verò quod fuerit illius ingenium, nempe planè Academicum, facilè quiuis dignoscet, res autem ipsa serò ac nonnisi post eius obitum patefecit: quum Ecclesias peragrans, ac doctissimum quenque, ac in iis imprimis Philippum, Caluinum, Ioach. denique Camerarium, (à quo in Philippi vita honorifico testimonio contrà quàm mereretur, ornatus est) fefellisset. Siquidem illum postea Bellianæ de qua suo loco dicemus farraginis maxima ex parte auctorem fuisse, & Serueti, Castellionis, Ochini denique furoribus fauisse compertum est, extante etiam illius in illud illustre primum caput Iohannis commentario, in quo facilè omnium qui vnquam illum locum longè diuinissimum corruperunt, hæreticorum impietatem superauit. Qui hunc excepit annus nempe quinquagesimus supra sesquimillesimum, satis quòd ad Ecclesiam attinet tranquillus fuit: eóque decretum est vt Ministri non tantùm in concionibus, quas alij negligebant, alij non magno cum fructu audiebant, sed etiam sigillatim per domos & familias certo anni tempore adhibito cuiusque regionis vrbis Decurione, itémque Presbytero, plebem instituerent, & ab vnoquoque fidei rationem summatim exposcerent: qua ex re vix credibile est, quantus sit fructus consequutus. Alterum decretum vt in proximum diem referretur Natalium D. celebratio, nec vlli alij festi dies essent præter septimum quenque quem Dominicum vocamus, factum plurimos offendit, adeò quidem vt non deessent, qui dies ipsos Dominicos à Caluino sublatos confingerent, vt eum in inuidiam vocarent: quum tamen non modò non postulante, sed etiam ignorante Ministrorum collegio actum ea de re apud populum, decretúmque fuisse constaret, cuius tamen causa litem non esse mouendam Caluinus existimauit.

M. D. XLIX.

M. D. L.

Offendiculum autem inde à nonnullis acceptum Caluino præbuit libelli de Scandalis
scribendi occasionem, Laurentio Normendio integerrimo veteríque amico inscripti.
M. D. LI. Huius autem biennij tranquillitatem dissidia sequentis quinquagesimi primi nempe su
pra sesquimilles. facilè compensarunt. Nam præterquam quòd toti Ecclesiæ ac Caluino nominatim luctuosus fuit Buceri morte, quem virum summè dilexerat, itémque Ioach. Vadiani Consulis Sangallensis viri singulari tum pietate tum eruditione præditi interitu, efferbuit factiosorum improbitas eò ardentius, quò diutius sopita delituerat: adeò vt palàm negarent cum aduentantibus exulibus ius Ciuitatis cõmunicandum: nec eo contenti, Caluinũ ipsum ex concione trans Rhodanum habita redeuntem per ludibrium pulsarint, & Raymundũ eius Collegam nocte fortè pontem Rhodani transeuntem, exempta furtim sublica penè in subiectum fluuium præcipitarint. Denique in ipso D. Geruasij templo tumultum non paruum eo prætextu excitarint, quòd Minister infanti ad Baptismum oblato indere Balthasaris nomen, (quoniam id disertè leges scriptæ ob certam causam prohibebant) recusaret. Neque tùm aduersus hæc mala quidquam erat quod Caluinus opponeret, pręter fortem inuictámq; patientiam. Sed & aliud nouum malum Geneuensem Ecclesiam per id tempus inuasit. Dedit autem occasionem Hieronimus quidã Bolsecus ex Carmelitarũ societate Lutetiæ monachus, qui quum ali quot ante annos cuculla quidẽ abiecta, sed monachismo retento profugisset, idẽ etiã decepta Ferrarien si Ducissa ab ea pulsus, ac tandẽ triduo medicus factus Geneuã venerat: vbi quum inter eruditos medicos nullo loco esset, vt sese Theologũ esse ostenderet, falsum & absurdũ quiddã de prædestinatione inter aliquos, ac tandẽ etiam in cõgregationis cœtu blaterauit. Eum Caluinus primùm moderata reprehẽsione contentus refutauerat, deinde ad se vocatum docere meliora fuerat conatus. At ille siue ambitione monastica percitus, siue ab illis factiosis, iamtidẽ quærentibus per quẽ Caluinum lacesserent, incitatus, palàm ausus est in ipso congregationis cœtu XVI. Octobr. quam ille Iohannis
Ioh. 8. 47. locus explicaretur, *Qui ex Deo est*, verba Dei audit, & quia non auditis, ex Deo non estis, liberum arbitrium & operum præuisionem ad æternæ prædestinationis decretum causis omnibus etiam ordine superius euertendum, adiectis etiam in veram doctrinam contumelijs, fastúque merè seditioso proferre: idque eò vt existimatur, audacius, quòd fortè Caluinum suo loco non sedentem abesse crederet. Et aberat quidem ille initiò. Sed eo sermonem ingresso superueniens, ponè alios nonnullos sese continuerat. Finita monachi oratione, Caluinus repente apparens, quamuis planè nihil antea tale meditatus, tùm certè si vnquam aliàs qui vir esset, ostendit. Siquidem illum tot verbi diuini testimoniis, tot Augustini præsertim locis, tot denique támque grauibus argumentis cõfutauit, perculit, obruit, vt omnes pręter ipsummet perfrictæ frontis monachũ ipsius vehementer puderet. Aderat in ipso audientium cœtu Assessorum Prætoris vnus, quorum in vrbe ius prehensionis est. Is illum dimisso cœtu tanquam seditiosum in custodiam tradit. Quid plura? Causa multis disputationibus agitata, Senatus Helueticarum etiam Ecclesiarum sententiam percontatus, illum tum vt seditiosum, tum vt merè Pelagianum XXIII. Decemb. publicè damnatum vrbe expulit, fustuariam pœnam minatus, si vel in vrbe vel in vrbis territorio esset deprehensus. Ipse postea in vicinũ oppidum demigrans, multas magnásque turbas dedit, donec Bernensi quoque ditione bis expulsus, Ministeriũ in Gallicis Ecclesiis ambiens, quas tum pacificas fore putabat, Lutetiam primùm, indéque Aureliam veniret, pœnitentiam miris artibus simulans, vltróque cum Geneuensi Ecclesia reconciliationem petens. quod quum reipsa præstiturus videretur, vbi contra quã sperarat Ecclesias affligi animaduertit, repetita medicina, ad hostes Euangelij manifesta defectione (vxore quoq; Canonicis Augustodunẽsibus prostituta) transiuit, vnde nunc etiam quibus potest maledictis veritatem proscindit. At Geneuæ interea Collegium Ministrorũ in publico cœtu veram de prædestinatione doctrinã asseruit, publicóq; scripto deinceps à Caluino comprehensam comprobauit: hoc vnum istis dissidiis cõsequuto Satana, vt caput hoc Christianæ Religionis antea obscurissimum, dilucidum
M. D. LII. perspicuúmq; cunctis non contentiosis euaserit. Anno verò deinceps sequuto magis apparuit quantam flammam accendisset impurus ille, licet communi tot Ecclesiarũ iudicio dãnatus. Etenim tũ ipsa Quæstionis nondũ antea satis à plerisq; veteribus explicatæ, nec eodẽ semper exitu agitatæ difficultas, curiosa præsertim ingenia ad hoc ipsum disquirendum accẽdebat, tum factiosi pręclaram sibi oblatã occasionem ad omnia Caluino ejecto subuertẽda putabant. Itaq; dici non potest quæ nõ in vrbe tantùm, verũ etiã vltrò citróq;

veluti

veluti si classicum ipse Satan cecinisset, contentiones sint consequutæ. Etsi enim pulchrè inter præcipuarum Ecclesiarum pastores conueniebat, non deerant tamen qui in vicinis Bernensis ditionis Ecclesiis Caluino litem intenderent, quasi Deum faceret peccati auctorem: parum certè memores hoc ipsum pestilentissimum dogma fuisse à Caluino iampridem ex professo aduersus Libertinos refutatum. Basileæ verò Castellio bonus ille & simplex homo, etsi clanculum ferè agebat omnia, tamen non obscurè Pelagianismum tuebatur. Quinetiam his de rebus ita scribere cœperat Philippus, vt quamuis antea Caluini aduersus Pighium libro diserte subscripsisset, tamen Geneuenses quasi Stoicum Fatum inuehentes notare quibusdam videretur. Pontificios omitto, easdem calumnias millies refutatas nunc quoque repetentes. Pungebant ista grauissimè sicuti par erat, illius animum, & eò quidem acerbius, quòd ea fuit interdum per id tempus erroris efficacia, vt publica etiam auctoritate alicubi obstructum os veritati videretur. Neque hæc fuit paucorum annorum controuersia: sed hoc anno imprimis bonus ille Eremita quem suprà diximus cum Caluino disputaturus, prodiit, qui aliquot antè annis quum Ministerium ambiret repulsum palsus, Iurisconsultus, & factiosorum patronus euaserat. Causa coram Senatu agitata est magna vtrinque contentione: illo quidem impudentia & malorum fauore depugnante, Caluino verò sola veritatis auctoritate doctrinam suam tuente: Vicit ergo veritas, & Caluini scripta ipsorum etiam quod mirum est, aduersariorum suffragiis vt pia & orthodoxa rursum comprobata. Sed ne istius Aduersarij aliquot pòst annis morientis reticenda est resipiscentia, cuius etiam testem Caluinum tanto studio adhibuit, vt non aliter sibi pacem conscientiæ cõtare diceret, quàm si Caluinum sibi conciliatum moribundus agnosceret, quem antea tam indignè à se impetitum fateretur: Cui etiam Caluinus tum non modò non defuit, sed benignissimè consolatum erexit, & ad extremum vsque confirmauit. Annus autem alter à superiore, nempe quinquagesimustertius supra sesquimillesimum, ad exitum festinante factiosorum malitia tam fuit turbulentus, vt non Ecclesia modò, verùm etiam Resp. extremum discrimen adierit. Siquidem eousque illi progressi sunt, clamoribus, & minis, numero denique oppressa bonorum libertate, vt vetera de constituendis Senatoribus Edicta (quo tamen argumento boni etiam sibi tantò melius deinde consuluerunt, ita illis etiam fauente Domino) refixerint, nonnullos Senatu mouerint, peregrinis exulibus à quibus se metuere dicebant, arma omnia exceptis si quando vrbe egrederentur, ensibus ademerint, adeò vt nihil aliud superesse videretur, quàm vt quum omnia in potestate haberent, quæ toties agitauerant, facilè exequerentur. Occasionem autem turbarum alteram quoque Satan tunc obiecit. Vetus enim ille sacræ Triadis, id est omnis veræ Deitatis hostis, adeóque monstrum ex omnibus quantumuis rancidis & portentosis hæresibus conflatum, Michael Seruetus, postquam aliquot annis huc & illuc medicinam faciens oberrasset, tectúsque Michaelis Villanouani nomine illas blasphemias sparsisset, edito tandem Viennæ Allobrogum spisso volumine (cuius excusor fuit Arnolletus quidam Lugdunensis typographus, Corrector autem vt in illis officinis vocant, Gulielmus quidam Guerotius factiosis Geneuensibus pridem deditus, sed paucis antè mensibus vt scortationis & aliorum flagitiorum pœnas vitaret Geneua Lugdunum profectus) Eo inquam edito blasphemiarum pleno volumine Seruetus, eóque nomine in carcerem Viennæ coniectus, ac inde mox nescio quibus artibus elapsus, Geneuam fato quodam venerat aliò procul transiturus, nisi Dei prouidentia factum esset vt mox agnitus, Caluino, cui ille iampridem bene notus erat Magistratum admonente, carceri fuisset mancipatus. Quæ certamina tum, quantísque de rebus suscepta fuerint, ex edito libro percipi plenissimè potest. Fuit autem horum omnium iste exitus, vt tandem perditus ille (cui etiam factiosorum vnus tum Prætoris Assessor in aurem insusurrasse quiddam credebatur, quo malum perdito homini animũ obfirmaret) à vana illa sua confidentia proditus, impietatis & infinitarum blasphemiarum ex omnium etiam Helueticarum Ecclesiarum sententia damnatus, XXVII. Octob. nullo edito pœnitentiæ signo, infœlix viuus cremaretur. Sed & Farellus eodem anno eousque vi morbi fractus, vt à Caluino qui Neocomum ad eum visendum venerat, pro mortuo relinqueretur, vitæ postea præter spem omnem restitutus, Ecclesiam mox recreauit. Ita planè inter spem & metum, terminante tamen dolorem lætetia, annum hunc eatenus exegimus. Ecce enim dum hæc in Serueti causa aguntur, quidam ex factiosis Ber-

M. D. LIII.

telerius nomine homo proiectæ penitus impudentiæ, cui ob multa flagitia Presbyterium mensa Domini interdixerat, in Senatum venit, postulátque ex auctoritate Senatus absolui: quod si factum esset, ambigi non poterat, quin mox solutis Ecclesiasticæ disciplinæ vinculis, omnia statim diffluerent. Itaque obstat sedulò fortitérque Presbyterij nomine Caluinus, ostenditque Magistratum sacrarum legum vindicem non destructorem esse oportere: nihil denique eorum prætermittit, quæ tanti momenti contentio flagitabat. Vincebant tamen eorum falsi clamores, qui Presbyterium aiebant sibi in quibusdam Magistratus imperium arrogare, adeò vt in Diacosiorum consilio statueretur, vltimum excommunicationis iudicium ad Senatus cognitionem pertinere, vt quos vellet, absolueret. In quam sententiam à Senatu parum tum ad eam rem attẽto obreptitiè absolutorias literas sigillo Reipub. communitas Bertelerius obtinuit. Ac sperabat tum Perrinus cum suis, alterum sequuturum: nempe, vt vel Caluinum nisi mandato Senatus parêret, per tumultum opprimeret, vel si parêret, nullo postea negotio Presbyterij auctoritatem omnem, id est nequitiæ ipsorum frænum abrumperet. At Caluinus quamuis biduo duntaxat ante Cœnam Domini mense Sept. de more celebrandam, de hoc facto commonefactus, inter concionandum elata voce ac manu, multa de sacris mysteriis in eorum contemptores loquutus: *at ego* (inquit) Chrysostomum sequutus occîdi me potius patiar, quàm hæc manus Dei contemptoribus iudicatis sancta Domini porrigat. Hæc vox (mirum dictu) tantùm potuit apud illos quantumuis effrænes, vt Perrinus statim clanculum Bertelerio mandaret, ne ad mensam accederet, sintque mysteria non sine tremore quodam, quasi numen ipsum in conspectu adesset, miro silentio celebrata. Postridio verò Caluinus locum illum insignem Actorum Apostolicorum fortè tractans, in quo Paulus Ecclesiæ Ephesinæ vale dicit, testatus se eum non esse, qui aduersus Magistratum pugnare sciret aut doceret, cœtúmque multis verbis cohortatus, vt in ea quam audiuisset doctrina perseueraret, tandem veluti postremam hanc concionem Geneuæ habiturus,

Act. 20. 32. *& quandoquidem*, inquit, ita se res habent, liceat mihi quoque Fratres apud vos hæc Apostoli verba vsurpare, Commendo vos Deo & sermoni gratiæ ipsius: quæ voces tum scelératos illos mirificè perculerunt, tum bonos etiam tantò magis seriò officij admonuerunt. Postridie Caluinus cum Collegis & Presbyterio à Senatu tum etiam à Diacosiis constanter postulauit, vt apud populũ ipsum audirentur, quum de lege à populo lata abroganda ageretur. quamobrem in eam sententiam animis non mediocriter commutatis itum est, vt suspenso illo Diacosiorum decreto, statueretur, petendum esse à quatuor Ciuitatibus Helueticis iudicium, nec interea præiudicium vllum fieri receptis legibus oportere. Sic discussa potius quàm sedata fuit hæc tempestas, quam illi præter spem omnem à Caluini capite auersam, in Farelli caput è re nata conuertere tentarunt. Farellus enim mense Martio morbo illo tam graui conflictatus, simulatque per valetudinem licuerat Geneuam properans, peracerbè factiosos pro concione, partim causa ipsa, partim ætate & vetere sua quadam apud illos auctoritate fretus, increparat. Ipsi verò factam sibi iniuriam querentes, diem illi Neocomum reuerso dixerunt, impetratis à Senatu ad Neocomenses literis, vt Farellum ad diem dictam adesse paterentur. Venit igitur Farellus, nec à periculo aberat, clamitantibus factiosis dignum esse qui in Rhodanum abiiceretur: quũ ab vno ex ciuibus cordato iuuene admonito primùm Perrino videret etiam atque etiam, ne quid detrimenti communis veluti ciuium parens Farellus acciperet, tum adiuncto sibi altero etiam integro iuuene & socio, commonefactis cæteris quos bene affectos nouerant, sese in Curia Farello sistente, ibíque concurrente magna vrbis parte, attoniti ac de seipsis iã soliciti accusatores, audito Farello culpam ipsi sunt deprecati. Ita penè totus hic annus aduersus improbos, tum pro doctrina tum pro disciplina concertando consumptus fuit: prospero tamen vbique exitu, si vulnus excipias, quod non Anglia modò, sed Christianæ omnes Ecclesiæ Eduardi religiosissimi Regis intempestiua morte acceperunt. Et tamen eo ipso Caluinus scribendo etiam intentus, egregios illos in Iohannem commentarios emisit. Liceat hîc nobis & vtinam immeritò testari de Serueto, quod de gemino monstro, Paulo Samosateno videlicet, & Ario Alexandrino, veteres illi patres experientia ipsa edocti scripserunt, ab iis nimirum primùm orta incendia, quibus omnes orbis Christiani Ecclesiæ postea penè deflagrarunt. Sumptum enim optimo iure Geneuæ de Serueto supplicium non vt de sectario quodam, sed tanquam

quam de monstro ex mera impietate horrendísque blasphemiis conflato, quibus totos annos triginta tum voce tum scripto cœlum ac terram infecerat, ne nunc quidem dici potest quantopere Satanæ rabiem exacerbarit, exorta flamma, quæ Poloniam primùm, inde Transsyluaniam & Vngariam corripuit: & vtinam non longius peruaserit. Quod & ipse Satanico planè spiritu prædixisse meritò videri potest, quum hanc ex Apocalyp. sententiam ea qua cætera consueuerat conscientia descriptam, illi suo libro præscriberet: Factum est in cœlo prælium magnum, Michael & Angeli eius pugnantes cum dracone. Verè id quidem, si Cum non pro ϰ, sed pro ϖω accipias. Vix igitur desierant calere infœlicis illius cineres, quum de pœnis hæreticorum quæri cœpit: quibusdam coercendos quidem, sed vltimo supplicio affici iure non posse opinantibus, aliis quasi de hæresi satis ex Dei verbo liquere non posset, & de Religionis capitibus omnibus in vtranque partem sentire Academicorum more liceat, existimantibus vnius Dei esse iudicio relinquendos. Illam opinionem boni etiam nonnulli tuebantur, veriti nimirum ne si aliter sentirent, tyrannorum in pios sæuitiam accendere viderentur. istius autem auctores quorum principes erant Sebastianus Castellio, & Lælius Socinus, suam ipsorum causam agentes: iste quidem occultius, ille verò apertius, vt qui sua quadam in Sacrorum Bibliorum peruersionem præfatione palàm verbi diuini satis perspicuam auctoritatem conuellere studuisset, suisque in priorem ad Corinth. Epistolam adnotationibus, vt à verbo scripto tanquam imperfecto nos abduceret, disertè scripsisset, Paulum quandam Theologiam ea quam scriptis tradidisset reconditiorem, perfectos nescio quos suos discipulos docuisse. Itaque quum anno M.D.LIIII. ineunte Caluinus subscribentibus Collegis omnibus copiosam Seruetanæ doctrinæ refutationem edidisset, adiectis etiam rationibus cur & quatenus à Magistratu quoque legitima præeunte cognitione puniri hæreticos oporteret, oppositerunt isti farraginem partim ex scriptis piorum Doctorum deprauatis, partim ex fanaticorum quorundam ignoti alioquin nominis schedis consarcinatam, Martini cuiusdam Bellij nomine (is ipse fuit Castellio, quamuis id postea eiurarit) præfationi inscripto, & ementito Ciuitatis nomine, in qua editam fuisse hanc farraginem mentiebantur. Huic autem non tantùm illo errore, sed multis etiam blasphemiis scatenti libello postea respondi, vt ea molestia Caluinum longè melioribus curis, scribendis nimirum eruditissimis in Genesim Commentariis intentum, & aliis itidem de quibus dicemus Ecclesiæ suæ depellendis periculis occupatum, liberarem. Pergebant enim rebus nouandis intenti factiosi: & quamuis rursum secunda Febr. coram Senatu solenni promisso sancita esset ἀμνηστία, tamen seipsis quotidie deteriores euadebant: vtrinque valde occupato Caluino, dum & illos pro suo more increpando ad meliorem frugem reuocare, & bonos aduersus illorum improbitatem confirmare studeret. Nam eousque processerunt improbi, vt verbum Dei in obscœnas cantiones transformarent, & obuios vespere peregrinos pulsarent, ac interdum etiam spoliarent. Priuatim verò ac propriè Bolseci, Castellionis, & aliorum quorundam de veritate scilicet valde solicitorum hominum opera vtebantur, controuersiæ de prædestinatione renouandæ: adeò vt famosum libellum conuitiorum plenum eúmque anonymon sparsisse non contenti, quo fidum illum Dei seruum miris modis lacerabant, miserit Castellio latinum alterum Lutetiæ clàm excudendum: cui postea respondi, sicut & ipse Caluinus quasdam eiusdem argumenti ineptias certis capitibus comprehensas refutauit. Incumbebat etiam ei tum temporis ex Anglia profugorum cura, quorum alij Vezaliæ, alij Emdæ, alij denique Francofurti confederant, omnes à Caluino consilium subinde flagitantes: nec parum etiam angebatur quorundam in Gallicæ Argentinensis Ecclesiæ ab ipso olim plantatæ pastorum audacia, aliorum occulto fauore adiuta. Denique quantopere hoc anno pro variis Ecclesiis laborarit, testis est insignis literarum copia, quibus & Magnates multos ad amplectendum Euangelium excitauit, & fratres plurimos alios non procul ab extremis periculis, alios in vinculis positos maximo cum fructu confirmauit. Diximus antea de doctrinæ Sacramentorum inter omnes Helueticas & Rheticas Ecclesias consensu edito, maxima doctorum & bonorum omnium gratulatione. Displicuit hæc concordia spiritui erroris, cuius iampridem ea est quam cernimus efficacia. Itaque facilè reperit qui sopitum ignem foderet, Ioachimum nimirum quēdam Westphalum: cui classicum canenti, succinuit postea Heshusius tunc verbi Minister, nunc etiam Episcopus, de quibus mox dicendum nobis erit. Ac tunc quidem Caluinus con-

M. D. LIIII.

sensionis illius explicationem edidit, quæ quò magis rabiem istorum exacuit, eò ma-
M. D. LV. gis omnibus veritatis amantibus profuit. Annus verò proximè consecutus mirifico Dei beneficio Reipub. ac Ecclesiæ Geneuensi optatam quietem à domesticis certaminibus attulit: factiosis autem sua ipsorum opera perditis, horrenda coniuratione peropportunè per ebriosorum quorundam ex consciorum numero petulãtem audaciam detecta: & aliis quidem capitis supplicio affectis, aliis verò solum vertentibus: qui etsi aliquandiu postea ciuitatem vexarunt, turpiter tamen omnes postea intereuntes, singulare seri quidem, sed iusti diuini iudicij exemplum præbuerunt. Sic liberata fuit ab his pestibus Respub. quum altero Dei beneficio paulò antè allato quatuor Helueticarum ciuitatum responso (quarum sententiam diximus ad annum superiorem visum Senatui fuisse super Ecclesiastica Geneuensi disciplina percontari,) vetera omnia Ecclesiasticæ politiæ edicta, contra factiosorum expectationem, communibus ciuium suffragiis rogata, perlatáque fuissent. Non defuit tamen in quo tum quoque Caluinus strenuè exerceretur. Nam foris quidem tum de Polonicis Ecclesiis volũtate Regis cõstituendis, tum de furiosa illa tempestate commutatis in Anglia rebus excitata, quæ tres illos incomparabilis pietatis Episcopos & Martyres Ioannem Hopperum, Nicolaum Ridlæum, & Hugonem Latimerum inter tot alios ferè innumerabiles, ac tandem etiam magnum illum Crammerum Cantuariensem Archiepiscopum in cœlum vsque expulit, consolandis denique fratribus in Gallia vinctis, ac præsertim quinque fortissimis Martyribus hoc ipso anno Cameraci crudelissimè crematis, plurimùm laborauit. Domi verò Serueti cineres pullulare cœperunt: cuius blasphemiis fauere deprehensus Matthæus Gribaldus non incelebris Iurisconsultus, quum Geneuam fortè venisset (erat enim Fargiarum dominus, qui pagus est in Geneuæ vicinia) deductus ad Caluinum à quibusdam Italis; apud quos ille Patauij docuerat, recusante Caluino dextram illi porrigere, nisi prius de primario Christianæ fidei articulo, id est de sacra Triade & Deitate Christi inter eos conueniret, nullum postea locum vllis admonitionibus vel argumentis reliquit. Itaque quod ei iam tum prædixit Caluinus, graue nimirum Dei iudicium pertinaci ipsius impietati imminere, hoc reipsa postea expertus est. Tubinga primùm profugus, quò fuerat Vergerij fauore introductus: Bernæ postea captus, simulatáque abnegatione liberatus ad ingenium postea rediens, Gentilis de quo mox dicemus fautor & hospes, superueniente demum peste correptus, paratum sibi supplicium præuenit. Aliud denique Caluinum huius anni solidum gaudium gaudere prohibuit. Paucorum videlicet vicinorum pastorum factio, qui sponte alioqui currentes, Bolseco præterea instigante, vt sibi nomen aliquod ex tanti viri reprehensione quærerent, homines alioqui multis iam notis aspersi, non aliter in eum debacchabantur, quàm si Deum idcirco faceret malorum auctorem, quòd ab æterna Dei prouidentia & ordinatione nihil excluderet. His calumniis de quibus antea nos quoque aliquid diximus, etsi nihil ille mouebatur, tandem tamen illorum maledicentia coactus, impetrauit à Senatu, vt vnà cum legatis Bernam profectus, veritatis causam coram Bernensibus ipsis ageret. Acta igitur illic causa est, & Sebastianus quidam infamia & exilio multatus: Bolsecus excedere finibus tum quidem iussus: neque tamen tum quidquam illis de reipsa definire visum est ita Domino Ecclesiæ suæ cõsulente. Visus enim fuisset Caluinus auctoritate vel gratia obtinuisse, quod vltrò postea contigit. Nam & illæ omnes calumniæ non ita multò pòst in fumos abierunt, & Andreas Zebedæus accusator acerrimus, Caluino iam mortuo, quum & ipse iam esset moriturus Neuiduni oppido quatuor milliaribus Geneua distante, accitis præcipuis, ciuibus, vltrò agnita quam oppugnarat veritate, & acta illa sua detestans, schedas omnes suas spectante se concremari iussit: iudicio certè meliore, quàm si hæc fuissent
M. D. LVI. mille Senatusconsultis imperata. Anno deinceps altero, Caluinum imprudentem tertiana in concione inuasit, ac tandem inuitum ex suggesto coegit descendere, multis inde falsis sequutis rumoribus, iisque vsque adeò Pontificiis gratis, vt de Caluini morte solenni supplicatione Nouioduni Caluini patria, Canonici suis idõlis gratias egerint. Sed vicerunt bonorum preces: tantúmque abfuit vt Caluinus ex eo morbo interiret, vt contrà veluti nouis auctus viribus, longum iter præter morem Francofurtum vsque videlicet ingrederetur, quò fuerat pacandis Ecclesiæ Gallicæ quæ iam tum
M. D. illic erat, dissidiis euocatus. Hinc demum ille rediens, licet afflicta nonnihil valetudi-
LVII. ne, nihil tamen de quotidianis laboribus remisit, editis anno consequente in omnes

Psalmos

Psalmos Commentariis longè doctissimis, quibus præfationem verè pretiosam adiunxit. Annum autem istum alioqui ob tumultus à Ministris illis factiosis nonnullis excitatos valde turbulentum, & tritici caritate infamem, consumpsit partim tuendæ aduersus Ioachimum Westphalum veritati: quúmque Westphalo postremùm respondisset, nec ille tamen garriendi finem faceret, has partes in me recepi, eo per Dei gratiam cuius minimè pœnitere me possit euẽtu. Tunc quoq; tum ab illo, tũ etiam à me refutatæ sunt Castellionis aduersus æternam Dei prædestinationem calumniæ, quas ille suppresso nomine spargendas curarat. Grauiter autem illum imprimis excruciauit sæuissima præsertim Lutetiæ orta piorum persequutio, intercepto illorum cœtu in vico Iacobæo, quò ad celebrandam Cœnam Domini conuenerant. Ex eorum numero cæteris per noctis tenebras elapsis, capti sunt circiter octoginta, multíſque cum opprobriis ac cõuitiis prima luce in carceres pertracti, quamuis aliquot etiam primæ nobilitatis mulieres in iis cernerentur. Accendebant Regis iram non modò qui illum circunstabant, verùm etiam ipsa temporum occasio. Hæc enim tum inciderunt, quum insignis illa clades ad Sanquintinum esset accepta: & nocte conuenerant pij, quòd illis interdiu nullo modo licebat. Itaque vetustæ illæ & rancidæ calumniæ in Christianos olim excogitatę, tunc quoque auctore quodam Democharе Sorbonico Doctore repositæ sunt, quasi videlicet omnium malorum causa vnis verè Christianis esset tribuenda. Subornatis etiam qui λυχνομοιχείαν confirmarent, quibus creduli plerique assentiebantur. Producti sunt igitur ad flammas ad septem, ter repetito exemplo: in quorum primo accensita est nobilis quædam mulier. cuius demum vt & sex aliorum atque in his nouissimorum duorum adolescentum constantia planè fuit admirabilis. Verùm partim detecta quidem, sed minimè tamen coërcita Sorbonicorum calumnia, matre nempe captiuas secum filias quæ constupratæ dicebantur, ad inspectionem iudicibus offerente, & optimo quodam doctissimóque viro pastorem aliquot antè mensibus ibi agente, egregio libello cuncta illa mendacia facilè reuincente, partim interuenientium Germanorum Principum legatione quam summa celeritate Caluinus procurauit, tempestas illa nonnihil conquieuit. Annus hunc consequutus, Reipub. Geneuensi fœlix illuxit perpetua M. D. inter Bernenses & Geneuenses inita cõfœderatione, contra exulum illorum expectatio- LVIII. nem. Sed hanc fœlicitatẽ multa quoq; aduersa aliunde comitata sunt, prętеr etiã exulum irritos vltimos conatus, de quibus plura dicere non constitui. Nam foris quidẽ recrudescebat in Gallia persecutio, domi verò ex Serueti cineribus auctore quodam Valentino Gentili Cosentino, teterrima Tritheitarum hæresis pullulabat. Itaque vt illis malis occurreretur, missi sunt ad Germaniæ Principes cum Caluini literis, qui tot Ecclesiarum calamitatibus expositis, intercessionem eorum postularent, dum assiduis literis interea laborantes Caluinus confirmabat. Cum Gentili verò quid actum sit, quis denique fuerit istius monstri exitus paucis commemorabo. Extat enim tota hæc historia partim ab ipso Caluino exactis publicis, partim à Benedicto Aretio Bernensi Theologo pastore fideliter descripta, adiectáque blasphemiarum ipsius refutatio. quæ quidem omnia aliáq; eodem congesta quæ ad illud argumentum pertinent, edita sunt in hac ciuitate anno Domini LXVII. supra sesquimillesimum. Ergo infœlix iste sagaci quidem sed vafro sophisticóque ingenio præditus, aliquantò post sumptum de Serueto supplicium, nactus illius librum, itémque Caluini refutationem, facilè animaduertit neque illius spectra & Ideas quibus Samosateni heresim ille colorauerat, neque inuectam à Sabellio personarum cum Essentia confusionem, Deitatem denique Christi qualẽ impurus Arius factitiam esse docuit, cum verbo Dei conciliari posse. Et quum rursus quæ in scripturis de vna Dei essentia & tribus inter se reipsa distinctis hypostasibus tradũtur, intelligẽtiæ nostræ minimè quadrare videret, fecit quod eiusmodi ingenia cõsueuerunt, id est non sese Dei sapientiæ submisit, sed id demum verum esse sibi persuasit quod cum humana ratione consentiret. Itaque Monarchia ad vnicam Patris personam translata, quem solum illum & vnicum αὐτόθεον esse voluit, Essentiationẽ, id est Essentiæ propagationem, tréſque numero vt personas sic etiam Essentias, id est tres numero Deos, tres æternos, omnipotentes, immensos apertè profiteri cœpit: eóque non modò sacrum Dei verbum, sed ipsius etiam Synodi Nycænæ (repudiato tamen Athanasij Symbolo) & Vetustiorum scriptorum, videlicet Ignatij, Tertulliani, Irenæi, & Lactantij auctoritatem inaudita quadam impudentia detorquere. Alios enim omnes orthodoxos scriptores Nycænam Synodum sequutos, non tantùm repudiabat, sed etiam vt impios sugillabat. Hanc au-

tem blaſphemiam aliæ quoque de hypoſtatica vnione ſequebantur. Hæc clanculum initiò inter paucos quaſi diſputationis cauſa agitata (quorum præcipui fuerunt Iohan. Paulus Alciatus Mediolanenſis Miles, & Georgius Blandrata Salucienſis profeſſione medicus) tandémque Italico preſbyterio nuntiata, cauſam cogendo extra ordinem cœtui præbuerunt, vbi coram delectis Senatoribus omnibúſque Miniſtris ac Preſbyteris, patienter auditis, ac ex Dei verbo per Caluinum refutatis quæcunque illi proferre voluerunt, ita res eſt compoſita, vt ſcriptæ orthodoxæ fidei omnes Itali ſtatim ſubſcriberent, ſex duntaxat exceptis: qui tamen & ipſi poſtea ſeorſim vocati, manu quidem, ac corde non item vt poſtea apparuit, ſubſcripſerunt. Rediens igitur ad ingenium Gentilis, eandémque blaſphemiam rurſum ſpargere deprehenſus capitur, captus nihil diſſimulat, auditus quandiu & quantùm voluit. Tandem veluti victus (nec enim aliud habebat quàm pertinaciam quod Caluino regereret) reſipiſcẽtiam incredibilẽ ſimulat, cuius etiam exemplum propria ipſius manu ſcriptum extat. Quid plura? abnegatione per compita ciuitatis facta, dimittitur præſtito iureiurãdo ſeſe portas vrbis non exceſſurum: mox tamẽ violata fide ad Matthæum Gribaldum in Sabaudiam fugit. Sequuti ſunt aliquantò pòſt Alciatus & Blandrata, Tranſſyluaniæ & vicinarum regionum vaſtatores futuri. Gentilis autem iam tum imminẽte illi Dei iudicio apud Gribaldum manens (nam vterque illos alios & imperitos & indoctos homines contemnebat) ibíque libellũ aduerſus Athanaſium & Caluinum cudens, indéque Lugdunum tranſiens, vbi excudendum illum (inſcripta Gaïenſi Præfecto iſtorum ſcelerum prorſus inſcio præfatione) curauit, deinde Lugduni neſcio quo modo à Pontificiis captus, quum ſeſe in Caluinum ſcribere dixiſſet, tanquam bene de Eccleſia Catholica meritus dimittitur. Inde in Morauiã ad Blandratam & Alciatum alióſque nihilò meliores diſcedit: vbi quum ſatis inter eos conuenire non poſſet, quòd à Tritheiſmo ad Samoſatenum plerique tranſiuiſſent, veluti trahente illum ad pœnam ipſius Chriſti manu, in Sabaudiam ad ſuum Gribaldum redit. At illam peſtem altera iam peſtis ſuſtulerat. Ereptus etiam nobis iam erat Caluinus. Tum ille ſiue penitus amens, ſiue quòd mortuo Caluino, neminem ſupereſſe confideret à quo reuinceretur, recta ad Gaïenſem ipſum Præfectum ipſi meritò infeſtum venit: à quo mox agnitus, & Bernam iuſto Dei iudicio ex ſuperiori illa fluctuatione ad dicendum cauſam miſſus, tum periuriorum, tum improbitatis manifeſtæ conuictus, fruſtra tentatis omnibus quibus in rectam viam reuocaretur, capite multatus, dignas tandem tot ſceleribus pœnas perſoluit. Hic igitur poſtea fuit illius cauſæ exitus. Et tamen ne nunc quidem deſunt egregij ſcilicet Chriſtianiſmi aſſertores, tum ex Catholicis, tum ex bonis illis Vbiquitariis, qui Caluinum audeant tanquam earum blaſphemiarum auctorem, imò etiam vt qui Atheiſmo ſiue Mahumetiſmo aditum aperuerit, calumniari: quibus tamen altùm ſtertentibus, eas ipſas blaſphemias primus Caluinus, ac penè vnus noſtro tempore tanto labore coarguit. Lutetiæ verò Cardinalis ex cuius nutu Rex cuncta adminiſtrabat, criminis hæreſeos cognitionem à iudicibus ordinariis & laïcis quos vocant, ad Triumuiros Cardinales traducere conatus, repugnãte diuinitus potius quàm humanitus Pariſienſi Parlamento, vtpote quòd ſuam ipſius non Chriſti cauſam ageret, totum illud nefarium conſilium omiſit. Sed extremus hic annus initium nobis maioris luctus attulit, correpto quartana Caluino menſe Octobri, quem morbum experti tandem ſumus nimiùm verè dicere medicos, ſenibus letalem eſſe. Etſi enim morbus ille Caluino optimeſtris tantùm fuit, ſic tamen corpuſculum illud macilentum, & laboribus ac viribus attritum confecit, vt nunquam poſtea penitus conualuerit. Interim ille quantunuis monentibus medicis, & obteſtantibus nobis vt ſeſe tandem aliquando reſpiceret, abſtinere quidem neceſſariò à concionibus & prælectionibus, interea verò literis vndiquaque dictandis, & variis ſcribendis dies ac noctes impendere, nec aliud habere frequentius in ore, quàm ſibi acerbam eſſe vitam vt ipſe aiebat, ocioſam: quum nos interim valentes præ illo ocioſi videri poſſemus. Cuius rei teſtes ſunt Chriſtianæ Inſtitutionis vltima editio tum Latina tum Gallica, & Commentarij in Eſaiam ab eo non tam emendati (quales illos Galaſius ex ore prælegentis exceptos ediderat) quàm noui prorſus emiſſi. Inſignis fuit annus conſequens duorum potentiſſimorum Regum pace arctiſſimáque contracta affinitate, extremus idem fortaſſe Geneuenſi Ciuitati futurus, niſi Pontificiorum conſilia qui regis Henrici ſimplicitate abutebantur, diuinitus fuiſſent impedita. Conſtat enim Henricum ſeueriſſimis poſitis edictis, adeóque in carcerem coniectis aliquot Senatoribus (qui tantiſper

M.D.LIX.

dum

dum Concilium vniuersale cogeretur, mitius in causa Religionis agendum censebant) hoc vnum imprimis sibi propositum habuisse, vt restituta suo Duci Sabaudia, Genevam funditus everteret: Genevæ contrà laborante imprimis Calvino quantumuis valetudinario, atque tum grauissimè afflictas Ecclesias cunctósque fratres confirmante, tum etiam precibus assiduis opem à Domino flagitante. Ecce autem in medio illo eminus iuxtà ac cominus vigente terrore, Rex ipse in ipso celebrandarum nuptiarum apparatu quibus pacem firmabat, ludicrò hastarum concursu letale vulnus accepit: atque illud etiam eiusdem vnius hominis manu, cui regiorum stipatorum tunc Præfecto, Senatores illos comprehendendos paulò antè rex ipse mandarat: quam cædem postea Cardinalis Lotharingus XXI. Decemb. doctissimi Iurisconsulti, ac integerrimi Senatoris, sanctissimi denique Christi Martyris Annæ Burgij morte iniquissima videri voluit expiasse. Geneua autem singulari Dei beneficio in eam confidentiam illis quod vix credibile sit, temporibus erecta fuit, tanquam Domino ex densissimis tenebris limpidissimam lucem iterum atque iterum excitante, vt quo anno & momento ferè in ipsius exitium tam potentes Principes coniurarent, magnificis ædibus Gymnasij à fundamento hortatore Calvino extructis, scholam octo puerorum præceptoribus, & publicis Hebraicæ, & Græcæ linguę, ac Philosophiæ, Theologiæ deniq; professoribus ornatam Deo Optimo Maximo solenni ritu honorato & frequenti cœtu in primario templo perlectis tum primùm atque expressis, quæ ad vtilissimæ ac sanctissimę institutionis vsum & confirmationem perpetuam pertinerent, solenni quodammodo ritu consecraret.

Anno proximo grauatus est inuidia Calvinus à nõnullis, quasi quosdam aduersus Franciscum II. paterni regni hæredem concitasset, eos videlicet, à quorum casu Amboiani tumultus nomen auditum est: quum Calvinus ipse quod certò scio, quidquid hoc fuit nunquam intellexerit, adeóque palàm ore, & scriptis ad amicos literis improbarit. Eodem anno Stancarus quidam Mantuanus (fatali videlicet Polonis Italia) asserere cœpit Christum non esse nisi secundum carnem Mediatorem: Arianismi insimulans quotcunque illum dicerent, quatenus etiam Deus est, Mediatorem esse: quasi filium facerent patre minorem. Hanc calumniam, & totum hoc dogma, quum alij vt Philippus, & Martyr solidè refutarunt, tum etiam Calvinus rogantibus Polonis perbreuiter quidem, sed neruosè admodum coargvit: simúlque prospiciens quod mox euenit, futurum videlicet, vt Stancari refutandi studio nonnulli imperitiores (nisi sibi cauerent) in errorem Tritheitarum inciderent, disertè prænonuit, vt à Blandrata, & aliis eum sequutis sibi cauentes, sic assererent Christum esse secundum vtranque naturam Mediatorem, vt interea Deitatem non multiplicarent: sed frustra id factum, quòd ad eos attinet quibus pereundum erat. Tum quoque Waldenses Boemi quos vocant, duobus fratribus ad Calvinum missis, quædam ab eo sunt de Religione percontati: quibus ille sicut par erat benignè satisfecit, eos etiam cohortatus, vt cum reliquis Ecclesiis sese prorsus coniungerent. Eodem tempore quum non pauci pij Galli post Mariæ reginæ mortem, singulari serenissimæ reginæ Elizabethæ pietate & humanitate freti, in Angliam refugerent, peteréntque reuerendi viri Edmundi Grindalli Episcopi Londinensis assensu, vt Geneua mitteretur, qui Ecclesiam Gallicam illic constitueret, missus est eò Galasius. Cæterum extremo anno M. D. L X. Francisci II. regis obitu planè repentino, & quidem eo ipso momento quo iam erant ita desperata omnia, vt iis Deus vnus mederi posset, vix inierat regnum Carolus IX. adhuc puer, quum Genevam per Caduceatorem allatæ sunt eius nomine scriptæ literæ, quibus missos inde querebatur, qui regnum Galliæ turbarent, petebátque vt mox reuocarentur, alioqui se iustissimas vlciscendæ iniuriæ causas non prætermissurum. Vocatus à Senatu Calvinus, suo collegarúmque nomine respondit, se, petentibus Gallicis Ecclesiis, spectatæ fidei & integræ vitæ hominibus, quos eam ad rem idoneos fore sperabant, auctores hortatoréſq; fuisse, ne patriæ opem suorum in causa tam sancta, Ecclesiæ videlicet purè instituendæ flagitanti, deessent: hoc illos præstitisse non vt regnum turbarent, sed vt Euangelium pacis docerent: quòd si quid præterea fecisse arguerentur, sese paratos esse coram ipso Rege accusatoribus respondere. Neque longius ista processerunt. Eodem anno Calvinus & ego Tilemanni Heshusij importunissimi hominis libro respondimus. Calvinus deinde Valentini Gentilis blasphemias Lugduni tum aduersus Athanasij symbolum excusas refutauit. Edidit quoque suas in Danielem prælectiones Gallicis Ecclesiis inscriptas, ac in illis quidem Prophetæ interpretem, in ipsa verò inscriptione Prophetam

M.D. LX.

M. D. LXI.

egit, imminentes tempestates prædicens, quo tempore coacto Possiaci Episcoporum conuentu, & Regi in amplissimo regni consessu à me exhibita, probatáque Galliarum Ecclesiarum Confessione, plerique sibi Papatus profligationem quasi instantem pollicebantur. Tum quoque inter cæteros Franciscus Balduinus, Ecebolius postea propter Religionem ter minimùm aut etiam quater mutatam cognominatus (nam & ante nouissimum Ecclesiarum Gallicarum casum ad XXIIII. Augusti. M. D. LXXII. nescio quo vt nobis aliquando etiam tum adiungeretur affectu mirificè duci, ab optimis ac sanctissimis viris testatum exhibitis ad eam rem boni ipsius Balduini ad Synodum literis, habuimus) ille inquam, à Cardinali subornatus, & Nauarreno malis artibus conciliatus libellum quendam siue à se, siue potius à Cassandro quodam editum, qui sese pium & Moderatum Virum nuncupabat, in aula venditabat, Interimistico illo Cæsaris v. edicto eò etiam deteriorem, quòd moderatæ cuiusdam instaurationis specie, omnes Papatus correptelas tueretur. Huius rei à me commonefactus Caluinus, refutationem libelli edidit, cui mox alia sunt adiuncta, quæ Balduini ingenium & institutum quibusvis patefacerent. Hoc verò concoquere non potuit rabula, neque magis alterum meum responsum: nec ab eo tempore Caluinum & me meretriciis conuitiis impetere destitit, donec anno superiore, Deo hominibúsque altervtrius Religionis quos toties fefellerat, inuisus, Lutetiæ litem nescio quam persequens, siue liuore tabescens, quòd alium sibi prælatum videret, qui Henricum III. in Poloniæ regnum proficiscentem comitaretur, viue-
M. D. LXII. re simul ac maledicere desiit. Anno verò LXII. non modò pace, sed etiam libertate Gallicis Ecclesiis solenni regio Edicto certis cõditionibus cõcessa, mox autẽ Nauarreno pontificiis artibus subornato, quum Guisius edita illa immani Vassiacena strage classicum cecinisset, & bellum illud ciuile his auspiciis cœpisset, quo nunc totos XII. annos misera Gallia deflagrat, quot quantæque curæ Caluinum confecerint dici non potest: sic etiam ingrauescentibus eius morbis, vt iam tum illum diuinare liceret ad meliorem vitam citato gradu progredi. Nec tamen consolari & hortari vnumquenque, imò ne concionari quidem, & Theologiam in schola profiteri destitit: emisitque eo anno pulcherrimam Fidei Confessionem ad status Imperij Francofurti tunc congregatos nomine Principis Condensis & piorum omnium, quos præter belli ipsis iniustissimè illati iniuriam, indignissimè etiam apud Germanos tunc falsorum dogmatum nomine traductos auditum esset. Neque hîc pigebit quiddam animaduersione non indignum commemorare. Iacebat ex podagra Caluinus in lecto XIX. Dec. qui dies erat Sabbathi, & Boreas iam totum biduum flabat quàm vehementissimè. Tum Caluinus multis audientibus, Equidem inquit, nescio quid hoc rei sit, videbar mihi hac nocte audire tympana bellica quàm fortissimè personantia, nec poteram mihi persuadere, quin ita se res haberet. Precemur obsecro, nam omnino magni aliquid geritur. Atqui hoc ipso die accidit ille apud Druydas accerrimus conflictus: de quo aliquot pòst diebus Gene-
M. D. uæ fuit renũtiatum. Anno cõsequente nẽpe LXIII. sic exacerbati sunt eius morbi, iique
LXIII. multiplices, vt planè sit incredibile in corpusculo tam imbecillo, tot laboribus exhausto, tot denique morbis attrito, tam fortem ac generosum animum contineri diutius potuisse. Siquidem ne tunc quidem adduci potuit, vt sibi parceret. Imò si quando (quod nunquam nisi penitus inuitus fecit) publico suo munere abstinebat, domi interea vel consulentibus respondebat, vel amanuenses dictando indefessus ipse fatigabat. atque eius rei fidem faciunt tum binæ illæ maximè seriæ ad Polonos admonitiones aduersus blasphemos illos sacræ Triadis hostes: tum etiam quòd fratribus ex Synodo Lugdunensi ad se missis abundè tum voce tum scriptis respondit, quòd Commentarios in quatuor Mosis libros Latinos edidit, quòd Gallicos ex Latinis ipsosmet fecit, quòd denique Commentarium in librum Iosuæ qui fuit vltimus ipsius labor, iam tum inchoauit, quem
M. D. tandem etiam moribundus absoluit. Annus autem LXIIII. supra sesquimilles. ipsi
LXIIII. quidem perpetuæ fœlicitatis, nobis autem longè maximi iustissimíque doloris initium fuit. Siquidem V I. Febr. Asthmate vocem eius præpediente vltimam habuit concionem: & ab eo tempore eo excepto quòd aliquoties ad Congregationis cœtum deportatus (quod illi vltimo Martij nouissimùm accidit) paucula verba fecit, omni docendi munere abstinuit. Ipsius morbi incredibilibus animi corporísque laboribus contracti, varij multiplicésque fuerunt, vti sua quadam ad medicos Monspessulanos epistola edita eos ipse percensет. Præterquam enim quòd corpore fuit natura imbecillo, macilento, & ad tabem vltrò inclinante, dormiens penè vigilabat, magnam anni partem concionando,

Vixit annos 55

nando, docendo, dictando consumebat. Per decem minimùm annos prandio abstinuit, vt nullum omnino cibum extra statam cœnæ horam sumeret: vt eum mirum sit Phthisim effugere tamdiu potuisse. Fuit autem ei hemicranea familiaris, cui sola illa inedia medebatur, adeò vt nonnunquam totas XXXVI. horas cibo abstineret. Sed & partim ex vocis contentione, partim quod serò nimis animaduersum est, ex immodico aloës vsu, primùm in hæmorroidas eásque tandem vlceroſas, deinde quinque ante mortem annis in sanguinis excreationem aliquoties incidit. Quartana verò ipsum deserente, succesſerunt in dextro crure podagra, colici subinde recurrentes dolores, calculus denique, quem alioqui nunquam nisi aliquot ante mortem mensibus senserat. Medici quæcunque remedia poterant, adhibebant, nec quisquam hominum fuit, qui medicorum præcepta accuratius obseruaret: cæteroquin quòd ad animi labores attinet, valetudinis negligentissimus, adeò vt illum ne acerrimi quidem hemicraneæ dolores à concionando vnquam prohibuerint. Tot autem morbis oppressum, nemò ne vocula quidem audiuit emittentem, forti, nedum Christiano viro indignam. Tantùm oculos in cœlum attollens, Vsquequo inquiebat, Domine! hoc enim etiam valens tanquam symbolum in ore habebat, agens de fratrum calamitatibus, quibus noctes ac dies magis etiam quàm suis vllis malis afficiebatur. Admonentibus & obtestantibus nobis, vt saltem ægrotus ab omni dictandi, aut saltem scribendi labore abstineret. quid ergo inquiebat, vultis me otiosum à Domino deprehendi? Die Martij x. quum vt sæpe consueueramus ad eum vnà venissemus, deprehendimus illum vestitum, & suæ mensulæ ad quam scribere aut meditari solebat assidentem, vnde conspectis nobis, postquam aliquandiu fronte in alteram manum, vt meditans consueuerat, inclinata conticuisset, tandem voce subinde interrupta, sed blando & renidente vultu, *At* ego inquit, vobis Chariſſimi fratres, magnas gratias ago de vestra pro me solicitudine, & spero me intra quindecim dies (is autem morum censuris de more destinatus erat) vestro cœtui postremùm interfuturum. Tum enim opinor Dominum patefacturum, quid de me statuerit, & fore vt me ad se recipiat. Interfuit igitur censuris vt antè consueuerat, eiusdem mensis XXIIII, iisque pacificè peractis, sentire se dixit nonnihil dilationis sibi à Domino concessum: acceptóque in manus nouo Testamento Gallico, quædam nobis in subiectis adnotationibus legit ipsemet, & de iis fratres consuluit, quòd eas quoque emendandas suscepisset. Postridie peius habuit, quasi pridiano labore fatigatus. XXVII, verò ad Curiæ fores delatus, pedibus in Senatoriam vsque aulam comitibus duobus innixus ascendit, ibique nouo Rectore Scholæ Senatui oblato, aperto capite gratias egit pro acceptis antè beneficiis, ac nominatim quòd in hoc suo vltimo morbo tantam sui rationem Senatus habuisset. Nam sentio inquit, me postremùm in hunc locum venisse. Quæ vix deficiente voce effatus, mœstis ac lachrymantibus vale dixit. secunda die Aprilis qui dies erat Paschæ, quamuis prostratis viribus, tamen sellula in templum delatus, toti cōcioni interfuit, Cœnam Domini ex mea manu accepit, cóq; vultu hymnum cum aliis quanquam tremula voce cecinit, vt non obscura lætitiæ signa in moribundi vultu elucerent. XXV. Aprilis Testamentum totidem verbis condidit.

IOHANNIS CALVINI

Testamentum.

In nomine Domini, Amen. Anno M. D. LXIIII. die Aprilis XXV. Ego Petrus Chenalatus ciuis & Notarius Geneuensis testor ac profiteor me euocatum fuisse à Spectato viro Iohanne Caluino Ministro verbi Dei in hac Ecclesia Geneuensi, & eiusdem ciuitatis adscripto ciue, qui tum corpore quidem ægro, sed mente integra dixit sibi esse in animo testamentum suum conficere, & extremæ voluntatis iudicium exponere: à méque petiit vt illud exciperem, & vti lingua nuncuparet, ac dictaret, ita conscribe-

rem, quod confestim feciſſe me profiteor, atque ad verbum vt nuncupare & dictare voluit, conſcripſiſſe, neque quicquam ad illius verba adieciſſe vel de iis detraxiſſe, ſed hanc ab illo dictatam formulam ſequutum eſſe.

In nomine Domini, Amen. EGO Iohannes Caluinus Miniſter verbi Dei in Eccleſia Geneuenſi, variis morbis oppreſſus & afflictus, vt facilè animum inducam, Dominum Deum ſtatuiſſe me propediem ex hoc mundo educere, conſtitui facere meum teſtamentum, meámque vltimam voluntatem literis mandare, ea forma quæ ſubſequitur: PRIMVM omnium gratias ago Deo, quòd miſertus mei (quem crearet & in hoc mundo collocaret) non ſolùm me è profundis idololatriæ tenebris in quas demerſus eram, eripuit, vt me in Euangelij ſui lucem adduceret, & doctrinæ ſalutis participem faceret cuius eram indigniſsimus: neque ſolùm eadem miſericordia & benignitate multa mea vitia & peccata benignè & clementer tolerauit, pro quibus tamen merebar ab illo reiici & exterminari: Verùm etiam tanta erga me clementia & manſuetudine eſt vſus, vt opera mea dignatus ſit vti in prædicanda & promulganda veritate ſui Euangelij: teſtórque ac profiteor mihi eſſe in animo quod reliquum eſt vitæ in eadem fide & religione tranſigere, quam mihi per Euangelium ſuum tradidit: neque aliud præſidium aut perfugium ſalutis habere, quàm gratuitam ipſius adoptionem: qua vna ſalus mea nititur: ac toto pectore amplector miſericordiam, qua propter Ieſum Chriſtum erga me eſt vſus: compenſans mea crimina cum merito mortis & paſsionis ipſius, vt hac ratione pro criminibus & delictis meis omnibus ſatisfiat, eorúmque memoria deleatur. Teſtor etiam ac profiteor me ſuppliciter ab eo petere, vt ita me ablutum & mundatum velit ſanguine ſummi illius redemptoris, effuſo pro humani generis peccatis, vt mihi liceat apud tribunal ipſius conſiſtere ſub ipſius Redemptoris imagine. Item profiteor me ſedulò pro modo gratiæ & benignitatis quia Deus erga me vſus eſt, operam dediſſe, vt cùm in concionibus, tum etiam in ſcriptis & commentariis purè & caſtè verbum ipſius prædicarem, & fideliter Sacram ipſius Scripturam interpretarer. Teſtor etiam ac profiteor me in contentionibus & diſputationibus omnibus quæ mihi cum hoſtibus Euangelij habendæ fuerunt, nullis præſtigiis, nullis malis artibus & ſophiſticis vſum eſſe, ſed candidè ac ſyncerè in veritate propugnanda verſatum eſſe. Verùm, hei mihi, ſtudium illud meum & zelus (ſi hoc nomine dignus eſt) adeò remiſſus & languidus fuit, vt innumera mihi ad munus meum præclarè fungendum defuiſſe fatear. ac niſi immenſa Dei benignitas adfuiſſet, totum illud ſtudium meum inane atque euanidum futurum fuiſſe: quinetiam agnoſco niſi mihi eadem benignitas adfuiſſet, animi bona quæ mihi Deus largitus eſt, magis ac magis me culpæ atque ignauiæ reum apud eius tribunal factura fuiſſe: quas ob res teſtor ac profiteor nullum me aliud præſidium ſalutis ſperare, niſi hoc vnum, quum Deus Pater miſericordiæ ſit, vt ſeſe mihi, qui me miſerum peccatorem agnoſco, patrem oſtendat. Quod reliquum eſt, volo poſt meum ex hac vita diſceſſum, corpus meum terræ mandari eo ritu ac modo, qui in hac Eccleſia & ciuitate vſitatus eſt: dum beatæ reſurrectionis dies adueniat. Quantùm ad tenue patrimonium, quod mihi Deus largitus eſt, de quo in hoc teſtamento diſponere ſtatui, Hæres meus eſto Antonius Caluinus, frater meus chariſsimus

chariſsimus: ſed honoris cauſa duntaxat: præcipitóque ac ſibi habeto pateram argenteam quæ mihi à Varannio dono data eſt: qua eum contentum eſſe cupio. nam quæcunque in hæreditate mea reliqua ſunt, peto ab eo eiúſque fidei committo, vt ea ſuis liberis, cùm morietur reſtituat. Ab eodem fratre & hærede meo lego ſcholæ puerili decem aureos ſcutatos: tantundem pauperibus peregrinis: tantundem pariter Iohannæ Caroli Coſtani & affinis meæ filiæ. Samueli verò & Iohanni eiuſdem fratris mei filiis reſtitui volo ab hærede meo, cùm morietur quadragenos aureos ſcutatos: Annæ verò & Suſannæ & Dorotheæ, eiuſdem filiabus aureos ſcutatos tricenos: Dauidi ipſorum fratri ad notam leuitatis & petulantiæ iuuenilis, ſcutatos aureos quinque & viginti. Hæc ſumma eſt totius patrimonij & bonorum, quæ mihi Deus largitus eſt, quantùm quidem exiſtimare poſſum: pretium ſtatuens & bibliothecæ, & mobilium, & vniuerſi inſtrumenti domeſtici, rerúmque ac facultatum mearum omnium. quòd ſi quid fortè amplius reperiatur, volo id pro rata illis omnibus fratris mei filiis ac filiabus diſtribui, neque Dauidem illum excludo: ſi pro Dei benignitate ad bonam frugem redierit. Sed ſi quid erit quod ſupraſcriptam ſummam excurret, credo non magnum in eo negotium futurum: præſertim vbi alieno æri ſatisfactum erit, cuius rei negotium diligenter mandaui eidem fratri meo, cuius fidei & beneuolentiæ cõfido: qua de cauſa illũ eſſe volo ac ſtatuo huius mei teſtamenti executorem: vnáq; cum ipſo ſpectatum virum Laurentium Normendium: poteſtatem illis permittens conficiendi bonorum meorum inuentariũ, ſine accuratiore forenſi diligentia ac ſolennitate: permitto etiam ipſis vendere mea mobilia, vt ex pecunia redacta, ſupraſcriptam meam voluntatem exequantur: quam expoſui & dictaui hoc XXV. Aprilis die Anno M.D.LXIIII. Iohannes Caluinus. Poſteaquam ego ſupradictus notarius ſuperius teſtamentum ſcripſi, continuò idem Caluinus vſitata ſubſcriptione ſua & Chirographo illud confirmanit. Poſtero die qui fuit XXVI. Aprilis eiuſdem anni, idẽ ſpectatus vir Caluinus me ad ſe vocari iuſsit, vnáque mecum Theodorum Bezam, Raymundum Caluetum, Michaelem Copum, Ludouicum Enocum, Nicolaum Coladonium, Iacobum Bordeſium miniſtros & concionatores verbi Domini in hac Eccleſia Geneuenſi, itémque ſpectatum virum Henricum Scrimgerum profeſſorem artium ciues Geneuenſes, & coram iis omnibus profeſſus ac teſtatus eſt ſe ſe mihi teſtamẽtum illud ſuum ea forma qua ſuprà conſcriptum eſt, dictaſſe: ſimúlque me iuſsit illud ipſis audientibus, & ea de cauſa aduocatis recitare. quod me clara voce & articulatè feciſſe profiteor. Et poſt illam recitationem teſtatus eſt ac profeſſus eam eſſe ſuam vltimam voluntatem, quam ratam eſſe cupiat. in cuius rei teſtimonium & confirmationem petiit ab illis omnibus, vt eidem teſtamento manu ſua ſubſcriberent: quod continuò ab illis factum eſt anno & menſe ſupraſcriptis: Geneuæ in vico vulgò dicto Canonicorum: & in eiuſdem teſtatoris domicilio. In cuius rei fidem & teſtimonium, ſupradictum teſtamentum ſcripſi, & manu mea ſubſcripſi, & vſitato ſigillo ſupremi Magiſtratus noſtri, obſignaui.

Petrus Chenalatus.

HOc condito testamento, misit qui quàtuor Syndicis cunctísque Senatoribus significarent, cupere se antequam è viuis excederet, adhuc semel eos omnes in Curia compellare, quo postridie se deportandum speraret: responderunt Senatores se potius ad eum venturos, rogarúntque vt suæ valetudinis rationem haberet. Postridie quum ad eum omnes è Curia veniissent, mutuò data acceptáque salute, postquam veniam petiisset quòd ad ipsum vsque veniissent, quum sibi potius ad eos accedendum esset, & præfatus, iampridem hoc cum ipsis colloquium expetiuisse, quod tamen eousque
» distulisset, dum paulò certius exitum suum præsentiret. *Ego verò*, inquit, *honorandi Do-*
» *mini*, ingentes vobis gratias ago, quòd me planè nihil eiusmodi promeritum, tantis af-
» fecistis honoribus, meásque plurimas infirmitates tam patienter sæpe toleraſtis, quod
» maximum semper apud me fuit vestræ in me singularis beneuolentiæ argumentum. Et
» quamuis mihi munere meo defungenti varia subeunda certamina, variique sustinen-
» di fuerint insultus, quòd sic oporteat optimum etiam quenque exerceri, scio tamen
» & agnosco nihil istorum vestra culpa accidisse. Precor autem vos vehementer vt si
» quæcunque oportuit, non præstiti, voluntatis meæ potius quàm facultatis habeatis
» rationem. Illud enim verè possum testari, fuisse me Reipub. vestræ ex animo studio-
» sum, & vt officio meo plenè non sim defunctus, publicis quidem certè commodis pro
» virili studuisse. Quod ni agnoscerem Dominum vicissim opera interdum vti mea
» non inutiliter voluisse, dissimulationis crimen non effugerem. Sed hoc à vobis etiam
» atque etiam peto, vt excusationem apud vos inueniam, quòd tam exigua sint quæcun-
» que publicè vel priuatim præstiti, præ iis quæ à me fieri oportuit: vltrò certè agnosco
» me vobis hoc quoque nomine plurimùm debere, quòd vehementiam illam meam in-
» terdum immoderatam æquo animo tulistis: quæ peccata mea confido mihi à Deo
» quoque ipso condonata. Ceterum quòd ad doctrinam attinet quam ex me audistis,
» testor me non temere neque incertò, sed purè ac syncerè verbum Dei mihi concredi-
» tum docuisse, cuius iram alioqui tam scirem huic capiti meo iamiam imminere, quàm
» certus sum meos in docendo labores ei non displicuisse. Idque coram Deo & vobis
» eò libentius testificor, quòd minimè dubitem Satanam prout consueuit, improbos, le-
» ues, vertiginosos denique homines corrumpendæ quam ex me audiuistis, syncerę do-
ctrinæ excitaturum. Inde delapsus ad immensa illa beneficia quibus à Domino affe-
» cti fuerant, *Ego, Ego*, inquit, optimus sum testis, quot quantísque periculis Optimi
» Maximi Dei manus vos exemerit. Videtis porrò quo loco sitis. Siue igitur secundæ
» res vestræ fuerint siue aduersæ, illud, quæso, vobis ob oculos semper obuersetur, illum
» vnum esse qui regna & ciuitates stabiliat, eóque nomine coli à mortalibus velit. Me-
» mineritis magnum illum Dauidem testari se tùm prolapsum esse, quum alta iam pace
» frueretur, nunquam certè surrecturum, nisi Dominus bonitate singulari sua manum ei
» porrexisset. Quid igitur tantillis homunculis fiet, quum ille tam potens & fortis ceci-
» derit? Nempe magna vobis animi demissione opus est, vt magna cum Dei reueren-
» tia solicitè incedatis, illiúsque vnius præsidio nitamini, certi nimirum ita futurum vt
» quod tam sæpe reipsa sensistis, firmi illius ope perstetis, etiam si velut ex tenui filo sus-
» pensa vestra salus & incolumitas fuerit. Itaque si prospera vobis euenerint, cauete
» quæso, ne profanorum instar efferamini, sed Deo potius cum animi demissione gra-
» tias agite. Sin aduersa vobis acciderint, adeóque vos vndique mortes circunsteterint,
» sperate tamen in eo qui mortuos etiam excitat. Imò tunc maximè cogitate sic vos à
» Deo expergefieri, vt in eum vnum respicere magis ac magis discatis. Quòd si fir-
» mam hanc Rempub conseruari cupitis, videte etiam atque etiam, ne solium istud san-
» ctum, in quo vos ille collocauit, sordibus conspurcetur. Hic enim vnus est summus
» Deus, Rex Regum, & Dominorum omnium Dominus, eos à quibus honorabitur, ho-
» noribus actuturus, & sui vicissim contemptores abiecturus. Hunc igitur ex ipsius præ-
» ceptis colite, & hac de re magis ac magis cogitate. Semper enim ab eo plurimùm ab-
» sumus, quod à nobis perfici decuit. Noui ego singulorum ingenia & mores, & scio
» vos exhortatione egere. Nemo est ex iis etiam qui excellunt, cui multa non desint.
» Hîc vnusquisque seipsum circunspiciat, & quæ sibi deesse intelligit, à Domino requi-
» rat. Videmus quot vitia in plerisque orbis terrarum Concilijs regnent. Alij frigent,
» publicóque neglecto rebus suis curandis incumbunt, alij priuatis affectibus indulgent,
» alij præclaris Dei donis non vtuntur vt par erat, alij sese ostentant, & confidentia qua-

dam

» dam, quicquid censuerint à reliquis probari postulant. Senes commonefacio ne iu-
» nioribus inuideant, quos à Domino compererint aliquibus donis esse exornatos. Iu-
» niores moneo vt procul ab omni elatione, sese modestos præbeant. Alius alium ne in-
» terturbato. Vitate simultates, & omnes illas animi acerbitates, quæ multos in ge-
» renda Repub. à recto instituto auerterunt. Hæc autem vitabitis, si singuli quidem in-
» tra suum modulum sese continuerint, omnes verò bona fide commissam sibi Reipub.
» partem administrēt. In causarum verò ciuilium iudiciis, ne quis sit, obsecro, fauori, vel
» inimicitiis locus. nemo obliquis artibus ius peruertito. nemo suis commendationibus
» quò minus leges valeant, obsistito. nemo ab æquo & bono discedito. Si quem affectus si-
» nister titillauerit, constanter ei resistito, & in eum respicito à quo fuit in eo solio collo-
» catus, & ab eodem Sanctum spiritum postulato. Quod superest iterum precor, vt meas
» mihi infirmitates condonetis, quas ego coram Deo & Angelis, adeóque coram vobis
» Venerandi Domini, profiteor & agnosco. Hæc vbi dixisset, Deum Optimum Maxi-
mum precatus, vt eos suis donis magis ac magis cumulatos, sancto suo Spiritu ad totius
Reipub. salutem gubernaret, præbita singulis dextra, mœstos omnes illos, nec aliter ab
eo quàm à communi parēte cum lachrymis discedentes, dimisit. Die 28. Aprilis quum
» omnes, ipsius rogatu, Geneuensis ditionis Ministri conuenissemus. At vos, inquit, fra-
» tres, post obitum meum perstate in hoc opere, nec animo frangimini: Dominus enim
» hanc Rempub. & Ecclesiam aduersus hostium minas seruabit. Absint à vobis dissidia,
» mutuáque charitate vos complectimini. Cogitate etiam atque etiam quid huic Ec-
» clesiæ debeatis, in qua vos Dominus collocauit: neque vos quicquam hinc abducat. Sin
» minùs, facile quidem fuerit nonnullis eius pertæsis quasi per cuniculos cuadere: sed ex-
» perientur illi Dominum decipi non posse. Quum primùm in hanc vrbem venirem, an-
» nuntiabatur quidem Euangelium, sed perturbatissimæ res erant, quasi nihil aliud
» esset Christianismus quàm statuarum euersio: nec pauci erant scelerati, à quibus indi-
» gnissima multa sum perpessus. Sed Dominus ille Deus noster me, me, inquam, natura
» (dico quod res est) minimè audentem ita confirmauit, vt nullis illorum conatibus ces-
» serim. Argentina postea huc redij, vocationem hanc inuito animo sequutus, quòd in-
» fructuosa mihi fore videretur. Ignorabam enim quid statuisset Dominus, & res erat
» plurimarum maximarúmque difficultatum plena. Sed pergens in hoc opere sensi tan-
» dem reipsa Dominum labori meo benedixisse. perstate igitur & vos in hac vocatione:
» institutum ordinem retinete: Date simul operam vt populus in obsequio doctrinæ
» contineatur. Sunt enim nonnulli improbi & contumaces. Res, vt videtis, non malè
» sunt constitutæ: quæ magis coram Deo nocentes eritis, si vestra ignauia labefactentur.
» Testor verò me vobiscum fratres, vera syncerāque charitate coniunctissimum vixisse,
» & nunc à vobis discedere. quòd si quando me in hoc morbo morosiorem estis experti,
» veniam à vobis peto, & ingentes vobis gratias ago, quòd ægrotante me, onus mihi im-
positum sustinueritis. Hæc locutus dextram singulis porrexit. Nos mœstissimis ani-
mis, ac minimè siccis oculis, ab eo tum discessimus. 11. Maij quum ex Farelli literis
cognouisset (Viretus enim longius aberat) statuisse illum iam octuagenarium & vale-
» tudinarium senem, iter ad se ingredi, sic ei latinè rescripsit. ¶ Vale mi optime & in-
» tegerrime frater, & quando te Deus superstitem manere vult in mundo, vive memor
» nostræ coniunctionis, quæ vt Ecclesiæ Dei fuit vtilis, ità nos eius fructus in cœlo ma-
» net. Nolo te fatiges mea causa. Ægrè spiritum traho, & assiduè expecto, dum me
» anhelitus deficiat. Satis est quòd Christo viuo & morior, qui suis lucrum est in vita, &
» morte. Iterum vale cum fratribus. Geneuæ 11. Maij M. D. LXIIII. Venit tamen Ge-
neuam bonus ille senex, & quum vnà inter se locuti essent, postridie Neocomum re-
diit. Reliquos ad obitum vsque dies in perpetuis penè precibus consumpsit, voce qui-
dem propter asthma suspiriosa, sed oculis quales ad extremum vsque clarè micantes
habuit in cœlum sublatis, & ita composito vultu, vt sese precantis ardor totum pro-
deret, sæpe Dauidis illud ingeminans in doloribus, Tacui Domine quia feci-sti, & in-
terdum illud Esaiæ, Gemebam sicut columba. Audiui quoque quum diceret, Tu me Esa. 39.
conteris, Domine, sed abundè mihi sufficit, quòd tua hæc sit manus. Patêre diem & Psal. 38.
noctem ipsius fores oportuisset, si admissi fuissent quotcunque officij causa illum a-
dire cupiebant, quos cùm, voce, vt diximus, præpedita, compellare se non posse vi-
deret, petierat vt vnusquisque potius pro ipso precaretur, quàm de eo inuisendo la-

boraret. Sæpe quoque mihi cuius conſpectum alioqui nunquã iniucundum ei fuiſſe ſum expertus, ſignificauit, ſibi religionem eſſe vel tantillùm occupationes meas remorari, adeò fuit ille temporis parcus quod Eccleſiæ impendi ſciret, & in eo plus etiam æquo religioſus, ne amicos vel tantillùm grauaret. Ita igitur ſeipſum & amicos conſolans vixit vſque ad x i x. Maij quo die cenſuram inter nos Miniſtros exercere, & vnà cibum capere amicitiæ teſtandæ cauſa conſueuimus, biduò pòſt videlicet Pentecoſte & Cœna Domini ſequuturis. Eo die igitur quum nobis cõceſſiſſet vt apud ipſum cœna communis inſtrueretur, & è lectulo, collectis vtcunq; viribus, in proximum conclaue eſſet delatus, poſtremùm, inquit, ad vos accedo, fratres, nunquam poſthac ad menſam accubiturus, quod nobis triſtiſſimæ cœnæ initium fuit. Concepit tamen preces, & paulum cibi ſumpſit, ſermone quantùm licuit inter cœnandum ad hilaritatem compoſito. Inde cœna nondum planè exacta, quum in contiguum cubiculum reportari ſe iuſſiſſet, renidenti planè vultu cœtum compellans, partes hic, inquit, interiectus non impediet, quò minùs corpore abſens, veſtro tamen cœtui ſpiritu interſim. Contigit quod prædixerat. Siquidem ab eo die ſupinus ſemper iacuit, corpuſculo (ſi vultum parum admodum immutatum excipias) ita emaciato, vt ſolus illi ſpiritus ſupereſſet. Die quo deceſſit, nempe x x v i i. Maij, viſus eſt fortius & minore difficultate loqui. Sed hic erat extremus naturæ conatus. Nam veſperi circiter octauam, repente præſentis mortis certa ſigna apparuerunt: quod quum mihi paulò antè ab ipſo digreſſo, & cuidam alij ex fratribus eſſet à domeſticis ſignificatum, protinus accurrens, illum reperi vſque adeò tranquillè mortuum, nullóque pedum vel manuum concuſſu, vt neque grauiorem ſpiritum antea duxerit, neque ſenſu & iudicio, imò ne voce quidem penitus, ad extremum vſque halitum fuerit deſtitutus, & dormienti quàm mortuo multò ſimilior videretur. Sic igitur eo die cum occidente ſole ſplendida etiam hæc lux nobis erepta eſt. Sequente nocte ac poſtero die in vrbe tota ingens fuit comploratio. Requirebat enim vniuerſa ciuitas ſapientiſſimum ciuẽ, Eccleſia deplorabat fidi ſui paſtoris deceſſum, ſchola ereptum ſibi talem doctorem lugebat, omnes denique vt communi ſecundum Deum parente ac conſolatore orbati lamentabantur. Optabant multi ciues eum ſpectare mortuum, quòd ab eo ne mortuo quidem auelli poſſent. Quidam etiam peregrini qui videndi & audiendi ipſius cauſa procul venerant, inter quos etiam adfuit Clariſſimus vir Reginæ Angliæ in Gallia legatus, auidè admodum intueri ſaltem defunctum petebant. Ac initiò quidem admittebantur. Sed quòd hæc nimia eſſet curioſitas, vt calumniis aduerſariorum occurreretur, placuit amicis vt poſtridie manè qui dies erat Dominicus, linteo de more inuolutum corpus ligneo loculo includeretur. Pomeridiana verò ſecunda, ſequentibus funus Patritiis, vnà cum paſtoribus, profeſſoribúſque ſcholæ omnibus, totáque penè ciuitate non ſine vberibus lachrymis proſequente, elatus eſt, communíque cœmiterio quod planum palatium vocant, nulla penitus extraordinaria pompa, nullóque addito cippo (ſic enim mandarat) conditus, cui propterea his verſiculis parentaui.

Romæ ruentis terror ille maximus,
Quem mortuum lugent boni, horreſcunt mali.
Ipſa à quo potuit virtutem diſcere virtus,
Cur adeò exiguo ignotóque in ceſpite clauſus
Caluinus lateat, rogas?
Caluinum aſſiduè comitata modeſtia viuum,
Hoc tumulo manibus condidit ipſa ſuis.
O te beatum ceſpitem tanto hoſpite!
O cui inuidere cuncta poſſint marmora!

Vixit annos quinquaginta quatuor, menſes decem, dies decem & ſeptem, cuius ſpatij dimidium in ſancto Euangelij miniſterio conſumpſit. Statura fuit mediocri, colore ſubpallido & nigricante, oculis ad mortem vſque limpidis, quíque ingenij ſagacitatem teſtarentur

ſtarentur: cultu corporis neque culto neque ſordido, ſed qui ſingularem modeſtiam deceret: victu ſic temperato, vt à ſordibus & ab omni luxu longiſſimè abeſſet: cibi parciſſimi, vt qui multos annos ſemel quotidie cibum ſumpſerit, ventriculi imbecillitatẽ cauſatus: ſomni penè nullius, memoriæ incredibilis, vt quos ſemel aſpexiſſet, multis pòſt annis ſtatim agnoſceret, & inter dictandum ſæpe aliquot horas interturbatus, ſtatim ad dictata nullo cõmonefaciẽte rediret, & eorũ quæ ipſum noſſe muneris ſui cauſa intereſſet, quã-tumuis multiplicibus & infinitis negotiis oppreſſus, nunquam tamen obliuiſceretur. Iudicij, quibuſcunque de rebus conſuleretur tam puri & exacti, vt penè vaticinari ſæpe ſit viſus, nec aberraſſe meminerim qui conſilium ipſius eſſet ſequutus. Facundiæ contemptor & verborum parcus, ſed minimè ineptus ſcriptor, & quo nullus ad hunc diem Theologus (abſit verbo inuidia) purius, grauius, iudicioſius deniq; ſcripſit, quum tamen tam multa ſcripſerit quàm nemo vel noſtra vel patrum memoria. Erat enim hoc conſequutus vigiliis iuuentutis, & quodam iudicij acrimonia, dictandi exercitatione confirmata, vt neque illi deeſſet vnquam quod appoſitè & grauiter diceret, neque multò aliter ſcriberet quàm loqueretur. In doctrina quam initiò tradidit, ad extremũ conſtans, nihil prorſus immutauit, quod paucis noſtra memoria Theologis contigit. Quòd ad ipſius mores attinet, quamuis illum natura ad grauitatem finxiſſet: nemo tamen illo in communi conuictu fuit ſuauior: in ferendis hominum vitiis quæ infirmitatis erant, mirè fuit prudens, vt neque importuna obiurgatione pudefaceret aut perterrefaceret imbecillos fratres, neque vitia conniuendo vel adulando foueret. Adulationis autem & ſimulationis, improbitatis denique, præſertim ſi de Religione agebatur, tam fuit hoſtis acer & vehemens, quàm veritatis, ſimplicitatis, & candoris amans. Fuit omnino naturæ ipſius temperamento ὀξύχολος, quod vitium etiam auxerat laborioſiſſimum illud vitæ genus. Itæ tamen ſic eum docuerat Spiritus Domini moderari, vt ne verbum quidem ſit ex eo auditum, quod viro bono indignum eſſet, nedum vt longius progrederetur: nec temerè niſi tùm commoueretur, quum de Religionis cauſa agebatur, aut aduerſus præfractos homines ipſi negotium erat. Tot tantáſque virtutes domi & foris, tam multos aduerſarios habuiſſe nemo mirabitur, qui vel eorum inter profanas gentes hominum hiſtoriam legerit, qui præ aliis aliquam virtutis ſpeciem adamarint, tantùm abeſt, vt mirum cuiquam videri debeat fortiſſimum tum ſanæ doctrinæ defenſorem, tum puræ vitæ ſectatorem domi & foris tam acriter oppugnatum fuiſſe. Sed hoc potius admiratione dignum eſt, vnicum hominem tanquam Herculem quendam Chriſtianum tot domandis monſtris ſufficere potuiſſe, nempe fortiſſima illa claua, id eſt Dei verbo vtentem. Itaque quot ei aduerſarios Satan excitauit (nullos enim in tam multis hoſtes alios habuit, quàm qui pietati, & honeſtati bellum indixiſſent) tot ſeruo ſuo Dominus victoriarum trophæa defixit. Hæreticum iſti faciunt Caluinum: quaſi verò non ſit hoc etiam nomine damnatus Chriſtus ipſe, & quidem ab ipſis Sacerdotibus. Expulſus eſt Geneua, adde & ab eadem reuocatus. Et quid Apoſtolis, quid Athanaſio, quid Chryſoſtomo contigit? Exprobrant illi multa nonnulli alij, ſed cuiuſmodi? Ambitioſus fuit ſcilicet, imò etiam nouum papatum ambiuit, qui hoc vitæ genus, hanc Remp. hanc denique Eccleſiam, quam verè poſſum paupertatis officinam appellare, rebus omnibus antepoſuit. Accumulandis ſcilicet opibus ſtuduit, cuius bona omnia, carè etiam diuendita ipſius bibliotheca, vix trecentos aureos æquarant, vt non minùs ſciteè quàm verè calumniam iſtam longè impudentiſſimam refellens hæc verba vſurparit; Me non eſſe pecunioſum ſi quibuſdam viuus non perſuadeo, mors tamen oſtendet. Teſtari certè poteſt Senatus, quum perexigua eſſent eius ſtipendia, tantùm abfuiſſe vt in iis non acquieſceret, vt ampliora etiam oblata pertinaciter recuſarit. Exprobrant ei alij, quòd illius frater Antonius Caluinus priorem vxorem ſuam ob adulterium, cognita cauſa, repudiarit. Quid ergo dicerent illi, ſi adulteram fouiſſet? Quod ſi in eum redundat hoc impudicę mulieris dedecus, quid fiet Iacobi, Dauidis, ipſius denique filij Dei familiæ, in qua ipſemet Diabolum ex ſuis vnum diſertè notauit? Delitiis ſcilicet illum & luxui indulſiſſe, tot ipſius laborum teſtes demonſtrant. Quid quod nonnullos etiam dicere & ſcribere non pudet, regnaſſe illum Geneuæ tum in Eccleſia tùm in Repub. atque adeò pro tribunali ſediſſe? Alij etiam illum neſcio quem viuum pro mortuo cadauere excitando vniuerſo etiam teſte populo ſuppoſuiſſe fabulantur, quod non minùs putidum mendacium quàm ſi Romæ Papa fuiſſe diceretur, auſus eſt rapſodus

In præfat. in Cõmẽt. in Pſal.

ille Sorbonicus, Claudius Spensa maledicentissimo quodam libro inculcare. Quid enim istos pudeat? Sed ista neque apud eos qui tantum hunc virum norunt, neque apud posteros sani iudicij homines, qui mores hominis ex ipsius scriptis æstimabunt, refutatione indigent. Ego historiam vitæ & obitus ipsius, cuius spectator sedecim annos fui, bona fide persequutus, testari mihi optimo iure posse videor, longè pulcherrimum verè Christianæ tum vitæ tum mortis exemplum in hoc homine cunctis propositum fuisse, quod tam facile sit calumniari, quàm difficile fuerit æmulari.

FINIS.

Lectori.

QVia nemo piorum reperietur, cui pergratum nõ sit certò intelligere quosnam libros Iohannes Caluinus in lucẽ emiserit, quæq; ab eo relicta fuerint scripta, & eo concionante excepta, ne quis etiam hac in parte posthac fallatur, sicuti satis notũ est in scriptis magnorum virorum vt plurimùm accidisse, vt sub eorum nomine multa falsa obrepserint & adulterina, cõmodissimum duximus huc attexere nominatim catalogum tum Scriptorum vel Librorum Caluini qui Latinè & Gallicè iam in publicum prodierunt: tum etiam eorum qui nondum editi sunt, quantùm memoria complecti potuimus.

CATALOGVS LIBRORVM A Johanne Caluino conscriptorum,

Qui iam in vetus Testamentum extant Commentarij Latini primùm, tum etiam Gallici facti.

In Genesim.
In quatuor libr. Mosis in formã Harmoniæ digesti.
In librum Iosue.
In omnes Psalmos.
In Isaiam.

Prælectiones item Latinæ, tum & Gallicæ.

In Ieremiam.
In viginti prima capita Ezechielis.
In Danielem.
In minores Prophetas.

In nouum Testamẽtum Commentarij tum Latini tum Gallici.

In tres Euangelistas in formam Harmoniæ digesti.
In Iohannem.
In Acta Apostolorum.
In omnes Pauli Epistolas.
In Epistolam ad Hebræos.
In Canonicas Petri, Iohannis, Iacobi, & Iudæ.

Conciones quæ extant, exceptæ dum ipse concionaretur.

In Deuteronomium.
In decem legis præcepta separatim prius excusa.
In librum Iob.
In Psalmum 119.
In Canticum Ezechiæ ex Isaiæ 38.
In posteriora octo capita in Danielem, sed Rupellæ tantùm æditæ.
In quatuor priora capita, & quod excurrit Harmoniæ trium Euangelistarum.
In decimum & vndecimum caput prioris ad Cor.
In Epistolam ad Galatas.
In Epistolam ad Ephesios.
In Epistolas ad Timotheum & Titum.
Item conciones aliquot de Christi natiuitate, passione, morte, resurrectione, Ascensione.
Conciones quatuor nostris temporibus perutiles.
Concio in cœtu quem Cõgregationem vocant, habita de Prouidentia & Æterna Dei Electione.
Item Concio in congregatione ad certum locum epistolæ ad Galatas, cum Conciuncula vel exegesi particulæ Catechismi ad extremum articulum Dominicæ orationis.

Conciones aliæ quæ nondum extant in vetus Testamentum.

In Genesim.
In duos Samuelis libros.
In prioris regum 18. capita circiter.
In complures Psalmos.
In librum Iosue summæ quædam breues in cœtu publico exceptæ, cùm paucis perstringeret quod erat fusius à Ministro congregationem habente tractatum.
In Isaiam.
In Ieremiam.
In Ezechielem.
In septem ex duodecim minoribus Prophetis.

In nouum Testamentum.

Conciones aliquot in Harmoniam trium Euangelistarum.
In Acta Apostolorum.
In duas ad Corinthios Epistolas.
In duas ad Thessal. Epistolas.
In aliquot capita Epistolæ ad Hebræos.
Prælectiones in Psalmos à 37. ad finem vsque nondum editæ.

CATALOGVS ALIO-rum librorum quos seorsum variis temporibus scripsit.

Commentarius in Senecam de Clementia.
Institutio Christianæ Religionis Latinè & Gallicè.
Psychopannychia Latinè & Gallicè vt & sequentia opera.
Epistolæ duæ, vna de fugiendis pontificiorum illicitis sacris, altera de Christiani hominis officio, &c.
Responsio ad Epistolam Sadoleti Card.
De Cœna D. libellus à Galasio Latinus factus.
Epinikion Christo cantatum.
Catechismus Ecclesiæ Geneuensis, cum formula Sacramentorum administrandorum & publicis precibus.
Aduersus Pighium Campensem liberi arbitrij assertorem.
Scholia in admonitionem paternam Pauli III.
Antidotum aduersus articulos Facultatis Theologiæ Sorbonicæ.
De necessitate reformandæ Ecclesiæ.
Instructio aduersus errores Anabaptistarum, Libertinorum, &c.
Admonitio appositissima de perquirendis Reliquiarum quas vocant, frustulis ex fide Pontificiorum.
De vitandis superstitionibus Iudicium piorum virorum.
Excusatio aduersus Pseudo Nicodemitas.
Antidotum aduersus Acta Tridentinæ Synodi.
Vera Christianæ pacificationis & Ecclesiæ reformandæ ratio.
Admonitio aduersus Astrologiã quam Iudiciariam vocant.
Consensio mutua in re Sacramentaria.
Eiusdem consensionis defensio.
De Scandalis.
De æterna Dei prædestinatione & prouidentia.
Defensio orthodoxæ fidei Sacræ Trinitatis aduersus prodigiosos errores Mich. Serueti Hispani.
Admonitiones ad Westphalum tres.
Aduersus Heshusium, & Stancari errorem.
Aduersus Valentinum Gentilem.
Ad nebulonis cuiusdam calumnias responsio.
Altera eiusdem argumenti.
Ad versipellem Mediatorem.
Breuis admonitio ad fratres Polonos.
Epistola quæ fidem huius ad Polonos admonitionis confirmat.
Ad Balduini conuitia responsio.

Quæ Gallicè tantùm extant opuscula.

Congratulatio ad venerabilem presbyterum Gabrielem Saconæum Præcentorem Lugdunensem.
Ad Hollandum quendam responsio.
Censura qua silentium imponatur nebuloni cuidam Ant. Cathalano.
Præterea supersunt duæ fidei confessiones, tum etiam plurimæ literæ, consilia, admonitiones, responsa tum Latinè tum Gallicè ad varia hominum genera scripta, quorum omnium tandem etiam quantam nunc quidem potuimus partem edidimus.

IOHANNIS

IOHANNIS CALVINI
EPISTOLAE ET RESPONSA.

QVIBVS INTERIECTÆ sunt insignium in Ecclesia Dei virorum aliquot etiam epistolæ.

IO. CAL. FR. DANIELI S. D.

QVVM mihi ad manum sit rerũ sylua, quæ argumentũ amplissimũ præbeat, temperabo tamen stylum, vt indices magis habeas quàm lõgam narrationẽ: cui si indulgerem, in itustũ volumen propè excresceret. Ad Calẽdas Octobr. quo anni tempore pueri qui à grammaticis ad Dialecticam demigrant, exerceri agẽdis fabulis solent, acta est in gymnasio Nauarræ fabula felle & aceto, vt ait ille, plusquam mordaci cõsperſa: inductæ sunt personæ, Regina muliebriter nendo intẽta, & nihil aliud quàm colum & acus tractans. Tum Megæra illi faces admouens, vt acus & colum abiiceret. Illa aliquantulùm reniti, & obluctari. vbi verò Furiæ cessisset, Euangelia in manus accepit, ex quibus omnia quibus antè assueuisset, & penè seipsam dediscceret. Demum extulit se in tyrannidem, & omni genere sæuitiæ miseros & innoxios vexauit. Multa eiusmodi figmenta addiderunt, indigna prorsus ea muliere quam non figuratè nec obscurè cõuitiis suis proscindebant. Res in aliquot dies suppressa est. Postea verò, vt est Veritas filia Temporis, re ad Reginã delata, visum est statui pessimum exemplũ eorum libidini, qui rebus nouis inhiant, si impunitas daretur huic improbitati. Prætor stipatus centũ apparitoribus gymnasium adiit, & suis iussis domum circunsidêre, ne quis elaberetur, ipse cum paucis ingressus, comicũ non reperit. Aiunt eum minimè id cõsilio prouidisse, sed quum fortè in amici cubiculo esset, tumultũ prius exaudisse quàm perspici posset, atq; ita latebras quæsisse, è quibus per occasionem effugeret. Prætor tamen pueris actoribus manum iniecit: cui dum vult obsistere Gymnasiarcha, inter eorum altercationes lapides à nõnullis pueris coniecti sunt. Ille nihilominus eos arripuit, & quod pro scena recitassent, iussit repetere. Omnia excepta sunt. Quãdo auctor sceleris deprehendi nõ potuerat, proximũ erat de iis inquirere, qui quũ prohibere possent, permisissent, & tãdiu etiã dissimulassent. Alter qui & auctoritate præcellit, & nomine, (est enim magnus magister Lauretus) impetrauit vt haberet pro carcere honestiorem custodiam domum cuiusdã (vt vocant) Cõmissarij: alter Morinus ab illo secundus, iussus se domi continere dum inquireretur. nũc quid compertum sit nescio: est tamẽ euocatus ad tres breues dies, vt nunc loquũtur. Hactenus de comœdiis. Alterum facinus ediderunt factiosi quidam Theologi æquè malignum, etsi non vsqueadeo audax. Quum excuterẽt officinas bibliopolarum, libellum vernaculum, cuius inscriptio Speculum animæ peccatricis, retulerunt in numerum librorum à quorũ lectione interdictum vellent. Regina vbi resciuit, questa est apud fratrem regem, professa se auctorem. Ille per literas magistris Academiæ Parisiensis imperauit sibi testarẽtur, an librum recensuissent in numero eorum quos iudicassent improbatæ religionis. Quòd si ita haberet, sibi rationem sui iudicij redderent. De ea re Nicolaus Copus medicus nunc Rector retulit ad quatuor artium collegia, Medicinæ, Philosophiæ, Theologiæ, Iuris canonici. Apud magistros artium inter quos locum dicendi primum habuit, longa & acerba oratione inuectus est in eorum temeritatem, qui sibi id iuris in maiestatem Reginæ vsurpassent. Dissuasit ne se immiscerent tanto discrimini, ne Regis iram experiri vellẽt, ne

in Reginam virtutum omnium & bonarum literarum matrem arma sumerent. Postremò ne hanc culpam in se recipientes, improbitatem eorum alerent, qui parati sunt quiduis semper aggredi sub prætextu huius nominis, vt dicãt Academiã feciſſe, quod ipsi iniussu Academiæ perpetrant. Omniũ sententia fuit, factum abiurandũ. Idem censuerũt Theologi, Canonici, Medici. Rector renũtiauit ordinis sui decretum, pòst Decanus Medicinę, tertius Canonici iuris doctor, quartus Theologus, vltimus verba fecit Clericus Parochus Sancti Andreæ, in quẽ omnis culpa deriuabatur, aliis à se amolientibus. Primùm magnificis verbis extulit Regis integritatẽ, qui Fidei se animosum protectorem hactenus gesserit. Esse aliquos siniſtros homines, qui hunc egregium animum conentur peruertere, qui etiã conspirauerint in exitium sacræ facultatis: sibi tamen certam spẽ esse nihil obtenturos aduersus talem constantiam, quam in Rege esse nouisset. Quãtùm attineret ad negotiũ quod esset in manibus, se quidem fuisse delegatum Academiæ decreto ad eam prouinciã, nihil tamen minus sibi in animo fuisse quàm aduersus Reginam quippiam moliri, fœminã tum sanctis moribus tum pura religione præditam, cuius rei argumento esse poterãt iusta, quæ matris suæ manibus post mortẽ persoluisset: se pro damnatis libris habuisse obscœnos illos Pantagruelẽ, Syluam amorum, & eius monetæ: hunc interim inter suspectos reposuisse, quòd sine Facultatis consilio editus esset, magna fraude Aresti, quo vetitũ erat, inconsulta Facultate quicquam edere, quod ad Fidem spectaret. Denique sibi hoc esse præsidium, mandato Facultatis factum quod in quæstionem vocabatur. Omnes esse culpæ affines, si qua esset, quantumuis abnegarent. Atque hæc omnia Gallicè, vt omnes intelligerẽt, si verum præfabatur: omnes tamen fremebant eum obtendere ignorantiæ suæ hanc speciem. Aderant autem Episcopus Syluanectensis, Stella, & quidam ex præfectis aulæ regiæ. Vbi finem fecit dicendi Clericus, Paruus dixit lectum à se librum, nihil se dignum litura comperisse, nisi oblitus esset suæ Theologiæ. Demum postulauit vt ederetur decretum, quo Regi satisfieret. Copus Rector pronũtiauit, Academiã non agnoscere censurã illam qualis qualis fuisset, quo libellus censitus esset in libris aut damnatis aut suspectis, nõ probare neq; in se recipere. Viderent qui id feciſſent qua ratione se defensuri essent, paratas fore in tẽpore literas quibus se Academia Regi excusaret, ageret etiã gratias, q; se tã benignè paterno more cõpellasset. Allatũ est regium diploma, quo Parisiensi Episcopõ permittitur præficere quos velit singulis parochiis concionatores, qui prius pro libidine illorũ eligebãtur, vt quisq; erat clamosissimus & stolido furore præditus quẽ illi zelum vocãt, quo nunquã arsit Helias, q; tamẽ zelo zelabatur super domũ Dei. Vale.

M. D. XXXIII.

BVCERVS CALVINO S. D.

GRatia & pax augeatur tibi frater & Symmysta in Domino vnicè colẽde. Orauimus nuper Basileæ corã, nũc per literas, clarissimũ & verè nobilem virũ D. Maurum Musæũ, à te vt nobis impetraret, vti sustineres de religione nostra nobiscum coràm commentari. Videmur nobis agnoscere, Dominũ instituisse tui vsum Ecclesiis suis vberrimum concedere, eisque tuo ministerio latissimè commodare. Proinde vt par est, optamus non nos modò, quorum nimirum nõ est apud Ecclesias tanta auctoritas, sed Ecclesias ipsas & qui ad illius ministerium iuuenes apud nos & alibi educantur, tecũ per omnia conuenire. Quàm multũ siquidem paruæ dissentiunculæ præcipuorum ministrorũ Ecclesiis obsint, haud dubiè satis perpensum habes. Atqui dedit Dominus, ni fallor, vt, si liceat tua omnia ritè accipere, aliquid ad promouendum hunc tecum Ecclesiarum & ministrorum eius cõsensum possimus. Libenter itaq; veniemus quò tu voles, vt in Domino summa cũ obseruantia veritatis Christi, & tui, de tota administratione doctrinæ Christi conferamus. Certè sæculũ hoc sic profecit, tam calumniando etiã quæ rectè dicta scriptáque sunt, quàm exactissimè seueriſſiméque iudicando, quæ secus, vt nos, quibus modis omnibus curandum est, vt ministerium nostrum adferat fructus plurimũ, vituperetur à nemine, nihil ad summam diligentiã reliqui facere debeamus, quò nostra omnia, non solùm vera sanctáq; sint, quæ vel scribimus vel dicimus, sed sic etiã depromantur, vt quæ vera sanctáq; sint, agnoscere valeãt καὶ νήπιοι in Ecclesia. Ad eam verò rem, quanti fecerit sanctorũ conuentus & colloquia, D. Paulus, nosti mi frater, & symmysta in Domino venerande. Quantũ leue huic fuit per terras, per maria trãscurrere ipsum, & suos, quos nouerat vero ædificandi Ecclesias studio teneri, monere ad sanctum colloquium. Ergo in Domino suspiciende frater, condic nobis locum, siue Basileæ siue Bernæ, si aliter non potest, Gebennis, vt pertractemus religioſè, quæ etiamsi

Gal. 2. 2. & in Actis.

tibi

tibi certa sunt,nobis tamẽ pro nostra tarditate explicatione ampliore indigẽt. Etiam insipiẽtibus debitores esse nosti,quãquam verè sapimus. Vtinam verò nobis per Ecclesiarũ negotia certè nõ negligenda,liceat breui nos Heluetiis videre,etiam inuocatos. Optimè vale vir doctissime & sanctissime,& ne contemnas preces meas,dolorémq; eo super dolorẽ mihi adiicias. Nam quòd non est datum te nosse & appellare cum hîc esses,dici nõ potest vt doleat. Cõmunicat mihi alioqui Capito omnia. Hic nescio quis sinister spiritus eũ tam obliuiosum fecerit,vt omiserit,vel non meminerit te mihi prodere, quod & ipsi nũc dolet admodum. Argentorati Calend.Nouembr. M. D. XXXVI.

CALVINVS MINISTRIS BASILIENSIS ECCLESIAE.

NEgotium,cuius caussa hominem hunc data opera mittendum ad vos censuimus, paucis complectemur. Nemausi enim nõ incelebri linguæ, vt nunc vocant,Occitanæ oppido,noua nuper impiorũ sęuitia in miseros fratres qui illic dispersi agunt,efferbuit,cùm nihil tale suspicaremur. Literas non ita pridẽ publicas Senatus Argentoratensis & Basiliensis obtinuetamus, quibus omnium qui tunc per Gallias in vinculis tenebantur,salus & incolumitas commendabatur Comiti Gulielmo.Ille à Rege impetrasse dicebatur, vt solueretur omnes.In hac spe securi acquiescebamus,dum renuntiatum nobis fuit,ignem illic vehemẽter flagrare. Duo combusti fuerunt,de quorum morte ab ipso spectatore audietis. Siquidem latinè vobis narrare queat, quod nobis retulit. Plurimi in vincula cõiecti sunt,qui de capite periclitantur, nisi maturè obuiam eatur eorum furori,qui iam ebrij duorum sanguine,finem alioqui sæuiẽdi nullum facturi sunt.Duo illi singularem constantiam ad extremos vsque spiritus exhibuerunt:cùm tamen exquisita crudelitate ipsorum patientia tentaretur. Verùm quî scimus, an eadem aliis constatura sit animi magnitudo? Ferendæ ergo in tempore suppetiæ, si qua ratione licet,ne terrore cõcidant,si qui sũt imbecilliores.Deinde summopere cauendum,ne vilescat nobis piorum sanguis, quem scimus esse in cõspectu Domini pretiosum. Audimus recens fuisse à Principibus vestris percussum fœdus cũ Rege nostro,in quo mẽtio quędam iniecta fuerit Religionis,ne scilicet solita seueritate posthac plecterẽtur, quibus in Religionis sensu vobiscum conueniret. Id si verũ est, non omittenda est nobis iuuandorum fratrũ tanta opportunitas, quibus ad opẽ ferẽdam nõ modò clara voce nos Christus vocat,sed se deseri conqueritur,si deserãtur.Proinde fratres optimi & pientissimi,vos pro animi vestri syncertitate in hanc causam totos impendite.Quod quia vos vltrò facturos confidimus, pluribus non agemus vobiscum. Agedum ergo,apud Senatum vestrum efficite,vt seriò Rex appelletur:idque quàm fieri poterit breuissimè, ne furiosi illi anteuertant. Scitis enim quàm sedula sit eorum improbitas.Dominus Iesus vos nouis Spiritus sui incrementis magis in dies locupletet, fratres eruditissimi,& nobis dilectissimi.Geneuæ, XIII.Nouẽbr.M.D.XXXVII.

CAPITO FARELLO.

GRatiam & pacem.Iectio ista ignominiosa nõ est,neque tantopere nocitura Ecclesiæ Domini ac nos formidabamus. Nã de vobis neq; hostes existimati aliud prędicant,quàm zelũ feruentiorẽ.Peritiores verò rerũ Ecclesiasticarũ, cernunt in caussa fuisse totam cõhortẽ ministrorum, Euangelium docẽtium sine disciplina,imò nesciẽtium,an disciplina sit in Ecclesiã reuocãda. Ociosam enim functionem quidã tueri malunt quàm fructuosam, quidã licẽtiam pro Christi libertate induxerunt,quasi ab Euangelio stent, quicunque iugũ Pontificium abiecerint. Aliqui verò,id est pleriq; omnes,animaduertẽtes rem Christi in dies abire in peius,optarent quidẽ restitutam auctoritatem ministrorum, sed aut verã eius reparandæ rationem ignorant,aut eam videntes desperant prorsus.Ex quo nostræ Ecclesię omnes ad vnã sine disciplina sunt Ecclesiis necessaria. In qua re,quid incõmodi vobis, quid improbis ansæ ad turbãdos datũ,in manibus habemus.Auditis enim, Tyranni esse voluistis in liberã Ecclesiam,voluistis nouum pontificatum reuocare,atq; id genus cõtumeliarum repugnãte animi iudicio in vos iactant seditiosi.Fratres autẽ quos putatis extrema vobis admolitos, nihil habent,quàm quod de vehementia querũtur.Ah mi frater,velim scires,quo sudore hîc voluam idem saxum. Bucerus est totus in publicis & amplis rebus tractandis summa animi cõtentione, respectat ad nostram Ecclesiã tumultuãter, neq; enim ei curæ vacare poterit.Rectè tamẽ præscribit nũc aliis:de qua re Domino gratiam habeo.Ego qui reputo mecũ, qua in parte Ecclesię & quibus præsim, pastorẽ reipsa agere nõnihil conor. at

quãtæ procellę à Symmystis & à Senioribus in partẽ curarũ vocatis? Nam semper existimãt, ad nos nihil attinere, quid quisq; agat, quasi nihil sit quod Christus ait, ouem centesimã aberrantẽ inuestigãdam esse, & ea eius quęrendæ ratio non sit, quã ibidẽ præscripsit Christus, Corripe inter te ipsũ, adhibe testẽ admonitionis, dic Ecclesię, sit vt Ethnicus &c. Deuorãda sunt multa indigna, sed interim hoc solatij Dominus dedit, vt optimo Symmysta stipatus sim, patiẽtissimo audiendarũ contumeliarũ. Deinde nõ successit infœlicissimè, & quos putabamus deploratissimos, eos inuenimus obsequẽtissimos cõsiliis melioribus. Quid multis? Dominus videre dat, quid sit agere pastorẽ, & quantũ præcipiti iudicio vehemẽtiáq; incõsulta abiiciẽdi ita Pontificis nocuerimus. Nã frænũ prorsus excussit multitudo, quæ assueta est & educata propemodum ad licentiã: quasi auctoritatẽ pontificiorũ frãgendo, vim verbi, Sacramentorũ & totius ministerij euacuaremus. Nã clamãt, Teneo satis Euãgelij, ipse scio legere: quorsum mihi tua opera? Prædica volẽtibus audire, deferas eisdem optionẽ amplectendi quod velint. Iustũ erga me iudicium Domini, quo erudior, ad verbi Dei virtutẽ penitius inspiciẽdam, ad omnem ordinem Dei intelligẽdum. Ergo quia res difficilis reparatio disciplinę, & nostris Ecclesiis insolens, inuisa carni & sanguini, aut nõ animaduersa, aut neglecta synergis, neq; extra Lutheri Ecclesiã vna vspiã sit rectè instituta, miraremur, quòd vos duo semel tãtam vrbem reformare non potueritis? Sic in negotij difficultatem reiicere causam pręstiterit, & ita solẽt ferè vel mediocriter periti rerum Ecclesiasticarum. Sũt tam crassa vitia in multis, vt iure boni offendãtur: sed cùm eos Deus vocatione atque officio dignatur, quid faciemus nos homunciones? Scimus quãti detrimẽti ac damni sit vel simultatulã supersesse in Ecclesia: & experimur Satanam nihil æquè admoliri, quàm vt ea latè pertẽtet sanctissimos, quò pertrahãtur in contentionẽ, vel specie promouendi Euangelij. Docuit me id Christus meus experiũdo munus pastoriũ. Neque dubito, quin sis expertus ampliora meis periculis. Vocatus es ad Neocomũ Ecclesiam primam tui ministerij. sequaris Dominũ, vtvt secus tibi sic debilitato grauissimis fluctibus videatur. Propone animo, eum populũ vnicè cõmissum. Iuua alios sine offensione (quantũ vales) bonorum: exemplo Ecclesiæ ac ministerij tui prouocẽtur alij, ambobus defixus in Deum præsentẽ, qui ex præscripto suæ vocationis ad ædificationẽ quenq; vult agere, & videbis, mi frater, tantum successum, quãtum sperare nullus potuisset. Dura patiẽtia nobis opus est in hac dissolutione qua versamur: & animi vinciẽdi agglutinandíque Christo rationibus charitatem redolẽtibus, quæ temperamẽtum est ardẽtis animi, cùm nos admonet iudicij syncerioris, vt quenque æstimemus ex eius affectu corrigendum. Vale.

Mat. 18. 12. & 15.

CAL. FIDELIBVS GENEVENSIBVS.

Dilectissimis fratribus ex Geneuẽsis Ecclesiæ dissipatione. Misericordia Dei patris nostri, & gratia D.N. Iesu Christi, vobis semper multiplicetur per Spiritus sancti communicationem.

Ex Gallico.

ABstinui hactenus à scribẽdo fratres dilectissimi, cùm mihi persuaderem Farelli literis, qui hoc in se cõmuni nomine receperat, vobis satisfactũ iri: ac simul occasionem maledicẽdi illis qui eam captant, ita præreptam vellem: ne videlicet nobis imponerẽt, quasi vos ad nos pelliciẽdo, vos ipsos inter vos scinderemus. Non potui tamen diutius me cõtinere, quin scripto vobis & meum erga vos animum testarer, & vestri apud Dominum recordationem, quorum vtrunque ad officium meum pertinet. Sed neq; obstabit deinceps ille timor qui me retinuit hactenus, cùm mihi satis cõstet prætextum quem illi affingerẽt vt detraherẽt de nobis, planè vanũ & inanem esse. Testis est nobis Deus, & vestra conscientia coram ipsius tribunali, nos quãdiu versati sumus inter vos, vnicè studuisse, vt vos omnes in pace & cõcordia fouerem⁹. Ab illis autẽ qui abscesserunt à nobis vt partes seorsim ducerẽt, scissio accidit tum in vrbe tũ in Ecclesia. Atque vbi illius incẽdij fumum percepimus, omnẽ operam dedimus (vt corã Domino, cui seruimus) vt remedium adhiberemus. Quare tẽpus elapsum nos abundè asserit ab omnibus illorũ calũniis. Nunc verò dum ad vos scribimus, vt nostri memoriam apud vos conseruetis, probro hoc nobis verti nõ debet. Confidimus enim in cõscientiis nostris coram Domino, nos ex ipsius vocatione vobiscum cõiunctos: vt penes homines non sit tale vinculũ abrũpere. Ac prout nos antè gessimus, ita speramus Domino faciẽte nos porrò gesturos, vt nullũ oblectum vel materiã præbeamus turbæ vel diuisionis, nisi illis qui sese ita obfirmarũt cõtra Dominũ Iesum Christum atque vniuersum populũ eius, vt nullam cum ipsius seruis cõiunctionẽ admittãt. Si enim istiusmodi hominibus optimus Seruator ille scãdalum est & offendiculum,

diculum, quî nobis aliter cedat, qui ipsius stigmata & corpore & spiritu circũferimus? Illud verò nos sustinet, quòd illis causa à nobis nõ offeratur: vti neque optimus ille noster herus aduenit, vt vllam cuiquam molestiã afferret, sed vt esset omnibus via, per quã inoffẽsi incederẽt. Enimuero cùm manus Domini in vos adhuc sit extẽta, vt audio, ad vos exercendos: ac iusta ipsius permissione totus in eo sit Satã, vt Ecclesiã quæ inter vos erigi cœperat, prorsus dissipet, vos demũ officij cõmonefieri expedit. Sic igitur statuite ac vobiscum reputate, quicquid mali insit in illis qui vos turbãt & affligunt, eiusmodi tamen insultus quibus vos impetũt, nõ tã ab hominibus esse quàm ab ipso Satana, qui eorũ nequitia vratur, vt apposito iustrumẽto ad vos impugnãdos. Eò pertinet illa Apostoli exhortatio, cùm ait, Non esse nobis colluctationem aduersus carnem & sanguinẽ, id est aduersus homines, sed aduersus rectores tenebarũ & spirituales malitias. Nostis quã necesse sit exploratum habere quicum res nobis sit, vt teneamus qua via illi sit obsistendum. quare si in illud incũbimus, vt certando cum hominibus vltionẽ persequamur & nostras priuatas iniurias, quid effecturi simus in dubio est: illud verò extra cõtrouersiam, ea ratione nos à Satana superatũ iri. Cõtrà verò si eo animo cũ hominibus cõgredimur, vt vnius Christi nomine illos infensos nobis habeamus, ita demum obsistemus machinationibus aduersarij illius spiritualis, instructi illis telis quibus suos armatos esse voluit Dominus: vt de victorię certitudine nullo modo dubitãdũ sit. Hoc si vobis est in animo, videte fratres ne malũ malo retũdatis: sed vt potius exuti omnibus affectibus prauis, vnius Dei zelo prædti sitis, quẽ & Spiritus ipsius moderetur ex verbi præscripto. Illud præterea vobis cogitandũ est, ista vobis non contigisse sine Domini dispẽsatione, qui operatur etiã per malos pro consilio bonę suæ volũtatis. Atq; illa cogitatio apposita erit vobis, vt à vestris illis aduersariis auersi, descendatis in vosmetipsos: sic agnoscetis quàm merito vestro ita vos nũc exerceat Dominus, vt vestrã negligentiã castiget, atque verbi sui contemptum, cessationẽ etiam & defectum in illo legitima obedientia prosequẽdo. Quis enim vestrũ hîc se à peccato immunem obtendat? Liceat quidem apud homines iustitiam vestram asserere, atqui vestra vos cõscientia apud Deum hac in parte accusãbit. Hanc rationem tenuerũt nimirum serui Dei in summis suis angustiis: vt vndecunque illis mala immínerent, animum semper ad Deũ ipsum intẽderent atque ad propria peccata, vt sibi ipsis imputarẽt quòd ita à Domino tractarẽtur. Nouerat nẽpe Daniel quæ fuisset Regis Babylonij improbitas in opptimendo & excindẽdo populo Dei, vt suã vnius auaritiam, ambitionem, impotentiã expleret. Constabat illi inquam, quàm iniquè ab illo tyrãno Iudæi illa paterẽtur: nihilominus sibi tãtùm & suis summã causam imputat, cũ Babylonios nihil aduersum ipsos potuisse per se, statutum apud se habeat. Ergo vt rectũ ordinẽ teneat, orditur à confessione peccatorum tum suorum, tum etiã Regum ac populi. Quòd si ita se tantus Propheta deiecit, expendamus quęso, quàm iusta sit nobis illius imitandi ratio: si inquam ita ipsum se coram Deo humiliare oportuit, vt ab ipso misericordiam eliceret, quàm præposterè fiet à vobis, si in vnã aduersariorũ improbitatẽ defixi, in vos ipsos & vestra peccata potius nõ inspexeritis, quę lõgè aliter se habẽt quàm quæ ita tũ in sese Propheta agnouit? Quòd ad nos attinet, si causa nobis dicẽda sit contra improbos calumniatores qui nos oppressos vellent, hoc habemus, non modò stare nos cõscientiæ nostræ testimonio coram Domino, sed etiam superesse nobis quo nos apud vniuersum mundum purgemus. Atquè hoc abundè ostendimus, cùm nos obtulimus ad reddẽdam omnibus rationem, adeóq; coram nostris aduersariis. Omnino enim de suo iure cõstare illi debet, qui se ita iudicio sistat, vt prẽter vnam iuris sui certitudinẽ, omnibus in rebus futurus sit inferior. Quòd autem de ipso Domini iudicio præfatus sum, sic accipio, vt non immeritò nos hîc etiam ab illo humiliatos agnoscam, vt nostram ignorantiã, imprudentiam & alias infirmitates in memoriam reuocaremus. Sic enim apud me sentio de meipso, sic etiã coram ipsius Ecclesia meos defectus profiteor. Neque sic nos notãndo aduersarios in iure superiores reddemus: vti neq; Danielis mens fuit Nabucadnezarẽ culpa eximere, dũ Iudæorum excidiũ ab ipsius tyranni de profectũ, ipsorũ peccatis adscriberet: illud potius ad cumulandum ipsius probrum pertinuit, cùm ita constitit tyrannum illum Dei flagellum extitisse, vti eo in genere primum locum Satan cum suis mãcipiis occupat. Non magis etiam timendum nobis, ne ius nostrum hominum probris obnoxium reddatur. Cùm enim nos obtulerimus ad respondendum de nostra syncerítate in muneris nostri functione corã vniuersis Ecclesiis, vti eodem animo nũc etiam sumus: quis inde colligat ansam illis oblatam à nobis esse, vt nos mordeãt, atque nobis insultent? Quòd si non datur nobis vt illis os obstruamus, vti nõ defuerũt, qui nõ sua tãtùm intemperie aduersum nos abrepti, sed efferato impetu sese in omnia conuitia effun-

Eph.6.12.

Dan.9.5.

derẽt,cõstat tamẽ nobis certissima illa Domini promissio,Dominũ nempe patefacturũ innocentiã nostram vt auroram,& iustitiam nostrã vt solem in meridie. Illa nos confidentia meritò sustinet aduersum omnes improbos, vtcunque coram Domini tribunali infinitis modis obnoxios nos esse profiteamur.Nec tamen in nostra deiectione & humiliatione deseret nos Dominus,quin amplissimo solatio nos asserat atque cõfirmet.Imò illud nobis obuiũ est in ipsa Scriptura, cùm testatur ferulas illas suas quas erga seruos suos adhibet, ad illorũ profectum & salutẽ spectare,si modò rectũ illarum vsum tenuerint.Illud igitur dilectissimi fratres, vobis perpetuò in mẽtem veniat quo vos cõsolemini: nẽpe quantunuis impij vestram Ecclesiã euertere cõtenderint,vestra verò peccata nõ illud modò,sed quidvis etiã acerbius cõmerita sint, Dominun tamen eum finem allaturum vestris afflictionibus,vt in salutem vestram cedãt.Ira eius nimirum erga ipsius Ecclesiam ad momẽtum est, quia ipsam perdere non cogitat: Misericordia verò æterna ad venturas generationes porrigitur,à patribus nempe in filios & filios filiorũ. Iam si in vestros aduersarios oculos cõiecerit is,apertè illic agnoscetis vt se ipsos in exitium dent præcipites, cùm tamen in portu se iam nauigare sibi ipsis persuadeant. Ne igitur animum despondete eo nomine, quòd ita Domino visum est vos humiliare ad tempus,cùm ipse idem ille sit Scriptura teste,exaltans nempe deiectum & cõtemptum ex puluere, pauperes ex cœno: Coronãs gaudio gementes & in lacrymas effusos, restituens lucẽ iacentibus in tenebris,in vitam deniq; reuocans qui in vmbra mortis sedẽt.Sperate igitur optatum illum exitum ab optimo Domino,vnde nobis materia extet prædicandæ gloriæ singularis ipsius erga vos clemẽtiæ. Atq; sub illa spe confirmate vos ipsos,vt subeatis ipsius ferulas, donec tãdem suum vobis fauorẽ reipsa exhibeat.Neq; verò hoc voto serius accidet,si omnia vt par est,prouidentiq; ipsius permittere didicerimus, quæ vna nouit tẽpora & occasiones:ac multò melius q̃ quisquam nostrũ animo cõplectatur,tenet quid expediat.Imprimis vigilate in orationibus,& supplicationibus.Si enim spes omnis vestra in Deo sita est, vt esse debet,cor demũ in cœlum ferri, & illic versari oportet ad illum inuocãdum,& implorãdam ab eo quam expectatis misericordiam.Sic habete,quod vt plurimùm remoratur exitum votorũ fideliũ suorũ, illud eò spectare, vt eos magis afficiat ad ipsius bonitatem exquirendam. Atque adeò vana est omnis nostræ fiduciæ in illum iactatio,nisi illam ita testificamur,cùm ad ipsum nos precãdo recipimus. Neque etiam legitimus ille ardor cõstat nostris precibus, nisi continuò in illis perseueramus. Oro Deum totius cõsolationis vt vos erigat & sustẽtet magis ac magis in recta patiẽtia,dũ vos in istis tribulationibus exercet: atque suis illis promissionibus planè cõfirmet,Neminem suorũ à se tẽtatum iri suprà quàm ferẽdo sit,sed cum probatione daturum & vires,& exitũ tandẽ cum salute coniunctũ. Valete. Argent. 1. Octobr. M.D.XXXVIII.

Psal. 113. Esa 9. & alibi.

1. Cor. 10. 13

CAL. FARELLO.

OCaldi morte ita sum cõsternatus,vt nullum ponere modum mœrori possim. Nullæ diurnæ occupationes animũ meum sic retinere queunt,vt non in eam semper cogitationẽ reuoluatur.Miserrima diei tormẽta excipiunt acerbiores noctis cruciatus.Non enim insomniis modò quibus ex cõsuetudine obdurui, diuexor,sed enecor etiã peruigiliis,quibus nihil valetudini meæ magis aduersum habeo.Præcipuè verò animũ meũ configit illa indignitas, siquidem vera est suspicio, cui velim nolim, cogor locũ aliquẽ dare. Quò tandem recidẽt nostri posteri, cùm in ipsis exordiis talia portẽta iam emergant? Quantũ vereor ne scelus hoc magna aliqua Ecclesiæ clade breui luatur. Ad hęc non minimũ est iræ Dei indicium,in tanta bonorũ paucitate,eo qui inter bonos postremus nõ erat,Ecclesiam orbari. Quid ergo aliud mi frater,quàm nostram calamitatem lugeamus? Quãquam neque validis solatiis deficimur. Magnum hoc, quòd suo dolore & desiderio testantur omnes,quid de eius virtute ac integritate senserint. Sic enim ne in terris quidẽ latere patitur Dominus hostiũ nostrorum iniquitatẽ. Nec pilũ lucri eo extincto fecerũt.stat enim corã Domini tribunali testis & accusator eorũ nequitię, cuius vox clarius sonabit in eorũ perniciẽ, quàm si terrã concuteret. Nos verò, quos ad tẽpus superstites reliquit Dominus, securè pergamus ea quam secutus est via, donec cursum nostrum peregerimus. Quantælibet obiiciantur difficultates, nos tamen non impedient, quominus perueniamus ad eam quietem in quam ille iam receptus est. Nisi hæc spes nos retineret,quanta nos vndique obsidet desperationis materia?sed quoniam manet veritas Domini firma & incõcussa, in specula nostra ad finem vsque perstemus, donec appareat quod nunc absconditum est domini Regnum. Classicum porrò iam cecinerunt aduersa-

aduersarij clatigatione in Mindam pronuntiata. Quoniã causa est religionis, omnes nostri necessariò implicantur. Firmissimum & inuictum nobis præsidiũ erit, si Dominus exercituũ sua nos virtute tuebitur. Alioqui vix tantũ est nostris roboris, quod ad propulsandos hostium impetus valeat. Ad vnicum ergo illud asylum confugiamus, quod nunquã commouebitur, etiamsi vniuersa cõcutiatur terra. Conuentum non desinimus flagitare, donec fuerit impetratus. Sonerius alterã à nobis quæstionem discuti voluit, an liceat sibi ac similibus Cœnã Domini cùm ex eorũ manibus accipere, tum etiam cũ tãta hominum colluuie participare. Mihi cum Capitone nihil fuit in hac re dissensionis. Sũma hæc fuit: Tantum debere inter Christianos esse odium schismatis, vt semper quoad licet refugiãt. Tantam ministerij ac sacramentorum reuerentiam esse oportere, vt vbicunq; extare hæc cernunt, Ecclesiã esse censeant. Quãdo igitur Domini permissu fit, vt per illos, qualescunque tandem sint, Ecclesia administretur, si Ecclesiæ signa illic conspiciũt, satius fore si nõ se à cõmunione alienẽt. Nec obest quòd impura quædã dogmata illic tradãtur: reliquias enim ignorãtiæ vix vlla est Ecclesia quę prorsus nullas retineat. Nobis sufficit, si doctrina qua Ecclesia Christi fundatur, locũ habeat atq; obtineat. Nęc illud nos remoratur, quòd legitimus haberi pastor non debet, qui in locum veri ministri non tantùm irrepserit fraudulẽter, sed nefariè irruperit. Non enim est cur se priuatorũ vnusquisq; istis scrupulis implicet: sacramẽta cum Ecclesia communicant: per eorum manus dispensari sibi sustinẽt. quos enim tenere locũ intelligunt, iure an iniuria, quanquam ad ipsos pertinet, de eo tamen iudicium suspendere vsque ad legitimã cognitionem possunt. Itaq; si eorũ ministerio vtantur, non tamen periculũ erit, ne aut agnoscere, aut approbare, aut vllo pacto ratũ habere videantur. Sed hoc vsu patiẽtiæ suæ testimonium reddunt, dum scilicet eos tolerant, quos sentiant solenni iudicio damnandos. Initiò bonos fratres detrectasse nec mirũ est, neq; nobis displicet. In eo siquidẽ feruore animorum quem necesse fuit tũc ebullire, nihil aliud quàm Christũ scindere fuisset. Deinde ambigebãt adhuc quorsum tempestas vergeret, quæ tunc omnia permiscebat. Institit postea de se agere, sed tanta cõtentione, vt videretur nunquã desiturus, donec extorsisset quod petebat. Cur negaremus, erat manifesta ratio. Nam à ministro penes quem dispensatio est sacri huius mysterij, prudentia in delectu habẽdo requiritur. Ad hoc, non obscurè approbat eorum ministerium, si quis eorum collegium non repudiet. Postremò cùm huc quæstio recideret, satiúsne foret cedere quàm recusare, hoc dilemmate vrgebamus: si officium ritè faceret, primo quoque die sequuturum exitum, si non faceret, flagitium esse quod nulla compẽsatione admitti fas esset. Verùm cùm admonitus esset à me firmius obtentum quæri, facilè præcidit quicquid illud erat. Experti sumus quàm difficile sit eos moderari, qui inani sapiẽtię opinione desipiunt. Cùm omnes tempus hoc alieniſſimum iudicarent tractãdæ fratrum causæ, Dominus spem omnem superauit. Impetratũ quidquid petiimus. Videbatur initiò Sonerius ægrè ferre, quòd exigeretur confessionis formula: putabat hoc vno nostris satisfieri debere, quòd à se edocti erant. Postea tamen non adeò reclamauit, atque etiam qualem conscripsi eorum nomine, sine controuersia approbauit. Vereor ne tibi plurimũ facessat negotij is, cuius partes sunt te iuuare: sed patiendo tandem eluctaberis. Quæso te mi frater in tanta temporum iniquitate, animum adiicias ad retinendos omnes, qui vtcunq; tolerabiles fuerint. De ceremoniolis effice apud fratres, ne eadem certent cum vicinis pertinacia. Ita fiet vt omnia nostra sint, nos ab omnibus liberi, serui simus pacis & concordiæ. Si prætereo quæ necessaria erant, eò fit, quòd literę tuæ nondũ à Capitone cui legendas dederam, mihi redditæ sunt. Dominus te seruet, ac Spiritus sui robore ad omnia sustinenda cõfirmet, frater mi in Domino dilectissime. Admonet tua pro me solicitudo, vt tui curam vicissim tibi commendem. Valde enim attritum sibi te videri omnes narrant. Quæso atque obsecro mi frater, sic de aliis cogita, simul vt memineris quòd sis Ecclesię Christi adhuc necessarius. Saluta millies mihi fratres omnes qui tecum sunt, Viretum, etiam Franciscum & Iacobum cùm ad eos scribes. Capito, Sturmius, Firmius te peramicè saluere iubent. Argentorati XXIIII. Octobr. M. D. XXXVIII.

CAL. FARELLO.

QVoniam verebar ne tibi molesta esset longior mearum literarum expectatio, malui nuper abscissas præmittere, quàm te differre in Michaelis aduentum. Nunc igitur reliqua contexã. Prius verò quàm veniam ad colloquium Philippi, breuiter tibi exponam quò progressus sit ex eo tempore rerum

ſtatus. Tam iniquas conditiones auſus eſt tãdem ferre Cæſaris Legatus, vt parum abfuerit quin res iterum ad gladios rediret. Volebat vt ſe à Sacramentariis noſtri ſubducerent. vides Satanæ artes. Hoc ſcilicet captat, vt non modò vetera, quæ olim ſeminauit, odia alantur: ſed nouæ quoque offenſæ, velut accenſæ faces, ad maiora diſſidia excitãda accedant. Atqui noſtri nec Sacramentarios vllos recognoſcunt, & coniunctionem ſibi eſſe volunt cum Helueticis Eccleſiis. Ideóque illud omiſſum eſt à Cæſare, factúmque vt ad paciſcẽdas inducias animi inclinarent: quæ vtinã Eccleſiæ Chriſti vtiles ſint. Mihi certè nihil boni promittunt. Hoc quoque videt Elector Saxoniæ, qui cùm hactenus cunctator ſit habitus, neceſſitatem belli impoſitam nobis putauit. Lantgrauius præter omniũ ſpem bellum diſſuaſit. Ac quanquam non detrectabat ſequi, ſi aliter ſociis videretur, emolliuit tamen eorum animos qui in eius alacritate plurimùm reponebant. Nunc ergo res ad inducias vergit, inter quas de concordia vtrinque diſpicietur. Verùm aduerſarij nihil aliud quàm de belli opportunitate cogitabũt. Saxo ab hoc cõuentu Cliuenſem cõueniet, cuius ſororem habet in matrimonio. Si ad ſuſcipiendam religionem illum adducere poterit, magnum erit regni Chriſti incrementum. Siquidem hodie non habet inferior Germania potentiorem principem, & qui latius dominetur: nec ſuperior etiam, excepto vno Ferdinando, qui amplitudine ditionis tantùm ſuperat. De legatione ad Regem pro ſalute fratrum ac cauſa religionis commendanda, nihil dum erat decretũ, cùm Bucerus poſtremò ſcripſit. De legationibus enim vltimo loco agetur, quia ex rerum ſuarum conditione melius tunc deliberabunt, qua quídque ratione petere debeãt. Ergo in id tempus nos ſuſtineamus. Cum Philippo fuit mihi multis de rebus colloquium: de cauſa cõcordiæ ad eum prius ſcripſeram, vt bonis viris de ipſorum ſententia certò poſſemus teſtari. Miſeram ergo paucos articulos, quibus ſummam rei breuiter perſtrinxeram. Iis ſine controuerſia ipſe quidem aſſentitur: ſed fatetur eſſe in illa parte nonnullos, qui craſſius aliquid requirant: atque id tanta peruicacia, ne dicam tyrannide, vt diu in periculo fuerit, quòd eum videbant à ſuo ſenſu nonnihil alienum. Quanquam autem non putat conſtare ſolidam conſenſionem, optat tamen vt hæc concordia, qualiſcunque eſt, foueatur, donec in vnitatem ſuæ veritatis nos Dominus vtrinque adduxerit. De ipſo nihil dubita, quin penitus nobiſcum ſentiat. De aliis rebus quales habuerimus ſermones, longum eſſet enarrare: ſed hæc erit aliquando materia iucundæ inter nos colloquutionis. Ad diſciplinam dum venitur, ipſe aliorum more ingemiſcit. Magis enim deplorare miſeram hac in re Eccleſiæ conditionem dicet, quàm corrigere: Ne vos iſtic ſolos laborare putes. Eduntur quotidie paſſim exempla, quæ omnes ad optandum remedium excitare meritò debeant. Eiectus eſt non ita pridem Vlma vir probus ac doctus cum extrema ignominia, quòd nõ ſuſtineret magis vitiis indulgere. Dimiſſus eſt à collegis ſuis omnibus cũ honorifica commendatione, præſertim à Frechtho. Quæ Auguſta nuntiantur, nihilò magis læta ſunt. Ita poſthac res luſoria erit, Paſtores miniſterio deturbare ac in exilium eiicere. Nec malum iſtud emendari poteſt, quia nec plebs, nec princeps iugum Chriſti à Papæ tyrannide diſcernunt. Cenſet ergo Philippus nihil medius eſſe, quàm vt in tanta tempeſtate ventis aduerſis aliquantùm obſecundemus: ſpémque facit, vbi plus quietis ab externis hoſtibus erit, opportunitatem fore vt interioribus remediis oculos intendamus. Capito nunc Deũ & homines obteſtatur, perditam eſſe Eccleſiam, niſi maturè ſuccurratur rebus tã afflictis, nunc, quia profectum nullum videt, mortem precatur. Verùm ſi vocatio noſtra ex Domino eſt, vt eſſe non dubitamus, Dominus benedicet, vtcunq; omnia aduerſentur. Tentemus ergo remedia omnia, quæ ſi deſunt, pergamus tamen ad vltimum vſque ſpiritum. Cùm te video ſic afflictari, interdum adeſſe cupio, vt nonnihil ſolatij afferam. Rurſum dum ſuccurrit nihil me tibi afferre poſſe, niſi materiam inuidiæ maioris, libenter abſum, ne plus ſatis grauatum premam. Fratres Waldenſes coronatũ vnum mihi debebãt, cuius partem à me mutuò acceperant, partem dederam nuntio qui cũ fratre venerat, Sonerij mandato. Hunc vt tibi darent, iuſſeram. Si dederint, retinebis, quò tantundem ære tuo exonerer. Quod reliquum erit, ſoluam cùm potero. Ea enim mea eſt nunc cõditio, vt aſſem à me numerare nequeam. Mirum quantum pecuniæ mihi effluat in extraordinariis ſumptibus, & de meo præterea viuẽdum eſt, niſi velim fratribus oneri eſſe. Valetudinem quam mihi pro tuo in me amore ſolicitè cõmendas, nõ ita facilè curare licet. Sed nimis ſum prolixus. Iniuriam enim talibus nuntiis facio. Bene vale optatiſſime frater. Dominus te ad hanc moleſtiarum molem ſuſtinendam Spiritus ſui virtute corroboret. Scripta menſe Martio M. D. XXXIX.

Caluinus tuus.

CAL.

CAL. FARELLO.

POstridie quàm mihi reddita fuerat penultima tua epistola, dedi me in viã, vt Francfordiã peterẽ. Adeò autẽ tumultuarius fuit discessus, vt tibi respõdere nõ vacauerit. Id quod in subitis cõsiliis ferè euenire solet. Profectionẽ verò illã suscipere mihi nũquã in mẽtẽ venerat nisi pridie quàm exequutus sum. Verùm cùm literas à Bucero recepissem, quibus indicabat se nihildum potuisse de fratrũ causa agere: cupido mihi statim incessit eò vsq; concedẽdi: partim ne fratrum salus negligenter, vt fit in tãta rerũ turba, tractaretur: partim vt cũ Philippo de religione atq; Ecclesię ratione commẽtarer. Vtraq; nisi fallor ratio iusta tibi videbitur. Accedebãt Capitonis ac omnium hortationes, præterea Comitũ opportunitas. Nam Sturmius & alij boni viri se mihi comites adiungebant. De Domino de N. minus credẽ dũ est quàm feratur. Nosti enim quàm sit illud verũ, famã eũdo vires acquirere. Vnũ tãtùm cõcionatorẽ appetebat, qui hac Quadragesima plebẽ suã puriore doctrina imbueret. Domina R. illuc me initio inuitauit: sed quia via nõ satis aperta videbatur, excusaui me hîc alia vocatione detineri, minutata quidẽ illa, sed quæ ad me obligãdũ sufficeret. Doctor Vlrichus iam secũdũ mẽsem procul abest, vt nõ possim cũ eo de literis expostulare. Causatus est se eas deposuisse apud N. vnũ nisi fallor, ex fratribus qui aliquãdo cõtra Solodorẽses tumultuati sunt. Dolet mihi plurimũ eas periisse: siquidẽ multa cõtinebãt, quæ magni interfuit nõ euulgari. De cõiunctione quod suadebã nõ est quod tantopere auerseris: testabar enim me nihil magis optare, quàm vt longissimè se illinc pij õmnes subducerẽt. Hoc vnũ cõtendebã, ne schismate scinderẽt qualẽcũq; Ecclesiã: quæ vtcunq; esset corruptissima moribus, doctrinis etiã exoticis infecta, nõ tamẽ desciuerat penitus ab ea doctrina, qua Ecclesiã Christi fundari docet Paulus. Sed quia res est eiusmodi quã attingi nõ expediat, nisi prolixè & ordine excutiatur, nõ vlterius prosequar: nisi quod testatũ volo, me nõ aliã fratribus vnionẽ suasisse, quàm quę nobis Christi exẽplo mõstratur, qui nõ dubitauit Dei mysteria cũ deploratæ impietatis Iudæis participare. Atq; vt intelligas qua prudentia consilium meum expenderint, id eos in primis exacerbauit, quòd Ministrum à Plebe discernebam, illúmque dispensatorem esse asserebam à quo prudẽtia & fides requiratur. A priuatis minus quiddam & facilius dicebam exigi, vt se vnusquisque probaret. Verùm id, si dabitur coràm colloqui, inter nos paruo negotio transigetur. Quòd video luculenta Dei iudicia apparere in sonticas illas pestes quæ miseram Ecclesiam vexabant, partim me consolatur & recreat, partim autem animũ meum perstringit, quia video non prorsus offendiculo carere. Est tamen omnino expetendũ, vt quoquo modo Ecclesiam suã talibus excrementis purget Dominus. De Gastio mihi frater ad liquidum narrauerat. Malè me habet illa Grynei facilitas in dandis cõmendationibus: nec tam diu distulissem cum eo agere, nisi quo tempore literæ tuæ huc peruenerunt, parcendũ ei censuissem: quia tum vxor eius in vltimo vitæ periculo versabatur. nam grauida cùm esset peste correpta fuerat. Quæso mihi significa, quò se bonus ille & infractus Christi martyr proripuerit. A N. video tibi non parum fore negotij, quandiu sic varicari perget. Sed quia tolli non potest, necesse erit tolerari. Puta tibi datũ à Domino qui patientiã tuam exerceat. Habemus tibi non paruam gratiam, quòd nostro nomine Consulem salutaris: nam id quoq; refert, vt intelligat vtrunque nostrum sic esse coniunctum cum Bucero & Capitone, vt omnia inter nos consilia communicemus. De bonis Ecclesiasticis vtinam tibi possem aliquid melius polliceri, quanquam non est res pessimo statu: Bucerus enim tanta constantia institit, vt videatur nonnihil promouisse. Philippus illum initio rei difficultate deterrebat: dimoueri tamẽ non potuit quin pergeret. Difficile autem videbatur impetrare, quoniam nihil id principes ad se pertinere putant, qui bona Ecclesiastica pro suo arbitrio administrant. Et alij quidẽ ægrè ferunt sibi de manibus excuti lucrũ cui iam assueuerũt. Alij tametsi nihil iacturæ sensuri sunt, nõ facilè adducũtur, vt inuidiã eius ordinis, quẽ magnũ esse in Germania nosti, in se cõcitẽt. Bucerus ex vetusta Ecclesiæ cõsuetudine modũ protulit, quo & Ecclesiæ & paci publicæ Imperij cõsulatur. Quoniã ea lege legata sunt bona, quæ hodie tenẽt Canonici primariæ Ecclesię huius ciuitatis, vt à Comitibus administrẽtur, permittit vt sit collegiũ ex nobilibus familiis, à quo hæc possideãtur: qui autẽ in illud collegiũ ascisc̃etur, eos nec Sacerdotes esse vult, nec Canonicos: sed cõiuges qui tãtùm fidẽ suã Ecclesiæ obligatã habeãt, vt ad tutãdã ipsius quietẽ impẽdãt se ac sua omnia. Quoniã Episcopus est princeps Imperij, nec tolli potest locus ille, quin magno cũ motu Imperiũ concutiatur, putat expedire quod olim fiebat, vt in eius locũ succedat ex collegio

illorum Comitum, cui maneant saluæ possessiones, quæ sunt hodie penes Episcopum: vocetúrque Vicedominus, quòd magis sit earũ Oeconomus, quàm proprietarius. Eius officium sit Ecclesiam tueri si alicũde impugnetur, atque in eam rem fidem suã solenni sacramento obstringat. Reliquæ facultates in vsum magis legitimum redigantur, vt sunt Præbendæ, Capellæ, Prioratus & reliqua. Vsum appello magis legitimum, vt ministris & scholis, pauperibus, aliísque Ecclesiæ oneribus destinẽtur. Id si obtinetur, erit vt in rebus adeò dissipatis tolerabilis cõditio. Aliqua & quidẽ iam magna spes est, quòd Principes cœperunt animũ inclinare, Ciuitates autẽ rem cordi habent, quæ vident Ecclesiarum suarum bona tam miserè dilapidari. De Basilio scripsit ad me Talearis, illum petiisse nuper Geneuæ publicam disputationem, sed repulsam passum esse: quod equidem libenter audio, ne in gente plus satis alioqui nouitatis cupida falsa dogmata euulgentur, quibus refutandis nemo sese opponat. Nunc ad secundam epistolam, quam ab ænigmatibus exordiris. Qui sint enim illi excubitores, ebriosi, fures, minimè assequor, nisi apertius exposueris. Proinde quæso vt mihi primis literis edisseras. De illa Comitis & Genani legatione nihil aliud potuit expectari, quàm vt irriti reuerterentur. Nescio an in fratribus tantùm sit consilij, quantùm animi esse non dubito. Si Comitem sine formula certa dimiserunt, mihi factum eorũ penitus improbatur: scis enim quid parere nouerit illa inanis grauitatis affectatio. Feramus omnia tentari, ne per nos stetisse videatur quo minus Ecclesiæ meli° haberẽt. Abs te hoc iure postulare nequeũt, vt ministerium eorum approbes, quos Ecclesiasticæ censuræ relinquendos nemo non videt. Sed verissimum est quod ais, omnes qui sibi malè conscij sunt nihil magis expetere, quàm vt omnia in obscuro demersa lateant, ne sua quoque fœditas detegatur. In tantis inuolucris videndum quid possimus: cætera Domino permittenda. Cuperem sanè vt malorum omnium sepulta esset memoria, quæ citra noxam retractari non possunt. Sed quid prodest, odia, dissidia tum doctrinæ tum animorum, obtrectationes, cæteráque hæc mala in Ecclesiæ visceribus concluſa retineri, quæ tandem in pessimum vlcus erumpant? Optandum potius vt cum acerbitate aliqua discutiantur, si aliter fieri non potest. Sed quid vetat medium aliquod tenere, vt honor ministerio nostro suus restituatur, remediũ Ecclesiæ illi miseræ ac perditæ adhibeatur, quæ inter fratres sunt offendicula tollantur, dissimulatis ac suppressis malis, quæ nihil opus est de integro exagitari? Sunt enim quædam vulnera, quæ attactu magis recrudescunt: quiete melius & obliuione sanantur. Quid sibi obsecro volunt boni viri, quibus hoc venit in mentem, vt ego sine te redeam, qui tecum sum eiectus? Vt in operis communicationem manum præbeam ijs, à quibus volo esse alienissimus, donec Ecclesiæ satisfecerint? Sic enim rem instituunt vt ex quatuor duo nobiscum remaneant. vt nullo Ecclesię iudicio quasi per veniam restitutus, locum sine vlla authoritate teneam? Quid enim faciemus? vnde sumemus exordium, si res collapsas velimus instaurare? Si verbum fecero quod displicuerit, mox silentium imperabunt. Sed nolo apud te hæc & similia stilo prosequi, quæ melius ipse reputas quàm dici queãt. Rursum si id procedit, fratrum iurgia vix potero sustinere: summam enim solo meo reditu confectam existimabunt. Proinde optarim vt aliud potius quiduis agant ij qui hunc lapidem moliũtur. Nihil enim quàm magnam molestiam mihi accersunt, idque frustrà. Vt promisi breuiter tibi perscribam. Statum rerum Francfordiæ hunc comperimus. Aderant è domo Saxonię Elector, eius frater, & nepos ex Henrico, quem Mauricium vocant. Hi tres in suo comitatu habebant equos quadringentos, Lantgrauius secum totidem equites adduxerat. Luneburgensis minore pompa. Aderat & Brandeburgensis iunior frater Electoris, Brunsuicensis iunior, aliíque tres quorum nomina non teneo. Hi omnes fœderati: cęteri qui in fœdere continentur legatos miserant, vt Rex Danię, Dux Prussię aliíque nonnulli. De ijs nihil mirum videbatur quòd domi remanserant, quia rebus tam dubiis ac periculosis procul abesse tutum illis non erat. Verùm nemo erat qui nõ indignè acciperet, Vvirtembergensem malle venatione sua & nescio quibus lusoriis oblectamentis frui, quàm consultationi interesse, in qua & patria eius, & caput fortasse agatur, cùm biduo tantùm abesset. Qui volebant excusatum, dicebant non dubitasse curam in reliquos reiicere, quibus negotium cordi esse nouerat. A Ciuitatibus primarij viri missi fuerant. Primis deliberationibus bellum omnium suffragiis decernebatur, donec interuenerunt Electores duo, Comes Palatinus, & Ioachimus Brandeburgensis, cum Cęsaris literis, & legato Episcopo Hispano, quem Londensem appellant. Principio mandatum Cęsaris exposuerunt, quo illis permittebatur vel pacem vel inducias

cum

cum noſtris paciſci, quibus rationibus ac legibus optimum fore exiſtimarẽt. Deinde longa oratione ac validis argumentis conati ſunt animos ad pacem inflectere: præcipuè tamen caput hoc premebant, quòd Turca non quieturus ſit, ſi videat Germaniam inteſtinis bellis implicatam. Et iam aditum habet patefactum, cùm Vvalachias teneat, tranſitus illi à Polono ex fœdere debeatur. Ita ergo iam nunc Germaniæ imminet. Pacis cõditiones vt noſtri excogitarent voluerũt. Si pax confici non poſſet, rogarũt vt ad inducias decurreretur. Vtriuſque fides ac ſinceritas noſtris eſt explorata. Nam Ioachimus in cauſam Euangelij omnino propẽſus eſt, Palatinus non iniquus. Verùm quia mandata quæ ab Hiſpania veniunt minus fidei habent, maluiſſent rem ab Electoribus vniuerſis compoſitam, penes quos ſumma in Imperio eſt poteſtas. Id impeditum fuit, quòd Maguntinus multas ob cauſas à Saxone repudiatus eſt: Ioachimus in Comitia cõſentire auſus nõ eſt, à quibus patruus excluderetur. Ergo noſtri articulos obtulerũt, quibus ſe inuitos ad belli cogitationem deſcẽdiſſe oſtendebãt: ſiquidẽ iniurias exponebant quibus fuerant ad id conſilium neceſſariò adacti. Pacis leges dicebãt, vt ſuas ſibi Eccleſias adminiſtrare liceret, ſub qua ad miniſtratione bonorũ Eccleſiaſticorũ diſpenſationẽ volebant cõtineri. Integrũ deinde ſibi ſeruabãt, vt in fœderis ſocietatẽ poſſent admittere qui adiungere ſe vellẽt. Cùm oblati iam eſſent articuli, diſceſſimus. Poſtea ſignificauit Bucerus Electores duos plus aliquanto cõcedere quàm Cæſaris legatũ. Ratio eſt, quòd Cæſar, cùm hoſtiũ noſtrorũ opibus indigeat aduerſus Turcam perinde ac noſtrorum, cupit vtriq; parti ſine alterius offenſa gratificari. Summa tamen poſtulati eius eſt, vt citra præſentis ſtatus mutationem, viri docti ac probi & minimè cõtentioſi cõueniant, inter quos de capitibus religionis cõtrouerſis diſceptetur: poſtea res ad Comitia Imperij referatur, vt de ſentẽtia omniũ ordinum Eccleſiæ Germanicæ reformatio trãſigatur. Inducias ad ea peragẽda anni vnius paciſcitur. Noſtri nec breuibus adeò induciis contenti ſunt, & aliquid certius ſibi dari poſtulant. Ita omnia ſunt adhuc in ſuſpenſo: nec extra belli periculum ſumus, niſi Cæſar vlterius procedat. Iuliacenſis nuper patre orbatus, legatos miſit cũ huiuſmodi mandato, Se ducatũ Gueldrię, cuius legitimus erat dominus, Dei beneficio recuperaſſe: nunc ſibi de eo controuerſiam moueri tum à Cæſare, tum à Lotharingo, ſine vllo ſatis ſpecioſo prætextu. Lotharingum enim nihil iuris poſſe obtendere, niſi quòd ſit hæres poſtremi ducis. Atqui illum per vim, cõtra ius & fas, ducatũ poſſediſſe, qui ſententia imperij familiæ Iuliacenſi adiudicatus erat. Cæſarem prætexere quidẽ emptionis titulũ: ſed quam vel cõmentitiam, vel nimis fraudulentam eſſe appareat: nempe cùm pretiũ fuerit 90. millium coronatorum, quo vel ſola vrbs æſtimari queat: certè eam ſummam infra anni vnius reditum eſſe. Rogabat ergo noſtros vt apud Cęſarem intercederent, ne Principem Imperij ſine cauſa laceſſeret. Quòd ſi Cæſar nollet precibus acquieſcere, auxiliũ eorum ad tuendã communem libertatem implorabat. Nihil adhuc reſponſi tulit: quando conſiliũ capere ex rerũ ſuarum inclinatione neceſſe habebũt. De fœdere tamẽ nulla fiebat mentio, etſi nõ eſt à religione alienus. Angli petitio fuit vt legatio ad ſe noua mitteretur, cui adiungeretur Philippus: vt haberet cuius conſilio vti poſſet ad Eccleſiam melius conſtituendã. Non erat dubium quin legationem miſſuri eſſent Principes. Melanchthonẽ mittere non placebat, quòd mollitiẽ animi eius ſuſpectam habeant. Neque verò qua in opinione ſit aut neſcit, aut diſſimulat: tametſi mihi ſanctiſſimè deierauit vanum eſſe hunc timorem. Et ſanè vt videor mihi eius animũ perſpicere, non minus illi fidere auſim quàm Bucero: dum negotium eſt cum iis qui ſibi indulgeri aliquid volunt. Tanto enim ſtudio propagandi Euãgelij flagrat Bucerus, vt quæ præcipua ſunt contentus impetraſſe, interdum ſit æquo lenior in iis concedẽdis, quæ minutula quidem ipſe putat, ſed habent tamen ſuum pondus. Rex ipſe vix dimidia ex parte ſapit. Sacerdotes & Epiſcopos ſeueris ſanctionibus non tantùm miniſterij priuatione, arcet à coniugio: Miſſas quotidianas retinet: ſeptem Sacramenta vult ſalua eſſe: ita habet mutilum & ſemilacerum Euangeliũ, Eccleſiã verò multis adhuc nugis refertã. Iam quòd ſani cerebri non eſſe omnes vident, Scripturam vulgari idiomate haberi in regno non patitur: ac nouum interdictũ nuper publicauit, quo ab eius lectione plebẽ arcebat. Atq; vt intelligas illum non iocoſè inſanire, nuper virum quendã probum & doctum exuſſit ob negatam præſentiã Chriſti carnalẽ in pane: cuius mors ab omnibus piis & eruditis valde cõploratur. Noſtri tamẽ vtcunq; eiuſmodi facinoribus grauiter offendãtur, eius regni rationẽ habere non deſinent. Video de cõiuratione nihil ad vos perueniſſe præter obſcurũ & ambiguũ rumorẽ. Cardinalis Polus fratrẽ habebat virum & primariæ nobilitatis & authoritatis, inter primores maximé. Siquidẽ eorũ familia Regem propinqua cognatione at-

tingit: ipse verò raræ cuiusdam prudentiæ & grauitatis habebatur. Ita sibi in causa fratris moderatus erat, vt nihilo esset apud Regẽ deteriore loco. Cùm Regi minimè suspectus esset, quia palam diffidium cum fratre præ se ferebat: omnium opinionem sua calliditate fefellit. Ita inter se pepigerant, vt Cardinalis exercitum duceret per Galliam: simulatque accederet ad finem regni, tumultũ frater eius cum aliis coniuratis excitaret: quò Rex occupatus in placandis intestinis motibus, aduersus externum hostem defendere se non posset. Cardinali facilè erat armare militem Papę sumptibus. Verùm priusquam aduentaret, detecta est ab indice conspiratio. Nam quò se ritè instruerẽt, necesse habuerant complures facere cõscios. Nepos vir strenuus cùm audisset pactiones esse deprehẽsas, voluit sibi mortẽ consciscere. Sed cùm impeditus fuisset, sæuitiam quæstionis ferre non potuit. Sequuta est aliorum cõfessio: in omnes auctores vindicatũ est. Cùm tot ac tantis Dei beneficiis tam malè respondeat Rex, vereor magnopere ne tandem graues pœnas luat suę ingratitudinis. Interim dũ Francfordiæ habetur cõuentus, mortuus est ex insperato filius Georgii, qui ob insaniam vinctus custodiebatur. Si fuisset patri superstes, tutela nouis motibus potuisset præbere causam. Nũc successor est nõ dubius ille Mauricius Henrici filius, quẽ in fœdere esse suprà indicaui. Ita bona spes est, ditionẽ quã nũc tenet Georgius, statim Christi peculio accessurã. Nã Georgius ætatẽ excessit procreandæ soboli idoneã. Hac ratione vides, quantũ ad summã rerũ, pẽdere ad hũc omnia, nec certã habere inclinationẽ. Quo magis rogandus est nobis Deus, vt faustum aliquem exitum rebus tam perplexis afferat. Quid profecerim in causa fratrũ, simul quale fuerit, ac quibus de rebus meũ cũ Philippo colloquiũ, resciscres per Michaelẽ, qui antè nouẽ dies abire cõstituit. Cogor enim nunc præ tabellarij festinatione mittere dimidiatas literas. Alterã partẽ tunc excipies. Vale frater mihi amicissime. Thomã ac fratres omnes mihi saluta. Capito & Sturmius te millies salutãt. Gratia Domini nostri Iesu Christi tecum. Argentorati XVII. Calendas Apriles. M. D. XXXIX.

Caluinus tuus.

CAL. FARELLO.

NOn memini hoc toto anno fuisse diem vnũ, quo magis obrutus fuerim variis negotiis. Nã cùm hic nuncius voluerit principiũ libri mei secũ aufferre, circiter vigesimi folia relegere me oportuit. Adhæc legendũ fuit & concionandũ, scribendæ quaternæ literæ: transigẽda quædã cõtrouersia, respondendũ plus decẽ interpellatoribus. Excusabis ergo si & breuiter & minus accuratè scribo de omnibus rebus. Quid in cõuentu deliberatũ fuerit, nõ prius intelligemus ad liquidũ quàm redierit Bucerus, quem ex eius literis expectamus ante septem dies. Scripsit tamẽ nobis nunquã se vidisse paratiore animo principes nostros ad Euãgelij defensionẽ. Certè Smalcaldiæ facinus in re nõ magna ediderũt, quo prodiderũt animi sui magnitudinẽ. Erant enim illic impuræ quædã imagines, quas cũ suis altaribus diruerunt. Sustulerunt etiã in Cœna elevationẽ, quã hactenus retinuerunt. Eant nunc qui moderationes nescio quas somniãt, ad quas nos reuocent. Hoc tibi volui in gustũ præbere, vt intelligas eos procul abesse à trepidatione. Senatus quoq; noster cordatum se præbet. Nuper Abbatissam, quæ dilapidare cœperat bona monasterij, in custodiam dedit. Camera imperij Episcopi rogatu eam dimitti iussit. Contemptũ est mandatũ. Socij fœderis factũ approbarunt, & se causam recepturos testati sunt. Missus inde nũcius ad Camerã qui denũciet nõ staturũ Senatũ illius iudicio, qualecũq; tandẽ fuerit. Expectamus ergo dum lusorium suũ fulmẽ iaculẽtur. Cura obsecro vt Balliotus pecuniam mittat, vnde Vvendelino satisfiat. Non possum nũc vlterius pergere. Saluta omnes fratres diligenter. XX. Aprilis. M. D. XXXIX.

Caluinus tuus.

CAL. FARELLO.

PLus iam boni ab ista qualicũq; cõcordia sperare incipio quàm prius. Quoties reputabã quibuscũ hominibus negotiũ nobis foret: simul quàm lubricã ac fluidã eorũ fidẽ toties experti essemus, inde colligebã nos ista quoq; recõciliatione aut nihil, aut quàm minimũ profeciisse. Ad quod leges vtrinq; positæ, etiãsi nihil haberent maioris indignitatis, mihi tamen non omnino probabantur. At nunc si verũ est quod narras, solicitari ad defectionẽ duos illos, necessariũ profectò erat vel iniquis

niquis legibus inter nos transigendo, talibus malis occurrere. De firmiore autem constantia nonnullam spem concipio, quòd cùm fidem suam omnibus istic Ecclesiis obligarint, validius tenentur, quàm vt adeò ex facili dissiliant. Iam aliqua ex parte sumus assequuti quod primo loco semper quæsiuimus, vt pessima illa inter fratres dissidia, quæ Ecclesias prorsus lacerabant, componerentur. Gratiam igitur Domino nunquam satis dignam habebimus, qui sua benignitate spem quoque nostram ita superat. De reditu puto nõ procedere quod scripserat Talearis: nullũ enim verbum ex eo tempore accepi. Nec dubito quin fratres rem illã tãquam superuacuam omiserint, cùm viderunt aliundè cõtigisse remedium. Proinde quia totam actionem vel refriguisse, vel concidisse suspicor, ea cura minimè iam me solicitum habet. Nuncium porrò illum quem mihi attulerant literæ Talearis, non sine causa tantopere expauescebam. Non omnes causas tibi recensui: & paucas illas quas notabam, attigi tamen breuiter, non exposui. Certè quod de te dicebam momenti plurimum secum trahit. Nam aut ambos simul restitui, aut me per veniam restitutum videri oportet. Ita personæ indulgebitur restitutio, non causæ dabitur. Sed illa præcipuè cogitatio me consternat, dum ob oculos mihi pono in quantam voraginem ingrederer: nempe qua me absorberi totum sentiebam, cùm tamen dimidio minor adhuc foret. Habeo, fateor, hîc mea certamina, & ea quidem ardua: sed quibus exercear, non adobruar. Quanquam mihi non parum negotij futurum erat hoc Paschate, si pestis illa de qua quereris adfuisset. Aut enim ad rationem reddendam compulissem, aut ad Cœnam Domini admissus non fuisset. Vnus ex eius discipulis, ille quem voluit in Claudium Normanum stimulare, venturus erat, nisi præmonuissem vt mihi antea se purgaret, vel certè resipiscentiam promitteret. Toto mense concionem non audierat, publicum aleæ & ebrietatis veluti forum exercebat. De scortationibus etiam rumor susurrabat: & tamen prorupisset ad sacrosanctum illud mysterium, nisi viam præclusissem. Iocatus est apud eum qui denuntiabat quod volueram illi indicari, se relinquere confessionem Papistis. Respondi esse quoque genus confessionis Christianæ. Si redierit Magister, erit iam mihi professum cum eo bellum. Nec per me stetit, quominus iampridem cum eo congrederer. Ita eius impietatem palam & apertè etiam pro concione sugillabam, vt nihilominus aut ipsi, aut aliis dubius esset sermo, quàm si vel nominassem, vel digito demonstrassem. Nunc, quia Francfordiam petierat, Bucerum obsecraui vt ab eo non secus ac iurato hoste caueret. Vbi primùm se ita tractari senserit, quales turbas mihi præparantur? Ergo siue hîc maneo siue migro, multæ semper curæ, molestiæ, difficultates mihi instant. Gratum mihi esse fateor, quòd fratres tanta mei solicitudine teneri video, vt supplere nostram inopiam de suo parati sint. Non enim fieri potest quin tali amoris testimonio delecter. Verùm tua & illorum beneficentia decreui abstinere, nisi quæ maior necessitas compulerit. Dabitur mihi à Vvendelino typographo, cui libellum nostrum commisi imprimendum, quantum ad extraordinarios sumptus sufficiet. In libris meis qui adhuc sunt Geneuæ, erit vnde hospiti meo satisfiat vsque ad hyemem proximam: in posterum Dominus prouidebit. Cùm innumeros aliquando amicos in Gallia habuerim, nemo fuit qui assem mihi obtulerit: & tamen si fecissent, poterant frui gratuita beneficentiæ iactantia: nihilo enim illis constitisset offerre quod non acceptassem. Exciderat mihi Ludouicus, ille vnus fuit qui obtulit: sed ipse quoque suam largitionem nimis magnò venditabat: siquidem me tantùm non ad recantandum hortabatur. Certè clara voce fuisse me Ecclesiæ transfugam pronuntiabat. Respondi quod debui talibus literis: vereor tamen ne literę interciderint. Tua igitur ac fratrum beneuolentia in prę-sens contentus ero: facultates experiar, siquando erit necesse. Ac vicissim rogo vt pro ista in me vestra humanitate, animi gratitudine contenti sitis. Dolet mihi periisse coronatum: sed est cur socordiam hîc meam accusem, nisi quòd pudore retineri posse arbitrabar, ne sic abuteretur. Placet maximè vestrum de Claudio consilium, vt antequam magis adoleuerit, aut etiam induruerit barbaries, quæ manent scintillæ adhuc bonæ institutionis in illa pueritia, eius opera excitentur. Sed quid fidem meam appellas in adiuuando fratrum conatu ad instaurandam disciplinam? Ad quos enim scriberem, aut quo stilo? Quare aut viam mihi aperi, aut ne expectes dum me temerè ingeram. Nuper Philippo in faciem non dissimulaui, quin mihi admodum illa ceremoniarum copia displiceret. Videri enim mihi formam quam tenent, non procul esse à Iudaismo. Cùm rationibus instarem noluit mecum de eo contendere, quin ni-

mis abundarent in ritibus illis aut ineptis,aut certè ſu peruacuis. Sed dicebat id dandum neceſſariò fuiſſe Canoniſtarum qui illic ſunt obſtinationi. Cæterùm nullum eſſe in Saxonia locum qui non magis exoneratus eſſet Vvitemberga: & eam ipſam paulatim ex tanta farragine multa abſciſſuram. Clauſula autem erat, Luthero non magis probari quas coactus retinuiſſet ceremonias, quàm noſtram in illis parſimoniam. Vtinam verò perſpectum optimo N. eſſet, quantum ſit in Philippo ſynceritatis. Certè exueret protinus omnem fraudis ſuſpicionem. Quòd Bucerus porrò defendit Lutheri ceremonias,non ideo fit quòd appetat, aut inuehere eas moliatur. Cantum Latinum adduci nullo modo poteſt vt probet: ab imaginibus abhorret. Alia partim contemnit, partim non curat.Sed non eſt timendum vt quæ ſemel abrogata ſunt, rurſus poſtliminio reducat.Tantùm non patitur,vt ob externas illas obſeruatiunculas à Luthero diſiungamur.Nec ſanè iuſtas eſſe puto diſſidij cauſas.Fœdus Germanicũ nihil habet quod debeat pium pectus offendere.Cur enim quæſo quas dedit eis Dominus vires non coniungant ad communem Euangelij defenſionem? Cæterùm in ſocietatem ſuam aut vi, aut quauis neceſſitate neminem pertrahũt. Quin potius ſunt Ciuitates Euãgelicæ quibus magis placuit fœdus cum Papiſtis,& ipſis adeò epiſcopis,vt Nuremberga. Vtinam ſciret N. quibus artibus nuper tentati ſunt in conuentu, & qua conſtantia reſtiterunt. Nihil magis conabatur Cæſaris legatus, quàm vt eos ab Helueticis Eccleſiis diſtraheret. Neque tamen eas nominabat: ſed exigebat ne Sacramentariorum cauſam ſuſciperẽt.Reſponderunt ſibi fraternam eſſe communionem cum iis quos ille Sacramentarios vocabat.Iam in vltimo actu quantum animi oſtenderunt? Imponebat legem Cæſar vt neminem reciperent in fœdus inter eas quas cum ipſis paciſcebatur inducias: conſenſerunt: ſed hac conditione, vt ſiqui reciperent Euangelium, eſſent tuti etiam extra fœdus. Quod ſi impeterentur, profeſſi ſunt ſe habituros pro fœderatis qui cauſam Chriſti ſuſtinerent.Id quoque mutuum petebant à Cæſare, vt nulla inter id tempus fœdera fierent aduerſus Euangelium. Volebat Cæſar vt Sacerdotibus manerent opes Eccleſiaſticæ vſque ad induciarum finem. Annuerunt nomini, modò Eccleſiis & ſcholis proſpiceretur: atque illic ad extremum perſtiterunt. Quid ſi referam inſignem ciuitatis huius fortitudinem? Nam cùm allatæ eſſent Cæſaris conditiones, vt irrita fierent fœdera quæ poſt Nurembergenſem conuentum inita fuerant,& ne poſthac noua ferirentur inter noſtros,vtque vtraque pars integra maneret vſque dum habito colloquio Germanica Eccleſia reformaretur: factum eſt extemplo Senatuſconſultum,quo edicebant ſe potius viſuros vt liberi & vxores in conſpectu ſuo necarẽtur,vt facultates omnes diſperderẽtur,excinderetur vrbs,ipſi deniq; ad internecionẽ omnes caderent, quàm admiſſuros eas leges, quibus Euangelio Chriſti via præcluderetur. Mi Farelle, cogita an non faciamus iniuriam talibus viris,qui otioſi eos criminamur,dum periculo aut terrore quouis dimoueri ſe à recta linea non ſinunt. Itaque iam res proculdubio ad certamen vergit: & iam impreſſio facta eſt in agrum Luneburgenſem.Noſtrum eſt, inquis,cauere diligenter omnia quibus in bonorum ac piorum offenſionem incurramus. fateor: ſed bonorum eſt viciſſim cauere, ne temerè ac citra rationem offendantur. Interim dum ſcribo,diſcipulus ille,cuius memini,redire in gratiam cupit, ac Claudium vltrò ſequeſtrem conſtituit. Spero Dominum daturum vt contumaciam retundamus ſeuera lenitate.Bene eſt quod à Cœna Domini abſumus quindecim adhuc diebus, vt eius experimentum antè capiatur. Saluta mihi amiciſſimè Thomam & reliquos fratres. Dominus vos omnes ſibi conſeruet diu incolumes & vnanimes. Date operam vt precibus intentæ ſint Eccleſiæ, quando ſic vrgent nos vndequaque diſcrimina. Scripta Aprili. M. D. XXXIX.

Caluinus tuus.

CAL. FARELLO.

SAlue optime ac mihi ac dulciſſime frater. Quæ mihi per literas ſignificaſti, intelligere mihi gratum fuit,etiamſi parum læta ſint magna ex parte. Nam nec ignorare iuuat, & ſcire vtile eſt. Ad ſingula tamen reſpondere nihil intereſt. De Claudio nihil audebam diuinare,ne me coniectura falleret.Nunc ex principiis iudico qualis futurus ſit in reformanda illa Eccleſia ſucceſſus,niſi Dominus ex inſperato affulſerit. Quod ſi bona fide ſe geſſerint noſtri

ſtri ſucceſſores,intra exiguum tempus ſentiẽt plus ineſſe difficultatis quàm cogitarant. Fortaſſe & nobis reddere teſtimonium cogẽtur bene ac fideliter geſti muneris. Quòd zelo tuo moderantur,nihil mirum.Nondum enim ita incaluerunt, vt vel ignauiam tuã currendo aſſequantur. Tu autem vide quid temporis ratio ac neceſſitas poſtulet.: atque ad eam amuſſim zelum tuum compone. De Paterniacenſi Eccleſia Sonerio offerenda fuiſſe cogitatum, mihi nullo modo probatur. Peſſimum enim exemplum eſt, vt à ſuis Eccleſiis abſtrahantur fidi Paſtores,quo aliis locus vacuus relinquatur. Si Richardus manet qualis erat,& tamen diſplicet,neſcio quos amare debeamus. Ego certè pluribus Soneriis longè præferre ipſum non dubitem. Nunc quoque dum audio falſò atque immeritò ad te delatum, non poſſum facere quin ſuſpicer aliquid malicioſè atque ex compoſito hîc eſſe factum. Multùm nec ſine cauſa hodie de miniſterij contemptu querimur : & ipſi ſæpe inſanientem populum noſtra vel ſtultitia vel cupiditate armamus.Nunquàm mihi placuerunt artes illæ,vt alter in alterius locum arrogari affectaret:quod fieri his oculis palàm animaduerti in alia cauſa. Hæc mi frater, tecum loquor, ne dum omnia ſincerè fieri pro tuo candore putas, videaris conniuendo malis artibus ſuffragari.Neque etiam velim aliquem odioſius grauare dubiis mihi criminibus:ſed pro noſtra amicitia proferre liberè non dubito quæ timeo magis quàm credo. In eum locum aſſumptum eſſe placet,quem ſine noxa potuit occupare. Zebedæum adeò inclementer tractari mihi plurimùm dolet. Neque,mihi crede magnam gratiã à Bucero ineunt,qui tanta tyrannide libros eius defendunt. Multò placidius fert ipſe meam libertatem quoties ab ipſo diſſentio. Quanquàm de iis mallem tecum potius coràm: quod futurum ſpero,niſi modicum laborem detrectaris. Indicaui Bucero tecum iniquiſsimè agi,quòd omnes eius amici tibi infeſti eſſe perſeuerarent: qui verò amici antea fuerũt, eius cauſa nunc abs te ſint alienati. Ingemuit grauius quàm ſperaueram. Cùm remedium quæreret, reſpondi vulnus eſſe ipſo attactu periculoſum: ergo ſineret,donec melior ratio nobis appareret. De coniugio nunc apertius loquar. Ante Michaelis abitum neſcio an mentionem aliquis fortè intulerit iſtius de qua ſcripſi: verùm ſemper memineris quid in ipſa quæram: non enim ſum ex inſano amatorum genere, qui vitia etiam exoſculantur, vbi ſemel forma capti ſunt. Hæc ſola eſt quæ me illectat pulchritudo,ſi pudica eſt,ſi morigera,ſi non faſtuoſa,ſi parca,ſi patiens, ſi ſpes eſt de mea valetudine fore ſolicitam. Ergò ſi putabis conducere, accinge te,ne quis alius anteuertat. Sin aliud cenſes, omittamus. Nihil poſthac ſcribam donec veneris. Venies autem nobis omnibus exoptatiſſimus. Age,animum tuum hac prefectione mirum in modum explicabis. Et tamen nihil obſtat quominus ſcribas dum te comparas ad profectionem. Omnes te pluſquàm amicè ſalutant, Capito,Bucerus,Sturmius,Pedrotus, Gaſpar & Galli quos non nomino, quia nomina non tenes. Fratres omnes mihi ſaluta.Dominus vos omnes ſibi ſuæq; Eccleſiæ diu ſeruet incolumes. Argentorati, XIX.Maij M.D.XXXIX.

Caluinus tuus.

CAL. GENEVENSI ECCLESIAE. *Ex Gall.*

Miſericordia Dei noſtri,& gratia Domini Ieſu Chriſti vobis multiplicetur per Spiritus ſancti communicationem.

NIhil mihi maiorem triſtitiam attulit,dilectiſſimi fratres,poſt eas turbas quæ tam miſerè diſſipauerant & penè euerterant veſtram Eccleſiam,quàm vbi intellexi veſtra iurgia & concertationes cum miniſtris ipſis qui nobis ſucceſſerunt. Quamuis enim præpoſteritas illa quæ cum illorum primo aditu coniuncta etiamnum remanebat, meritò vos poſſet offendere, quæcũque tamen occaſio ſubſit, non poſſum ſine magno & intimo horrore audire aliquod in Eccleſia ſchiſma reſidere. Quare hoc mihi longè fuit acerbius quàm verbis aperire poſſim,quod audiui de veſtris illis contentionibus quandiu in incerto ſtatu verſati eſtis: cùm ea occaſione non ſolùm Eccleſia veſtra ſciſſa eſſet, apertè omnino, ſed & ipſum miniſterium Eccleſiaſticum opprobrio & contumeliæ expoſitũ. quod eſt infiniti cuiuſdam momenti. Cúmque per illam ἀταξίαν quæ nunc adhuc viget in Dei Eccleſia de remedio præſenti pro morbi ratione minus ſpei haberem, accepi cum ſummo gaudio

malum illud in certam vnionem & consensum commutatum esse: cùm statuerem ita factum iri vt quisque in viam rediret, atque ita regnum Domini nostri Iesu Christi promoueretur. Vbi enim sunt rixæ & discordia, vix vlla est spes est proficiendi in melius. Cùm igitur fructum certum ex illa conciliatione mihi sponderem, facilè sum adductus vt ad illius quoque confirmationem me adiungerem. Si enim in mediis ipsis grauissimis tempestatibus conscientiæ meæ iuducio & certo proposito semper ad Ecclesiæ communionem faciendam & conseruandam studia mea contuli, tanto magis testificanda mihi erat propensio animi mei erga pios ipsos, vbi tam apposita ad eam rem se occasio offerebat. Ac videbam sanè res ita tum dissipatas, vt mihi non ita procliue videretur eas in integrum statum reponi atque restitui. Vtcunque sit, optatissimam illam & valdè opportunam occasionem iudicabam à Domino oblatam ad Ecclesiam vestram restituendam. Nunc verò, vbi contra meam illam expectationem audiui conciliationem illam inter Pastores vestros & vicinas Ecclesias, à Farello etiam & à me ratam habitam, idoneam non fuisse ad vos sincero amicitiæ affectu & legitimæ coniunctionis vinculo cum vestris Pastoribus quibus animarũ vestrarum cura mandata est, colligandos, coactus fui ad scribendum me conferre, vt conarer, quantum in me esset, medicinam huic malo facere, quod dissimulare sine graui erga Deum offensione non possem. Et quanuis literæ meæ non valde amanter à vobis iam acceptæ fuerint, nolui, tamen officio meo deesse, vt si nihil amplius assequerer, saltem animam meam liberarem. Nec tamen in dubium adduco quæ sit vestra mihi comperta propensa obedientia erga Deum & ministros ipsius, vt hanc meam exhortationem apud vos nullius ponderis futuram verear, neque etiam vos latet mea erga vos sinceritas. Quòd verò non est meum à vobis admissum consilium, tempori magis imputandum duco, cùm res ita essent perturbatæ, vt quàm difficilè esset statuere quid expediret. Nunc vbi res per Dei gratiam magis sunt sedatæ & compositæ, confido vos facilè perspecturos, nõ aliud mihi esse propositum quàm vt vos perducam in rectam viam: vt ita de me persuasi reipsa exhibeatis quo affectu ducamini ad obediendum veritati. Imprimis expendite quæso sepositio omni personarum respectu, quo honore affecerit & quid contulerit illis Dominus quos in Ecclesia sua instituit Pastores & verbi Ministros. Non modò enim iubet nos obsequentes præstare cum metu & tremore verbo ipsius dum nobis adnunciatur: sed etiam honore & reuerentia prosequendos mandat verbi ministros, tanquam ipsius legatione ornatos, & quos agnosci velit vt suos etiam Angelos. Sanè, quãdiu apud vos fuimus, non multũ vobiscum contendimus de ministerij nostri dignitate, ne suspicioni vllam fenestram aperiremus: nũc verò extra illud periculum positus, liberius quod sentio proferam. Si mihi agendum esset cum ministris ipsis, docerem quæ esset muneris illorum ratio, & ad quid nobis suo ministerio teneantur. Cùm verò pro se singulis tum ministris tũ priuatis ratio reddẽda sit vitæ suæ tandẽ, magis est vt in sese quisq; intueatur quid aliis debeat, quàm quid sibi debeatur ab alio diutius requirat. Vbi illa consideratio locum habebit inter vos, tum etiam hæc regula fixa hærebit, nempe eos qui locum ministrorum verbi tenent, quando regimen animarum vestrarum ipsis est commissum, agnoscẽdos esse vobis parentum loco, & in pretio habendos atque honorandos propter illud munus quo funguntur apud vos ex Domini vocatione. Nec tamen id eo spectat vt auferatur ius illud vobis à Deo collatũ (vt & suis omnibus) vt examini subiiciantur Pastores omnes, vt discernantur probi & improbi, atque reprimantur illi qui sub larua pastorum lupinam rapacitatem prodiderint. Tãtum hoc volo apud illos qui partes Pastorum implent aliquatenus, vt sint tolerabiles, vt vos etiam Christianè geratis, ac proinde magis rationẽ habeatis eius quod à vobis debeatur aliis quàm quod ipsis vobis alij debeant. Atque apertè hoc & paucis expediam. Duo hîc vobis cogitãda sunt, Vnum, quod ministrorum vestrorũ vocatio non accidit sine Dei volũtate. Quãuis enim mutatio illa quæ nostro discessu facta est, Diaboli artificio deputanda sit, vtquidquid eam est cõsequutũ vobis meritò suspectũ esse possit: in ea tamẽ singularis Domini gratia agnoscenda vobis est, qui destitui vos planè non sustinuit: neque vos relabi sub Antichristi iugum, à quo vos semel asseruit. Sed potius & doctrinam Euãgelij apud vos extare adhuc voluit, & aliquã Ecclesiæ formam vigere, vt pacata conscientia agere istic liceret. Admonuimus vos semper vt agnosceretis illam Ecclesiæ vestræ euersionem vt visitationem Domini & vobis & nobis necessariam: neque tam attenderetis ad improbos & Satanæ instrumenta, quàm ad propria peccata, quæ non leuiorem pœnam, imò

Mal. 2. 7.
2. Cor. 5. 20.
1. Thes. 5. 13

imò longè etiam grauiorem commerita sint. Idem igitur vobis nunc etiã suggero. Præterquam enim quod illud est singulare remedium & appositum ad obtinendam à Domino misericordiam & relaxationem ab illius iusto iudicio quod incumbit vobis, alia etiam ratio subest, quæ huc vos debet adducere: ne videlicet obliuioni mãdare videamini tantum illud Domini erga vos beneficium, quo factum est vt ædificium Euangelij planè non corrueret apud vos, cùm illud ita substitit, vt miraculi loco habendum sit exemplum illud potentiæ ipsius, qua vna ab extrema calamitate tantùm abfueritis. Quicquid sit, Dei prouidentiæ opus illud est quòd extant ministri istic qui locum pastorum animarum & Ecclesiæ vestræ regimen teneant. Accedit & illud quod serui Dei qui verbi ipsius ministerium exercent in vicinis Ecclesiis, vt moderentur tam perniciosis concertationibus, ipsi illorum vocationem comprobauerunt. Quorum etiam sententiæ subscripsimus, cùm nulla nobis alia melior ratio appareret qua vestro commodo & saluti consuleremus. Quin integritas conscientiæ nostræ comperta sit vobis non dubito, vt statuere debeatis hîc nihil non ex animo & sincerè factum esse. Præter affectum verò, ipsa etiam rei disquisitio perinde sincera ex me quidem fuit, vt nihil hîc inuolutum à me habeatis. Quare vobis seriò prospiciẽdum est ne facilè improbetis quòd Dei serui ad vestrum & Ecclesiæ commodum & conseruationem esse necessarium iudicarunt. Alterum est vt inspiciatur quàm legitimè fungantur partibus suis, vt ministerium Ecclesiæ impleant. Atque hîc, fateor, discretio planè requiritur (neque auctor velim esse tyrannidis vllius in Ecclesiam inuehendæ) vt pij homines tencantur pro pastoribus qui vocationi suæ non insistant. Est enim illa indignitas non ferenda, si certis personis illa reuerentia & obseruantia deferatur, quam Dominus ipse vnis verbi ministris adsignatam voluit. Proinde facilè vobis concedo de eo qui non docuerit verbum Domini nostri Iesu Christi, quemcunque titulum vel prærogatiuam obtendat, indignum esse qui pro Pastore habeatur, vt illi obedientia ministerio debita exhibeatur. Quia verò mihi cõstat de fratribus nostris qui apud vos hodie ministerij locum tenent, doceri vos Euangeliũ per illos, non video quid excusare liceat corã Domino, dum illos negligetis aut reiicietis. Siquis respondeat hoc vel illud in eorũ doctrinâ vel moribus sibi non placere, primùm à vobis contendo per Dominum nostrum Iesum Christum, vt quicquid esse potest seriò expendatis primùm & sine vlla iudicij præcipitatione. Cùm enim hoc singuli nobis vicissim debeamus ex officio charitatis ne temerè in alios feramus sentẽtiam, sed potius clementiam & æquitatem retineamus quantum in nobis erit, multo magis illa moderatio obseruanda est erga illos quos Dominus peculiariter eminere præ aliis voluit. Atque etiamsi non desit quod in illis requiri possit (de quo non possum pronuntiare, cùm de eo mihi non liqueat) vobis tamen succurrere debet, neminem adeò bene comparatum inueniri, in quo non sint etiam multa quæ desiderentur. Quare illa charitatis regula à nobis non præstatur, nisi sustineamus proximos cum ipsorum infirmitatibus, dummodo verum Dei timorem in illis agnoscamus, & sincerum affectum sectandæ ipsius veritatis. Postremò dubitare non possum quod ad ipsorum doctrinam attinet, quin fideliter vobis tradant præcipua Christianæ religionis capita & quæ ad salutem sunt necessaria, ac simul administrationem Sacramentorum Domini coniungant. Hoc vbi locum habet, illic & substãtia ipsa ministerij à Domino Iesu Christo ordinati viget, & legitima dignitas & obseruantia illi ministerio est deferenda. Nunc igitur, dilectissimi fratres, oro & moneo vos in nomine & virtute Domini nostri Iesu Christi, vt auersis ab hominibus animis & mentibus ad vnicum illum Redemptorem nos attollamus, illudque reputemus quantum sacris ipsius mandatis deferre teneamur. Ac si quicquid ille inter vos instituit, inuiolatum meritò esse debet, nulla ratio vos potest demouere ab officio, vt ministerium, quod tam seriò vobis commendat, sartum tectúmq; nõ seruetis. Iam si disceptatis & contenditis cum vestris pastoribus ad rixas vsque & conuicia, vti accidisse audio, satis constat ea ratione ministerium ipsorũ in quo elucere debuit splendor gloriæ Domini nostri Iesu Christi, opprobrio & contumeliis subiici, ac tantummodo pedibus calcari. Vestrum est igitur attentè illud cauere ne dũ hominibus insultare videmini, Deo ipsi bellum reipsa indicatis. Neq; porro illud leuis momenti videri vobis debet quod fiant & foueantur in Ecclesia schismata & sectæ, quod nullum pectus Christianum sine horrore etiam auribus haurire possit. Quin verò ita se res habeat vbi eiusmodi separatio est & quasi secessio inter pastorem & populũ, res ipsa loquitur. Tãdem igitur hoc accipite, si me à vobis pro fratre haberi vultis, vt

solida sit inter vos quæ tanto nomini respõdeat coniunctio, ne ministerium illud repudietis quod pro vestro commodo & Ecclesiæ salute coactus fui approbare sine vllo gratiæ vel metus hominum respectu. Quia verò totum illud tempus quo fidelis & pius collega meus in Domino hic fuit quia mihi per ordinarias occupationes licuit, colloquendo consumptum est, non potui vobis plenius scribere, vt volebam. Quare sic inter nos conuenit, vt ego quidem paucis traderem vobis rectam viam quam hîc teneretis, ipse autem prout expedire iudicaret vos ad officium coram adhortaretur. Hîc igitur vobis amantissima salute à me adscripta, Dominum Iesum oro vt vos sancto suo præsidio protegat, vos suis donis magis ac magis cumulet, vestram Ecclesiam in rectum ordinem restituat, ac vos in primis Spiritu suæ mansuetudinis impleat, vt in vera animorum coniunctione omnes ipsius regno promouendo impèndere possimus. Argentinæ. M. D. XXXIX. XXV. Iunij.

Vobis deditissimus I. C.

Leo Iudae Calvino.

Gratiam & vitæ innocentiam à Deo Patre per Christum.

Superioribus annis, vir doctissime, epistolas duas dedisti non tantùm doctas, sed etiam valdè vtiles & necessarias, maximè præsenti rerum statu. Has ego ambas verti Germanicè, vt & ij fructum harum perciperent qui Latinè ignorant. Altera quam ad Episcopum scripsisti, Basileæ excusa est mea opera: alteram noluerunt excudere typographi, metu periculi fortasse deterriti. Nam in hac liberrimè & pro Christiana παῤῥησίᾳ loqueris quo pacto se gerant qui sub Papæ tyrannide viuere ac degere coguntur, damnans interim eos qui vtroque genu claudicant, & non tam Deo quàm Papæ seruire volunt, putantes satis esse si Fidem corde veram & inconcussam seruent: etiamsi corpus sanguine Christi cõsecratum foris idolis prosternant & inclinent, consortes simul Satanæ & Christi, si fieri posset. Hanc ergo receptam Zuikio misi Constantiensi, qui eam non sine gratulatione legit, rogans vt sibi per me liceret vt Augustam eam epistolam mittat excudendam: se scire quendam qui eam typis mandare velit, modo auctoris nomen (quod ego tuo bono in versione suppresseram) permittatur præfigi. Hîc ego pro te nihil dicere potui vel asserens vel negans: statui ergo expiscari literis tuam voluntatem, eámque à te receptam Zuikio rescribere. Tu ergo frater, si consultum reipub. Christianæ velis, & succursum multorum conscientiis, non negabis vt præfigatur nomen tuum, quum alea semel iacta sit. Non enim te eum puto qui ob declinandam inuidiam aut periculum, tãtum fructum impedire velis. Non dubito si liber hic euulgetur, multos fore qui abiecto iugo Pontificio & excusso metu in castra Christi libero spiritu sunt aduolaturi. Tu vale doctissime vir, & mentem tuam hac in re mihi literis significa primo quoque tempore. Tiguri, vltima Februarij. M. D. XL.

Leo Iudæ tuus.

Iacobvs Bernardvs Calvino.

Vòd ad te hucusque nõ scripserim, præcipuè per Ludouicum du Four legatum Geneuẽsem, ne putes propterea factum venerande ac obseruande pater, quòd aut dedignatus sim, aut tua redintegratio mihi displiceret. Hanc idcirco nũc ad te dedi, vt certò scires primùm me tũ nõ adfuisse Geneuę: petieram enim Lausanã, consulturus D. Petrum Viretum super nonnullis quæ ad Ecclesiæ nostræ statum pertinebant, ac præterea quàm bono erga te sim ac Christiano animo & quantum mihi placeat quòd videam te denuò à nostris agnosci bonum Pastorem ac fidelem: potissimũ quòd hoc sciam via Spiritus sancti actum. Siquidem vna dierum Dominica quum haberem concionem apud Rippam, & viderẽ Ecclesiam nostram desolatam (abierant enim qui curam ipsius susceperant, Morentus videlicet & Marcutius: remanserat verò solus Henricus mecum. Sed qui sumus pro tanto populo soli regendo) continere me non potui quin populum in lacrymas effusum videns admonerem, vt cõuersus ad Dominum Deum humili oratione per Christum Pastorum

ſtorum Paſtorem ab eo imploraret Paſtorem,& quidem talem qualem agnoſceret ſuæ profuturum Eccleſiæ. Et ne mẽtiar, tui non recordabar,nec te illum ſperabam fore.Fecit hoc populus maxima vt dicitur cum deuotione. In craſtinum verò Ducẽtorum cõgregatur cõſilium,& omnes petunt Caluinum : congregatur & generale ſequenti die, itidem clamãt omnes, Caluinum probum & doctum virũ Chriſti miniſtrum volumus. Quod cùm intellexiſſem non potui non laudare Deum alitérque iudicare quàm quod à Domino eſſet factum iſtud, & eſſet mirabile in oculis noſtris : quódque lapidẽ quem reprobarant ædificantes in caput fieret anguli. Veni ergo venerande mi pater in Chriſto:noſter es profectò. Te enim nobis donauit(vt audis)Dominus Deus. Suſpirãt etiam poſt te omnes,videbis quàm gratus fuerit aduentus tuus omnibus quòd benignè recipieris.Cognoſces me inſuper non qualem hactenus relatione quorundam. Putaſti(parcat illis Dominus) Sed pium, ſincerum ac fidelem fratrem ac amicum tuum. quid dico? in omnibus tuis votis obſequentiſſimum ac deditiſſimum. Ne ergo tarderis venire vt videas Geneuam,hoſt eſt gentem nouam renouatam ſanè opera Dei,gratia D. Petri Vireti.Faxit Dominus Ieſus vt velox aduentus tuus ſit ad nos. Vale Eccleſiæque noſtræ digneris ſuccurrere .Alioqui requiret de manu tua ſanguinẽ noſtrum Dominus Deus, dedit enim te ſpeculatorem domui Iſrael quæ apud nos eſt. Iterum vale. Salutabis nomine meo ſi placeat obſeruãdos illos Patres meos ac Dominos, D.Bucerum ac D.Capitonem,cæteróſque Eccleſiæ illius miniſtros. VI. Febr.anni M. D.XLI.

Tuus Iacobus Bernardus Miniſter Euangelicus Geneuæ.

BVCERVS ARGENTORATENSI ECCLESIAE,

Salutem & Pacem.

ADatis proximis literis,nil quàm coitionibus in diuerſoriis Electorum Saxonis & Brandemburgenſis ac Lantgrauij faciendis(ad quas ex Imperatoriis & Regiis multi conuenerunt) operam dedimus. In die Paſchæ etiam Cœnam in diuerſorio Lantgrauij celebrauimus, communicante ipſo quoque Lantgrauio.Hæc vſque ad XX. huius, quo die Imperator delectum colloquiorum enũciari fecit noſtris,& legatis Electorum. Poſtridie indicatus is delectus eſt, & toti cœtui Imperij,& de eo conſultatum vtrinque.Electores ſtatim conſenſerunt,ſed in conſilio principum non potuerunt ſtatim conuenire. Quidam enim etiam legatum Pontificis adhibendum eſſe contendebant:ſed prævaluit tamen ſententia Electorum, vt Imperatori omnia relinquerentur. Noſtri etiam biduo conſultarũt quòd delecti nos ſine arbitris congredi cum tribus alterius partis detrectabamus, & quidam noſtrum differri negotium noua interceſſione nolebant, ac metuebant ne à parte altera ineptiores adiungerentur.Tandem tamen vicit heri eorum ſententia qui noſtram ſupplicationem quam in Cancellaria inuenietis Imperatori adhibendam iudicarunt. Ad veſperã heri ſub tertiam appellauit nos ſex delectos Imperator apud ſe per Dominum Anaues aſtantibus primis conciliariis,& negotium dedit vt omni ſtudio vias quæreremus piæ & ſanctæ concordiæ, eóque in negotio tantùm Deum & Eccleſiarum ſalutem ſpectaremus , non dominos noſtros aut vllum affectum. Nos poſt detrectationem modeſtam petiuimus adiungi quoſdam,vt teſtes vtrinque. Id Imperator in deliberationem recepit,& ruſſus grauiter hortatus eſt,vt hanc cauſam optima fide ageremus.Dedítque dextram venientibus & diſcedentibus vt hoc non ignoretis ſcilicet.Inuenit tamen viã vt nobis ſatiſfiat,quam poſt noſtram appellationẽ Lantgrauio aperuit.Vt adhibitis vtraq; parte duobus teſtibus , per Præſidentem quem deſignauit Friderichum Palatinum. Orate Dominũ. in horam expectamus vt initium fiat.Delecti ſunt ab altera parte , Iulius Pflououus,Ioannes Eckius,& Properus Coloniẽſis.A noſtra Philippus, Piſtorius & ego. Vt vigeſima ſecunda April. M. D. XLI.

LVTHERVS MELANCHTHONI.

ACcepimus iam alteras veſtras literas,mi Philippe. Et licet dextræ tuæ confractæ me miſereat,tamen ego neque tuis omnibus,neque meis credo. Res noſtræ non caſu,ſed certo conſilio,non quidem illo noſtro tam fœlici,ſcilicet,

immò ſolius Dei geruntur. Verbum currit, oratio feruet, ſpes tolerat, fides vincit vt palpare cogimur,& niſi caro eſſemus, dormire poſſemus feriaríque, ſcilicet memores Moſaici illius, Vos quieſcetis, Dominus pugnat pro vobis. Nam etiãſi omnia aliter velimus conſulere,dicere,facere, vigilantiſſimi, ſi Deus non pugnarit, fruſtra vigilauerimus:illo verò pugnante,non fruſtra dormierimus.Et certum eſt ipſum pugnare,& paulatim & pedetentim deſcendere de throno ad iudicium illud expectatiſſimum. Multa ſunt nimis ſigna quæ id mihi perſuadent.Res in domibus veſtris ſaluæ ſunt, gratia Dei. Nolite timere, Eſtote fortes & læti, nihil ſoliciti. Dominus prope adeſt. Agant quicquid poſſunt Henrici, Epiſcopi,atque adeò Turca, & ipſe Satan. Nos regni filii ſumus, qui illum conſputum & occiſum denuo ab iſtis Henricis,Saluatorem colimus & expectamus. XXII. Aprilis. M. D. XLI.

CAL. FARELLO.

NOn dubito quin fratribus quicunq; me ad reditum per literas hortati ſunt, diligenter excuſaris, quòd nihil eis reſponderim. Noſti enim me eo biduo tanta animi perplexitate æſtuaſſe, vt vix dimidia ex parte apud me eſſem. Poſtea tamen vt tibi morẽ gererẽ,aliquid ad eos in cõmune ſcribere conatus ſum:ſed poſtea cùm cogitarem quid euenire ſoleat cõmunibus iſtis literis,mutaui conſilium. Nam quod ad paucos miſſum eſt, volitat ſtatim per multorum manus,donec paſſim fuerit euulgatum. Hæc igitur mihi ratio fuit, vt tibi vni ſcriberẽ: ne alios adhibeas lectores quàm à quibus videbis nihil eſſe periculi. Cur autem nolim latius diſſipari,quod in ſinum tuum depono,intelliges vbi ad finem peruueneris.Tametſi animi mei ſenſum penitus tenere te confido, & aliis etiam bona fide expoſuiſſe, breuiter tamen hîc repetam qualiter hodiéq; ſim affectus.Quoties memoria repeto,quàm miſerè illic habuerim, fieri nõ poteſt quin toto pectore exhorreſcam,vbi agitur de me reuocãdo.Illam inquietudinem omitto,qua ſurſum deorſum iactati perpetuò fuimus, ex quo tibi adiunctus ſum collega:ſcio enim quocunque concedã mihi infinitas moleſtias eſſe propoſitas: ſi velim Chriſto viuere,hunc mundum mihi ſemper fore turbulentum:vitam præſentem certamini eſſe deſtinatam.Sed dum cogito quibus tormentis ex cruciata tum fuerit mea conſciẽtia,& quibus curis æſtuarit, ignoſce ſi locum illũ velut mihi fatalem,reformido.Tu ipſe mihi vnà cum Deo optimus es teſtis,non alio vinculo me illic tandem retentum,niſi quòd ingum vocationis,quod mihi à Domino impoſitũ eſſe nõueram,non audebam excutere. Quandiu igitur ſic eram alligatus, malui extrema quæuis perferre, quàm in mentem recipere cogitationes mutandi loci,quæ ſæpe alioqui mihi obrepebant.Iam verò vbi Dei beneficio ſemel ſum liberatus,ſi in gurgitem quem mihi exitialem eſſe ſum expertus, non libenter me immergo, quis mihi non veniã concedat?imò verò quotuſquiſque erit,qui non me arguat nimiæ facilitatis,ſi ſciẽs ac volens me præcipitem dedero? Quid autem quòd etiam ſi nullo meo periculo abſterrear, miniſteriũ tamen meum illis vtile fore vix confido? Nam quo ingenio prædiți ſunt illic plerique? neque ipſi mihi tolerabiles erunt, nec ego ipſis.Adde quod mihi maius ac difficilius certamen erit cum collegis quàm cum extraneis.Quid vnius hominis opera poterit,tot vndiq; impedimentis fracta? atque vt verum fatear etiamſi omnia valde expedita mihi forent: neſcio qua tamen deſuetudine oblitus ſum artes regẽdæ multitudinis.Mihi hîc cum paucis negotium eſt, & quorum pars maior me nõ tantum vt paſtorem audit,ſed vt præceptorem obſeruat.Dices me nimis eſſe delicatum,qui his blanditiis delibutus nullam aſperiorem vocem nunc audire ſuſtineam. Falleris verò ſi hæc putas,ſed cum paucis atque his nonnihil obſequentibus,bene præeſſe mihi arduum ſentiam: ad tantã multitudinẽ continendã qui ſufficerẽ?Quo autẽ cõſilio me reuocẽt,vix audeo apud me æſtimare:nã ſi ſincero animo ducũtur, cur me poti⁹ quàm eũ cuius miniſteriũ non minus neceſſariũ ad inſtaurãdã ipſorũ Eccleſiã eſſet,quàm principio ad eam fundandã fuit? Quid ſi me ideo vocant ne illis ſint ludibrio,quòd ſint ab iis deſtituti,quorũ ſubſidio freti nos ablegare auſi fuerãt? Neq; tamẽ iſta omnia efficiũt,ne vocationi obtemperẽ.Nam quo magis ab illa prouincia animus meus abhorret,eo magis mihi ſum ſuſpectus.Itaq; nec mihi debere deliberare permitto, & à noſtris peto ne me in cõſultationẽ adhibeant:ac quo liberius ſinceriúſq; ſtatuant,magna ex parte iſtos cordis mei æſtus diſſimulo.Quid facerẽ?Malo enim prorſus cæcutire. vt me ab aliis regi patiar,quàm lippitudini meæ temerè fidendo aberrare.Porro ſi te interrogem, quo-

rum

rũ maxime arbitrio permittere me debeã: respõdebis, nisi fallor, non alios esse ad consulẽdũ mihi magis idoneos, quàm Capitonẽ & Bucerũ. Quid autem illi sentiant audisti ex ipsorum ore. Vtinam diligenter fratribus exponas: ac illi nullo præiudicio occupati, seriò expendant. Summa hæc sit. Nihil hic astutè me agere coram Domino testor, nec rimas scrutari quibus effugiam. Siquidem vt Geneuensi Ecclesiæ prospectum cupio, ita malim vitam centies exponere, quàm eam deserendo prodere. Sed quoniam ad reditum animus non sponte inclinat, paratus sum eos sequi, quos mihi fidos ac tutos duces fore bona spes est. Cæterùm non est quòd ante finem conuentus Vvormacienſis laborent de me recipiendo: quando legatum nondum miserunt. Die Dominico habebitur hîc publica supplicatio per omnia templa: Lunæ soluemus. Vos etiam sanctis precibus nos ad hoc certamen sustinendum adiuuate. Quid moliantur aduersarij nostri palàm est. Nẽpe, vt omnes Imperij ordines in nostram perniciem arment. Quibus autem artibus nos adoriri instituerint incertum est. Quidquid tamen habent calliditatis in hac postrema explicabunt. Vale. Saluta omnes amicis. Corderium, Thomam, Fatruum, Clericum & reliquos. Omnes nostri tibi & illis bene precantur. Argentor. XXI. Octobr. M. D. XL.

CAL. VIRETO.

QVm mihi literæ tuæ redderentur iam eramus ad iter accincti, & non meminê profectionem fuisse mihi in vita magis tumultuosam: itaque cùm nõ possem ipse respondere, Claudio Ferrex, quem mecum vidisti Basiliæ, & fratri meo mandaui, vt Farello rescriberent quid haberem animi. Nunc aliquantulum ocij nactus, scribere etiam tibi ex medio itineris cursu volui: excusabis autem quòd confusè tibi & breuiter respondeo, quòd neque epistolam tuam habeo ad manum, vt singula capita possim ordine perspicere, & excutere, nec tãtum tẽporis datur viatori in caupona, vt aliquid bene meditatum, & quasi conceptum liceat mandare literis: quantum autem memoria teneo, duæ sunt precipuæ literarum tuarum partes. Priore ostendis mihi non esse deserẽdam Ecclesiam Geneuensem, altera contendis maturandũ quoque esse reditum, ne quid impedimenti si lõgius differamus Satan obiiciat. Ad illam non aliter respondeo quàm quod semper solitus sum, Nullum esse locum sub cælo quem magis reformidem, non quia oderim, sed quoniam tot difficultates illic mihi propositas video, quibus superandis sentio me longè esse imparem. Quoties superiorum temporum subit recordatio facere nequeo quin toto pectore exhorrescam, si cogar me iterum antiquis illis certaminibus obiicere. Si mihi cum Ecclesia illa tantùm esset negocium, animo essem quietiore, certè minus terrerer: sed necesse est te multo plus intelligere quàm dicã. Hoc habe vno verbo, dum multis signis intelligo, eius qui plurimũ nocere potest inexpiabile in me odium manere, dum repeto quot circum circa pateãt illi aditus ad malefaciendum, quot flabella semper inflata sint ad excitandos contentionum ignes, quot occasiones quæ tunc à me prouideri minimè possunt sese daturæ sint, prorsus metu exanimor. Sunt & plurima alia in ipsa vrbe, quæ mihi non parum solicitudinis iniiciunt. Quo plus progredior eo melius cerno quàm arduum sit munus Ecclesiasticũ regere. Neque tamen hæc omnia efficiunt, quin ad opem miseræ Ecclesiæ ferendam sim paratissimus si quid me valere intellexero. Quæcunque enim me hac in re turbant cogitationes, tametsi nonnihil afferunt moræ dum animum meum anxium tenent, mihi tamen excutere hoc nequeunt, quin facturus sim omnia, quæ in eius salutem factura putauero. Testis est Farellus me nunquam vno verbo detrectasse illam vocationem, sed deprecatum esse dũtaxat ne malè consulendo Ecclesiam semel perditam bis perderet. Interim satis ostendi, nihil mihi magis esse in votis quàm vel animam meam impendere vbi opus esset. Possem tibi coram luculentis argumentis planum facere quàm nihil hic simulauerim, sed hoc mihi certissimum videtur, quòd cum venissent legati Vvormaciam, nostros multis cum lachrymis per omnia sacra sum obtestatus, vt mei obliti dispicerent, coram Deo, quid Ecclesiæ fidem eorum imploranti, maximè esset salutare: vbi domum ventum est, quamuis nemo insisteret, non cessaui interpellare vt eam curam serio susciperent, nec ipsi etiam, crede mihi, officio suo defuerunt: sed, quod suspicabamur, ferè paulo post decretum est, vt Bucero adiungerer. hoc non videri mihi factum composito, vt antea Farello scripsi, ita nunc tibi sanctè asseuero. Ita enim propemodum constitutum prius fuerat quàm Vvormaciam rediremus, idque eorum consilio qui de Geneua minimè co-

gitabant. Equidem si me interroges non video causam cur mittar, verum vt minimè sim idoneus, non tamen fuit meum recusare. Necessariò igitur veniendum erat nisi vellem passim audire pessimè. Proinde dum literæ tuæ venerunt, cùm non esset integrum iam deliberare, putaui me tibi satis supérque fore excusatum re bene intellecta. Habes nunc ad vtrunque tuum postulatum quo satisfiat, ad hunc vsque diem me scilicet nec venire vnquàm recusasse, nec potuisse hactenus. In posterum hoc tibi pro certo polliceor me consilium istuc proficiscendi nunquàm mutaturum, nisi maior aliqua vis mihi viam præcluserit. Tangor enim illius Ecclesiæ cura, vt par est, & iam nescio quid factum sit, vt animo incipiã esse inclinatiore ad capessenda eius gubernacula, siquidem ita res postularit. Sinautem inter nos conuenit vt statim post reditũ ego cum Bucero istuc concedam, ex re præsenti in commune consultemus quid expediat, neque tantùm de pastore constituendo sed de totius Ecclesiæ instauratione cogitemus. Ita plus authoritatis habebit sententia & certior erit in futurum, quoniam adhibebuntur hi à quibus postea timendum esset. Re semel constituta iam suo ipsi iudicio obstricti erunt ne reclament ampliùs, aut quicquam ad ordinem nostrum turbandum moueant. Interim mi frater per Christum te obsecro ne animo frangaris. Quo magis incertum est quandiu sumus hîc futuri, eo minus conturbare te debet longioris moræ cogitatio. Scio esse permulta quæ tibi & anxietatem & tædium afferre queant, sed cogita tibi has partes nunc à Domino esse delegatas sustinendæ ex te vsque in aduentum nostrum eius Ecclesiæ, cui vis consultum. Pridie quàm literas tuas reciperem senatui vestro excusaueram, quòd in presens non possem istuc venire: excusationem meam acceptam esse confido. Bene vale frater suauissime & amice integerrime. Saluta diligenter meo nomine pios omnes. D. Spiritu suo vos confirmet ad omne opus bonum. Vlmæ, Calendis Martijs M. D. X L I.

Feraevs Farello.

PRofecturus Ratisbonam Caluinus mihi iniũxerat, vt ad te (quoniam tum ei non vacabat) de negotio Gebennensi scriberem: atque ille mihi conceptam quandam argumenti formulam illorum quæ tibi scribi volebat, reliquerat: quæ dum exequi volebam, ecce adferuntur ex illo literæ, quas ille Vlmæ scripserat, misit haud obsignatas atque ita mitti ad te iussit, propter illas ad Bernardum quarum exemplar tibi scribi voluit. illas igitur sic omnes mitto. Ex illis poteris satis intelligere quid constituerit. quare nostro opus est toties repetere, nihil enim aliud mihi mandarat scribendum, præter id quod ex illius ad te & Viretum literis cognoscet, se scilicet post suum reditum vnà cum Bucero ad vos venturum, séque facturum quod è re illius Ecclesiæ vobis omnibus videbitur. Quare tu interim res omnes cura, vt certò expectasse te vbi aduenierit, comperiat. Illud interim addam, quod post acceptas tuas postremas literas, omnino susceperit illam prouinciam constituerit. Antehac enim licet non apertè ac planè reluctaretur, videbatur tamen inclinare potius in aliam sententiam: verùm tuæ literæ omnino in hanc nostram sententiam confirmarunt, in illis enim Periclis tonitrua mihi audire videbar. Gratulor itaque tibi ob illam tuam vehementiam, qua effecisti quod vehementer cupiebam, vtilé q; toti reipublicæ Christianæ prouidebam. Vale tui Ferei in orationibus tuis memor. Nostra tota familia te saluũ cupit. Argentinæ V I I I. Martij.

Tuus Claudius Feræus.

Bvcervs et alii fratres Genevensi ecclesiae.

GRatiam & pacem à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo precamur vobis in dies magis cõfirmari & augeri, viri prudẽtissimi & cordatissimi, domini q; obseruandi. Exhibuit nobis vestras ad se literas Caluinus symmista & frater noster charissimus & colẽdus, quibus rogatis, vt Ecclesiæ vestrę desolatæ consiliũ salutare adferat, quo ritè & ex sententia Christi restitui & cõfirmari queat. Gratulamur hunc animũ vobis, quòd hũc vestrũ olim fidum ministrum respicitis eiusque vti cõsilio statuistis. verè enim Christus ipse contemnitur & iniuria afficitur vbi tales ministri reiiciũtur & indignè tractãtur. Bene itaq; nũc habẽt res vestræ, dũ Christũ in hoc præclaro eius organo rursus agnoscitis. In eo certè hîc animus perpetuò illi cõstitit

ſtitit, vt ſaluti veſtræ conſulere cuperet, etiam ſi non labores modo maximi ſed etiam ſanguis inſumendus eſſet. Nunc autem quid faciat non ſolùm ille, ſed nos quoque (quibus inconſultis, etiamſi id non oporteret, hactenus nihil magni fecit) non videmus. Cras aut poſt biduum abeundum ei nobiſcũ Vvormaciam eſt ad colloquium de religione, quod Imperator & Rex Ferdinandus cum Principibus Germanicis inſtituit ad quærendã concordiæ reſtituendæ inter Eccleſias viam & rationem. Sícque res comparatæ ſunt, vt niſi hoc colloquio via iſta & ratio inuenta fuerit, expectanda ſit nobis ſatis grauis rerum Germanicarum perturbatio. At religione in Germania profligata verendum vt & alibi affligatur. Non videtur igitur conſultum, vt calumniis reſcindat vocationem Domini, qua ad hoc colloquium deputatus eſt. Id ſperamus vos ipſos quoque agnituros. Ne autẽ interim Eccleſiæ veſtræ aliquid grauius accidat, viſum eſt Caluino & nobis ẽre veſtra fore ſi opera Farelli & aliorum impetretis à Vireto vito verè pio, prudente & cordato, vt Lauſanenſi Eccleſia fideli alicui vicario interim commiſſa, apud vos Eccleſiã Chriſti ſuſtineret & inſtauraret, donec inſtitutum illud Vvormancienſe colloquiũ finiretur. Tamẽ volente Domino, hoc eſt ſi non obſtet grauius & quod in aliud tempus reiici nequeat negotium Eccleſiarum, aliqui ex noſtris ad vos venire ipſi vellemus, & præſentes id conſulere cũ Caluino, & agere quod poſſemus cognoſcere Eccleſiæ veſtræ profuturum. Hoc eſt quod hũc dare vobis conſilij, & operæ quod offerre vobis in præſenti poſſumus. Id vt boni cõſulatis rogamus. Nã certè Eccleſiã veſtrã maximi facimus: vt quæ rectè conſtituta lucem Chriſti in Italiam & Galliam inferre fœliciter poſſit. Bene valete in Chriſto qui & Eccleſiã & rempublicam veſtram tranquillet & beatam reddat. Amen.

Dominationum veſtrarum
in Domino addictiſſimi,
Vvolfgangus Capito. D.
Gaſpar Hedio. D.
Martinus Bucerus.
Io. Sturmius. Iacob. Bedrotus.
ac cæteri miniſtri Eccleſiæ Argentoratenſis, manu mea
M. Buceri ſubſcripſerunt.

CAL. FARELLO.

EX quo hîc ſum nihil tibi ſcripſeram, ſed mandaueram Claudio meo vt quidquid à me acciperet curaret ad te peruenire: nam nec erat dignũ aliquid tua lectione: & ego abs te literas prius expectabã, quas ea mercede remunerarer. Interim dum expecto nuntiatur mihi grauis calamitas, Claudium noſtrum quem vnicè diligebã, peſte abſumptũ eſſe, Ludouicũ fratrẽ Caroli triduo pòſt ſecutum, domum meam miſerè diſſipatã eſſe, fratrẽ meum cũ Cardo in vicinũ pagũ cõceſſiſſe: vxorẽ ſe ad fratrem recepiſſe, minimũ ex Claudij diſcipulis decũbere. Ergo ad doloris acerbitatem acceſſit vehementer anxia præiis qui ſuperſunt ſolicitudo, mihi dies ac noctes obuerſatur vxor conſilij inops, quoniam capite ſuo caret: cruciat me mirũ in modũ optimi Caroli orbitas, qui intra quatriduũ fratre vnico, & præceptore quem patris vice coluit priuatus eſt. Noui autem ipſum eſſe teperrimo animo. De Malherbio cogitare non poſſum, quin ſimul in mentẽ veniant optimi iuuenes qui eum cuſtodiunt. Quanquã autem hæc mihi tantum afferunt mœrorẽ, vt mentẽ prorſus obruere, & frangere animum poſſint, incredibile tamen eſt quanto luctu ob Claudij mei mortem conficiar: neque mirũ tibi videri debet. His duobus annis quantum mihi opus fuerit certo & fideli amico, qui me in tot támque variis moleſtiis ac perturbationibus ſuſtineret, potes cogitare. Ille verò ſe non modo fideliſſimum ſed per omnia obſequentiſſimũ mihi exhibuit, adeo vt ipſo æquè propemodum familiariter ac fratre meo vterer. Cùm animi ſuſpenſus, vt ſcis, nuper diſceſſiſſem, ſanctiſſima fide receperat ſe quocunque annuiſſem venturum: neque mihi vnquam defuturum. Ergo quo magis reputo quantopere indigeam bono conſiliario, qui à latere meo nunquam diſcedat, ab altera parte quàm rarum ſit hoc tempore exemplum talis beneuolẽtiæ & fidei: non aliter poſſum iudicare quàm Dominum mihi hunc auferendo voluiſſe in peccata mea grauiter animaduertere. Sed dum obiter volo meas miſerias attingere, vltra modum diffluo. Hoc facit cùm optimi viri memoria (quæ vtinam mihi tam ſuauis aliquando ſit, quàm ſancta ſemper erit) tum pia de reliquiis ſolicitudo. Cæſar hactenus expectauit dum venirent Principes: adfuerũt ab initio duo Bauari, & latro Brunſuicenſis, Germaniæ dedecus ſimul & exitium: ſenſim venerunt legati, alius

post alium. Tandē secuti sunt ex Principibus, Fridericus Palatinus Electoris frater, Othonis nepos, iunior Vvirtembergensis, Landgrauius, Moguntinus, Albertus Badēsis, Princeps ab Anhalt, Saxonis legatus: Elector Brandeburgensis breui venturus est. alios nō desinet solicitare Cæsar, donec protrahat. Saxo iustissimis causis absentiam suam excusauit per legatos. Duæ sunt vrbes in fœdere, Coslaria, & Brunsuicum, quas Henricus sub prætextu Banni multis prædationibus & latrociniis aliquandiu infestauit. Nuper nostri decreuerant, vt armis communibus defenderentur. Cæsar interea ne impedirentur Comitia, omnia iudicia in nos intentata suspendit: omnes etiam sententias contra nos latas irritas esse voluit, donec de tota summa hic cognosceretur. Eo edicto promulgato mādauit etiam Brunsuicensi nominatim, vt quæ rapuerat restitueret, & in posterum à vi abstineret. Quanquam facturum se omnia recepit, pergit tamen vt cœperat. dicas cum Cæsare colludere. Quidquid sit, in tanta certè necessitate deserere socios non potest Saxo: itaque manet in specula, vt si quid iste mouerit, statim se obiiciat. Deinde ex quo tēpore denunciatæ erant illæ suspensiones, citatus fuit ad audiēdam Banni, hoc est clarigationis vel proscriptionis sententiam. Paucis pòst diebus idipsum nobis est factum. Cæsar nescio qua religione, magna tamen asseueratione testatur hæc sibi magnopere displicere: ac daturum operam vt in fumum abeant. fiunt tamen non sine magno nostro periculo. Quid enim si cras pronuntiarent? pedem hinc efferre non possumus, quin caput nobis auferatur. Exciderat mihi Sabaudus qui huc se sistit ad fidem imperio obligandam, quò nostris opibus recuperet possessiones, quas cùm teneret, Imperio nunquam accenseri voluit. serò igitur, sed missus à Rege Galliæ legatus, aduocatus Raimundus, qui pro Ducatu Sabaudiæ in fidem ac clientelam Imperij ipsum recipi peteret. Legationes exterarum gentium adsunt multæ ac magnificæ. Contarenus Card. pro suo Pontifice, qui nobis primo ingressu tot cruces asperserit, vt biduo pòst brachium illi ex fatigatione laborasse arbitrer. Mutinensis Episcopus filius Hieronymi Moroni sub Nūtij titulo separatim missus est. Contarenus sine sanguine subigere nos cupit: proinde tentat omnes vias conficiendi ex sua vtilitate negocij citra arma. Mutinensis totus est sanguinarius, & bellum subinde in ore habet. Vterque in hoc totus est, vt omnes amicas tractationes pręcidat, sed hoc postea. Veneti suum habent legatum splendidum hominem. Anglus verò præter ordinarium quem habere solet, Vintoniēsem misit magno apparatu, hominem ad malitiam nimis acutum. Omitto Portugallum &reliquos. A Rege quoque Galliæ est quidā Velius homo stolidus & importun°. Cùm Principes nominarem, totā fæcem ordinis Pfafici præterij excepto vno Moguntino. Adsunt tamen Episcopi frequentes, Patisponensis, Augustanus, Spirensis, Bremensis, Saltzburgensis, Brixinensis, Vvormaciensis, Bambergensis, Heidelfemensis, & aliquot alij: supereſt vt tibi scribam quid futurum suspicemur, si tamen vllo modo diuinare licet. Nam ego non satis certa indicia video, ex quibus sumi queant probabiles coniecturæ. nostrorum omnium animi vehementer sunt exacerbati aduersus Henrichū, nam virulentissimis libellis eos proscidit nimis atrociter: itaque rogant Cæsarē, vt pro calumniatore cēseatur, si compertū fuerit ipsum impudentissimis mēdaciis eorū famā laceraſſe. Nec video qualiter istud cōponi queat, nisi ad ordinū cognitionē referatur. Iā enim Lādgrauius negauit Cæsari se passurū vt transactione aut arbitrio controuersia hæc finiatur, nē Cæsarē quidem ipsum voluit arbitrū recipere. Hoc impedimentū tametsi minimè videtur ad rerū summā pertinere: quoniā tamen turbabit initia, verendū est vt multū officiat. Iam negociū religionis sic habet. Cæsar quia res suas plurimùm impeditas cernit, nō libenter nouas sibi molestias accersit. Timet impressionem Turcicā. A Rege Galliæ aut dubia pax aut aperti belli periculū. Quanquā de Turca varij rumores dissipantur. Cùm Hungaricus ille monachus, qui mortuo Ioanne rege pupilli tutelam arripuit, ægrè Ferdinandū sustineret, auxiliū à Turca petijt: ille nō nisi exiguas copias subsidio misit, quæ Pestam Ferdinādi vrbem aggressę sunt. Vrbs est in ripa Danubij è regione Budę: ad eā obsidionē soluendam miles colligitur. Iā alij Turcā ipsum aduentare ferunt magno exercitu & apparatu, alij hunc eius apparatum nescio quo domestico motu fuisse interpellatum asserunt: videbimus tamen breui quale illud sit: non enim dubium erit quin valde domi sit impeditus, si à Vvalachis abstineat. Post defectionem à suis tyrannis in eius potestatē, vt nosti, se tradiderāt. Ille Palatinū ex eorum stirpe præfecerat, sed alumnū suum: nescio quî factum sit, vt eius sæuitiam experti extrema tentare maluerint, quàm sub eius dominio manere. Hac igitur hieme trucidato Palatino quidquid etiam Turcarum apud se fuit sustulerunt. Nouum sibi Ducem crearunt, quem iureiurando adegerunt ad promittēdas

cum

cum Turca æternas inimicitias,arcem occuparunt munitissimã,quàm ipse mira celeritate ædificauerat ad fines Poloniæ. Hanc contumeliam si non vindicabit, sciemus alibi esse occupatũ:& vtinã sit, vt ille dum curat sua vulnera,nos spatij aliquid ad colligẽdas mẽtes ac vires habeamus. Polonus vicinos suos Vvalachos posset maximè adiuuare,nisi Tartari eius regno molesti essẽt: qui superiori hyeme magnas prædas subita incursione abegerũt, & videntur velle pergere vlterius. Quidquid sit,Cæsar cõpositam habere Germaniã cupit,donec ab illis se difficultatibus explicuerit, nec vllos motus hoc tẽpore excitabit, nisi magna hostium nostrorũ importunitate, inuitus in aliquam necessitatem pertrahatur. Nostri semel audientiam sibi fieri volunt: deinde quoniam nullã fidem aut diuturnã pacẽ fore sperant,nisi cõstituta religionis cõcordia,& Ecclesiis in ordinẽ reductis, vrgebunt vt hanc actionem Ordines seriò suscipiant. Alioqui nihil magis cupiunt quàm omnes dissensiones pacificare sine tumultu,nec bellũ aliter horrẽt quàm certam patriæ suæ pernicie. Itaq; quoad poterunt se à turbulentis cõsiliis alieniss. esse ostẽdent. Alterius partis tria sunt genera:sunt enim qui classicum canunt,ac palàm insaniunt,quòd non primo die impetamur. Huius classis principes sunt Moguntinus,Bauari, Brunsuicẽsis Henrichus, & eius frater Episcopus Bremensis. Alij quoniam consultum patriæ volunt, cuius interitum vel grauissimam calamitatem ac vastationem à bello prospiciunt, huc conferunt omnia sua studia, vt sine religionis constitutione qualiscunque pax fiat. Tertij tolerabilem aliquam & doctrinæ & disciplinæ Ecclesiasticæ correctionem, libenter admitterent: sed quoniam vel nondum eousque progressi sunt,vt causam penitus cognitam habeant, vel sunt animo submissiore, quàm vt eius consilij authores se profiteri audeant, ita se gerunt vt videãtur nihil, nisi publicam tranquillitatem quærere. In eo ordine sunt Coloniensis, & Augustanus, ex grege sacerdotali: ex Principibus ambo fratres Palatini, Otho eorum nepos, & fortasse Dux Cliuensis. Qui turbare moliuntur, quoniam pauciores sunt numero, & omnes bonos sibi reclamantes habent, vix consequentur quod captant. Deinde Cæsaris animus,vt dixi, omnino ad pacem inclinat, si poterit obtinere, vt reiecto in aliud tempus religionis studio, hoc neruis omnibus contendet: sed nostri non facilè acquiescent, & habebunt socios in flagitanda Ecclesiæ reformatione. Sæ,tametsi exigua,nonnulla tamen spes est aliquid agendi. Legati Pont.pro solenni suo more, fortiter aduersantur, ne descendamus in aliquam actionem: actũ enim de regno suo putant, si vlla de religione disceptatio,si consultatio de Ecclesiæ reformatione, sine idoli illius authoritate instituitur. Palàm simulant se promouere quã cupimus Collocutionẽ,sed clàm magnis cum pollicitationibus,tum minis nos oppugnãt. Cæsarẽ parati sunt adiuuare grãdi pecunia,si ad arma volet:prorũpere, aut quod Cõtarenus mallet,si potest nos sine cæde reprimere. sin aliquid cõcedat Rom.sedis tyrãnidi minus cõsentaneum, fulmina illa minãtur,quibus totũ orbẽ cõcutere solẽt. Propter res Italicas obnoxius est Cæsar. Ergo,si licebit,eò cõfugiet,vt pace tẽporaria, vel paucorũ annorũ induciis, Germaniã cõponat intacta causa. Quod difficulter impetrabit. Vides nunc quod initio dixi, tã obscuras esse cõiecturas,vt ne diuinationi quidẽ relinquatur locus. Quid ergo agimus? Inuocabimus scilicet nomen Domini,precabimúrque vt hanc maximã & grauissimam causam,in qua & ipsius gloria & Ecclesiæ salus continetur,sua moderatione gubernet,ac in tãto articulo ostendat,sibi nihil esse preciosius q̃ celestẽ illa sapientiã, quam nobis in Euangelio reuelauit:& eas animas quas sacro filij sui sanguine redemit. Eóq; intentioribus & animis & studiis nobis flagitãdus est,quo sunt omnia ab omnibus incertiora. Si totũ huius negotij progressionẽ ac seriẽ diligenter expendimus,reperiemus ipsum mirificis modis, sine hominũ vel cõsilio vel auxilio,atq; etiam prẽter omniũ spem,euenta gubernasse. Ab hac igitur virtute quam toties exeruit,nunc toti,rebus tam perplexis, pendeamus. Vnum me terret,q̃ tãtum inter nos video securitatis. id verò nõ me terret modò,sed cõsternat penitus,quòd noua quotidie offendicula excitantur, quale est ἐντη δυγαμία vel potius δυσγαμία: neque tamen ideo deiicior. Nuper à Vireto literas recepi,quibus ideo breuiter respondeo, quòd nunc minimè integrum est nobis de ea re deliberare. Vtinam,mi Farelle,concedere istuc primo die liceat:sed quid vis faciam? Teneor hîc constrictus, & vereor magnopere, ne tædio hîc contabescam. Vale optime & dulcissime frater. Saluta amantissime meis verbis omnes fratres, Thomam, Michaelem,cui magnum mœrorem afferent iste literæ, Corderium præceptorem meum, & reliquos. Ratisponæ IIII. Calendas Apriles M. D. XLI.

CAL. FARELLO.

ETsi hîc adesse multis de causis piget, venisse tamen nunquam pœnitebit. Delirare me putas? scio quid dicam. Et me non sine ratione loqui aliquando coram audies. Nunc collige ex narratione, quantum poteris. Delecti nostri de peccato originali non difficulter transegerunt: secuta est disputatio de libero arbitrio, quæ ex Augustini sentẽtia cõposita fuit: nihil in vtroq; nobis decessit. De iustificatione acriores fuerunt contentiones. Tandem cõscripta est formula, quam adhibitis certis correctionibus vtrinque receperũt. Miraberis, scio, aduersarios tantùm cõcessisse, cùm legeris exẽplar, ita vt postrema manu correctũ fuit, quod literis inclusum reperies. Retinuerunt etiã nostri doctrinæ veræ summã: vt nihil illic cõprehẽsum sit, quod non extet in scriptis nostris: scio, desiderabis clariorem explicationẽ, & in ea re me tibi assentientem habebis. Verùm si reputes quibuscum hominibus negocium nobis sit, agnosces multum esse effectum. Ventum est deinde ad Ecclesiã: in definitione cõgruebant sententiæ: in potestate dissidere cœperunt. Cùm nullo modo possint cõciliari, visum est articulũ illũ omittere. In sacramẽtis rixati sunt nonnihil: sed cùm nostri suas illis cærimonias, vt res medias permitterẽt, vsq; ad cœnã progressi sunt. Illic fuit insuperabilis scopulus. Repudiata trãssubstãtiatio, repositio, circũgestatio, & reliqui superstitiosi cultus. Hæc aduersãtiis nequaquã tolerabilia. Collega meus qui totus ardet studio cõcordię, fremere & indignari, q, intẽpestiuæ fuissent motæ eiusmodi quęstiones. Philippus in aduersam partẽ magis tẽdere, vt rebus exulceratis omnẽ pacificationis spẽ præcideret. Nostri habita cõsultatione, nos cõuocarũt. Iussi sumus omnes ordine dicere sentẽtias: fuit vna omniũ vox, trãssubstantiationẽ rem esse fictitiã, repositionem superstitiosam, idololatricã esse adorationem, vel saltem periculosam, cùm fiat sine verbo Dei. Me quoq; exponere Latinè oportuit quid sentirem. Tametsi neminem ex aliis intellexerã, liberè tamen sine timore offensionis, illam localem prẽsentiam damnaui: adorationem asserui mihi esse intolerabilem. Crede mihi in, eiusmodi actionibus opus est fortibus animis, qui alios cõfirment. Vos istic precamini Dominum diligenter, vt illo fortitudinis Spiritu nos sustineat. Scriptum deinde à Philippo cõpositum, quod vbi Grãuellano oblatum est, asperis verbis repudiauit, quòd illi tres delecti ad nos retulissent. Hæc cũ fiant in ipso limine, cogita quantum adhuc supersit difficultatis, in missa priuata, in sacrificio, in cõmunicatione calicis. Quid si ad apertã prẽsentiæ confessionem veniretur? quanti tumultus efferuescerent? Literæ tuæ à Plumario altero mense quàm scriptæ fuerunt mihi redditæ sunt: mirabor, si non propediem aliæ non veniant. Salus fratrum mihi commendata est vt debet, sed hæremus adhuc illo obice, quem nosti. Maurus qui ea de causa missus est, diligenter satagit in soluendo hoc nodo, spes solito maior affulget: Landgrauius enim aliquam sentire frustrationem vnde omnia sperabat incipit: ergo inclinabit in illum nostrũ. Id si fiet habebitur, ne dubita, singularis fratrum ratio, & Maurus pro sua virili vt est vir pius & cordatus incumbet. Crede mihi fideliter hactenus se gessit. Nihil tamen amplius impetratum, quàm vt illis domum impune redire liceret, modo apud Episcopum abiurarent. N. nobis est molestissimus, Dominus eum vel tollat, vel emendet. Saluta amantissimè omnes fratres, Dominus Iesus vos conseruet. Philippus & Bucerus te salutant. nudiustertius cùm pranderemus cum Landgrauio facta est mentio tui amica. Ratisponæ XI. Maij. M. D. XLI.

CAL. FARELLO.

NVntius die vno serius abiit quàm putabã, hic dies nobis aliquid peperit. Grãuellanus cũ spem omnem suo responso nostris abscidisset, postquam de Eckij Apoplexia audiuit, fortè quoniã illius hominis importunitatem remoram cõcordiæ afferre cernebat, iussit Pistorio quoq; excluso, reliquos quatuor inter se absque arbitris consultare: quantum potui intelligere, si essemus dimidio Christo cõtenti, facilè trãsigeremus. Philippus & Bucerus formulas de transsubstantiatione composuerunt ambiguas & fucosas, vt tentarẽt an aduersariis possent satisfacere nihil dando. Consilium hoc mihi non placet: tametsi rationem habent quam sequuntur: sperant enim fore, vt breui hæc sponte eluceſcant, si patefactus erit aditus doctrinæ. Itaq; transilire malunt, nec flexiloquentiam istã reformidant, qua nihil alioquin esse nocentius potest: polliceor tamen & tibi & pijs omnibus, vtrunque optimo esse animo, nec aliud cogitare quàm vt promoueant Christi regnum. Nec possis ab illis quicquã desiderare, quod non fideliter & constãter præstent, nisi quòd in modo agẽdi se tẽpori nimis accõmodant.

Malè

Malè autem me habet quòd Bucerus inuidia se apud multos grauet. Quia sibi est optimè conscius, securior est quàm vtile sit. Neque enim sic contenti esse debemus conscientiæ integritate, vt non habeamus fratrum respectum: sed hæc apud apud te defleo mi Farelle, vide ergo ne effluãt. Vnum hoc, vt in malis, mihi gratum est, quòd nemo est qui vehemẽtius pugnet nunc contra impanatum Deum, quam Brentius. sic enim ipse appellat. Nolo plura, quo auidius meum ad vos aduentum desideres, vt istis narrationibus aures tuas expleam. Vale mi optime frater. Freithus, Musculus, & Brẽtius te salutant, immò prorsus omnes. Eckius, vt aiunt, conualescet: nondum meretur mundus ista bestia liberari. Exciderat quod minimè præteritum oportuit. Habet Maurus famulum, qui aliquando Ludouico & mihi seruiuit Basileæ, probum iuuenem, fidum & modestum. Ille ante annos quinque, cùm propemodum puer esset, inscio patre, inter pocula puellæ coniugium promisit: cùm pater re indicata reclamasset, iuuenis dixit sibi fuisse impositum. Re malè cognita, peius expensa, pronuntiarunt vestri iudices, authore Marcutio, ratum debere esse coniugium. Ille vt hanc necessitatem effugeret patria cessit. Nunc nuncium accepit de morte patris, sed simul hortantur eum sui, vt puellam accipiat, ad hanc rem hortator est etiam illi Mirabilis. Tentaui & penitus excussi animum eius, sic abhorret, vt non sustineam magis vrgere. Et tamen fatetur honestam esse puellam: sed asseuerat se nunquam ad eam animum adiecisse. Quia saluum cupio, velim si fieri queat amica transactione cõponi negocium. sic & puellæ consuleretur. Ea de re scripsi ad Mirabilem. Nolo tamen in meam gratiam quidquam facias, nisi quod æquum esse iudicabis. Neque enim ipse plus facturus essem si res in meo arbitrio poneretur. XII. Maij, M. D. XLI.

CAL. FARELLO.

VM nullum amplius in conuentu vsum mei fore suspicarer, magna improbitate missionem extorsi magis quàm impetraui: nam & Bucerus me ægerrimè à se abire patiebatur, & Philippus qui se mihi fore in ea re adiutorem semper receperat, cùm tempus instaret, rogabat vt manerẽ. Ego tamen me quoquomodo explicui. Neque me tam priuatę meę rationes quàm publicæ, vt adeo instarem, impulerunt. Videbam scholã vestram ex quo coperat Capito laborare, destitui. Verebar ne his nundinis Ecclesia præsentiam meam desideraret. His etiam causis vtcunque adducti sunt nostri, vt mihi tandem concederẽt. Exponam autem breuiter, quo in statu res fuerint cũ discessi. Ex quo in quæstione Eucharistiæ semel dissiliimus, de nulla alia potuit amplius inter nos conuenire. Scis vnam fuisse inter nos omnes sententiam, trãssubstãtiationem, rem cõmentitiam esse, nec tantũ cum verbo Domini, sed cũ sacramenti etiam natura pugnare: adorationem esse vel idololatricã, vel nimis periculosam, repositionem superstitione non carere. Cùm in hac responsione tres illi delecti constanter pergerent, acerbis verbis inuectus in Philippum est Granuellus: quo fracto, sperabat à reliquis duobus nõ tantũ fore negocij. Dũ nihil extorqueri posse videt, ad alia pergere præcipit. Interim Marchio Brandeburgensis clanculũ, non tamen sine cõscientia Cæsaris, vnũ ex Principibus ab Anhalt legatum Luthero mittit, quia speraret magis in hac quæstione fore propitiũ Papistis quàm nos omnes, propter veterem illam cõcertationem. Quid attulerit, nondum resciui. Confido tamen omnino non malè fuisse à Luthero responsum. Restabant in causa Eucharistiæ tres quæstiones disputandæ, de sacrificio missæ, de priuatis missis, de vtriusque speciei distributione. Aduersarij, sublata missarum nundinatione & multitudine, vnam tantum missam in singulis templis quotidie retinebant, idque ea lege, vt non sine aliquo cœtu, cui mysterium exponeretur, deinde vt ad communionem exhortatio fieret. Calicis participationem volebant esse liberam, vt haberent qui peterent. Sacrificium fucabant sophistica expositione, quam vnde sumpserint, tu ipse coniice. Illa omnia sunt repudiata, scripti à Philippo in cõtrariam sententiam articuli, & oblati. Ventũ deinde est ad cõfessionẽ, in qua moderationẽ dabãt aduersarij, scrupulosam enumerationẽ remittendo, sed necessitatẽ exigebant cõfessionis & absolutionis. Formulam contrariã nostri dederunt. Sic de inuocatione sanctorũ, de primatu Papæ, de authoritate Ecclesiæ collatum est: nec conuenire potuit. Articuli omnes nostri libro adiuncti. Cæsar delectis illis gratias liberalibus verbis egit, quòd fidelem operam præstitissent. Ipse deinde totam delibertaionem ad ordines retulit. Et quoniam nihil statui

poterat, nisi descripto libro: oblatus est in medium cum articulis. Mox tamen Cæsarem pœnituit facti. Sed quod semel decretum erat, Ordines ratum esse voluerunt. Dum id agitur, datus est Senatus legatis Hungariæ & Austriæ, qui suppliciter auxilia sibi dari petierunt. Institit quoque Cæsar, vt omissa religionis actione ad illam consultationem se conuerterent ordines. Cùm illas inducias vidi datas esse, occasionem pręterire nolui: sic elapsus sum. Rerum seriem breuiter perstrinxi. Quòd ad secretiora consilia attinet, nonnihil audies cùm venero. Velim autem id abs te impetratum, vt Bucceri reditum expectemus. Quantum ad fratres attinet, qui ob Euangelium laborant, non feci quod volui. Causa enim grauem aliquam legationem flagitabat, quam minimè ferunt tempora, id est, vitiosi hominũ affectus. Literas ergo impetraui. Quod ipsum factum fuerat, antequam Senatus admitteret. Sed curaui mutari ac inseri nonnihil eorum quæ mandabas. Charta plus non capit. Tu ista omnia, si videbitur, curabis Viretо: excusabísque apud eum quòd non scripserim: opprimor enim, crede mihi, assiduis interpellationibus, vt ægrè liceat respirare. Vale charissime frater. Saluta omnes diligenter. Dominus vos omnes conseruet.

Argentorati, Iulio, M. D. XLI. Ioannes Caluinus tuus.

CAL. FARELLO.

QVm mihi allatæ sunt tuæ literæ, iam habebam meas ad te paratas: quæ tametsi non omnino cõsentiunt cum tuis postulatis, mittẽdæ tamen fuerunt, vt scias in quo affectu me deprehenderunt. Nunc postquam vidi te vlterius insistere, & illos etiã veteres nostros hospites palã se adiũgere ad causam, adhibui de integro nostros. Lectis tuis & Geneuatum literis, cõsului ecquidnam factũ opus fore cẽserent. Responderunt minimè esse disputandũ, an omisso cõuentu deberẽ illuc extẽplo concedere. Neq; enim aut nunc esse integrũ: aut oportuisse illud in dubiũ vocari, etiãsi nihildum esset decretum. Ergo ad iter nos accingimus: vt autem pręsenti Ecclesiæ illius necessitati succurratur, quam nolumus esse desertã, censent modis omnibus eò accersendũ Viretum, interim dum alia vocatione distrahor: vbi redierimus non recusant, quin illuc redeã. Quinetiam Bucerus se mecum venturũ pollicetur. In eam sententiam visum est ipsis scribere, quo certior fides fieret: meis literis suas quoq; Bucerus addidit. De meo animo sic accipe: mihi si detur optio, quidus libentius sim facturus, quàm vt tibi hic obtẽperẽ: sed quoniam nõ esse mei iuris memini, cor meũ velut mactatũ Domino in sacrificiũ offero. Itaq; non est quod suspiceris tibi verba dari: nostri nihil nisi ex animo promittunt. Et ego nihil aliud obtestor, quàm vt nulla mei ratione habita, dispiciant quid maximè sit ex Dei gloria & Ecclesiæ vtilitate. Tametsi non sum valde ingeniosus, non tamen deficiunt me effugia, quibus ita clãculum elabar, vt facilè apud homines excusem per me non stetisse. Verùm scio mihi esse negocium cũ Deo, qui huiusmodi astutias deprehẽdit. Ergo animum meum vinctum & constrictũ subigo in obedientiã Dei: & quãdo proprio cõsilio destituor, me his regendum trado, per quos spero Dominum ipsum mihi locuturũ. Cùm Capito scripsit, putauit, vt video, me prolixa Epistola, tibi expositurũ totam deliberationis nostræ seriẽ, sed satis est quòd summam habes. Quanquã eram id quoque facturus nisi tempus defuisset. Verùm totus dies variis auocamentis mihi consumptus est. Nunc à cœna longiori lucubratione valetudinem alioqui dubiam tentare nolui. Hîc se ad natalem. Domini rediturum promisit cum carruca, in qua poterit afferre Vẽdelino ex libris suis decem exẽplaria Institutionis. Sex cõmentarios in Ieremiã: ea dabis illi aduehenda.

CAL. FARELLO.

NOn est quod de mea expostulatione sis multum solicitus: magis enim iocari tecũ quàm seriò conqueri volueram. Satis enim scio me animo tuo non excidisse, etiam si centies in literis prætereas. Itaq; te securũ hac parte esse iubeo. Vtinã tam facilis tibi esset cõpositio cũ ijs, qui te & Ecclesiã tuã vexant & fatigant. Quanquã, vt dicis, bellũ cum mũdo & carne reformidare nõ debemus, si Christo seruire libeat, imò ex animo appetendũ est: sed tamẽ optãdũ est, vt quidquid hodie cũ Christo bellũ gerit, in voluntariã obedientiã potius se dedat, quã vi & armis subactũ frangatur, nõ corrigatur. Verũ quoniã vult nos exercere Dominus in sua militia, nec quiescere nos patitur, pugnem⁹ sanè forti & cõstãti animo: modò iis armis quibus nos instruxit. Nã sub eius auspiciis victoria semper erit in manu. Quòd cœna Domini celebrata est, præsertim cũ hac denũciatione quam refers, erit optima ratio, vt spero, ad recolligendam

dam Ecclesiam. Et audio ea moderatione, quam nunc adhibes, partim sedari, partim frangi multorum animos. Dum succedit, nihil omittas, quod ad sanandũ vulnus quouis modo valeat. Erit hîc pulcherrimus triumphus, si Satan cum paucis antesignanis à sua acie deseratur. Quod ad rationes nostras attinet, plus satis verum esse experior, quòd scribis de iugo inæquali, sed tolero quod tollere non licet. Itaque si mihi Viretus auferatur, prorsus perij: nec hanc Ecclesiam saluam retinere potero. Quare te & alios mihi ignoscere par est, si omnem moueo lapidem, ne eo spolier. Volo interim consultum Lausanensi Ecclesiæ, idque ex piorum fratrum sententia, & tuo quoque ipsius arbitrio. tantùm ille mihi maneat. Id Bernæ neruis omnibus contendo, verùm ne in malam partem fratres acciperent, si ipsis præteritis ad alios me conuerterem, nuper veni Viuiacum. Effeci illic meis rationibus, quod vix sperabam: vt non modò annuerent se minimè intercessuros, si eum nobis concederent Bernates, sed assererent sibi videri ex communi Ecclesiarum bono fore, si mihi ad tempus adiungeretur. Hîc nolim te multis hominibus alioqui non facillimis, esse morosiorem: nam plus multo hîc negocij nobis est quàm putas. Plebem habemus vtcumque obsequentem. Conciones saltem frequentantur diligenter: mores satis sunt compositi, sed multum adhuc vitij & in capite & corde: quod nisi curetur sensim, vereor ne in pessimum vlcus demum erumpat. Cum illis intestinis malis & absconditis pugnatur non sine summa difficultate, vt bene nosti, & scis quales habeã commilitones, hoc remoto. Fratri consuluimus fideliter quod videbatur. Cæterùm quoties volet, reperiet me ad omnia paratum: verùm ideo nunc supersedi, quòd non putabam esse vtile. Si dissentias, sequar te potius, nec quidpiam eorum quę mihi iniũges detrectabo. Quandiu aliquid valebimus nos duo, non est quod queraris te nihil posse, scis enim nos esse penitus tuos. Vale optime & integerrime frater. saluta diligenter omnes, Corderium præsertim, cui cùm primum licuerit respõdebimus. Totam familiam cupimus esse saluam. Geneuæ 11. Nonembris M. D. XLI.

CAL. FARELLO.

SCripturus eram longiores literas & accuratiores, ita enim res poscebat: verùm cùm mihi bonus hic frater nunciasset, sublatum esse nobis optimum patrem nostrum & sanctæ memoriæ Capitonem, Bucerum verò peste laborare, ita fui mente & animo perculsus, vt nihil aliud nunc queam quàm fugere. Ignoscès igitur mi frater, quòd breues & confusas literas de re magna & seria à me accipis. Scis ita fuisse inter nos ab initio constitutum, vt si redirem, tu me reduceres, quò vtriusque ministerium, quod vnum fuit, simul restitueretur. Non passus est hoc Satan, qui sub id tempus eam tempestatem excitauit, vt non posses ab Ecclesia tua sine magno, immò præsentissimo naufragij periculo pedem mouere. Distulimus eousq; dũ te istis turbis Dominus liberaret. Nũc cùm eius beneficio res istic pacatiores esse audiamus, cùm ministerij nostri cõmunis, tum mea priuatim, Ecclesiæ etiã vniuersæ interest, te semel huc venire: si nulla alia ratio esset, præstare, tamen te decet quã mihi fidẽ dedisti. Verùm sunt, vt dixi, plures & maiores causæ, quæ nullã tibi excusationẽ relinquunt. Audiebam cùm istic essem, prætextus nescio quos, qui mihi displicebant. Dicebas te à populo expulsum, non posse igitur à Senatu, hoc est à paucis hominibus restitui. Quasi verò tumultuosa illa perditorum hominum factio populus fuerit. Etsi fuit, quasi non illud plebiscitum satis supérque tibi esse debeat, quo populus ipse pronuntiauit, te iniuria pulsum esse. Constat eos qui te expulerunt, aut capite pœnam luisse, aut vrbe esse profugos, reliquos autem pudore tacere aut fateri suum scelus. Nondum illud plebiscitum factum fuerat, quo populus innocentiam nostram vna voce comprobauit, cùm tu nimia importunitate à me extorseris, vt venturum me reciperem. Tunc tamen vt verum fatear, habebam in animo aliquid primo aduentu de innocentia nostra testari, & totam causam nostram exponere, vt omnis non tantùm maledicendi, sed etiam mussitandi occasio improbis tolleretur. Tametsi nõ sum optimus dicẽdi artifex, non verebar tamẽ quin tã bona causa plausibilis futura esset: verùm vbi populus, sese damnãdo, & culpã suã confitendo anteuertit, putaui hac necessitate nos esse prorsus liberatos. Imò præter id quòd futurus erat superuacuus labor, videbã tentari hoc nõ posse sine specie aliqua inhumanitatis. Quid enim hoc aliud fuisset, q̃ prostratis hostibus insultare? Cùm autem venis-

sem, obiter quidem perstrinxi, qua fide & integritate in hac Ecclesia versati simul essemus. De aduersariis verbum vnum facere puduit: ne eorum causam, qui à Deo & hominibus, suóque ipsorum iudicio damnati essent, viderer in dubium vocare. sed hæc coram tecum malo disputare. Nunc ad id quòd instat: non ritè te vocari dicis à Senatu, cum eiectus sis à populo. Atqui nondum annus est, cùm primis Senatus literis contentus eras, & iam quodammodo ad iter accinctus. Vnde nunc ista noua religio? Quid quod latum est ad populum de te nominatim, cùm populus sciuit, in vrbem reducendos esse eos quos expulerat? Neque enim aut de me aut alio quoniã facta mentio est, sed in hæc verba, Nónne hîc pronunciatis iniuriam esse factam Farello & sociis eius? Quid vltra requiris à populo, quàm vt innocentiam tuam approbando reum se faciat? Additum est, Vultis vt Farellus cum socijs suis, &c. Dabis veniam mihi, opt. frater, si quid durius dixero: sed hæc difficultas à morositate potius, quàm à recto iudicio, proficisci videtur. Mihi sanè perspecta est animi tui sinceritas: neque mihi tot exempla exciderunt, quibus satis declarasti, quàm parum te respicias. sed vide ne quid tale suspicari queant qui te non penitus norunt: imò ij qui non suspicabuntur, ansam tamen arripiant obtrectandi. At Ecclesia pro modo offensionis nequaquam satisfecit. Quis negat? verùm si inspicias quàm res adhuc sint hîc teneræ, ne quid asperius dicam, ipse consulas non esse vlterius progrediendum in hoc negotio. Te igitur per Christum obtestor, mi Farelle, vt non quoslibet audias consultores, sed eorum acquiescas consilijs, qui nec prudentia carent, & non minus de tui ministerij honore sunt soliciti quã tu ipse. Quòd si nos nihil sapere, nihil videre, nihil iudicare existimas, patere tamen ab amicis te semel exorari. Vale optime & charissimè frater III. Calend. Decemb. M. D. XLI.

ZVICKIVS CALVINO.

Salus & pax Christi.

ARctissima familiaritas est quam parit fides, sic mihi scripta tua familiarissima sunt. Erit autem gratissimum, si tuo aduentu semel familiaritatem istam in Domino initam firmes: quòd vt breui fiat etiam atque etiam rogo. De Comitiorum tractatione nescio quid dicam: statui autem, vt vno verbo dicam, ab euentu omnia æstimare. interim precibus interpellabo Dominum ne causæ suæ desit. Audimus autem Philippum, & reliquos constantes esse & apertos, quæ res nos ministros summo gaudio afficit, & decet certè nos nihil vacillare. Ah! quanto tempore adhuc regnabimus? Si primùm vno ore glorificemus Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi, deinde pergamus nobis non esse dissimiles. non decet in hac causa cum vulpibus vulpinari, & cũ astutissimis huius mundi sapientibus astutia certare: certandum est nobis sola perseuerantia, pietate, simplicitate, adde & patientia crucis. hanc mentem donet nobis Christus Dominus. Proinde, quo diutius regnemus in Christo, exhortare obsecro reliquos fratres omnes quantis potes viribus, vt quoniam Ecclesiæ disciplina maxima ex parte euanuit, & fortè sine grauiore malo restitui in ordinem vix potest, vt saltem & Principes & Magistratus nostri strenuè animaduertant in vitia & scandala publica, quo saltem hac via purgetur Ecclesia, nomén que Christi apud reliquos melius audiat, quod ipsum quoque donet Christus suo Spiritu. Ah! ne opprimat nos ingratitudo & iniustitia qui de bonitate & iustitia Dei tantùm gloriamur. Quanta bonorum Ecclesiasticorum habenda sit ratio, non opus est recitare: tantùm da operam apud bonos omnes, vt nostros ad sanctum illorum vsum seriò exhortentur. Huc enim ventum videtur (quod tamen non sine gemitu dixerim) vt magna nostrorum pars credat sese tum demum verè regnum Antichristi euasisse, si cum bonis Ecclesiæ ludant pro libito, nec vlli disciplinæ subsint. O egregium Christianismum! Da ergo operam vt non solùm cum Papistis vobis negotium sit, sed inter vos quoque & cum vestris tractate quæ in rem Ecclesiæ, Christique gloriam facere possunt, quæque placare possunt Dominum: ne ingrati pessimè pereamus. Hanc solicitudinem & curam largiatur nobis filius Dei Iesus Christus. Amen. Ille te cùm bonis omnibus diutissimè seruet. Sed ne graueris meo nomine salutare omnes fratres, Philippum, Bucerũ, Freckthum, Musculum & reliquos, & seruet eos omnes Spiritus Christi in vnitate, perseuerantia, simplicitate, veritate, & tolerantia. Orate verò omnes pro Ecclesia quæ est Constantiæ, vt in fide crescat.

salutant

salutant autem te & reliquos, Ambrosius & reliqui omnes symmistæ, rogantes Dominum strenuè vt in illo optimè habeatis, & Euangelij negotium bene succedat, Amen. Ex Constantia, XII. Maij M. D. XLI.

Tuus Ioannes Zuick.

BVCERVS AD ITALOS.

Christum puro fide inuocantibus fratribus qui sunt Bononiæ & Mutinæ, sibi venerandis & charissimis.

GRatia & pax à Domino nostro Iesu Christo, fratres venerandi, ac membra in hoc ipso Seruatore nostro dulcissima. Audimus vos cognitione Christi in dies proficere, vtque natura fert fermenti Euangelici, per vos eadem cognitione complures quotidie imbui. Ea res nobis meritò magnam affert consolationem in Domino & lætitiam. Quem oramus vt numero, se apud vos pura certáque fide inuocatum, semper aliquos adiungat, eadémque fide magis magísque perficiat eos quos adiunxerit, ac quidquid liberæ nominis sui inuocationi & confessioni vobis omnibus obstiterit, clementer amoliatur, Satanámque pedibus vestris subiiciat, Amen. Nunciatum præterea est, disputationem de sacra Eucharistia inter quosdam fratres agitari: qua in re eos fratres per Christum rogo, & hortor, vt ea inquisiuisse satis ducant, quæ eo faciunt, vt carne Christi & sanguine verè pascantur, hoc est, vt in Christo viuant plenius, & illum viuentem in se potentius sentiant, & omni vita prolixius explicent ad proximos. Quæ apud nos de hoc mysterio agitata quæstio est, damni nobis dedit plurimum. Quare vel nostro malo docti, artes hîc Satanæ diligentius cauere debetis. Hæc docuit Dominus clarè nostram carnem & sanguinem regni Dei hereditatem non posse percipere: hoc est, iusticiam, & vitam æternam. Sua itaque nobis carne & sanguine opus esse: quibus qui non pascitur, eum vitam in se habere nequire: qui verò carnem hanc edit, & sanguinem bibit, hunc victurum in æternum, quia mansurum in ipso, & ipsum habiturum manentem in se. Hanc verò carnem & hunc sanguinem dare vescendum & bibendum, & verbo quidem & singulariter symbolis sacræ Eucharistiæ. Panem enim quem frangimus, non panis tantùm, sed etiam corporis sui esse communicationem, & Calicem gratiarum actionis sanguinis sui, non vini tantùm. Vnde præbens panem dixit, Accipite, & manducate, hoc est corpus meum. Bibite, hic est sanguis meus. Verè enim panc corpus, vino sanguinem suum dabat in cibum & potum non periturum ventris, sed viuificum mentis indéque & totius hominis: at cælestem tamen: in cœlis enim est & manet Dominus, id est, in inaccessa Patris gloria quæ nullo loco mundi alligatur: quia ille mundum reliquit & ad Patrem in vitam cœlestem transiuit, hoc est, conditionem huius seculi exuit, & gloriam quàm ab initio habuit repetit. in qua tamen & hîc cum suis est vsque ad consummationem huius seculi: nam & ipsos nos pater in ipso coniuuificatos, & excitatos etiam in cœlestibus in eo iam collocauit & dedit in cœlis nostrum habere πολίτευμα. Quo vt respiciamus Ecclesia etiam patrum tempore cùm iam tractanda essent mysteria sacra, inuitabat, iubens habere sursum corda. Nihil itaque hic terreni, nihil huius seculi cogitandũ, etiam si & nos & propter nos symbola totáq; externa actio mysteriorum huius adhuc seculi res sint. Addicit amicus amico fidem symbolo præbitæ dextræ, sed si verè & amicè res geritur, hic non contactum manus sed animum mentémque fidem suam obligantis amici, is cui fit promissio respicit, eáque re mirificè recreatur & confirmatur: tametsi friuolè sæpe, & nulla certa beneuolentiæ significatione dexteræ iungi soleant. Sufflabat in discipulos Christus & iubebat tamẽ illos accipere Spiritum sanctũ quẽ &. verè illis eo Symbolo dabat, sed nec in eo oris Dominici flatu localiter inclusum aut eidem vlla huius seculi ratione adiunctũ: verè tamen atque realiter eo signo exhibitum. Sic natura ab ipso Domino facti sumus vt in promissionibus & exhibitionibus rerum non visibilium, quæ sunt magni momenti, & quarum cupimus vel promissionem vel exhibitionem quàm grauissimè facere, signa semper exhibeamus visibilia. Ita vt fieri videmus in magnis emptionibus & venditionibus, actis & fœderibus, collationéque magnarum dignitatum & potestatum. Deus ergo qui sua inter nos agi vult quàm grauissimè & ardentissimè, rectè & symbola & quæ pro ingenio nostro ad excitandum, & inflammandum animos consideratione & sancta cupiditate donorum

ſuorum valeāt, adhiberi in exhibitione donorum ſuorum voluit. Hunc & ipſe vt ſanitates impoſitione manuum, digitorum, ſputi linitione vel attactu: ita & benedictionem impoſitione manuum, & Spiritum ſanctum flatu, & corpus & ſanguinem ſuum pane & vino prębuit, ſuóſque iuſſit ablutionem cœleſtem qua regeneramur tinctione vel aſperſione aquæ, ſanitates, & benedictionem ſpiritualem, poteſtatémque ſacri miniſterij imponendo manus conferre. Ad eundem modum egit & cum populo veteri. Hanc itaque tantam patris & magiſtri noſtri cœleſtis Chriſti φιλανθρωπίαν in vſu ſacrorum Symbolorum piè excipiamus, & exoſculemur, non curioſis & prophanis quæſtionibus contumelia afficiamus. Spiritus ſanctus per Paulum & alios Apoſtolos tradidit nobis quod illi acceperant à Domino. Hic autem inſtituturus hoc myſterium diſcipulos ſuos ſibi adiunxit qui adhuc ſectabantur & doctrinæ eius ſtudioſi habebantur. Hoc nos verè eſſe ſtudeamus, nec alios ad hæc myſteria admittamus, dum penes nos eorum adminiſtratio fuerit: dum minus demus operam tamen, vt quos licet, eius veros diſcipulos faciamus: id ſi nequeamus nihil detrahet nobis, ſi alij etiam palàm Iudæi ſint. Nec nos propter malos, bonis Domini fraudari decet. Deinde vt miniſter non ſua ſed Domini verba loquitur, ea nos fide vera vt verba Domini excipiamus. Agit gratias patri: agamus vnà: accipit panem & vinum, eáque diſtribuens iubet accipere: ea accipiamus & nos, miniſter ad diſtribuendum & ſumendum, plebs ad ſumendum. ſubiunxit, edite bibite: edamus & bibamus, non circunferamus vel includamus. Addit, Hoc eſt corpus meum, hic ſanguis meus: id credamus, nec dubitemus hæc dari nobis his ipſis ſymbolis, & dari in cibum & potum vitæ æternæ, vt magis magíſque viuamus in Chriſto & habeamus illum viuentem in nobis. Adiunxit, quod traditur pro vobis, qui funditur in remiſſionem peccatorum pro vobis & pro multis, qui eſt nouum teſtamentum: hæc credamus & gratias Domino agamus, quod immolatione ſui noſtra peccata expiauit, & fœdus gratiæ nouum & æternum inter patrem & nos ſanciuit & confirmauit vt ille nobis pater, nos ei filij ſimus. iubet denique hæc facere in commemorationem ſui: totum itaque circa hæc myſteria Chriſtum prędicemus, & quæ pro nobis fecit omnia: addicamúſque inuicem nos ei, & noſtra omnia: ídque teſtemur noſtra confeſſione fidei pijs laudibus, precibus, & oblatione numerum, nec enim vacuis in conſpectum Dei veniendum eſt: ſed pro eſuriente & ſitiente, nudo & hoſpite, infirmo & vincto Chriſto in ſuis, munus ſemper aliquod offerendum. Iſta ſi ita ſimpliciter credamus & geramus, verè diſcipuli Domini erimus, veréque ipſo paſcemur in vitam æternam: ſuperuacaneáſque quæſtiones, quæ tantùm ad inanem gloriam & contentionem valent facilè euitantes, toti in id incumbemus vt hac ſancta paſtione Chriſtum viuētem in nobis & plenius ſentiamus ad noſtram ipſorum conſolationem, & pietatis profectum, & omni ſtudio bonorùm operum ad alios exprimamus & exibeamus. Quæ inter nos Germanos de hoc myſterio dura nimis extitit concertatio opus carnis fuit. Nos D. Lutherum putabamus Chriſtum cœleſtem terrenis ſignis nimis dicendo affigere. Nos illi nihil in Cœna, quàm panem & vinum agnoſcere vel tradere. dedit tandem Dominus, vt tam de verbis, quàm de re pulchrè conuenerit: & ita vtrimque hæc myſteria commendemus, vt nec ille noſtris videatur indigna Chriſto tribuere, nec nos Cœnam Domini ſine Domino celebrare. Duas enim res hîc percipi vtrimque confitemur: terrenam, panem & vinum: & cœleſtem, corpus & ſanguinem Chriſti Domini. Quidam re vera dilutius, nonnulli craſſius de ſacramentis his loquebantur: ij ad mediocritatem piam & verbis Domini conſonam ſe receperunt: indéque eſt pia in Eccleſiis noſtris etiam hac de re conſtituta conſenſio. hanc & vobis retinere aut reſtituere ſicubi labefactata ſit, ſtudete, imitantes nos in eo quod Chriſti eſt, non in eo quod carnis erat: vt eſt omnis inter ſanctos contentio & concertatio. Dominos nos ipſe doceat ſua myſteria omnia, perficiátque, & ad perfectionem ſalutis & beatæ cum ipſo communionis largiatur. Amen.

Huic nos precibus diligenter commendare velitis, & hoſce noſtros fratres qui ſanctiſſimè apud nos vixerunt & ſedulò ſtuduerunt viſceribus Domini complecti & fouere ſtudeatis. Argentorati x. Septemb. anno Chriſti M. D. XLI.

Deditus vobis in Domino Martinus Bucerus manu mea.

CAL.

CAL. FARELLO.

POstridie aut saltem biduo postquam tibi scripserã, venit Carmelita Lugdunensis,à quo non frustra timuimus. Non fefellit nos diu:vultu, verbis,toto denique corpore,qualis esset prodidit.Neq; tamen obstitit quominus cum eo humaniter ageremus.Omitto priuata beneuolentiæ testimonia. Quantum ad ministerium ipsum attinet:vt obuiã iremus periculis omnibus, quæ varia hinc inde instabant,cõtulimus cum Collegis nostris,quænã erga eum ratio tenẽda foret.Communiter censuimus eum ad nos vocandum esse, rogandúmque vt nobis consilium suum exponeret.Condiximus in posterum diem.Ad primum postulatum respondit,se eo animo venisse vt Ecclesiæ seruiret. Tum excusare cœpi,quòd non statim eum reciperemus. ordinem enim esse nobis præscriptum à Domino, quem in vllius hominis gratiam violari nefas esset.Id quoque ad exemplum pertinere, ne admitti se alij quoque eodem modo postularent.Hortatus sum vt cogitaret rem nõ esse in manu nostra sitam:cùm aperto Dei Verbo conscientiæ nostræ constrictæ tenerentur.Quòd si timor Dei nos non impediret:ne per homines quidem licere: quia eius rei compositam formulam haberemus,cui stare nos oporteret.Deprecatus sum deinde, ne contemptu sui aut diffidentia nos differre existimaret.Addidi eius quoque imprimis interesse, ne ita subitò onus subiret, satius fore multo, si aliquantulum adhuc temporis ad deliberandum sibi sumeret. Tota oratio cùm erga eum honorifica erat, tum plena beneuolentiæ ac humanitatis.Excepit breuiter,se petere, vt fides sibi extemplo daretur: duas esse causas cur nollet suspensus diutius manere. Nunc se habere idoneos comites à quibus deduceretur,& equo etiam ac viatico instrueretur: posthac non eam sibi commoditatem fore. Deinde si in Galliam sibi remigrandum foret, nihil esse melius quàm id citissimè fieri, antequam rumor de eius ad nos aduentu latiùs manaret. Iussimus paulisper secedere ex communi consilio. Viretus longam & grauem orationem de religione ac diligentia, quæ in vocandis ministris seruanda esset, habuit. Produxit tum ex Verbo Domini, tum ex veteris Ecclesiæ historiis exempla, rationes adhibuit quæ ad causam facere videbantur. Erat huiusmodi oratio, quæ hominem non lacesseret: & tamen ab importuna illa festinatione retrahere eum deberet: quæ denique, si quid haberet pudoris ingenui,sine exprobratione aliqua permouere ad verecundiam posset. Atqui adeò fractus non fuit, vt inde ceperit maiorem ferociendi audaciam. Si Domini, inquit, Spiritum vos habere putatis,ego eo non sum destitutus. Scio igitur quid liceat.Non hîc sum quidem vt quæ à vobis obiecta sunt refellam: constat tamen Apostolos non fuisse vltissimum probatos alios ab aliis. Hoc autem proferebat tanto fastu, vt videretur à refutatione abstinere, quoniam non essemus digni, quibuscum experiretur. Addidit,se libenter id passurum fuisse,si ante proximam Quadragesimam huc venisset. nunc cùm in Ecclesia tam vicina specimen sui ediderit, notiorem se debere esse, quàm vt noua probatione opus habeas. Respondi non esse illic Ecclesiam, ex qua iudicium de Pastoribus sumi oporteret.Quòd si aliquid nominis illic comparasset, mirum non esse: euenire enim Gallis quod ait Solomo, nempe animis famelicis etiam amara esse dulcia. Ad hæc magnam infirmitatem declarasse in suis concionibus.Nos quidem, non exprobrandi animo hæc commemorare, sed ineptis eius iactantiis cogi. Ita discessum est,nisi quòd vnusquisque pauca verba subiecit, ad hominem mitigandum: scis quid profectum fuerit. Paulo pòst dixit in diuersorio, se hîc nullos reperire doctos homines:atque vt videas hominem planè furiosum,dixit nulla occasione.Cùm vnus fortasse me & Viretum nominasset, respondit fastuosè, myriadem esse in Gallia multo doctiorum. Quid refert? inquies. Ego verò istas ineptias, vt par est, rideo. Animaduerto tamen esse certa argumenta maleuoli ac maligni animi. Rogabis quàm sit doctus qui in alios omnes adeò seuerus est censor. Vidisti multos asinos,finge te vnum ex illis videre. Dum hæc scribo,literæ mihi tuæ afferuntur, quibus rursum flagitas vt alter nostrûm istuc veniat. Atqui si scias quàm multa & necessaria nos hîc detineant, facilè excusatos habeas. Magnam fratrum multitudinem nunc habemus, quibus in singulas horas respõdendum est. Inter eos duo sunt saltem, de quibus non modò bene speramus,sed splendidè nobis pollicemur. Alij sunt etiã non inepti, sed illi duo excellunt.Nuncius tuus nondum colloquutus est nobiscum, sed post catechismum ad me veniet. Vale,frater integerrime. Viretus te plurimum salutat, cuius nomine hæc

ſcripſi, longè plura additurus ſi ocium foret, ſed iam aliò vocor. Vtinam liceret chartam hanc implere: materia enim ſuppetit & animus non deeſt, ſed abrumpere omnia cogor. Iterum vale. Geneuæ. x. Maij. M. D. XLII.

CAL. FARELLO.

VTinam ita ad præſentis vitæ cõtemptum, ac ſanctæ mortis meditationem erudiar vt hic annus multis piorum funeribus mihi luctuoſus fuit. Poralis primus vrbis Syndicus ad Dominum migrauit: cuius mors nobis, vt par erat, triſtis atque acerba fuit. Ipſius verò mortis ſpecies, vt nonnihil mihi ſolatij attulit, ita ex aduerſo mihi dolorem auxit, dum cogito quantum in eo homine perdiderimus. Poſtridie quàm in morbũ inciderat, cùm eſſemus apud eum ego & Viretus, denunciauit ſe de vita periclitari: morbum enim quem patiebatur familiæ ſuæ eſſe fatalem. Habuimus deinde longum ſermonem de rebus variis: ſic loquebatur, quaſi ſana eſſet ac integra valetudine. Biduo quod proximè ſequutũ eſt acrius laborauit, ſic tamẽ vt ingenio & loquẽdi dexteritate magis vigeret, quàm tota vita: quiſquis ad eum viſendi cauſa acceſſerat, audiebat præclarã aliquam exhortationẽ: ac ne putes futilem fuiſſe loquacitatem, quantũ fieri potuit aptiſſimè ſingulis accõmodabat, quod illis conueniret ac prodeſſet. Cœpit inde meliuſculè habere, vt ſpes optima eſſet reſtitutum propediẽ iri. Triduum durauit hic ſtatus. tandẽ iterum morbus ingraueſcere, vt conſtaret maximum eſſe periculũ. Quo tamẽ afflictior erat corpore, eo ſpiritus viuidior fiebat. Taceo medium illud tempus, Quo die mortuus eſt, circiter nonã ante meridiẽ, illuc venimus ego & Viretus. Cùm pauca verba feciſſem de cruce, de gratia Chriſti, de ſpe vitæ æternæ, nolebamus enim prolixis ſermonibus eum fatigare, excepit ſe accipere Dei nuncium vt par erat, ſe enim ſcire quam vim haberet Chriſti miniſterium ad cõfirmandas conſcientias fideliũ. Illic de miniſterio ac toto illius vſu ita ſplendidè diſſeruit, vt nos ſtupore ambos afficeret: ac quoties mihi in mẽtem venit, adhuc obſtupeſco: ſic enim loquebatur, vt videretur orationem ab aliquo noſtrum diu ac diligenter meditatam referre. Hanc partem ſic concludebat, vt diceret ſe remiſſionem peccatorum, quam ex mãdato Chriſti polliceremur, nõ aliter accipere, quàm ſi Angelus ſibi è cœlo apparuiſſet. Deſcendit poſtea ad vnitatẽ Eccleſiæ, quam miris elogiis cõmendauit, teſtatus nullũ ſe habere melius nec certius ſolatiũ in certamine mortis, quàm quia in illa vnitate iam planè cõfirmatus eſſet. Collegas autẽ noſtros paulo antè vocauerat, ac redierat cum illis in gratiã, ne ſi in illo diſſidio perſtitiſſet, eo exẽplo alij abuterẽtur. Dixerat autẽ nobis, Cùm publica Eccleſiæ ædificatio vos cogat ad illos pro fratribus tolerãdos, cur nõ eadẽ ratione pro paſtoribus agnoſcerẽ? Admonuerat tamẽ eos ſeriò, ac illis quid peccaſſent in memoriã reduxerat. ſed redeo ad illam poſtremã orationẽ. Conuerſus ad eos qui adſtabant, hortatus eſt omnes vt Eccleſiæ cõmunionem haberent cõmendatã: eos verò qui in cęremoniis & diebus ſunt ſuperſtitioſi admonuit, vt depoſita peruicacia nobis acquieſcerẽt. nos enim melius ac prudẽtius videre quid expediret quàm illos: ſe quoq; in illis fuiſſe magis obſtinatũ, ſed datos ſibi demũ oculos, vt videret quàm noxia eſſet contentio. Poſtea confeſſionẽ edidit breuẽ ac grauẽ ac luculentam. Inde nos hortatus eſt, cùm ad alias officij partes, tum verò ad cõſtantiã: nec ſecus ac vates aliquis de futuris difficultatibus ſermonẽ habuit. De rep. mirũ quàm ſapienter dixerit quod ad rẽ pertinebat. Imprimis vt recõciliãdis ſociis vrbibus pergeremus operã ſtudiúmq; impẽdere cõmẽdauit. Quidquid vociferẽtur clamoſi aliqui, dicebat, non oportet vos animis frangi. Nõ habeo tantum tẽporis vt omnia perſequar. Nos vbi aliqua ſubiecimus, cõcepimus orationẽ. ſic diſceſſimus. Secunda pomeridiana, cùm vxor mea veniſſet, iuſſit bono animo eſſe quidquid accideret: cogitaret ſe non temerè, ſed mirabili Dei conſilio huc adductã, vt ipſa quoq; Euãgelio ſeruiret. Paulo pòſt denũciauit, vocẽ iam ſibi eripi. Cæterùm etiam ſine voce cõfeſſionẽ ſe retinere in animo, quàm prius ediderat, ac in ea moriturũ. Illic recitato Simeonis cãtico, atq; eius interpretatione ad ſe applicata, vidi, inquit, & manu tetigi ſalutare iſtud, atq; ita ſe ad quietẽ cõpoſuit. Exinde ſermone fuit deſtitutus, nutibus tamẽ indicabat, ſe nihil de animi vigore perdidiſſe. Sub horã quartã veni illuc cũ Syndicis. Cùm aliquoties erumpere in ſermonẽ conatus eſſet, & faucibus impediretur, iuſſi ne ſibi moleſtus amplius foret, abũde eius cõfeſſione ſatisfactũ. Cœpi tandem loqui vt potui, audiuit vultu admodum compoſito & tranquillo. Vixdum eramus egreſſi, cùm ſanctam animam Chriſto reddidit. Hęc narratio vix tibi erit credibilis, ſi ex-

si expẽdas hominis naturã: verùm scito fuisse nouo prorsus spiritu tunc donatum. Nunc in deligendis nouis Collegis sumus valde occupati, eóque magis, quòd dum putamus nobis contigisse aliquem valde idoneũ, postea deprehendimus nostræ expectationi nõ satis respondere. Vbi aliquid constituerimus, intelliges. Neque enim, cùm absis, iuuare nos consilio potes. Vale. XVI. Iunij. M. D. XLII.

Io. Calvinvs N. S.

VTinam mihi iam redditæ essent tuæ literæ quas in itinere esse non dubito. Nam etsi nihil læti in illis expecto, tamen hoc ipsum nonnihil me iuuaret, aliquid certi cognoscere de statu Ecclesiæ vestræ. Nunc scribere cogor de re mihi incognita: nec tamen mihi temperare queo, quin scribam. Audio euocatos fuisse in vrbem classium omnium Decanos, vt audiant, quidnam de Cœna Domini statuerit Princeps. Nihil dicturus sum, quod tu non iam satis supérque meditatum apud te habeas. Magnitudo tamen ipsa causæ tacere me ac quiescere non patitur. Duo hîc spectanda esse vides, statum ipsum quæstionis, & rationem agendi, quæ partim ex circunstantiis pendet. De causa non opus est te monere, vt cum N. diligenter conferas. Hoc tamen velim tibi curæ sit, apud eum efficere, vt apud quoscunque loquatur, non dubitet hoc testatum relinquere, non modò figurari in Cœna communionem quam habemus cum Christo, sed etiam exhiberi: neque verba illic nobis dari à Domino, sed veritatem ac rem constare cum verbis. Hanc porrò communionem non imaginariam esse: sed qua in vnum corpus, vnámque substantiam cum capite nostro coalescamus. Excludat interim libera voce omnia absurda, excipiat, caueat, modò in illo capite tã necessario nihil extenuet. Neque enim ambiguis aut obscuris verbis implicare licet, quod summam lucem ac perspicuitatem requirit. In ratione agendi, hoc expendere oportet, quale exemplum edituri sint fratres, si doctrinæ iudicem habeant Principem, vt quidquid sanxerit, amplectendum protinus sit atque habendum pro oraculo. Quale ac quantum sit hoc præiudicium ad posteros. Certè si ita patimur nobis iugum imponi, prodimus nostra dissimulatione sacrum ministerium. Neque hanc perfidiam, vel coram Deo, vel coram hominibus excusare poterimus. Verùm minimè necesse erit in hanc contentionem descendere: quando modesto ciuilique responso declinare hunc scopulum fratres poterunt, si dicent maiorem esse causam, quàm vt inconsultis suis Collegis aliquid recipiant. Habebunt autem speciosos ac fauorabiles prætextus, quibus illi satisfaciant. Illud quoque prætereundem non est, vt vbi bonam causam esse viderint, illuc seriò se applicent: ne dum medij esse volunt, deserant veritatis defensionem. Non intelligo vt se adiungant ad vitia: vel si ambæ partes peccent, se implicent alterius societate. Hoc tantùm volo, vt rectæ sanæque sententiæ palàm nec dissimulãter adhæreant. Postremò fratri nostro expone, quid de hominibus ipsis sentias, & quid in illis deprehenderis: vt sciat quibus fidem habere ac dare debeat. sed ineptus sum, qui tam anxiè te instruo, quasi non satis sit vno verbo signum dare. Finem igitur faciam. Vale optime ac suauissime frater. Dominus Iesus te Spiritu suo semper regat ac confirmet magis magisque. Saluta mihi omnes fratres. Genevæ, XXIII. Augusti. M. D. XLII.

Ioannes Caluinus tuus.

Io. Calvinvs N. S.

TErtio die ex quo tibi scripseram, venit ad me N. ac quid actum esset, breuiter expositi. Mihi verò, vt simpliciter tibi quod sentio, fatear, summopere omnia displicent. De edicto dicam postea. Verùm Decanos quis coegit responsum illud dare, quo præiudicium Collegis suis omnibus afferrent? Vtinam vel abfuisset N. vel aliud cor, aliúdque consilium ad hanc causam attulisset. Hoc ideo dico, quia N. mihi narrauit, eius culpa

factum esse, vt Decani sic præcipitauerint. Video quid sit, Cui religio non est, periculi metu per omnes sanctos deierare, is deinde hominum gratiæ hoc vel illud concedere non dubitat: quia obnoxius, vt est, sibi videtur. Respondeant pro se alii quidquid volent: mihi tamen suam hanc facilitatem nunquam probabunt. Quantùm ad summam ipsam spectat, vt tibi penitus assentiar, conscientia mea non patitur. Edictum nempe tolerabile esse censes, ac tutò à vobis posse recipi. Expendamus ergo id quod continet. Principiò approbat N. formulam. At qualis illa est obsecro? Tu Buceri obscuritatem vituperas, & meritò. At nihil est in Bucero adeò perplexum, obscurum, flexiloquum, atque, vt sic loquar, tortuosum. Exceptio tamen additur, vt tam hæc confessio quàm catechismus locum habeant, si certo modo explicentur. Quò remittimur? Hoc ergo à vobis quæritur, vt spondeatis vos nunquam discessuros à sententia vobis incognita. Deinde quid putas illic fuisse disputatum, nisi Christum non esse inclusum in pane? Id autem N. perinde accipit, acsi nihil aliud foret quàm signum. Quicquid sit, non ausim credere mysterium Cœnæ illic fuisse bene ac ritè explicatum. At confessio N. adiungitur. Equidem non nego quin istud multùm sit: sed mihi non sufficit, præsertim vbi omnia iterum ad disputationem illam & formulam quæ in Cœnæ administratione recitari solet, exiguntur. Atque vt hoc vnum mali sit, persuaderi nequeo, qui sententiam hanc tuletunt, sanam de hac re sententiam tenere. Iam eius erit interpretari, cuius fuit pronuntiare. Ita periurij alligatus iudicabitur, qui secus docuerit, quàm ipsi iudices assequantur. Neque hac sola in parte erit periculum. Vetat enim ne de vllo nouo ritu aut nouis ceremoniis verba posthac fiant. Quis autem nescit, illum & excõmunicationem, & frequentiorem Cœnæ vsum, & multa alia hoc nomine comprehendere, quæ nos desideramus, ac restituta cupimus? Tacendum tamen erit. Cùm ita scientes ac volentes laqueum vobis induitis, cogitate non finem calamitatis hîc fore, sed initium. Dominus enim vestram mollitiem seueriore aliquo flagello corriget, si negligitis occurrere, cùm palàm iaciuntur fundamenta pernicioſæ tyrannidis. At quid faceret Princeps, inquis? Nondum dico quid ille peccauerit in ipso ordine agendi: tantùm demonstro, quàm non sit tutum vos astringere, nisi magna cautione adhibita. Quòd ad rationem modúmque agendi pertinet, agnosco quod dicis, maiorem partem culpæ in ministris hærere: hæreo tamen cùm lego edictum: tanta illic & ferocia & superbia se ostendit. Sententiam suam vocat definitiuum ἄρρητον, cui contradicere non liceat. Promulgat, non vt libertas sit ministris respondendi: sed vt sequantur, teneant, obseruent, quod placuit. Agnosco etiam quod postea commemoras, N. iustas pœnas dare suæ vel ambitionis, vel malignitatis, quòd in tam miseram seruitutem cogitur: quia pati non potuerit fratres secum esse liberos. sed nos simul plectimur, imò in totam Ecclesiam pœna hæc redundat. Nam hoc exemplo edito, posthac necesse erit doctrinam nostram, non modò potestati, sed nutui vnius etiam hominis & quidem imperiti subiectam esse: vt loquendum sit aut tacendum, simul atque digito signum dederit. Neque tamen expedire censebam, vt fratres hac de re in certamen descenderent: sed videbantur mihi habere honestum prætextum declinandi, si cum excusatione ciuili & modesta confessionem suam offerrent. Atqui non postulatur ab illis confessio, inquis. Ego verò ideo dandam fuisse puto. Vale mi frater. Dominus semper te conseruet ac dirigat. Saluta omnes fratres: quibus tamen non communicabis omnia. Genevæ, I I I. Idus Septembr. M. D. X L I I.

Ioannes Caluinus tuus.

MYCONIVS CALVINO.

VIa hactenus scribendi consuetudo non fuit inter nos, Caluine doctissime potuissem & nunc supersedere, nisi legati Genevenses tam officiosè tuo me nomine salutassent, & petiissent vt aliquid ad te perscriberem. Gaudeo igitur in primis, quòd intelligo ex literis Bernatum, quàm bellè inter vos conueniat, id enim fuit vel primum quamobrem ego solicitus cum illis egerim, vt omni studio niterentur, vt in Domino foueretis concordiam. Videbatur ea res habitura

habitura momenti aliquid,vt facilius inter ciuitates quoque fieret in posterum reconciliatio.Id quod etiamnum insidet,tantùm vos qui estis à concionibus, quod vestrum est adhibere me negligatis. Qui in Domino & eius doctrina sunt amici, non videntur indigere labore,vt in cæteris etiam fiant concordes. Quod illi scripserunt de te, idem scribunt de Farello:itaque spes est,vt amicitia sic manente,propediem aduituri fructũ aliquem simus,quales ex eiusmodi radice solent suppullulare.Gaudium illud eò maius est in me,quàm hactenus sensi,quantum sit malum in Ecclesiis diffidium inter fratres. Bone Deus quàm ea res deuastauit nos! Nam etiã Caroloſtadio defuncto, nõ video fieríne queat,vt Ecclesia nostra coalescat aliquando:adeò semen odij ac inuidiæ à malo isto Satana seminatum est,qui haud nouit quiescere,præsertim vbi Christi gloria per Euangelij sinceram prædicationem efflorescit. Quia cœpi,dicam, quod nõ institueram, rem,imò dogma valde turbulentum ac pestilẽs, in quo se quidam miris versant modis laici,sed in potestate positi,siquando possint nos,qui Verbo præsumus, authoritatémq; nostrã labefactare.Senatus, inquiũt,Ecclesia est.Alij sic efferunt,Ecclesia super curiam est.Quæ ratio sit dogmatis patet: libertatẽ nostrã vellent oppressam cùm in docendo, tum in corripiendo: nam etiam nunc excommunicationis vim omnem ad se rapuerũt. At quis sit auctor,etsi noui, libenter hoc tempore in dubium verto. Non bene erit illi quondam coram tribunali Christi. Quid animi verò putas Caluine inesse tali viro, nisi quòd hac ratione, quicquid prius vendicauit in munere Ecclesiastico sibi Papa, illud ipsum,quisquis ille tandem,conatur vendicare Magistratui? Consilium hoc tãto peius, quanto Magistratus hodie sunt à literis atque à cognitione rerum diuinarum & Ecclesiasticarum remotiores.Aiunt Mosem principem secularem (sic didicerunt ab authore dogmatis) præscripsisse Aaroni fratri omnia,Dauidem Regem Sacerdotibus, aliósque reges pios. quidni igitur fieret idem in sacerdotio noui Testamenti? Quid si laicis huiusmodi argumentis fuerit persuasum? Hæc breuiter apud te dicta velim, non etiam apud alios:& gratum faceres, si per otium ad ea responderes aliquando mihi, par reddituro,vbiubi fuerit occasio & facultas. De Vireto scribam ad Bernates cùm primùm potero,sed fratrum nomine, vt auctoritas sit maior, siquid impetrari valeat. Vellemus enim & nos istam Ecclesiam esse, in bonum aliarum, quàm instructissimam. Bucerus abiit, si nescis, Spiram ad Comitia, profecturus forsitan inde Coloniam. Quid illic negotij sit, nondum comperi. De Comitiorum actis ideo nemo quicquam nouit, quòd adhuc non omnes sunt congregati. Spargitur dissensionem esse inter Principes & Ciuitates ob pecuniam, & milites dandos contra Turcam. Gaudeo quód Christus Dominus est,alioqui totus desperassem.Ille seruet Ecclesiam suam. Vale in Christo cũ Vireto mihi charissimo,& cum tota Ecclesia tua. Basileæ, x. Febr. anno M. D. XLII.

Of.Myconij tuus.

SVLTZERVS CALVINO S.

BInas ad te dedimus dierum nõ ita multorum interuallo. Itaque & tuas expectamus iam, idque eo auidius, quo magis tuum Ecclesiæque statum cupio cognoscere. Quanquam enim audiam non sine voluptate fœlicem istic Ecclesiasticæ reformationis disciplinæque communis successum, te tamen scribẽte & rectius liceat singula perspicere & animo meo magis exultare,quippe qui spem foueam,aliquãdo nostram nobis ignauiam Ecclesiam istam vel exemplo tacito opprobraturam vtiliter.Neque nos sanè spem abiecerimus,reuocari aliquando ministerij sacri cum suis partibus auctoritatem, Ecclesiæq; vel aliquam faciẽ conformari posse:si sublato fatali diffidio liceat aliquando ὁμοθυμαδὸν in communẽ causam incumbere,præsertim cùm tu & tui similes velut lætę aues præuolantes appareant, nec sinant despondere animum.Dominum itaque precor totius pacis charitatisque Patrem,vt suum Spiritum impartire nobis dignetur,vti prodigiosa hæc lues tollatur è grege suo: nobisque donet vt certis, moderatis ac salutaribus consiliis cuncta peragamus. Cæterùm ex Argẽtorato heri Adrianus alumnus noster fausto nũcio significauit Colonienſem Episcopum,profligata Papismi impietate reformationẽ religionis per totã ditionem suam moliri D.Buceri auspiciis,qui denuo nunc serióque ab ipso accersitur,cre

ditúrque eò profecturus verè ſanctus Chriſti Apoſtolus. Idem verò etiam Monaſteriẽſem epiſcopum meditari,ac vtrunque ad Proteſtantum fœdus aſpirare.Nam de Argẽtinenſi nimirũ accepiſti,qui Argentinenſium & quorundam ſuorum hortatibus impulſus, colloquium in Molſheim inſtituit, quod hoc ipſo tempore DD.Bucero,Hedione, aliíſque præſentibus peragitur,mox nimirum auſpicatóque aperturum per eam quoq; prouinciam Euangelio oſtium. Dominus Ieſus largiatur fœlicem progreſſum, non ſolùm propter horum ditiones ampliſſimas, verùm etiam propter exemplum quod hactenus inuſitatum: ita nimirum etiam alios inuitaturum ad capeſſendam alacrius Eugelicam veritatem,qui per metum fortè nihil ſunt primi auſi tentare.De Farello noſtro nimirum ex Buceri literis omnia intelliges. cuius anguſtiæ mirificè meum animum ſolicitum habent atque percellunt. Dominus & illius & Eccleſiæ miſereatur,qui ſolus poteſt repreſſa tempeſtate, ſerenitatem inducere, vt qui Verbo mare ſedat quamlibet fremens exitiúmque minitans. Nos tantùm eum precibus excitemus cùm noſtris tum Eccleſiarum noſtrarum, & verorum Chriſti membrorum συμπαθείας declaremus. Non deſino expectare lætius aliquod nuncium, quod vtinam breui accipiamus. Vitebergæ, ne & hoc neſcias, D.Lutherus Euchariſtiæ ſubleuationem, in Cœnæ ſacræ adminiſtratione exercitam hactenus, ſuſtulit, tintinabulíque pulſum, propterea quòd & Gallos quoſdam & Germaniæ ſuperioris ſtudioſos ea cerimonia offendi intellexiſſet. Sed & in Eccleſia Leipſenſi ipſo conſentiente his menſibus excepto vno, altaria omnia ſunt confracta & ſimulacra omnia ſublata,vt planè declararit ſe non tam cerebroſum præfractúmque quàm vulgò habetur & audit. Id igitur nuncium mihi ab homine fidei exploratæ ſignificatum eò me oblectauit impenſius, quòd ſperem plurimum ponderis ad Catholicam Eccleſiarum cõſenſionem habiturum hoc factum,quando rituum vel copia vel diuerſitate apud Saxonas non pauci offenduntur hactenus, maximè cùm non deſint vbique artifices mirè ad calumniam omnia detorquendi, & cauillandi. Paulus Fagius Iſnenſis D. Capitoni piæ memoria ſucceſſurus fertur tum in miniſterio Eccleſiaſtico tum Theologiæ profeſſione, ſque in horas expectatur. Hæc te ſcire volui. Quicquid erit te non celabo, quem ex animo & verè colo & diligo. Dominus te ſeruet cum vxore & ſymmiſtis, quo meo nomine amanter & diligẽter ſalutabis.Salutãt teContzen. Beat. Gryn. & Telamon. Vale. Bernæ XXI. Octob. Anno M. D. XLII.

Tuus Sultzerus.

BVCERVS CALVINO.

GRatiam & pacem. Quàm infœliciter ſibi conſuluerint Metenſes, cùm regnum Chriſti,non niſi certi de brachio carnis admittere voluerunt, in dies grauioribus calamitatibus patefit. Dominus corrigat quod à nobis peccatũ eſt, & excitet regnum ſuum ſuo brachio. Colonia moliebatur aliquid pro Chriſto: id vereor vt nunc bello,quod Brabanti intulerunt Iuliacenſi,etiam differatur. Noſter quoque moliri cœpit aliquid,ſed aduerſarij, dum non valet id aduertere, extrahunt etiam tempus quantum poſſunt. Vtinam ſentiremus & bona & mala noſtra,& conſiderantes ritè in Domino, veris ſupplicationibus incumberemus. Pœnitentia vera,etiam apud Euangeliciſſimos,ignoratur.Chriſtus nos excitet & ſuo Spiritu impleat. Res noſtræ hîc habent,vt ſolent,ſatis languidè pro donis nobis collatis: orate pro nobis vt magis inardeſcamus. Ludus literarius nõ incõmodè habet. Aduenit ex Italia vir quidam Græcè,Hebraicè & Latinè admodum doctus,& in Scripturis fœliciter verſatus,annos natus quadraginta quatuor, grauis moribus & iudicio acri, Petro Martyri nomen eſt. Præfuit Canonicis regularibus Lucæ: adduxit tres, vnum Græcè doctiſſimum, reliquos duos iuuenes ſtudioſos. Hîc laborauimus iam ne in tantis Eccleſiæ noſtræ opibus hi eſuriant. Reſpice nos Domine Ieſu.Hic te ſeruet & tuos.& habete noſtram Eccleſiam,vt ſoletis in veſtris precibus commendatam. Vale,Argent. XXVIII. Octobr. M. D. XLII.

M. Bucerus.

CAL.

CAL. MONSBELGARDENSIBVS.

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo fratres charissimi & obseruandi.

TAmetsi Neocomum duntaxat duo isti fratres vobis missi à nobis fuerant, ad consulendos eius loci ministros: illorum tamẽ hortatu hucusque ad me profecti sunt, vt de quibus petebatis ab ipsis consilium meam simul sententiam ad vos perferrent. Ego verò non tantum mihi sumo, vt audeam non rogatus me in vestras consultationes medium ingerere, meámque interponere opinionẽ. Sed quoniã nominatim adiecerat in literis suis frater noster Tossanus, cupere vos meum & aliorum iudicium audire, minimè sum veritus ne mihi arrogantiæ aut temeritati daretur, si vobis simpliciter exponerem ac paucis, quid essem ipse facturus si personam vestram sustinerem. Iam quidem antè duos menses quid sentiam aliqua ex parte fratri nostro Tossano priuatim indicaui: nunc verò quoniam capita mihi recensuerunt fratres, de quibus ambigitis, aut de quibus saltem non nihil est inter vos controuersiæ an recipi à vobis debeant: de singulis quid mihi videatur, breuiter respondeo. Vt se repræsentant ministro & offerant ad examen, qui Cœnæ dominicę communicare volunt adeò non displicet: vt potius id sentiam vltrò à nobis esse expetendum. Erit enim optimus piæ sanctæque in Ecclesia disciplinæ neruus. Verùm quia procluis inde lapsus foret ad corruptelam aliquam: vt obuiam eatur periculis omnibus, vtile erit simul præscribere limites, quibus legitimus vsus definiatur: primùm vt sit tanquam priuata cathechesis ad rudes familiariter edocendos, demum vt vsui sit ad eos monendos & obiurgandos, qui officio suo parum respondent: postremò vt ad trepidas conscientias erigendas & confirmandas valeat. De Cœnæ administratione ita sentio, libenter admittandum esse hunc morem, vt apud ægrotos celebretur cõmunio, cum ita res & opportunitas feret. Nec magnopere etiã repugnandum esse, quin maleficis detur qui plectendi sunt, siquidem postulent, & ad receptionem satis comparatos esse appareat: hac tamen lege, vt sit vera communio: hoc est vt panis in cœtu aliquo fidelium frangatur. Cœnam verò in ordinaria concione instituti extra ordinem vnius rogatu nimis absurdum est: neque enim decet proponi coram omnibus sacrum illud epulum, quod omnium commune est, sine solenni denuntiatione, vt ad participationem se Ecclesia comparet. Eo autem modo fieri quo princeps iubet, quid aliud foret quàm subiicere vniuscuiusque libidini publicum Ecclesiæ ordinẽ? Quòd si necessitatem obiiciunt, non est cur recusetis frequentiorem vsum, ne quis amplius necessitatem obtendat, qui in cœtum modo conuenire poterit. Baptismum obstretricibus permittere impia & sacrilega est Baptismi profanatio. Ergo hoc caput non tantùm repudiandum iudico: verùm, si vrgere vos princeps vltra modum pergat, vsque ad sanguinem resistendum potius quàm huic non tolerandæ superstitioni consentiatis. Rogabat Christus Pharisæos vndénam Ioannis Baptismus foret: è cœlo an ab hominibus. Nam si hoc secundum confessi essent, promptum erat colligere, vanum igitur esse & nullius momẽti. Iam obstretricũ Baptismus vnde erit? certè nõ ab eo qui hoc munus peculiariter Apostolis mandauit. Superest igitur vt à cõtrario auctore. Augustinus non de muliere sed de priuato viro mouet quæstionem, an si baptizet in necessitate, peccet. Respondet deinde dubitanter, vt excusetmagis quàm probet. Certè non asserit licere: quin potius fatetur subesse delictum. Verùm si Christi regulam sequimur nullus restat locus dubitationi. In sepultura mortuorum hanc moderationem vellem adhiberi ne in templum funus deferretur, sed recta in cœmeterium. Illic quoque exhortationem haberi vellem, vt in re præsenti funeris comites agnoscerent quod diceretur. Hæc ratio non admodum improbanda foret. De campanæ pulsu nolim vos pertinacius reclamare, si obtineri nequeat vt princeps remittat: non quia probem, sed quia rem contentione non dignam arbitror. In festis non recipiendis cuperem vos esse constantiores, sic tamen vt non litigetis de quibus libet, sed de iis tantùm quæ nec in ædificationem quicquam factura sunt, & superstitionem prima ipsa facie præ se ferant. Et habetis plausibilem recusandi materiam. Nam in Papatu magna celebritate Conceptionem & Ascensionem Virginis coluerunt. Quid habebit seruus Christi quod dicat, si suggestum conscenderit illis diebus, nisi vt eorum stultitiam videat qui tales ferias excogitarunt? Breuiter & nudis verbis sensum meum explicaui. Argumentis agere vobiscum, vel superuacuum, vel non adeò necessarium visum est, quando pro vestra prudẽtia sine alio mo-

nitore quæ me rationes moueant,expendere poteſtis.Iam video quæ & quanta in exorando principe vos difficultas moueat.Verùm ſi modeſta deprecatione oſtẽderitis vos non poſſe aliter niſi velitis in eius gratiam Chriſto illudere, non dubito quin tam æquo poſtulato ad extremum ceſſurus ſit. Hanc ob cauſam ſuadeo ne vos nimis difficiles ac moroſos quoad licet,præbeatis. Nam vbi hanc veſtram moderationem animaduerterit,facilius adducetur vt nonnihil vobis ipſe quoque viciſſim concedat, præſertim vbi viderit vos non abſque cauſa pugnare. Quòd autem vos terret offendiculorum periculum,ſi quam nouam agendi formam receperitis quæ non ſit noſtris Eccleſiis vſitata, id quidem meritò facitis:ſed quia non eò ventum eſt perfectionis quin optemus adhuc progredi,hic timor vos impedire non debet ab iis ritibus admittendis,quos alioqui non liceat penitus improbare. Valete optimi & mihi obſeruandi fratres. Collegæ mei diligenter vos ſalutant, qui ab hoc meo iudicio nihil prorſus diſſentiunt. Dominus Ieſus vos ſemper Spiritu ſuo gubernet. Geneuæ. Nonis Octob. M. D. XLIII.

Ioannes Caluinus veſter.

MYCONIVS CALVINO.

SCis quid egerit Cæſar in Germania inferiore cõtra Hildeſheimenſes,Antuerpiæ item contra bonos & doctos quoſdam quos eiecit. Vt prohibuerit ne cibus detur aut hoſpitium infectis noua doctrina, ſic enim vocat Euangelicam. Vt Colonienſem ciuitatem corroborarit aduerſus Archiepiſcopum:& tandem vt Euangelium ac Euangelicos homines Meti nuper profligarit,miſſo in hoc legato Carolo Boiſot 1.Doctore, hoſte nominis Chriſti truculentiſſimo:id quod reipſa probauit ſatis:eiecit enim D.Valtrinum Syluium (qui illic iuſſu Senatus & plebis aliquandiu prædicauit Euangelium) non ſine ignominia : vocauit enim hæreticum,qui vi intruſus à Proteſtantibus, prædicarit Metẽſibus horum dogmata.De quibus,& de Colonienſi palàm dixit,omnium impiorum & ſchiſmaticorum, & hæreticorum eſſe peſſimos.Amputauit præterea linguã mulierculæ quę inuecta erat in Miſſam Papæ verius quàm petulantius, & hæc pœna fuit ex gratia, nam ſententia lata mergi debebat. Hodie cum multis aliis exulibus Argentinæ moratur. Articuli quos præterea ſtatuit ſeruandos,tales ſunt, vt miniſtrum Antichriſti & Satanæ non obſcurè intelligas. Talem hoſtem ergo cùm in Germania habeamus cum exercitu ſæuiſſimo, quid non ad pacẽ omnibus viribus laboramus potius quàm ad diſcordiam. Obliti credo ſumus Deum pacis eſſe Deum,non diſſenſionis.Hoc enim ſi recto conſideraremus animo,non dubium eſt quin poſtquam Euangelium eius profitemur,à noſtris affectibus ceſſantes,paci nos deuoueremus.Oremus ſimul itaque,& imploremus Dominum, vt is finem contentioni tandem inueniat,poſtquam in nobis nihil eius reperiri licet.Ille adſit,quæſo,Verbo & Eccleſiæ ſuæ.Pergere dicitur Archiepiſcopus Colonienſis planè ſine terrore, ſimiliter & Monaſtrienſis in proferendo Euangelio quàm latiſſimé.Dominus adſit.Omnia præterea nunc verſantur in conſultando, vt videlicet in annum futurum,Satanæ frænis permiſſis, omnia miſceantur.Equidem dico, Domine fiat voluntas tua. Vale in Chriſto cum piis fratribus omnibus. Baſileæ XXIII. Nouembr. anno M. D. XLIII.

Of.Myconius tuus.

CAL. FARELLO.

QVod bene vertat Deus,hîc retentus ſum vt volebas : ſupereſt vt Viretum quoque mecum retineã, quem à me auelli nullo modo patiar. Tuæ quoq; omniúmq; fratrũ partes me hîc adiuuare,niſi vultis me fruſtra excruciari, ac ſine commodo eſſe miſerrimum.Vbi operam meam Senatui detuli,expoſui non poſſe conſiſtere Eccleſiam, niſi certum regimen conſtitueretur, quale ex Verbo Dei nobis præſcriptum eſt, & in veteri Eccleſia fuit obſeruatum. Capita deinde quædam attigi,vnde intelligerent quid vellem.Sed quia tota res explicari non poterat,petij vt nobis darentur qui nobiſcum conferrẽt : ſex nobis dati ſunt. Conſcribentur de tota Eccleſię politia articuli,quos deinde Senatui exhibebimus.Collegæ tres ſe nobis duobus conſentire præ ſe ferunt.aliquid ſaltem obtinebitur.Qualiter cum veſtra

vestra Ecclesia agatur, rescire cupimus. Quanquã speramus Bernatium & Biellensium auctoritate motus illos vel compositos in totum esse, vel nonnihil sedatos. Quando tibi cum Satana est certamen, & sub Christi vexillis militas, dabit victoriam is qui te armauit, atque in hanc pugnam pertraxit. Verùm quoniam bona causa bono actore indiget, vide ne sic tibi indulgeas, vt sit aliquid, quod boni quoque meritò desiderare in te queant. Non hortamur te vt bonam ac puram conscientiam hîc præstes, de quo nihil ambigimus. Tantùm cupimus vt quoad per officium licebit, te populo magis accõmodes. Duæ sunt, vt nosti, species popularitatis: altera cùm ambitione & placendi cupiditate fauorem aucupamur: altera cùm moderatione & æquitate animos allicimus, vt se nobis dociles præbeant. Ignoscas, si liberius tecũ agimus. Hac in parte videmus te bonis quoque ipsis non satisfacere. Etiam si nihil aliud sit, in eo tamẽ peccas, quòd his non satisfacis, quibus te Dominus cõstituit debitorem: scis quantùm te amemus, quantùm te colamus. Hic affectus, imò hæc obseruantia nos impellit ad istam exactiorem ac rigidiorem censuram: quia cupimus in illis eximijs dotibus quas in te Dominus contulit nullum extare næuum, qui maleuolis carpendi occasionem quam captant, præbeat. Hæc scripsi ex Vireti consilio, ideo plurali numero vsus sum. Vale optime & amicissime frater. Geneuæ, XVI. Septembris. M. D. XLIII.

CAL. MYCONIO.

QVum huc primùm appulissem, non potui, vt petieras, de statu huius Ecclesiæ te facere certiorem: quia ne ipse quidem satisdum habebam compertum, qualis esset: ab eo quoque tempore non ausus sum certò aliquid asserere, rebus adhuc parum confirmatis: ne paulò pòst ante tempus laudasse pœniteret. Atque hæc causa fuit, cur abstinuerim à scribendo, cùm reipublicæ nostræ legati istuc proficiscerentur. Nunc quando in hac mea cessatione, pro tua humanitate anteuertisti, diutius iam differre non licet, quin tibi respondeam. De rebus nostris sic paucis habe. Primus mensis ex quo ministerium recepi, tantum mihi negocij ac molestiarum exhibuit, vt propemodum conficerer. Tantæ molis est collapsum ædificium instaurare. Quanquam enim Viretus multa iam restituere fœliciter cœperat, quia tamen totam ordinis ac disciplinæ formam in meum aduentum distulerat, fuit velut ab initio inchoandum. Cùm, superato hoc labore, respirandi otium mihi datum iri crederem: ecce nouæ curæ & illæ non multò aliis prioribus leuiores me subinde excipiunt. Hoc tamen me vtcunque solatur ac recreat, quòd non sine fructu laboramus: qui etsi non tam copiosus extat quàm optarim, non tamen ita est exiguus, quin appareat aliquam esse in melius factam commutationem. Et spes in posterum amplior affulget, si mihi relinquatur Viretus. Quo maiorem tibi gratiam & habeo, & ago, quia huius solicitudinis partem mecum suscipis, ne eum reposcant Bernates: ac te vehementer per Christi nomen obtestor, vt sedulò ac diligẽter id facere pergas. Nã quoties de eius abitione cogito, totus exanimor. Fratres, vt spero, fideliter hac in re nos adiuuabunt (de ministris Bernensibus loquor) ita enim amamus inter nos, vt mihi de ipsis optima quæque non secus ac de me ipso, audeam polliceri. Sed vereor, ne Senatus parum se facilem præbeat. Quidquid erit, omni studio, diligentia, assiduitate in id incumbamus. Túque adeò ipse, quoad potes, enitere apud fratres, quemadmodum facturum te recipis. Quanquam enim voluntarios fore non dubito, proderit tamẽ vestram simul exhortationem accedere. Collegæ alij impedimento nobis sunt magis quàm subsidio: multum arrogantiæ & ferociæ habent, nihil zeli, minimum doctrinæ. Quod autem est pessimum, fidere illis nequeo, etiam si maximè velim: multis enim argumentis suam à nobis alienationem declarant: fidelitatis ac synceri animi nullum ferè indicium præ se ferunt. Tolero tamen eos, vel foueo potius summa lenitate: à qua me abduci eorum improbitate non patiar. Quòd si tandem necessitas ipsa postulabit acrius remedium, dabo tamen operam, modisque omnibus effectũ curabo, ne discordiis nostris turbetur Ecclesia. Horreo enim factiones, quas ex ministrorum dissensione semper emergere necesse est. Potui eos si voluissem, primo meo aduentu abigere: atq; id nũc quoque in manu nostra est. Sed me huius quam adhibui moderationis, nunquam pœnitebit: ne quis me nimis vehementem fuisse meritò queratur. Hæc ideo tibi obiter refero, quò melius perspicias, quàm miser sim futurus, sublato Vireto. Quòd Ecclesiæ vestræ exemplo commemoras

quàm noxia sit pestis ministrorum dissidium, id ego quoque superioribus annis expertus sum plus satis in huius Ecclesiæ calamitate. Nobis, qui hîc eramus, nihil coniunctius esse poterat. Sed cùm Satan infaustam illam simultatem inter fratres & nos excitasset, nosti ipse quid sequutum sit. Itaque hoc prorsus apud me statueram, nisi reconciliata cum illis gratia, hanc prouinciam nunquam recipere: quia desperaueram posse vllo modo vtile esse hîc meum ministerium, nisi manum illi mihi porrigerent. Interim multi in eorum cœtu sunt mihi parum amici, alij etiam palàm infensi. Sed hoc diligenter caueo, ne quid contentionis exoriatur. In vrbe, vt iam dixi, habemus intestinum semen dissidij: sed nostra mansuetudine & patientia efficimus, vt Ecclesia nihil incommodi inde sentiat, atque vt nihil perueniat ad ipsam plebem. Norunt enim omnes quàm placido humanóq; ingenio sit Viretus: & ego nihilò sum asperior, hac saltem in parte. Vix credes forsan: sic tamen res habet. Tanti enim mihi est publica pax & concordia, vt manũ mihi iniiciam: atque hanc laudem mihi aduersarij ipsi tribuere coguntur. Quinetiam ex inimicis nõnulli sponte in dies amici fiunt, alios comiter allicio, & proficere me non nihil sentio: vtcunque non vbique succedat. Poteram cùm veni magno plausu exagitare hostes nostros, & plenis velis inuehi in totam illam nationem, quæ nos læserat. abstinui: possem quotidie, si liberet, non modò impunè, sed cum multorum approbatione perstringere. supersedeo: imò summa religione id fugio, ne verbulo vno insectari aliquẽ videar: nedum simul omnes. Hunc animum mihi Dominus confirmet. Accidit tamen interdum vt necesse sit Collegis nostris resistere: sed nunquã id facimus, nisi vel sua importunitate nos cogant, vel aliqua grauior causa nos vrgeat. Referam tibi exemplum vnum, cuius me querimonia illa quæ in literis tuis continetur, propter argumenti similitudinem, admonuit. Cùm de erigendo Ecclesiastico iudicio cogitaremus, atque id nobis Senatus detulisset, boni isti viri coràm assentiebantur: quia scilicet contradicere in rebus tam apertis pudebat. Postea seorsum circumire, & prehensare singulos Senatores, ne quod haberent in manu ad pedes proiicerent (sic loquebãtur) ne potestate, quam illis Deus contulisset, se abdicarent, ne darent occasionem seditioni: & eius generis permulta. Dissimulanter transire hanc perfidiam nullo modo licebat: & tamen dedimus operam, vt id sine contentione transigeretur. Nunc habemus qualecunque presbyterorum iudicium & formam disciplinæ, qualem ferebat temporum infirmitas. Sed ne putes id nos sine maximo sudore fuisse consequutos. Vbique enim erumpunt profani illi spiritus, qui, vt disciplinam & ordinem effugiant, quem nullo modo ferre queunt, quoslibet quærunt prætextus ad labefactandã Ecclesiæ auctoritatem. Et mundus hoc habet solenne, quòd pro libidine regnare cupit, Christo autem imperium resignare non sustinet. Sed vtcunque plausibilem mundo & carni causam agant eiusmodi impostores, modò tamen cõiunctis animis & studiis obuiam eamus, fortíque & inuicto zelo pugnemus pro sacra illa potestate, quam inuiolabilem esse decet, Dominus Christus Spiritu oris sui eos conficiet. Illustrior enim est in hac re Dei veritas, quàm vt mendaciorum offuciis facilè induci queat. Mosem allegant & Dauidem. Quasi verò non aliud muneris habuerint illi duo, quàm vt populum ciuili potestate regerent. Dent igitur nobis insani isti similes magistratus, hoc est, singulari prophetiæ spiritu excellẽtes, & vtrámque sustinentes personam, non proprio consilio, aut affectu, sed Dei mandato & vocatione: nos talibus id quod postulant, libenter largiemur. Quin Moses ipse ante consecratum Aaronem Sacerdotis munere fungitur: postea Dei iussu præscribit quod facto opus est. Dauid quoque non sine Domini permissu ad ordinandam Ecclesiam accingitur. Pij alij Reges constitutum ordinem tuentur sua potestate, vt decet: Ecclesiæ tamen suam iurisdictionem, & Sacerdotibus partes illis à Domino attributas relinquunt. Sed ego ineptus sum, qui in hanc syluam ingrediar, cùm tabellarius iamiam abituriat: quo fit, vt ad narrandam Albergij historiam non sit in præsens satis ocij. Incipiam tamen & sequar, donec veniat nuntius, qui literas semiplenas è manibus mihi abripiat. Hoc principio habe, hominem istum iam multis annis nihil aliud quàm huc illuc cursitare, ab aliis emungere pecuniam, vestes ab aliis: ita per impostura victitare: quemadmodum errones isti solent. Venerat huc sæpius ante nostram expulsionem. locum petierat: sed non reperiebatur idoneus, quia volebat scholam celebrem, quæ in his regionibus nulla est, & magna stipendia. Paulò pòst rediit, deplorans suo more, spoliatũ se fuisse à latronibus. Concedit in vicinum oppidulum, scholæ præfecturam ambit: non impetrat: hanc repulsam nobis imputat: qui adeò nihil illic vel auctoritate vel gratia poteramus, vt si cognitum

fuisset

fuisset nobis displicere, eo solo nomine impetraturus fuerit. Et tamẽ testis est nobis Deus, eo tempore nihil aliud conatos, quàm vt alicubi conditionem sibi aptam & commodam inueniret. Venit postea Argentinam, vbi viginti Batzios à me extorsit, quos ego aliunde mutuo accipere coactus sum. Nam libros tunc vendideram, & omnino eram exhaustus. Redditurum se intra paucos dies promiserat. Cistulã nullius precij apud me pignoris loco deposuit. Reuersus aliquot pòst mensibus, petiit subridens, vel potius illudens, an non sibi mutuo aliquot coronatos dare vellem. Respondi me illa summula egere, quam habuerat. Nebulo interim cistulam clanculum à mea Bibliotheca subductam vxori Buceri cõmendat: illa reiicit, ac me admonet: ego impudẽtiam eius coram aliquot testibus castigo. Dimidio anno pòst, aut integro anno scribit ad me simplices literas, se obsideri Badenæ, totam regionis nobilitatem in se conspirasse: non aliter posse euadere, quàm si ego mitterem baiulum, qui eum in cista mercatoria asportaret. Bedrotus habuit ferè similes: nos risimus: ego etiam paucis respondi. Nam multis coniecturis deprehendimus, ipsum in vrbe esse. ab eo tempore nõ comparuit: sesquiannus elapsus interea est. Cùm scirem multas nugas inclusas esse in cistula, aperui corã multis testibus. Erant illic mala putrida, & omne genus scruta, libri semilaceri, & ij vulgares, vt Despauterius & similes. Reperi etiam literas, quas mihi subripuerat. Nouit hoc Sturmius, quem ego aduocaui. Reposuimus omnia, non sine multo risu. Cùm Vvormaciam veniret sanctæ memoriæ Grynæus, nunciauit esse Basileæ. Mandaui meis discedens, vt cistulam remitterent. Nebulo, ea accepta, clamitare me esse furem, sustulisse multos incõparabiles libros. Venit Lausannam: eadem retulit Vireto. Nuper cùm huc se contulisset, decem circiter dies me inscio in vrbe fuit. Postea Vireti impulsu eum aggredior, rogo an non actionem furti mihi velit intentare: cùm diceret se perdidisse præclaros libros, vocaui impudentissimum nebulonem. Postridie aggressus est me domi meæ non modò contumeliosissimis verbis, sed furioso impetu: eam ob rem in custodiam datus est. Cùm bona fide pro eo deprecarer magistratum, ac iam vocaretur siue vlla molestia dimittendus, nunciat custos carceris multò atrocius fuisse illic in me locutum: ita non passus est sibi benefieri. & tamen infra meritũ pœnas luit. Quòd autem sublatum sibi aliquid queritur, vetus est eius cantilena. Nõ poterat olim tria passuum millia conficere, quin incideret in latrones. Vbiq; iactat se habere magnam librorũ inæstimabilium farraginem. Quemadmodum libros mihi oppignerabat, quos habebat Basileæ, cùm meum auxilium in soluenda Badensi obsidione flagitaret: ita semel Bernæ, cùm à me & Farello decem coronatos peteret, dicebat se habere domi tuæ magnum dolium librorum, & quinquaginta ducatos Bohemicos. Nuper etiam in cauponis nihil aliud prædicabat, quàm nobilem bibliothecam, quam Basileæ reliquisset. Quãquam indignum est, vt de mea purgatione verbum faciam: puto enim sic me vixisse, vt sim extra furti suspicionem. Iam literę iterum poscũtur. Vale optime, & mihi plurimum obseruande frater. Dominus Iesus te Spiritu suo ad opus suum semper dirigat, ac tuam familiam gubernet. Viretus te plurimum ac reuerenter salutat. Geneuæ XIIII. Mart.

Ioannes Caluinus totus tuus.

CAL. NEOCOMENSIBVS.

Charitas Dei, & pax Christi, & communicatio Spiritus sancti vobis semper augeatur, fratres in Domino dilectissimi.

CVm Enardus frater noster scriptũ illud vestrum de modo exercendæ disciplinæ in fratres, & simul contrarium fratris cuiusdã attulisset, nemo fuit, qui non iudicaret, respõderi in promptu ad vtrũque posse. Sed quia non omnes aderant, in hodiernum conuentum distulimus. Re iterum proposita, hoc omnes vno consensu respondendum censuimus. Primùm cùm ministri certa quadam inter se disciplina opus habeant, non hoc quærendum est qualiter sine legibus viuamus, sed ineunda potius œconomiæ & ordinis ratio, quæ apta sit ad nos in officio retinendos, & ad ædificationem seruiat. Nunquam autem sic comparatę erunt res hominũ, vt aliquid perfectum reperiatur. Ad hunc tamen scopum tendere semper debemus, vt coniunctis studiis, & communi, quantum fieri potest, consilio seruiamus Ecclesiæ. Iã verò in hac nostra infirmitate fieri nequit, quin aliqua in nobis desiderentur, de quibus ad-

moneri nos conuenit,& vtile est. In aliis corrigenda sunt certa vitia: alij sunt anteuertendi,cùm videmus periculum imminere, ne imprudentia labantur: alij ad maiorem zelum incitandi:alij obiurgandi,in alios inquirendum, si quis de illis siniſter rumor, & tamen dubius,emersit.Nunc quæritur,An omnino necesse sit,singulos à singulis priuatim admoneri,an verò interdum expediat, habita inter fratres deliberatione, hoc fieri à toto cœtu? Atqui sæpe contingit,vt à multis admoneri nos oporteat, de quo nemo vnus nos admonere potest. Exempli gratia, Erit, sicuti nuper dictum est, exortus rumor aut querimonia de fratre quopiam:id vicini scient: non potest occurri meliore remedio,quàm si fratres,re inter se communicata,ipsum de quo agitur admoneant. Si falsa est criminatio,sic prouidebunt ne latiùs spargatur: sin vera,non ab vno tantùm admoneri debuit ille, sed à fratrum cœtu corrigi. Sit aliud exemplum, Erit aliquid in fratre quod displicebit aliquibus vel ex plebe,vel ex collegis.Hîc vertitur quæstio,num illud quod desideratur,pro vitio habendum sit & corrigendum? Ergo collatis capitibus, opus est iudicare.Multa quotidie incidunt eius generis. Atque huc spectabant ex parte Prouinciales Synodi, quæ bis olim quotannis habebantur. Nam cùm tractatum erat de doctrina,tum querimoniæ de cuiusque vitiis audiebantur, & censura exercebatur in singulos. Vestrũ ergo institutum, quale describitis, sanctum & legitimũ iudicamus. Et certè nimiæ esset impudentiæ,id ipsum improbare in vobis,quo nos tanquam bono & salutari vtimur. Adhibeatur modò æquitas primùm, & candor:deinde prudentia & moderatio.Candorem cùm requirimus & æquitatẽ,hoc intelligimus,ne quis maligno animo fratrem sugillare studeat.Prudentiam & moderationem sic accipimus, ne quis vitium arcanum deferat,quo nota fratri inuratur:néve quis immodica austeritate exaggeret quæ alioqui leuicula sunt. Quare si quando contingat, vel à morosis & importunis fratribus in medium proferri quæ tacenda potius erant,vel accusatorio animo proferri arcana vitia,non modò nequaquam audiẽdi sunt indices aut delatores, sed etiam seuerè reprimendi. Quinetiam vt obuiam eatur his periculis,cùm agendæ sunt censuræ,vtile est diligenter præfari,cauendum esse ab his omnibus, quæ salubrẽ censuræ medicinam vertũt in venenum. Nos certè statim ab initio præmonemus, vt si quæ sint obscuræ simultates,aperiantur:si frater offensus à fratre fuerit,expostulet,antequam agantur censuræ,ne hæc simul permiscentur.His ergo initiis,quoad licet,præcludenda est via,ne obrepant:& si fortè obrepserint, rescindẽda sunt. Censuræ verò disciplina, quã non modò sanctam, sed etiam necessariam experimur, non est propterea negligenda aut omittenda.Fratrem verò illum qui hactenus à vobis dissensit, obsecramus in Domino,ne vlterius pertinacia contendat ad repugnandum. Meminerit inter alia quæ Paulus in Pastore requirit,hoc esse nõ postremum,ne sit αὐθάδης, hoc est proprio iudicio addictus.Et certè hæc vna est ex præcipuis virtutibus boni Pastoris, sic exhorrere toto pectore contentiones,vt nũquam à fratribus,nisi ob causas maximè necessarias, dissideat. Caueat etiam,ne qui hoc audiunt,suspicentur ipsum aut litigandi studio,aut odio disciplinæ impedire,quo minus de nostris moribus fiat censura: non quia velimus hac eum inuidia grauare,aut vlla prorsus macula ipsum aspergere:sed ideo simpliciter hæc iudicamus,quia cupimus eius honori bene consultũ.Quãtum ad eius scriptum attinet,quo impugnare morem vestrũ conatus est,quod bona eius venia dictũ sit,cùm fraternã correctionem actum charitatis vocat, à quo nemo sit eximendus: non videtur nobis animaduertisse quod erat in primis cognitu necessarium, plures esse species fraternæ correctionis. Vt alias omittamus,hæc de qua disputatur, distinctam & propriam rationem habet.Est enim pars Ecclesiasticæ politiæ. Ergo cum illa generali correctione confundi non debet,quæ omnibus indifferenter mandatur. Proinde non concedimus illi,esse simplicem & nudum charitatis actum: siquidem iudicium est ordinis & disciplinæ causa institutum,quod tamen vnam ædificationem pro fine propositam habet.Neque etiã concedimus,neminem ab eius obligatione eximi. Tametsi ambigua est loquutio hæc, quia tam passiuè,quàm actiuè accipi potest.Sed vtroque modo negamus omnes hac lege obstringi,quæ specialiter est ministris destinata. Sicut enim quæ ad ordinem habendi Senatus spectant leges, plebem non ligant:ita disciplinam inter nos obseruare conuenit,cui subiecti sunt soli ministri.Quod in eadem propositione habet, Sub præcepto Dei cadere fraternam correctionem, si intelligit auctor, cuiusuis correctionis expressè Verbo Dei contineri: hoc verò nequaquam illi confitemur. Substantiam Ecclesiasticæ disciplinæ exprimit disertis verbis Scriptura: forma autem eius exercendæ, quoniam à

Domino

Domino præscripta non est,à ministris constitui debet pro ædificatione. Qua ratione etiam negamus, solam delinquentis emendationem intuendam hîc esse: respectus enim ordinis publici & communis ædificationis habetur. Cuius rei sumere exemplum ex Scripturis licet,Cùm Paulus Hierosolymã venisset,admonetur à Iacobo & Senioribus,quàm malè audiat inter Iudæos, simul etiam qualiter se illis purgare debeat:nõ dubium quin præcesserit deliberatio inter fratres: & fuerit Paulo absente. Cur hoc? quia scilicet communis ædificationis intererat. Similiter cùm Petrum reprehendunt fratres,quòd ad Gentes diuertisset,non legimus quidquam illi in aurem clam fuisse ab vno dictum:quia scilicet offensio manarat ad plures, æquum fuit communiter ipsum à fratribus admoneri. Tametsi autem immeritò hac de causa arguebatur, non tamẽ peccasse legimus fratres in modo agendi, sed in ipsa causa: modum enim tenebant vsitatum & ordinarium. Christi præceptum,quod Matth. 18. habetur, accipimus de occultis vitiis,quemadmodum etiam verba sonant. Ergo si quid frater, te cõscio, deliquerit, nec alios habeat testes, iubet Christus te ipsum priuatim conuenire: quanquam non vetat,quin idem facias,etiam si qui alij tecum conscij sint. Fieri enim potest, vt tu hoc ignores,vel expedire non putes coram pluribus eum reprehendi. Quod postea subiungit,Si nihil hac via profeceris, vt tecum duos aut tres testes adhibeas: hoc nostro iudicio intelligẽdum est non de testibus delicti, sed admonitionis, quò scilicet plus momẽti habeat: porro hoc nihil ad impediendam censuræ rationem, de qua nunc controuersia est. Neque enim hoc agitur, vt occulta delicta in medium proferantur, ad irrogandam fratribus infamiam,sed tantùm quæ ciusmodi sunt, vt aliquid offendiculi genuerint,aut non procul absint à gignendo. Huius speciei exemplum habemus in Petri reprehensione: neque enim testes abegit Paulus, vt clam omnibus ipsum admoneret, sed hoc fecit coram Ecclesia. Nec tamen res omnibus nota erat: sed quia imminebat periculum, anteuertere voluit. Quintam propositionem recipere sine exceptione non possumus: pronunciat enim, nos scitè facturos, si fratrem etiam peccato notorio laborantem admoneamus priuatim. Atqui Paulus,vbi prohibuit recipi aduersus presbyteros accusationem, nisi sub idoneis testibus: ex aduerso presbyteros peccan- 1. Tim. 5.
tes coram omnibus argui vult, vt cæteri timorem habeant. Si interdum conuenit publicè argui peccantes, etiam presbyteros, quibus habenda est maior reuerentia, idque pertinet ad exemplum, non scitè neque prudenter faceret si quis abstinere vellet à tali reprehensione. Quid ergo? Certè quantum iudicamus ex re præsenti & tempore capiendum est consilium. Semper autem hæc duo sunt prospicienda, ne à tristitia absorbeatur qui peccauit: & ne videamur ad peccata conniuere. Sextam propositionem cur addiderit frater miramur: satis enim conuenit, Ecclesiæ nomine, in Christi verbis,eam propriè designari,cuius membrum est ille, cuius contumacia denunciatur. Cæterùm duo hîc sunt obseruanda,sic publicandam esse contumaciam peccatoris obstinati coram vna Ecclesia,vt si ea per contemptum relicta,aliò migret,illic quoque denuncietur. Atque hoc sibi volunt antiqui Canones cùm extraneum ad communionem recipi prohibent, nisi testimonium attulerit. Vbi enim Ecclesiæ communio, si ab vna damnatus, ab altera recipitur? Vbi disciplina, si qui vnam Ecclesiam contempsit in aliam migrando, impunè talem fert superbiam? Alterum quoque obseruandum est, vt vnius Ecclesiæ ministros esse sentiamus, qui in vnum collegium adunati, vnum corpus efficiunt. Quorsum enim Decanus? quorsum alia omnia? nisi tanquam vnius corporis membra inter nos coalescamus? Hæc ab auctore propositionum in bonam partem acceptum iri, sicut sincero animo à nobis scripta sunt, confidimus. Nostræ sanè omnium partes sunt, non tantùm cedere veritati, sed vltrò eam, & obuiis, quod aiunt, manibus protrusisque accipere. Valete fratres in Domino dilectissimi. Dominus Spiritum sapientiæ & prudentiæ in dies vobis adaugeat in Ecclesiæ suæ ædificationem, & ministerium vestrum quàm fructuosissimum reddat. Geneuæ,ex conuentu nostro. VII. Idus Nouemb. M. D. XLIIII.

Ioannes Caluinus fratrum omnium nomine.

CALVINVS P. CAROLI.

Gratia tibi & Pax à Domino qui tibi ac nobis sanum consilium & rectam voluntatem inspiret.

MAllem huc te ad nos contulisses, de recõciliatione corã nobiscum acturus quàm literis id expertus esses, præsertim quales tuæ sunt. Vehemẽter ideo laboras ne videaris absque iusta causa in Ecclesia turbas excitare: quasi vlla turbandæ Ecclesiæ honesta causa obtendi possit. Demus non habitam fuisse tui rationem à fratribus quam oportuerat: an ideo tamen protinus ita tumultuari fas fuit? Dicésne fuisse Spiritum Dei qui te impulerit ad denunciãdum omnibus certamen? Neque hæc dico exprobrandi causa: vtinam passus fuisses me prorsus tacere. Verùm dum omnes eos qui tua saltem opinione non satis æquos tibi se præbuerunt cum Satana cõiungis, nimis certè stupidos arbitraris, si posse hoc silentio transmittere existimas. Dicis te indignatione fuisse percitum, vt Farellum & me traduceres, quoniã literis nostris effeceramus ne tibi fratres Neocomẽses locũ darent. Primùm id vel abs te confictum est, vel falsò ad te delatum: nihil enim vnquam mihi in mentem venit tale scribere Neocomensibus. In literis Farelli quãtum audio (nihil enim habeo præter auditum) longè durius tractatus fuerat Michael quàm tu. Cùm ergo neque verbo neque facto vnquam te læsissem, imò cùm ne minima vnquam offensiũcula te pupugissem, cuius humanitatis fuit, me vsqueadeo atrociter lacerare? Quòd si qua in re priuato tuo commodo obstitissem, quàm aliena tamẽ homine Christiano illa ratio fuit, vt vindictæ impietate inflammatus in illud turbulentum consilium prorumperes? Cùm tibi semper antehac sine dubitatione fuissem frater, qui fieri potuit vt momento vno fierem hæreticus, à cuius communione abhorreres? Scilicet hoc non est sacrosancto Dei nomine abuti. Negas aliud tibi superfuisse, nisi vt nos irreconciliabiles proclamares (hoc enim est tuum verbum) sed paulisper quæso, tecum reputa, quàm te ridiculum facias, quem constat in media pace classicum ceciniisse. Verùm fac tibi datam à nobis aliquam occasionem: quid tamen sibi vult verbum illud quo vteris? Certè irreconciliabilis dicitur is quem cùm modis omnibus placare studueris, nõ potueris tamẽ ad vllam partẽ æquitatis inflectere. Quãdo tam præfractam ac pertinacem duritiem in nobis vnquam expertus es? De me quod conqueraris non habes: ego verò iustissimam rationem habeo, cur tecum expostulem, vt nihil dicam grauius. Neque tamen de vltione cogitaui: tantum abest vt facinus vllum hostile in te designauerim. De Farello velim scire, quam iniuriam tibi fecerit. Scripsit ne admitterentur ad ministerium, qui Ecclesias sibi commissas deseruissent: an non debuit? Neque enim minor est perfidia siquis Ecclesiã relinquat, quam semel susceperat in suam fidem, quàm si pater filios suos abiiciat. At te comprehendebat in eo numero, cùm tamen ab ea culpa esses alienus: si literas legeris, aliud comperies. Nihil enim postulabat à fratribus, quàm vt diligẽter inquirerẽt: si cognitio tuæ causæ te purgabat, nónne idipsum optare debuisti? Metim venisti deinde: quanta intemperies fuit apud Christi aduersarios iactare, te venisse instructum vt nos hæreseos conuinceres? Et tamen retines interea illam gloriam quod nihil contra Euangelium moliaris. Sed quo exemplo hoc nobis probabis? Siquis ex professo bellum cum seruo Christi gerat, eúmq; impediat quibus possit modis, quo minus Christi regnum promoueat, mirum si talem hominẽ dicas ab Euangelij partibus stare. Vide iterũ frater atq; iterum quò progrediare. Ministerium habemus à Christo minimè distũctum: si dubitas, habemus satis certum & fidele conscientiæ testimonium. Blandiaris tibi vt voles, senties demum in impetendo contra stimulũ te calcitrare. Interea quid nobis nocere potes? Hæreticos vocabis. vbi? Nempe inter eos qui te pro hęretico habebũt, etiãsi tua maledicẽtia ad tẽpus abutantur. Apud pios & doctos minimè vereor, ne quid mihi obtrectãdo proficias. Hæc omnia in eam partẽ spectant ac ita accipi abs te volo, vt corã Deo recognoscas, quam viam sis ingressus, neque alios damnando immeritos, defensionem mediteris, quæ nõ modo omni fundamẽto, sed etiam prætextu careat. Hoc si fuero consequutus, satis mihi est. Nolo tamẽ te propterea animũ spemque abiicere. Nam si nobis vera & solida recti animi indicia ostenderis, parati sumus tecum mox in gratiam optima fide redire, omnia obliuisci, ignoscere, & prorsus ex memoria delere. Vtinã pectus meũ intueri posses, nihil enim magis cupio quàm Deo te reconciliare primùm, vt inter nos fiat firma coniunctio. Sed crede mihi nunquam vtiliter Domino seruies, nisi istud supercilium deposueris, & linguæ amarulentiam. Ergo si in gratiam

nobiscum

nobiſcũ redire animus eſt: parati ſumus ad te amplexandũ, neq; deerimus vllis officiis, quoad dabitur facultas. Verùm in illã quã à nobis exigis pactionẽ, qui poſſimus deſcendere? vt tibi ſcilicet Eccleſiã iam deſpondeamus? Primùm Eccleſię nõ ſunt nobis ad manũ ſicut noſti, deinde qua conſcientia id tibi polliceremur, antequã de cõſenſione doctrinæ cõſtet? Non diſſimulas te à nobis adhuc diffidere: & tamen vis locum tibi deſtinari ad docendum. Tu ipſe perpende quantopere iſtud deceat. Nos verò pluſquam ſtipites meritò iudicares, ſi tibi obſequeremur. Vt finem aliquando faciam, peto abs te, vt animo compoſito ac ſedato tecum diſpicias totam cauſam, vt has etiam literas non alia trutina, quàm iudicij ab iracundia penitus vacui, examines. Agnoſces certè nihil eſſe melius, quàm curſum malè inchoatum reflectere. Si voles nos experiri, nullum amicitiæ officium tibi à me defuturum recipio: hoc etiam Farellus ſeriò pro ſe promittit. Sed memineris eius charitatis, quam tanta ſeueritate ab aliis exigis, partem aliquam erga alios exhibere. Si tibi paulò aſperior vſus ſum, quid literæ tuæ mereantur cogita: quanquam id quidem nequaquam reſpexi, ſed tãtùm vt tibi prodeſſem: quod facturus mihi non videbar, niſi ad peccati tui recognitionem te adducerem. Vale frater mihi in Domino chariſſime: ſi modò diligi te, & fratris loco haberi pateris. Dominus Chriſtus te Spiritu conſilij & prudentiæ gubernet, vt ex iſtis periculoſis ſcopulis, ad quos impegiſti, & tempeſtuoſa iactatione, in portum te citò recipias. Argentorati. x. Auguſti. M. D. XL. Ioannes Caluinus ex animo tibi amicus. Farellus ſaluere te iubet, optátque vt ſeriò ad Dominum conuertaris, & tam ſis paratus in amicitiam & fraternam coniunctionem nobiſcum redire, quàm ipſe te amplecti paratus eſt.

SVLTZERVS CALVINO.

SAlue mi amantiſſime frater. Res noſtrę in ancipiti ſtatu ſunt, nec quid ſperem magnopere, nec etiam quid deſperem, habeo. In ſpem tamen magis propendeo, ſiquidem Synodo controuerſia (vt par eſt) examinanda diiudicandáq; cõmittatur: eámq; vt impetremus, ſtudio acerrimo incũbemus: quanquam reluctaturũ pro virili Antagoniſtam eſſe coniiciam, qui ad cætera, omnem Eccleſiæ auctoritatẽ atq; œconomiã ad tribunal tãtùm forenſe reuocat, corámque iis indubiè hanc cupit potiſſimũ decîdi cauſam, quorũ animos iam antè blandiloquẽtia prę occupauit, aut præoccupaſſe videtur potius, actor futurus idcirco non ingratus, quòd pro ipſorũ placitis, ceu pro aris ac focis depugnet, pro diſputationis habitę auctoritate, tãquã Dianę illius magnæ Epheſiorũ, clamoribus indefinẽtibus vociferetur. Nos quãquam bonorũ volũtates à nobis non alienas eſſe cognoſcimus, tamen Domini beneficio nullus adhùc applauſus humanus ſic nobis oculos perſtrinxit, vt nõ potius cauſæ bonitatẽ, quã ſuffragia potentũ reſpicianrus. Neq; vllorũ mortaliũ reformidamus iudiciũ: donet modò nobis Chriſtus, vti qua par eſt, æquanimitate, prudẽtia, cõſtantiáque ſtare pro veritate atq; pugnare poſſimus. Statũ cõtrouerſię hũc nos vrgebimus. Primùm vt quæ ſit Scripturæ Canonicæ præ omnibus omniũ mortaliũ ſcriptis auctoritas intelligatur, deinde vt prophetiã religioníſq; dogmata nõ vllis hominũ pronũtiatis, ſed Canonis ſolius lydio examinari conueniat: poſtremò quàm non fuerimus nos hactenus, neq; nunc ſimus vllius non neceſſariæ nouationis auctores. Qua in re licet abunde nobis & Scripturæ, & veterum auctoritas exẽpláq; ſuffragentur, tamen negotij erit non exigui eã veritatem etiam probabilem auditori efficere, prępoſteramq; & nimiam placitorum humanorum admirationem, & affectationem conſtantię animis eximere, maximè quando eam φιλαυτίαν noſter ille mirabili lenocinio incendit & auget. Quocirca te rogo mi amantiſſime frater, vti tuo nos conſilio velis inſtruere, ídque copioſè & prolixè, quibúſque hæc potiſſimũ rationibus agi à nobis placeat docere: eo enim officio nec gratius, neque magis neceſſarium præſtare nobis potes. Scribas autem rogo quamprimum, ne intempeſtiua actione obruamur prius, q̃ tuo aliorúmque conſiliis præparemur. De Euchariſtia déque miniſterij ſacri auctoritate & vſu, œconomia item Eccleſiæ, quatenus agendum diſſerendúmque ſit, in ipſa (arbitror) arena diſcemus: ſed de his ſatis. De Philippi & Lutheri reconciliatione, déque noua apud Brabantos hæreſi, mitto, quæ ad me ex Witteberga Ambroſius noſter Blaurerus ſcripſit, quòd ſciam ea non ingrata fore tibi. Dominum laudo eos motus ſalubriter conſopitos, nec dubito ſanitatem aliquam Eccleſiæ allaturos eſſe, adeò nouit is etiam mala noſtra ad ſui nominis gloriam electorúmque ſalutem conuertere. De pace inter Cæſarem & Gallum varia narrantur. Sunt

qui dissiliisse rursum putent, quanquã id vix verisimile mihi fit. Heluetios nõ reuerti miramur, adeóq; nec nuntiis nec literis significari, vbi sint & quid agant. Fama tristis licet non publica fert ab Anglorum Rege cæsos esse memorabili grauissimáque strage, eámque nonnihil probabilem facit repentinus & improuisus legati Regij à Salodoro discessus. Sed iam vale: & nos precibus consiliisque tuis iuuare perge. Salutat te amanter & reuerenter Beatus charus & venerandus Collega. Symmystas tuos vtriusque nomine saluere iube. Bernæ, v i i. Nouembr. anno m. d. xliiii. T. Sultzerus.

Cal. Melanchthoni.

QVr hic nobilis & pius adolescens profectionem hanc, meo rogatu, ad vos susceperit, paucis exponam. Libellum ediderat lingua vulgari, quo eorum simulationem reprehendebam, qui quum Euangelij luce donati sint, non tamen abstinent ab vllis Papistarum sacris, quæ sciunt sacrilegij & anathematis plena esse. Malles fortè me aliquid de tam præcisa seueritate remittere. Verùm quàm iustam causam habuerim, re bene perpensa & cognita, iudicabis. Cùm audirem multos de meo rigore conqueri, ac præsertim ex eorum genere, qui tantò sibi plus sapere videntur, quantò diligentius vitæ suæ cauent, excusationem composui, quæ illis aures aliquantò durius vellicauit quàm prior libellus. Multi, quibus religio pro philosophia est, securè hoc totum contemnunt. Quicunque seriò Deum timent, eò saltem vsque sunt promoti, vt sibi displicere incipiant. Sed quoniam perplexa illis res videtur, adhuc hærent dubij, donec tua & D. Lutheri auctoritate confirmentur. Et quidem vereor, ne ideo vos consulant, quòd sperent vos sibi fore mitiores. Quocũq; tamẽ id faciant animo, quia certò persuasus sum vos fidele ipsis pro vestra synceritate & pro vestra etiã singulari prudentia salutare consiliũ daturos, libẽter me facturum recepi quod petebant, vt hominem data opera ad vos mitterem. Quoniam autem magnopere referre arbitrabar, non modò sententiam meam vobis perspectam esse, sed rationes etiam quibus adductus ita sentirem, non esse incognitas, libellos in linguam Latinam statim vertendos curaui. Tametsi autem improbè hoc facere videri possim, tamen per nostram amicitiã te rogo, vt legendi tædium subire ne recuses. Tanti iudicium tuum facio, sicuti par est, vt mihi sit molestissimum quidquam me suscipere, quod tibi minùs probetur. Te quidem pro eximia tua humanitate multa aliis indulgere scio, quæ tibi nõ permitteres. Sed videndum quid nobis liceat: ne relaxemus vbi Dominus adstringit. Neque verò vt mihi assentiaris rogo, quod nimiæ impudentiæ foret, vel in meam gratiam vllo modo à libera simplicíque sententiæ tuæ expositione deflectas: sed tantùm vt legendi molestiam deuorare ne graueris. Equidem cupio sic penitus inter nos conuenire, vt ne in verbulo quidẽ vno dissensionis vlla species appareat. Sed tuum est mihi potius præire, quàm spectare quid mihi placeat. Vides quàm tecum agam familiariter: neque tamen vereor, ne modum excedam: scio enim quantùm mihi apud te pro singulari tua in me beneuolentia liceat. In D. Martino plus aliquantò difficultatis erit: quantùm enim ex rumore & quorundam literis intelligere potui, vix dum bene placatus hominis animus leui de causã exulcerari posset. Proinde quas ad eum literas scripsi, nuntius tibi ostendet: vt illis inspectis, totum negotium tuo consilio regas. Ne quid ergo perperam aut inconsultè tentetur, quod infeliciter postea cedat, tuum erit prouidere: quod te, pro summa tua dexteritate, probè facturum scio. Cæterum quales istic contentiones vos exercuerint, & qualis fuerit exitus, nondum certò rescire potui: nisi quòd atrocem libellum exiisse audio, nouo incendio excitando instar facis futurum, nisi ab alia parte Dominus animos retineat, alioqui plus iusto feroces & inflatos, sicut nosti. Quid autem, vbi sic prouocantur? Dum reputo quàm nunc alieno tempore intestinæ cõcertationes nos abripiãt, propemodũ exanimor. Nuper mihi ostendit Norembergensis mercator, hac iter faciens, apologiã quandam Osiandri: cuius me vehementer eius nomine puduit. Quorsum enim attinebat, Zuinglianos tertio quoq; versu lacessere, ac Zuingliũ ipsum vexare tam inhumaniter? ac ne sancto quidem Dei seruo Oecolampadio parcere? quem vtinam dimidia ex parte referret. Mihi certè longè maiori esset in pretio. Neq; verò postulo, vt famam suam impunè traduci tacitus sinat: sed vellem ab eorum virorum contumelia abstineret, quorũ memoria piis omnibus in honore esse debet. Itaque sicut mihi displicet illius petulentia, cuius elegis se infamatum fuisse queritur, ita in ipso & moderationem, & prudentiam, vel sanitatẽ potius desidero. Deus bone, quales & quàm iucũdos lusus præbemus Papistis? quasi illis locauerimus nostram

operam

operam. Sed ego importunè facio, qui malis istis recensendis, quibus mederi non potes, mœrorem tibi frustra augeo. Gemamus tamẽ, quoniam Ecclesiæ incommodis affici nos decet: sed hac spe interea nos sustentemus, quod vtcunque præstemus ac vexemur inter magnos fluctus, non tamen opprimemur. Magna Concilij expectatione erecti sunt omnium animi in Gallia: nec dubium quin rex ipse, saltem initio, spem aliquam & voluntatem Concilij cogendi habuerit. Nam à Cæsare reuersus Cardinalis Tornonius illi persuaserat, Cæsarem id in animo habere. Interea consulebat Cæsaris nomine, vt duos aut tres ex vobis Rex ad se accerseret: idque seorsum: quo à singulis aliquid per blanditias eliceret, vel quouis modo extorqueret, quod ab omnibus non posset simul impetrari. Pollicebatur Cæsar idem se facturum. Hic porrò finis erat, vt illis quasi præiudiciis obstricti, eo minus possetis cùm ad seriam disceptationem ventum esset. Nam quia frangi nos in recta & simplici causæ actione desperant, nullum vident melius compendium, quàm si principes habeant obnoxios, & quasi vinctam ac alligatam teneant eorum libertatem. Hoc consilium cùm Regi placeret, negauit Castellanus, committendos vobis ad disputationem Gallos Theologos, nisi bene antè instructi essent ac comparati. Vos homines esse in hoc pugnæ genere exercitatos: nec tam facilè posse labefactari. Cauendum esse, ne Rex prodita suorum insciti a, totum regnum magno ludibrio exponeret. Ambitio Regis fecit vt præualeret hæc sententia. Duodecim sunt delecti, qui Meloduni de capitibus controuersis disputent: & tandem ad Regem referant quid censuerint. Silentium iureiurando promiserunt. Sed illis tacentibus certò scio, nihil nisi de opprimenda veritate acturos, se qualẽcunque reformationem quærere vtcunque simulent: certo certius est hoc vnum agitare, qualiter sepulta sanæ doctrinæ luce suam tyrannidem stabiliant. Ego Cardinalis Turnonij consilium à Deo fuisse discussum interpretor: ne quem ex nostris incautum & nihil tale suspicãtem irretirent. Meministi iisdem artibus te tentatum fuisse à Langeo. Verùm si in Dominum respexerimus, frustra nos adorientur omnibus machinis. Vale, charissime vir & amice mihi semper obseruande. Dominus tibi semper adsit, diúque Ecclesiæ suæ incolumem te seruet. XII. Calendas Februarij. M. D. XLV.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS REGINAE NAVARRAE.

ACcepi à certo homine literas, quas tuo mandato à se scriptas testatur: quibus mihi planè constat librum quem de Libertinis edidi, tibi minimè probari. Ac dolet mihi tibi tristitiam attulisse, nisi ea ad tuam salutem pertineat. Illa siquidem est non pœnitenda tristitia, vt ait Apostolus, cuius neminem causam dedisse pœnitere debeat. Et tamen vix mihi liquet, cur liber ille tibi tantum displicuerit. Causam is qui ad me scripsit exprimit, quòd liber ille scriptus sit, inquit, in te ac tuos domesticos. Atqui, quod ad te attinet, nunquam mihi in animum venit tuum nomen attingere, aut quicquam detrahere illi obseruantiæ, quã tibi debent pij omnes: vt nõ accedat regia illa Maiestas, ad quã te euexit Dominus, domus illa regia ex qua edita es, totum denique illud summæ nobilitatis fastigiũ, quod te in mundo conspicuam reddit. Nam quibus non sum ignotus, nõ ignorant etiã quam ab illa inhumanitate alienus sim, vt dominationes ac principatus terrenos despiciam, & quæ alia ad humanam politiam pertinent. Mihi verò ignotæ non sunt etiam dotes illæ quas in te Dominus contulit, & quomodo te vsus fuerit atque adhibuerit ad Regnum suum promouendum: quæ quidem omnia satis iustum argumentum mihi & tui obseruandi præbent, & asserendi tui nominis. Atque hîc tibi persuadeas velim, qui te ita aduersum me accendunt, neque tibi valde consulere, neque mihi quidquam inde priuatim decidere, sed inde captare occasionem tui demouendi à sincero affectu quo Dei Ecclesiam prosequeris: & vt sensim animum abducas ab illo obsequio, quo te hactenus Domino Iesu Christo atque ipsius etiam membris impendisti. Quod ad domesticos tuos attinet, non puto videri tibi posse domum tuam digniorem ipsa familia Domini Iesu Christi, cuius certum membrum Diaboli nomen retulit: seruus inquam ipsius, mensæ eiusdem assessor, & in eum gradum euectus, vt vnus ex Filij Dei legatis designaretur. Etsi non ita præceps fui vt etiam notarem domum tuam, cùm potius ipsam 2. Cor. 7.

rei veritatem ita expreſſerim vt coram Domino, vt ſimul non attigerim quidquam illos ad te pertinere. Iam videndum eſt vltro ne & animi cauſa illos ita perſtrinxerim, an verò adactus magnis & iuſtis rationibus, adeóque ipſa neceſſitate, illos ita acceperim. ac ſi res vt ſe habet probè tenes, ita mihi perſuadeo, vt non excuſatione modò tibi dignum videatur quod hîc admiſi, ſed & laude digna à te iudicanda ſit mea ſimplicitas. Sic igitur de illa ſecta audio & ſentio, vt nihil inter homines pernicioſius ac magis execrãdum audiri poſſit. Sic illam nocere video, vt facem ardẽtem iudicẽ, qua omnia ſtatim conflagratura ſint, luem certiſſimam qua nihil non inficiendum ſit, ſtatuam, niſi obuiam eatur quamprimum. Iam cùm ad illud munus à Deo vocatus ſim, vrget me conſcientia mea vt pro virili reſiſtam præſenti malo. Eò accedit quòd à tot piis eo nomine in dies interpeller, qui fidem meam & officium implorare non deſinant, quòd totum ferè Belgium eo malo circunſeptum querantur, vt ſaltem remedium adhibere ſtudeam. Et tamen tot occaſionibus inductus totum annum me cõtinui, vt viderem an ſilendo potius conſopiretur malum. Si quis obiiciat integrum mihi fuiſſe ſcribere aduerſus prauum dogma, vt perſonis ſimul parcerem, non deeſt legitima excuſatio. Cùm enim mihi compertum ſit quãtum damni dederit Arteſis & viciniæ Henaultiæ Antonius Pocquetus, vti à fide dignis perlatum eſt ad me: Quintinum porro non aliò ſpectare quàm vt ad brutum iſtud ſectæ genus infirmos & ſimplices perducat, non alieno teſtimonio, ſed meipſo aurito teſte mihi conſtet ſatis: cùm, inquam, toti in eo illi ſint vt ſanam doctrinam euertãt, miſeras animas in exitium immergãt, in orbem terrarũ Dei contemptum inuehant, an mihi tectius agere integrum fuerit, te iudicem appello. Canis ſi quis herum impetat, ſaltẽ latratu abſterreat. Quis igitur me ferat dum veritatem Dei impeti audio, ſi tandiu os mihi occludi ſinam? Neque verò dubito non expectare te vt in gratiã tuam, in defenſione Euãgelij præuaricer, quando illa mihi mandata eſt. Peto igitur ne moleſtè feras, ſi adactus neceſſitate pro meo munere, niſi Deũ in me prouocare vellem, illi certo homini ex tuis non pepercerim, cũ in te omnino interea nihil protulerim. Quòd epiſtolæ auctor ait tuo nomine, parum tibi gratos futuros tales ſeruos qualis ipſe ſim, ita etiam de me iudico vt non magno vſui eſſe me tibi poſſe agnoſcam. Neque enim facultas adeſt, neque tu eo homine eges. Et tamen neque propenſio animi erga te deeſt, neque dum viuam per Dei gratiam alium me eſſe aut haberi ſuſtinebo. Atque vt ipſa meũ obſequium auerſeris, illud non faciet quin eandem mentem & affectum erga te conſtanter retineam. Quod reliquum eſt, probè tenent qui me norunt quàm alienus ſim à captando ad principes aditu, cùm nunquam honorum ſtudio titillatus fuerim. Neq; etiã vt hoc conatus eſſem mihi fortaſſe ſucceſſiſſet. Sed eſt quod Deo gratias agam, cùm ab illo ſtudio animus mihi integer conſtiterit. Eſt enim abundè ſatis in quo acquieſcã, quòd illi Hero addictus ſim, qui me admiſit & habuit inter ſuos, adeóque munus illud mihi cõmiſerit quod tanti eſt apud ipſum põderis, vt cunq; apud homines vile & deſpectum iaceat. Ego verò omnium mortalium ingratiſſimus ſim, niſi meam illam conditionem omnibus honoribus atque diuitiis anteferrem. Quod ad notam inconſtantiæ quam mihi inuris, ita tibi confirmo planè tibi impoſitum fuiſſe. Nunquam enim eò etiam adductus ſum vt fidei meæ cõfeſſionem à me quiſquam poſceret. Atque ſi eò mihi deueniendum fuiſſet, nihil habeo quod de me iactare audeã: neque tamen diffido quin cùm ita me dominus ſuſtinuerit aliquando vt propter ipſius verbum alterius nomine vitę periculum adire non dubitauerim, idem ipſe mihi ſua virtute manum porrecturus fuiſſet, vbi mea confeſſione nomen ipſius glorificandum fuiſſet. Atqui beneficio illius ita mihi conſtiti vt nemo habeat quod mihi veritatis negatę aut palinodię notam directè vel obliquè inurat. Ac quod magis eſt, ſemper mihi horrori fuit illa vecordia, vt quis ad Chriſtũ abnegandum adducatur vt capiti & facultatibus conſulat (idque iam inde cùm eſſem in Gallia) quod idoneis teſtibus confirmare poſſum. Sed tamen vt tibi certius conſtet, qui me ita apud te detulernut, humanitate tua peſſimè vſos fuiſſe, teſtem apud te appello D. Cleracum, à quo certiſſimè cognoſces quàm falſa ſit eiuſmodi calumnia quæ mihi imponitur & quam nullo modo ferre poſſum, ne per illam blaſphemetur nomẽ Dei: quanuis enim nihil omnino ipſe ſim, quando tamẽ Domino placuit vti me vt inſtrumento ædificandæ domui ſuæ, ſatis cum alijs video quam caudam traheret probrum illud ſi in me hæreret, vt ad Euangelij infamiam redundaret. Benedictus verò Dominus qui non tantum in me Satanę licere voluit, méque adeò in mea infirmitate ſuſtinuit, cùm nunquam ad examẽ vſque fidei vel ad vincu-

cula me probatum voluit. Breuitatem Epistolæ & quandam perturbationem mihi condones velim, cùm acceptis illis literis statim ad hanc responsionem me contulerim, qua eo tibi nomine à me satisfactum curarē, ne quid de eo affectu remitteres, quem erga pios hactenus abūdè præ te tulisti & reipsa exhibuisti. Dominus noster Iesus Christus præsidio suo te protegat, ac Spiritu dirigat ad vocationem ipsius sincero zelo & prudentia ad extremum vsque prosequendam. XX. April. M. D. XLV.

Tibi addictissimus & ad obsequium paratissimus Io. Caluinus.

Cal. Melanchtoni.

VTinam vt me angit, adeóq; excruciat mœroris tui συμπάθια: sic aliqua eius parte subleuare te possem. Si ita est, vt dicunt Tigurini, habuerunt iustam scribendi causam. Vester autem Pericles quanta intemperie ad fulminādum rapitur? præsertim cùm eius causa nihilo sit melior. Multū illi debemus omnes, fateor. Nec ego inuitus patiar, vt summa authoritate polleat, modò sibi ipsi moderari sciat. Quanquam in Ecclesia semper videndum est, quousque hominibus deferamus. Actum enim est, vbi vnusquispiam plus potest reliquis omnibus: præsertim vbi hoc ipsum non dubitat experiri, quantùm possit. In tanta quidem dissipatione, quantam nunc cernimus, difficile est res turbatas componere. Verùm si in nobis omnibus esset is animus qui esse debet, aliquod forsan remedium posset inueniri. Et certè fœdum exemplum transmittimus ad posteros, dum omnem libertatem sponte malumus proiicere, quàm vt hominis vnius animum offensiuncula aliqua pungamus. At est vehemens ingenium, & impetus habet violentos. Quasi verò hæc vehementia non magis exultet, dum omnes illi indulgent, atque omnia permittunt. Si inter prima renascentis Ecclesiæ initia iam emergit hoc tyrannidis exemplum: quid breui, rebus in deterius collapsis, fiet. Defleamus ergo Ecclesiæ calamitatem, neque modò taciti apud nos hunc merorem deuoremus: sed audeamus aliquando liberum gemitum edere. Quid si etiam Domini permissu in has angustias sis redactus, ne plenior tandem de hac re confessio tibi extorqueatur? Verissimum equidem fateor esse quod doces: & quòd placido genere docendi hactenus studuisti animos à contentione reuocare, prudētiam moderationémq; tuam laudo. Sed dum locum hunc tanquam scopulum aliquem refugis, ne in quorundam offensionem incurras, plurimos, qui aliquid certius in quo acquiescant, abs te requirūt, suspensos perplexósque relinquis. Est autem, vt me aliquando tibi dicere memini, non satis nobis honestum, eam doctrinam, quàm plerisque sancti proprio sanguine testatam relinquere non dubitant, ne atramento quidem consignare. Ad hanc ergo plenam & solidam mentis tuæ explicationem fortè viam tibi patefacere nunc vult Deus, ne perpetuò hæreāt dubij, qui ab authoritate tua pendent, quos scis esse quamplurimos. Neque hoc tam incitandi quàm consolandi tui causa dico. Nisi enim ex hac turbulenta concussione aliquid hinc exoriturum sperarem, multò acerbiore luctu conficerer. Quanquam exitum quieti expectemus qualem dare Dominus volet: interea cursum nostrum infractis animis persequamur. De responso tuo, magnam tibi habeo gratiam, simul etiam de humanitate non vulgari, quam sibi abs te exhibitam fuisse Claudius mihi testatur. Qualis erga me futurus esses inde coniecturam facio quòd meos tam benignè comitérque accipias. Deo autem maximas gratias agere non desino, qui dedit, vt in eius quæstionis summa, de qua rogati eramus, sententiæ nostræ congruerent. Tametsi enim paululum est discriminis in particulis quibusdam, de re tamen ipsa optimè inter nos conuenit. XXVIII. Iunij. M D. XLV.

Cal. Miconio.

NVnc instandi tēpus est, ne frustra tantum laboris pro miseris fratribus exhauserimus. Et nunc opem ipsi nostram vel tacentes implorant, si vnquam antehac. Rex enim, vt ex Germania intellexi, moderationem aliquam se adhibiturum simulat: iam enim profectum esse commissarium, qui de rebus eorum inquirat. Verùm nihil inde leuationis expectandum. Commissionis, vt loquuntur, sibi infestissimi hostes erunt consci. Nemo est qui mutire ausit pro veritate. Miseri fratres vel in sentinis nauium & subterraneis carcerum fossis vincti tenentur,

vel fuga diſperſi procul abſunt, vel latent apud amicos. Rogandus ergo erit Rex, vt vinctos primùm dimittat, & omnes reſtituat in integrum: deinde commiſſarios mittat homines æquos & humanos: rabioſis iſtis cognitionem adimat. Tu igitur in hanc rem totis neruis enitere. Crimen quo grauantur ne illis noceat, effice. Eſt enim impudenter confictum: & ſuſpicor in qua officina. Miror tantum haberi fidei nihili hominibus, quorum mendaciis aures veſtrorum hominum occaleſcere iampridem debuerunt. Fingunt allatum eſſe hunc à mercatoribus rumorem. Atqui nunquam id hoſtes obtendere auſi ſunt: quia facturi erant abſque colore. Grynianus Regis legatus, qui perpetratæ ſtragis auctor fuit ſua perfidia, prætextu hoc non abutitur. Obſiſte ergo quantum potes, ne falſis delationibus alienentur bonorum animi ab illis iuuandis. Vale, mi frater & amice honorande. Dominus te vnà cum ſymmiſtis conſeruet, quos ſalutabis diligẽter meo nomine. Collegæ mei vos etiam reuerenter ſalutant. Genevæ XXIIII. Iulij. M. D. XLV.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. FARELLO.

ERgo tibi vtilis cœperat eſſe Collega, vt ſtatim abs te diſcederet. Sed hæc ingens erga eum Domini miſericordia, & beneficium etiam in vos nõ paruum quòd eum hinc ad ſe recipere noluit, niſi correctum: & prouidet ne quod vobis præiudicium apud improbos afferret eius obſtinatio. Si Toſſanus ſuccedet, aliquanto plus tibi erit ab eo leuamenti. Marcurtius paralyſi correptus decumbit. Antonius Armẽtiacus nobis ablatus eſt, ſummo bonorum omniũ dolore. Ioannes quoque Camerius Biturix ex eadem claſſe. Intellexi ex hoc fratre vos litigare adhuc cum ſacrilegis. Hîc ſcortatores & huius notæ homines nos exercent. Sudamus autem non magno profectu. De bonis Eccleſiæ in verum vſum hîc reſtituendis, ego deſpero. Concedunt quidem ſatis liberaliter: ſed nihil efficitur. Iam ſæpius fruſtra magnos labores exhauſi. Dico: denuntio. Hoc tantùm conſequor, ne videar ſilentio approbare. De fratre Ganſperio expectabimus Dei voluntatem. Egeram tuo nomine gratias Bucero, & iterum ſtimulaueram, vt iuſſeras. Hoc præcipuum eſt, quòd vita eius eſt in manu Domini: nec expoſita erit libidini impiorum, donec ille volet. Si verus eſt rumor ille de nouæ Delphini nuptiis, idẽ nobis breui imminet. Neq; enim multum relaxationis hîc nobis dabitur, ſi ſemel nefanda cõſpiratio coierit. Ego de vita mea nõ ſum ſolicitus: modò Eccleſiæ ſuæ Dominus proſpiciat. De Bruſuicenſi audieram, ſed iamdiu nihil ex Germania literarum venit. Vale frater integerrimè & mihi amiciſſime cum tota tua familia, quam meo nomine diligenter ſalutabis. Dominus vos iſtic ſeruet ac regat Spiritu ſuo. Salutant te omnes amici, Copus, Abel, Galaſius, Nicolaus cum domo ſua, vxor mea. Fratribus ſalutem plurimam. Genevæ, VI. Nonas Octob. M. D. XLV.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. FARELLO.

IOuis ſub cœnam mihi tuæ ad Viretum literæ redditæ fuerant: vt poſtridie cum fratribus poſſem capere conſilium, ſi id tibi placere intellexiſſem. Sed à me tantùm & Vireto ſcribi volebas. Itaque nullam facere mentionem auſus ſum. Cùm verò mihi oblatæ fuerunt tuæ poſteriores, iam fratres diſceſſerant. Itaque iam amiſſa eſt illa opportunitas. Sed quid profuiſſet me de tua voluntate in tempore fuiſſe admonitum? Ego enim conſilium vos petere à nobis nequaquam puto, quo non indigetis, nec veriſimile eſt, cupere vobis exponi quid de illa re ſentiamus. Tenetis enim hauddubiè, ſed literas petitis, vt interpretor, quæ vobis adiumento ſint ad veſtros homines coarguendos. Speratis enim melius fractum iri eorum contumaciam, ſi complures Eccleſias vobis ſuffragari viderint. Et certè vix vnquam hoc vitium, quo cum vobis certamen nunc eſt, corrigetur, niſi Eccleſiarum conſenſu. Atque vtinam ad hanc ſanctam conſpirationem animum adiicerent, quos duces alijs eſſe oporteret: ſed vides vt res noſtræ ſint diſſipatę. Quod ad nos ſpectat, libenter vobis morem geremus. Neque enim dubito pro Symmiſtis etiam ſpondere. At tí-

mendum

mendum est ne ridiculi simus vestris hominibus, ab illis exigendo quod nondum impetrauimus à nostris. Docebimus quis rectus sit vsus bonorũ Ecclesiæ, & qui legitimi sint eorum œconomi, vt auctoritate nostra vrgeamus Neocomenses? Cur non potius exordium à nobis facimus? videte ergo ne dum iuuare vos studemus, magis obsimus causæ vestræ. Quòd si tamen manes in sententia, præscribe quid vtile sentias, ego statim obsequar. Quanto plus ponderis esset in eo libello, quẽ adhuc Argẽtinæ cùm essem, curaui imprimendum? Loquũtur enim illic Principes, quotquot Euangeliũ amplexi sunt: promittunt restitutionem omnium quæ occuparunt, si quando ad piam aliquam concordiam ventum fuerit. Admonẽdi essent vestri vt principum exemplo, saltem ad id tempus, omnia sibi integra seruarent. Rogabis quidnam igitur cessem, si eadem hîc cerno vitia, quæ vos istic excruciant, & tantum faceſſunt negotij. Ego verò nõ cesso palàm in concionibus: quoties opportunitas ita tulit, cõtestor Deum & homines, graue nobis imminere iudicium: in Senatu idem aliquoties egi: neque tamen hoc modo mihi defunctus videor, dum nihil me profeciſſe video. Verùm sequor Ambrosium, qui doctrinam & locum pastoris sibi retinens, ita vt pro illis vindicandis paratus esset vitam opponere, agros tyrãnidi Imperatoris Valẽtiniani sinebat. Sic enim suspicãtur Magistratus nostri, de æmulatione esse certamẽ, quia ægrè feramus excussum esse nobis de manibus quod illi sibi sumpserunt: nisi fortè hoc simulant, quò fidem studio nostro derogent. Neque tamen ita vitanda est nobis suspicio, vt ad sacrilegia conniueamus? Tantùm cogitare operepretium est, quousque contendere expediat: quanquam in præsentia longiorem disceptationem ingredi non est animus. ideóque finem faciam. Nostri omnes te salutãt, præsertim symmystæ, Nicolaus, frater, vxor, quæ ipsa tuis & familiæ tuæ precibus se commendatam esse cupit, nam adhuc cum morbo difficulter luctatur: sed hoc habemus solatij, quòd pedem vnũ videtur à sepulchro retraxisse, sed necdũ vires colligit: & magnis doloribus infestatur. Vale optime frater & amice integerrime. Collegis tuis plurimam salutem. Geneuæ, XIII. Octobr. M. D. XLV.

MYCONIVS CALVINO.

AGo tibi gratias, doctissime Caluine, pro libro tuo quem scripsisti ad Carolum quintum, vt maiores nequeam. Profuerit, nécne perinde est, quasi ipse non fuerit scriptus: aliis tamen proderit. Nam credo mihi, habere tuam inuentionem saltem, quæ piè studiosis plurimum valet prodesse. Vnum dolet mihi quòd qui adtulit, primum quaternionem fecit illegibilem, adeò madore nescio quo literæ penitus sunt abrasæ. Cæsar si legit, in contrarium motus est, adeò persequitur in Belgis sanctos. Maria regina, Imperatoris soror, nõ potuit tueri Sacellanum suum Carmelitam, quin fuga consulere sibi sit coactus. Et postquam iam periculo liberatus erat, condemnatus est vt hæreticus. & quia ipse non aderat, libri eius combusti sunt publicè. Sic accidit filio Margrauij Antuuerpiensis, & aliis bonis ac piis viris sine numero. Conatur vir ille sic reconciliare sibi Papam indignantem: quidni conatus idem est ad Deum, à cuius manu grauius premitur! dicitur enim laborare grauissimis diuersissimisque morbis. Schola Louanien sis per Brabantiam eiicit ex ludis minoribus omnia quæ Christi sunt. Iulianica, vt ita dicam, reformatio. Dominus confirmet Ecclesiam suam. Misi ad te literas D. Buceri, & cum tuis literas Papæ ad suos, & eas quas scripsit ad Cæsarem, dignas certè quæ ab omnibus legantur, & scholiis adiectis intelligantur. Obsequutus es nimirum consilio Buceri. Quod si sic habet, velim nos, statuto pretio, tuo labore non priues. De Concilio, veluti per somnium audiui, reuocatum esse. Comitia non procedunt. Hactenus solus Episcopus Augustanus, nuper Cardinalis factus, Wormaciæ fuit, & eas nugas egit quæ in more sunt inferiorum ciuitatum, & Romæ nunquam cessant. Laruati, vt non cognoscantur, domos intrant ciuium: ibi edunt, bibunt, ludunt, saltant, libidinantur, & quidquid esse potest iucundum faciunt, aliquoties ingenti cum damno, & ignominia patrisfamiliâs. Et non est, vt audio, qui vel mutire audeat. Præparationes dignæ, siue ad Comitia, siue ad Concilium. Exurgat Dominus, rogemus, ad iudicandum causam suam de gente non sancta: sic enim in dies flagitia magnorum hominum crescunt, vt mihi videatur iram Dei propiorem esse quàm pu-

temus. Largiatur is nobis, vt diem eius expectemus cum gaudio. Volui te, mi Caluine, sic salutare, boni consulas rogo. Vale cum familia in Domino. Ministros Christi pios nomine meo salutabis. Basileæ, v Kal. Martij, anno M. D. X L V.

Os. Myconius tuus.

FARELLVS CAL.

VIde quæ mentitur Carolus, dignus qui Pontifici seruiat: sed pudet Pontificios talem admittere, qui tam impudēter sit impudens. Et sanè illi contigit quod inter sceleratos non rarò euenit, vt sit aliquis adeò conscleratus, vt scelesti ferre eum non possint. Venit primùm Geneuā non expectatus neq; expetitus, alios enim cupiebamus habere, vt pium Stapulensem, qui nō sine lacrymis audiebat, gratias agens Deo, ordinem Ecclesiarum: & cupiebat, vt erat amans Galliæ, ita videre compositas Ecclesias. Vbi veniisset, dicebant omnes Episcopum Gallicum veniisse, & erat apparatus, non pecunia ipsius Caroli, sed aliorum qui cum eo erant, quique questi tandē sunt de iniuria ipsis facta, vt is qui docuit apud D. Geruasium, Ioannes Tardiuus, qui aiebat se ab eo aliquot circunuentum coronatis. Nos hominem inuisimus in diuersorio, & post salutationem, agere cœpimus de ratione dispensationis diuinæ, quòd vrgeat ad confessionem sui nominis refugientes, & qui veritatem cognitam dissimulant: vt Carolo dicebamus euenisse, qui immeritò pulsus esset, cùm nihil egisset Pontifice indignum, nec Christo dignum. Gallia exierat, nūc absens scribendo præstaret ac resarciret, quod tacendo & dissimulando damni Ecclesiæ dederat. Non fuit satis grata Carolo hæc cantio, quæ in prandio canebatur. Aliud erat consilium, nempe de remittendo in Galliam famulo, qui dum curaret aliquid emungere de sacerdotiis Caroli, apud nonnullos efficeret, vt erogarent pecunias in vsus pauperum Gallorum qui multi confluerent. Ego mirabar hominis studium, quòd statim anxius esset de pauperibus, edoctus quosdam monachos paria olim mouisse, & Lutetiæ emunxisse aliquid pecuniæ, de qua nihil resciui vnquam pauperibus datum: ac noui quosdam nolle quædam pauperibus ex testamento relicta dispensare, nisi tam clàm vt nemo resciat: & non legantis nomine, sed ipsorum, si quid dent: & tamen plus videbantur illi in pauperes affecti quàm Carolus. Ideo quòd nunquam emendicaram, nolui suasu Caroli ordiri: sed dixi prius nobis agendum esse, vt panis verbi detur animo quàm cibus corpori: eum qui hactenus prospexit pauperibus, nobis non defuturum neque pauperibus. Cùm dies aliquot egisset, ac tum ipse, tum alij qui cū eo erant non imminuerēt famam quæ spargebatur de Episcopo, & qui pro Euangelio laborabamus eam non minueremus, quanuis modestius loqueremur aliis, rati non prorsus incommodaturum cursui Verbi (quòd non prorsus contemnendi aliunde migrarent ad loca vbi Euangelium prædicatur) cœpi rogare Carolum vt concionaretur, & id instantius: sed is multa causatus, nimirum quòd nouus aduentasset, vellétque plenius rationem tenere docendi, se rapi concionibus nostris, & id genus alia addens, petebat ne grauatè ferremus, si statim non concionaretur. Doluit id nobis, fateor, sed alius dolor hoc nobis in gaudium vertit. Siquidem intelleximus Magistrum nostrum theologicè agere, hoc est vino theologico magistraliter & Sorbonicè vti, & quod sequitur, habere quæ lectum eius sternerent, tibialia exuerent, ac familiarius dormituro adessent, vt alia taceam. Hîc nos certiores facti, hominem admonemus de iudicio Dei, de offendiculo omnium, & obtestamur propter Deum, vt frustra non patiatur propter verbum pulsus Gallia, nec agat aliquid Christiano indignum. Videbatur non prorsus respuere quæ primò dicebantur, & qui cum eo agebant, spem aliquam faciebant: quanuis dicerent hominem sui amantem, sibi vixisse & indulsisse genio: tamen pergendum: quod dum fit, incipit peccata sua tueri, & pergere. Nos admonemus si nobis adesse nolit, & prodesse non studeat, non aduersetur in tanto rerum discrimine, cùm luctandum nobis sit cum tot monstris, vt nulla prorsus sit spes domari ea posse, nisi præsentissima virtute Dei id fiat: Non pergat sua improba agendi ratione cursum Euangelij impedire: is neque nos audiuit, neque tamen apertè ausus quidquam fuit: sed clàm in deterius proficiens, palàm videbatur cautius pergere. Pontificiis inuidiosus cùm esset, nihil commercij cum eis habebat: nostra consuetudine non multùm oblectabatur, licet nos haberet familia-

miliariores. Interea Bernardus cogitabat de exuẽda cuculla: quod vbi nobis indicauit, respondimus hoc parum esse, nisi cum ædificatione maiori id faceret, ita vt omnes factum probarent: quod sanè fieret si poneret aliqua, quibus doceret se legitimè id facere, & id omnibus apertis rationibus persuaderet, séque ad respondendum omnibus publica disputatione offerret: quod placuit Bernardo, &, vt suadebamus, Senatum adiit & disputationẽ impetrauit, quam nos desperabamus, nostro nomine posse impetrari. Sed quia Bernardus ciuis erat, &, cùm conueniissent Minores Gratianopoli, vbi Capitulum quod vocant (ita suos conuentus & Synodos nominant) celebrabant, dicebat se cupere illos ad disputationem vocari: annuit ad omnia Senatus Geneuensis: & quanuis Pontificiorum erat pars maior, tamen ita omnibus placuit, & missæ fuerunt ad conuentũ literæ, vbi præerat à Cornibus. Satagebat per Bernardum Carolus vt præsideret in disputatione, & omnia resolueret. Nos rati nihil prosperè cessurum, quòd tam arroganter fieret (videbamus enim inanis gloriæ hominem appetentissimum) & Deo & Scripturæ suum honorem saluum esse cupientes, Dominum tantùm ex Scriptura omnia resoluentem diximus esse audiendum: cautum satis esse si essent qui curarent ne insolentius quis ferretur in disputatione, iuberéntque vt partes pacatè inuicem audirent & loquerentur, ídque liberè, quod & factum fuit: licet primus qui disputare cœpit tergiuersando nollet alium respondere quàm Bernardum qui proposuerat. Sed facilè fuit ex iis quæ proposita fuerant illi satisfacere. Actum est de libero arbitrio. nos abundè ex Scripturis satisfecimus, nec in eo plurimum laboris impendendum fuit, nec præcipua erat controuersia nobis & Pontificiis, vt de merito Fideíque iustificatione. Tamen super negotio liberi arbitrij non infœliciter locutus est Carolus, aperiens quid certaminis fuisset cum Pelagianis Augustino, & quòd victi abierint. Primò quod initium boni operis à nobis non esset, sed à gratia quæ nos præuenit: ita & progressus & consummationem boni operis gratiæ deberi, & frustra hominem conari sine gratia, nec ordiri, nec prosequi, nec perseuerare posse. Quod vbi feciſſet, nósque grati commendaremus, (quid enim aliud cupiebamus quàm gloriam Dei & plebis ædificationem? quæ cùm cerneremus, læti approbamus) tunc cœpit Carolus argutari de successione regni terreni Christi, quòd superstes Virgo post Filij mortem hæres fuerit. Bernardus nobis non adeo curantibus respondebat succedere matrem filio. Sed mox respondi non opus esse hîc agere de terrena hæreditate, cùm Christi regnum non sit ex hoc mundo, bene conuenire inter virginem Christi matrem & filium, nec quenquam ex plebe adesse vt intelligat quo iure mater velit filio intentare actionem, & quid ex successione petat: sed in hoc omnes conuenisse vt intelligant an quæ Pontifex instituit & quæ seruant Pontificij ex Deo sint vel contra, vt de missa, cultu diuorum, & aliis traditionibus humanis. Hinc factum est vt ad alia se conuerterit, quæ in positis haberentur, & missam aggressus est tueri: sed tamen ingenuè fassus est posita vera esse, pia & Christiana, séque ea nolle impugnare quòd falsa sint aut talia credat, cùm verissima esse sentiat: sed vt omnes intelligãt rationem aduersariorũ, daturũ se operam vt omnes ipsorum rationes & potiores etiam adducat, neque omissurum quicquã. quod & fecit diligenter. Et quanuis partem noctis impendisset in annotandis rationibus quibus posset missa ferri, nos tamen vt nemo auditorum non potest hodie testificari, hominem memoria labentem & non satis tenentem quæ annotarat adiuuabamus vt sua formaret argumenta: sciebamus enim vnde desumpsisset. Cûmque id fieret, fatebatur se velle id dicere quod nos ab eo petebamus an vellet dicere, tantùm abest vt argumenta ipsius effugeremus, aut timeremus, vt gratum esset etiam adiuuare. Aliqui ex Pontificiis, dum audirent rationes quæ ipsis placebant, non audita responsione abibant ad Canonicos, & Carolum commendabant: illi non ingrati vinum mittebant, & hortabantur vt strenuè se gereret. Is recipiebat se omnia effecturum, iubens eos nihil moueri, si visus fuerit missam primò damnasse & inter disputandum nonnulla damnet in ea: se tamen ita rursus eam corroboraturum, vt quàm firmissima maneat. Sed qui audierunt vtrosque, possunt referre quàm id effecerit. Nam & argumenta in fumum omnia abibant, nec poterat stare sacrificium & redemptio viuorum & mortuorum, non inuocatio diuorum, actio quæ peregrina fit lingua, adoratio panis & particularis sumptio Sacramenti, & id genus alia, quibus tota fœtet missa. Cúmque Viretus tam apertè dissolueret omnia, vt adstantium nemo non assentiretur (scis quàm ille appositè & disertè possit aliquid explicare) Carolus armis exutus, nesciens

quid aliud afferret, cœpit ore diducto insani more vociferari longum ba ba ba. Ego hominis dementiam taxans, quòd senex Theologus, & qui haberi velit ex numero eorum qui professi sunt Euangelium Christi, modestiam abiiceret, cùm iuuenem quem vt tyronem reputat, víxque censendum in numero aliquo Pastorum, ita suo exemplo formet, ea admittendo quæ nulla ratione in iuuene essent ferenda. Si Christus & Apostoli ita cum Pharisæis, Scribis & aliis aduersariis egissent, an ita plantassent Euangelium? quid dicturi essent de nobis Euangelij hostes & aduersarij, si nos ita satisfaceremus eorum rationibus? num tam impudens esset quòd coram plebe empta Christi sanguine, quæ conuenit vt intelligat quid sequi debeat, non rubore suffunderetur ita insanè agendo? Et sanè hominis amentiam tam potenter compescui, vt ipse, quanuis assuetus meretricia fronte omnia agere & pati, totus pudefieret, nec postea ausus fuerit tam temerè ferri. Quòd tam impudenter mentitur suis non fuisse satisfactum rationibus, vel vnam afferat cui non fuerit plus satis responsum. Nolo hîc interrogari eos qui non fuerant nobis aperti hostes, nec causæ æquiores, sed iuratissimos hostes ex familia Episcopi, qui cùm nunquam antea nos audiuissent, & sperarent Carolum triumphaturum in tuendis sacris Pontificiis quæ diuinissima reputabant: cùm audirent nos, tacti fuere intelligentes humana & impia esse quæ diuina sanctissimáque arbitrabantur. Et cùm vellet suas significationes in vestibus & nescio quandam obseruantiam augustiorem in lingua peregrina & suis à magicis nihil euariantibus signis & actionibus & aliis quibus Cœna Domini prorsus sublata fuit & obscurata obtrudere: nos contrà proponebamus Christum qui purius docuit Patrem nempe Spiritu & veritate, sublatis vmbris adorandũ vt iam nõ sit petendus Mons neque Ierosolyma. Cúmque sanctus Rex Ezechías serpentem æneum iussu Domini conflatum & erectum in quo Deus præsentissimam virtutem suam exeruit, sanatis, dum inspicerent serpentem, læsis à serpentibus: cuius beneficij seruatos serpens admonebat, & aliud longè maius præsagiebat, non fictum humano commento, sed quod Christus reuelauit, nempe Iesum ipsum ita exaltandum esse & salutem daturum: hæc omnia cùm diuina fuerint, nec fugerint sanctum Regem, non tamen ideo censuit tantùm incumbendum vt tolleretur superstitio, quod ægrè sciebat se impetraturum, sed prorsus serpentem ignominiosè iussit comminuendum: quid Christianis ducibus & magistratibus non est faciendum in iis quorum superstitio & cultus omnem idololatriam Iudæorum superat? in iis quæ homines malè feriati exercerunt, quibus significationes ex arbitrio addiderunt, vnus sic, alter aliter? Vbi habemus purum Christi institutum, quem scimus omnium sapientissimum & considerantissimum: nec dubitamus fideliter fuisse conscripta à sacris scriptoribus Apostolis & Euangelistis, quæ faciunt ad rem. Hîc scilicet potuit hiscere Carolus: qui ex iis quæ sensit in se Geneuæ quantum poterant occurrere, dum videbat locum esse in disputatione Lausanensi vtebatur, vt nos anteuerteret: quod sanè nobis non erat ingratum. Nam quid attulit Lausanæ quod contra eum Geneeæ non fuerit dictum, præter vnam de transsubstantiatione, quam vocant, deductionem? quam dextrè tractauit, vt alia non prorsus ineptè? Quod scribit se admonitum ne tam præcisè nobiscum ageret, scilicet Carolus erat quem timeremus? & aliquis aliquando metus nos tenuit ne vinceremur? Basileæ vbi erat Erasmus, Berus, Zicardus, Cautiuncula: theologi illi vt hi iurisperiti, in harenam descendimus, & sustinuimus argumenta non leuia nostrorum, vt Oecolampadij, Pellicani: sed Scripturis ita erant roborata, vt ne minimum quidem conuellere potuerint. Sed quis metus potest tenere eos qui certi sunt, dum stant pro veritate, ex promisso Dei, se habituros os & sapientiam cui omnes aduersarij non possint resistere? & qui non propriam gloriam neque vt vincant quærunt, sed gloriam Dei, & vt Christus & veritas vincat, & id petunt in priuatis & publicis precibus? At nouit Carolus nos ardentius precatos esse, & omnes ad preces inuitasse. Siquis fortè nobis timens vt olim contigit, vbi primùm vocabar ad prædicandum, & accurrissent aliqui magni vt videbantur, ego verò nullus videbar vt verè ex me sum: dicebant, quid faciet hic miser? vtinam nunquam venisset nec vocatus fuisset: non poterit subsistere, & omnes cõfundemur cum eo. Sed vbi collata fuerunt signa & vltro aduersariis ea quæ volebamus tueri proponentes, in harenam aduersarium prouocaremus: ibi is quem tantopere nonnulli formidabant, dixit se nolle disputare,

neque

neque dignum esse qui librum post me ferat. Si ita dictum fuerit Carolo non satis noui: sed quod ego neque Viretus vnquam cogitauerimus, hoc possumus certò affirmare: neque voluimus eum aliquid omittere eorum quæ adduci possunt, imò potius, vt dixi, lapsum memoria & non satis tenentem quæ dicenda erant, & vnde cœpisset orationem, sæpius in viam reducebamus. Quid tentarit sub finem disputationis, quam vt diximus, per Bernardum impetrauimus, non prorsus ignoramus. sed per D. effectum est vt illi non successerit. Recensita sunt quæ tota disputatione fuerant tractata, ea fide vt intelligerent omnes rem ita habere. quid enim attinet in veritatis negotio, amanti veritatis aliud quàm vera afferre? Inde seriò fuit admonitus Magistratus, vt officium faceret pro gloria Dei & plebis salute: fungeretur officio patris: non pateretur filios à D. sibi concreditos errare in iis quæ tam apertè veritati diuinæ repugnant, alioqui reus esset omnium quæ admitterentur. Adducta exempla piorum qui præfuerunt populo, quod quàm mouerit, ipsi norunt quibus dictum fuit. Carolus subinde cum Canonicis & cum aliis ex vrbe tractabat. Quis metus hominem coegerit Geneuam deserere & montes circuire, nescio alium, nisi is fuerit qui contingit impio fugienti memine persequente. Si dixisset Pontificios minatos fuisse Carolo, fortè aliquibus, qui consuetudinem illius cum Pontificiis nescirent, persuaderet: nam illi & multis minati sunt, & aggressi nonnullos, & varias coniurationes habuerunt: & sæpius admonitus non timui, etsi viderim lædi & occidi nonnullos à Pontificiis: quod illis non bene cessit, nam aperta fuerunt eorum consilia. Sed quòd aliquis qui non esset Pontificius motum excitarit, vel aliquem ob religionem inuaserit, proferat si potest Carolus. Qui pacis tempore in vrbe non ausus fuit agere neque aperta via ingredi, scilicet is est Carolus quem tam expetunt omnes perdere! tantus concionator! tam magnus disputator! ô quot plagas accepit! in quot discrimina incidit! quot & quanta passus est! Quæ Basileæ egerit, nónne pudet Gallos omnes referre tam stolidum è Gallia sese ita venditare in Germania? idque apud Grynæum, cum quo si Carolum conferas, Therſiten contuleris Achilli. Inde secuta est vocatio in Ecclesiam Neocomensem: quàm cùm is non plantarit, nec ædificare adeo demum studuit, quàm fuerit legitima vocatio non dico. Quod nunc sentio vix potest impetrari, & quanuis, vt nosti, non sine magna anxietate data fuerit opera vt per optimos quosque iudicaretur quæ sint partes Pastoris, quæ Magistrarus, quæ plebis in debita vocatione Pastorum: quid non fit vt fixa non maneant quæ meritò debent obseruari? Scilicet Carolus hac religione tenetur, vt caueat ne quid in vocatione desideretur, vt nosti quid oportuerit agere, vt is adduceretur quem omnes Pastores præter vnum exoptabant, & tota plebs cum Magistratu impensius rogabat. Sed vt intrant, boni scilicet, ita egrediantur. Quorsum attinebat Bernam mittere, & alibi interea hærere, illinc ad Montem Bellegardium, & omnia dispicere vt locum haberet, tot precibus petere vt hominem adiuuaremus, & hæsisse quandiu potuit etiam cum vxore, è qua tunc genuit prolem. Sed quando finis esset? Cuperem te ex Vireto accipere ea quæ non succurrunt mihi iam: nam vltra ea quæ particulatim ipsum tangunt, potest fusius omnia persequi. Accedit quod hic nobis opportunè sese obtulit cui libellum darem & omnia quæ habeo. Et in primis est quod te rogem vt instes summa cura pro legatione ad Regem, quæ si fieri potest, rotundè loquatur: nam literis minus fit quàm cantione. Sed si legatio mittatur & coram agatur masculè, non tantùm iis pro quibus laborasti succurretur, sed aliis qui passim periclitantur. Vale & precare D. pro nobis. Neocomi XI. Iunij M. D. XLIII.

Farellus tuus totus.

CAL. FARELLO.

QVoniam Claudio nostro mandaui vt tibi copiosè omnia exponat, de quibus per alium scripturus essem, non vtar longiore Epistola. Si tibi prima specie displicebit meum in ipso mittendo consilium, scito me hac ratione adductum esse, quòd cum scirem, aut saltem suspicarer, eos à quibus rogatus fui hoc facturos, nisi eorum voluntati morem gererem, anteuertere malui. Si tuas ad Bucerum literas meis adiungere placuerit, facies rem meo iudicio perquam vtilem. Tametsi enim responsum neque ab illo neque ab aliis spero quale optandum foret, danda est tamē opera, vt inter nos quàm minimum dissensionis appareat. Ego hac

cauſa, quominus magis inſiſtam, impedior, ne vrgere & propemodum velle cogere videar, vt mihi aſſentiatur. Tibi hic in parte maior erit libertas. Quid moliantur in Gallia Chriſti hoſtes, & qualiter primas eorum inſidias diſcuſſerit Dominus, intelliges ex Roberti literis, quibus acceptis protinus ad Bucerum ſcripſi, & quanta potui vehementia obteſtatus ſum vt ne vllis ſe illecebris irretiri pateretur. Huius nunc quoque Philippum admoneo, ad illi in memoriam reuoco, qualiter pridem à Langæo ſimilibus technis ſit tentatus. Vide tamen vt omnia clam ſuppreſſa contineas: ſcis enim vt quæcunque duobus tribúſve dixeris, ſtatim latius manent. His diebus cùm Anabaptiſta quidam libellos illos ineptos palàm venum expoſuiſſet, meo impulſu captus fuit. Expertus es quale ſit hominum genus. Ego verò tam barbaram atrocitatem hactenus in nullo videram. Cùm ego humaniter pro linguæ meæ more eum compellarem, nunquam aliter dignatus eſt mecum loqui, quàm ſi cum cane ſibi negocium fuiſſet. Cùm introductus fuiſſet in curiam, voluit primo Syndico aſſidere: inde repulſus, caput oculóſque torquendo, Propheticam maieſtatem ſimulans, tribus verbis ad rogata reſpondebat, ſi liberet, ſæpius tacebat. Dehinc nobis exortum eſt de iureiurando certamen. Cùm rogarem nunquid Lex Domini viam vitæ nos doceret, axioma illud execrabile protulit, Abolitum eſſe vetus Teſtamentum. Tum ego ex Pauli citaui, vtilem eſſe ad reddendum Dei hominem perfectum in bono opere. Vrgebam, vt ad hoc reſponderet: ſed verbum nullum exprimere potui. Sic explicaui rem totam, vt omnes præfractam hominis inſcitiam cum pari impudentia agnoſcerent. Cum ſe vrgeri ſic videret, ad ſolitam illam ſectæ petulantiam deſcendit, nullum eſſe hominum genus, quod commodius viueret miniſtris. Reſpondi paucis, non tam vt cauſæ noſtræ patrocinium ſuſciperem, quàm vt refutarem beluæ inſolentiam. Poſtea me auarum vocauit. Riſerunt omnes: ſciebant enim quantũ hoc anno ab ipſis recuſaſſem atque id tam ſeriò, vt iureiurando aſſererem, me nunquam cõcionem habiturum niſi deſiſterent. Sciebant me non tantùm extraordinariam munificentiam recuſaſſe, ſed remiſiſſe etiam aliquid de iuſto ſtipendio, nec minus viginti coronatis. Itaque omnium probris fuit impetitus. Reſpondi modeſtè, ſi meo loco eſſet, ipſum fore diuitem: hoc non eſſe, ſignum auaritiæ, qui eſſem pauper in media diteſcendi facultate. Verùm ipſum à me capitaliter accuſari furti: ſi negaret, caput meum ad calumniæ pœnam offerre. Conſtabat enim ipſum duobus ſolidis & dimidio vendidiſſe quatuor folia, quæ quatuor denariolis illi conſtiterant. Neque per indicaturam ſteterat, quominus pluris venderet. Vrgebam, ſi bene ſibi eſſet conſcius, innocentiam ſuam tueretur. Cùm taceret pro more ſuo, cœpi de ipſorum perfectione diſſerere. Cùm ſuam obſtinationem ſatis prodidiſſet, in exilium eiectus fuit. Biduo pòſt, cùm in vrbe deprehenſus foret, virgis cæſus eſt, libri coram exuſti, ac denuntiatum ſub pœna ſuſpendij, ne rediret. Homo eſt, vel pecus potius deſperatæ nequitiæ. Literas, quas pridem ad vos ſcripſeram, remittendas ſtatim curabis. Vellem Toſſanum admoneres, vt vnius meæ ad ipſos Epiſtolæ, & alterius ad Schnepfium exemplaria, ſicut rogaueram, ad me remitteret: ſi ociũ haberes ad nos inuiſendos, quàm nobis iucundum officium omnibus faceres? Quæſo aliquando te ad iter tandem coniice: nec tantùm lætus eſſet nobis, ſed utilis qnoque aduentus tuus: ſicuti ex re præſenti agnoſces, & te laboris, ſcio, non pœnitebit: feſtina ergo. Saluta fratres omnes, quos ego magis amabo, ſi te huc extrudant. Dominus vos omnes conſeruet. Ignoſce meæ laſſitudini. Familiæ tuæ plurimum ſalutem. XXI. Ian. M.D.XXXXVI.

2. Tim. 3. 16 17.

VITVS CAL.

SAlutem in Domino. Gratiſſimùm mihi fuit. Caluine doctiſſime, quòd per ciuem eúmque vt intellexi vicinum tuum me iuſſeris ſalutari. Etſi autem longè plus voluptatis attuliſſent literæ, tamen cùm mihi de tuis occupationibus conſtet, facilè patior te id quod tibi cõmodius & facilius fuit, feciſſe. Ego vocatus à Principibus ad colloquium Ratisbonę, & additus Domino Philippo ſocius cùm iã quaſi in procinctu eſſem, ab articulorũ morbo oppreſſus: domi meæ decumbo: ac per alienam manum ad te ſcribo, vt tu quoque intelligas & amari te impenſè à me, & voluntatem neutiquam deeſſe tibi gratificandi. Philippus quoque propter periculum valetudinis domi ſe continuit, & profectus eius loco eſt D. Georgius Maior ac 27. Ianuarij vtriuſque partis Theologi, qui ibi non magna frequentia ſunt à præſidentibus Epiſcopo Aiſtetenſi & Comite à Furſtenberg ſunt conuocati, & recitatæ quædam

ſententiæ

ſententiæ eis ſunt Cæſaris nomine,quæ & forma & conditiones huius colloquij eſſe debeant. Cuiuſmodi autem eæ fuerint nondum licuit reſciſcere:coniicio autem plus habituras dubitationum & periculorum quàm ipſum colloquium: intelligimus enim,hoc à Cæſare Pontifici promiſſum, vt de quibus non conueniat inter collututores, concilium Tridentinum pronuntiet. Ex noſtra parte ſunt Ratiſponæ, M. Bucerus, Erhardus Schephius,Ioannes Brentius,Martinus Frechtus, Ioãnes Piſtorius, D.Georgius Maior. De aduerſarijs vt inquirerem diligentius nondum libuit,niſi quod cõſtat de auditore ſordium Cæſaris,de Maluendo,Pelargo,Cochlęo.Principes noſtri adhuc ſunt Frãcofordię,ac ſtrenuè hoc agunt,vt fœdus ſuum & confirment & propagent: hoc autem dignum laude factum eſt,quod omnes qui per totam Germaniam Euangelium Chriſti amplexi ſunt,pollicentur Epiſcopo Colonienſi auxlium,ſi propter religionem eũ oppugnet Cæſar.De Tridentino cõcilio puto te omnia noſſe.Bene vale in Domino,&, quod peramãter rogo,reſcribe quoque.Hoc penè exciderat.Legi cõciunculã tuam de Sacramento Cœnę,ac probo quod panem & vinum ſic ſigna vocas,vt ſignata re vera adſint:vtinã poſſint à te in eam ſententiam deduci, qui nuda tantùm ſigna relinquunt. Iterum vale. Datæ Noribergæ poſtridie Purificationis. M. D. XLVI.

CAL. VERETO.

NVper ſpurius ex domo Fabrorum,cui nomẽ eſt ab Orba,vxorem duxit ſpuriã cuiuſdã Nãtuatis. Triginta aut circiter prodierũt obuiã ſponſæ. Vides quàm ridicula fuerit põpa, noſti enim maritũ hominẽ nihili & nullius honoris: & tamen eius cauſa ſtrepitus audiebatur tota vrbe valde intẽpeſtiuus. Egreſſi ſunt cũ haberetur prima concio: inter ſecundã concionẽ ſunt reuerſi. Quid ſecutũ eſt? Dominus ſtercore aſperſit totã illã pompã.Abel coniugio benedicebat. Cùm ſtipularetur fidem coniugalẽ,nebulo alibi habebat animũ: iuſſus vt ſaltẽ annueret, caput concuſſit.Magna populi obmurmuratio.Abel perrexit,cùm deberet actionem abrũpere. Verùm ſe nequaquã animaduertiſſe deierat. Quod ridebat noſter,ſeuerè punitum fuit à Senatu:nam contẽptor ille per dies octo in arctũ carcerẽ incluſus hodie corã Eccleſia culpam deprecatus eſt.Patruus vxoris Ioannes nunc eſt in carcere. Seuerè prohibitum inſulario nequid præter aquam & panẽ illi det: neque exiturus eſt niſi cum publica ignominia: nam cùm Deũ palã abnegaret,atque à fratre noſtro Raymundo reprehẽderetur, repetita execrabili Dei eiuratione, dixit ſibi dolere quòd non abrepta barba eum in terrã illiſum pedibus calcaſſet. Proſerpina etiã pridie quàm ſponſam exciperent tam honorificè, ſocrum ita vulnerauit, vt largus illi ſãguis ex occipitio flueret,facies autẽ laceratione fœdata eſſet,totũ caput luto & puluere conſperſum.Noſti qualis ſit tẽperies vetulę:audiebatur toto vico inclamãs Dei & hominũ fidẽ. Proſerpinã ad Cõſiſtoriũ vocauimus,ſed ad ſororẽ euolauerat.Proximè iterũ vocabitur.Quid facerẽ?ſilentióne redimerẽ vnius hominis gratiã,vt à tota Eccleſia proditionis damnarer: dabo tamen operã,ne iure excandeſcat. Pentheſilea certè breui nobis reprimenda erit: nam mala omnes cauſas ſuſcipit,& furioſè defendit: denique fronte meretricia agit omnia & loquitur. Vale frater & amice integerrime.Saluta ſymmyſtas omnes diligenter. XI. Auguſt. M. D. XLVI.

CAL. FARELLO.

TAmetſi literæ non omni ex parte mihi placebãt, quòd verebar ne aſperitate nimia ſtomachũ tã delicatum offenderẽt:reddendas tamen curaui,ſed ita vt neſciret à me fuiſſe viſas. Hic enim quaſi abs te ſibi cõmiſſas in eius domum pertulit.Si tonabit ſuo more,tandẽ eius fulmina euaneſcent in crepitus. Ego me illi non offero tantùm ſed propemodũ obtrudo. dũtaxat modũ adhibeo, vt meminerim quem locum teneam: neque id mea cauſa, ſed quia homo adulationibus aſſuetus modeſtia mea abuteretur in Chriſti ludibrium. Deſperó itaque, niſi Dominus remedium adhibeat. Vxor eius prodigioſa eſt furia. Vidua N. adeo procaciter laſciuit, vt dicas eſſe iuuenculam.Deinde malè ſibi cõſcia verbis omnibus,quæ pro cõcione proferuntur,incitatur ad rabiem,domi quidquid veneni habet,in nos euomit: quãquam erga te mirè ſe præbuit beneuolam. Duos enim nepotes tuos, cùm periculoſè ægrotarent in ſe recepit,neque aliter tractat quàm filios. Hoc officium dignũ eſt liberali gratiarũ actione, quã non omittes, vbi ſe nuncius obtulerit. Nobis omnibus adeo eſt infeſta,vt credam

Cæsarem ipsum nihilò magis esse inimicum. Et tamen si causa dicēda sit, fateor me nescire, nisi quòd impudenter criminum omnium defensionem suscipit. Narrabo hîc iocosam historiam. Nuper huc venit Frumenti vxor. Per omnes tabernas, per omnia fere compita declamitauit aduersus longas vestes. Cū id mihi fuisse indicatum sciret, excusauit se ridēdo dixisse, aut nos indecenter vestiri cum magno Ecclesiæ offēdiculo: aut vos falsum docuisse, cùm diceretis à lōgis vestibus dignosci posse falsos prophetas. Cùm tam putidam calumniam refutarem, cœpit etiam Spiritui sancto adscribere, quod vobis impegerat. Quid sibi vult, dicebat, locus ille Euangelij? Venient ad vos in longis vestibus. Respondi me nescire, vbi esset illa sententia, nisi fortè inueniretur in Euangelio Manichæorum. Sic enim extat locus Lucæ. 20. 45. Cauete à scribis qui volunt ambulare in stolis. Non autem venient ad vos, &c. quod ex Matth. 7. interpolauerat. Cùm sentiret se vrgeri, conquesta est de nostra tyrannide, quòd non cuiuis liceret quiduis garrire. Tractaui mulierem vt debui. Statim ad Michaelis viduam perrexit, quæ eam hospitio recepit, non mensæ tantū sed lecti sociā, quia ministris maledicebat. Hæc vulnera, quòd insanabilia mihi videntur, intacta relinquo, donec manū Dominus admoueat. Cœnam proximo die dominico sumus celebraturi. Hinc cogita quibus angustiis nūc cōstringar. Vtinam me absente posset celebrari, hac cōditione, vt ad vos vsq; vel manibus reptarē. Fratribus tuis vtinā illud Terētianū veniret in mentem, Perdere in tēpore lucrum facere est. Admonui, sed non festinant quantū vellem. Paulisper tamen adhuc hanc moram quanuis nobis ingratam, sustineant. Vale frater & amice integerrime. Saluta meo nomine diligenter fratres omnes, familiam, & pios ciues. Dominus te conseruet ac semper regat suo Spiritu, Amen. Geneuæ, Calend. Septembr. M. D. XLVI. Ioannes Cal. tuus.

CAL. FARELLO.

A Discessu vestro choreæ nobis plus exhibuerūt negocij, quā puerā. Omnes ij qui interfuerāt vocati ad Cōsistorium duobus exceptis Corneo & Perrino, impudenter Deo & nobis mentiti sunt. Excandui, vt rei indignitas postulabat & grauiter in illum Dei contēptum inuectus sum, q̄ pro nihilo ducerent sanctas obtestationes, quibus vsi fueramus ludibrio habere. Perstiterunt in sua cōtumacia. Ego cùm res mihi cōperta esset, nihil aliud poteram q̄ Deum testari pœnas tantæ perfidiæ daturos: simul tamen denunciaui, me vel propriæ vitæ dispendio facturum, vt veritas patefieret, ne quid se lucrifecisse mentiendo putarent. Franciscа etiā Perrini grauiter cōuitiata est nobis, q̄ adeo infesti essemus fabris. Respondi vt visum fuit atq; vt merebatur. Rogaui nunquid sacrosancta esset domus, nunquid legibus soluta? Patrē iam vnius adulterij cōuictum tenebamus: alterius probatio propè ad manum erat: de tertio magnus erat rumor: frater Senatum & nos palā cōtempserat ac deriserat: tandē adieci fabricandā illis esse nouā vrbem, in qua seorsum viuerēt, nisi vellent nobis hîc sub iugo Christi contineri: quandiu Geneuæ essent, eos frustra niti, ne legibus parerent. Nā si tot essent diademata in domo fabrorum, quot sunt furiosa capita, id non fore impedimēto quin Dominus foret superior. Maritus Lugdunum interea concesserat, sperans rem tacitè sepultū iri. Cēsui, vt iureiurando ad veri cōfessionem adigerētur. Corneus illos monuit, se nequaquam passurū vt peierarent. Nō modò cōfessi sunt quod volebam⁹, sed se eo die saltasse apud Balthazaris viduam. Omnes in carcerē coniecti, Syndicus insigne moderationis exemplum fuit. Nā in se & totum gregem seuerius est concionatus, quā vt oportuerit cum eo multa verba facere. Admonitus tamen grauiter in Cōsistorio fuit, loco suo deiectus, donec pœnitentiæ testimoniū edidisset. Perrinū Lugduno reuersum aiūt: quidquid agat, pœnā non effugiet. Henrichus abdicatus fuit nobis cōsentientibus: illic altercatio incidit non illepida. Cōfessus fuerat verum esse quidquid à testibus scriptum fuerat. Interim cōfugiebat ad illud præsidiū, Aduersus presbyterum accusationē ne admittas, nisi sub duobus aut tribus testibus. Rogaui, cuiusnā esset sententia hæc. Ex ore tuo te iudico serue nequā. Iam enim causam in testium fide non consistere, sed in eius confessione. Cum testes adhuc repudiaret, dilēmate institi. Aut verā esse eius cōfessionem, aut falsam: si vera esset, nihil amplius hæsitandum esse: sin falsa, eum teneri reum periurij, quòd iuratus aliter quàm res habebat, dixisset. Eousq; prorupit, vt diceret se falsò & nequiter locutum esse. Cùm iniquum esse diceret ab eo se premi, qui deberet eum defendere, rogaui quo iure illi astrictus essem ad malam causam tuendam, nunquàm enim me iurasse in factionē Franciscanam. Multa homini vltro citróq; dicta fuerunt, sed ita vt probro ac odio omnium plenus discesserit.

Abdicatus

Abdicatus minister io simul retrusus fuit in carcerẽ, vnde tamẽ triduo pòst fuit liberatus. Illic strenuus fuit saltationum patronus: vt quoad potuit exacerbarit in me eorũ odia, qui iam antè plus satis erant alienati. Verùm quidquid per eius similes moliatur Satan: exemplum valde proderit. Duo enim iam vulgò dicuntur, nullam spem esse impunitatis cùm primariis non parcatur, & me nihilomagis amicis quàm alienis fauere. Perrinus cum vxore fremit in carcere: vidua prorsus insanit, alij pudore confusi silent. Diazius Hispanus quem apud Gallasium hîc vidisti, Virete, & qui Neocomo Germaniam proficiscens transierat cum duobus Senarclenis, crudelissimè fuit interfectus: cùm Cæsar appropinquare diceretur, Neoburgum se contulerat, quod oppidum est sub ditione Othonis Hẽrici ducis. Inde ad me scripserat, 13. Martij. Fratrem habebat Romæ nomine Alphonsum, qui data opera illuc venit, vt pium virum tolleret è medio. Collocuti sunt aliquot diebus. Cùm Ioannes nihil se proficere intelligeret, Alphonsum reliquit. Hic simulans sibi aliquid excidisse, famulum mittit qui fratrem reuocet, ac domi interficiat. Subsecutus est domum vsque: de cæde perpetrata fidem non habuit famulo, donec cadauer spectasset ipse. Tum equis celeribus in comitatum Tirolerensem se proripuit. Dux Otho præfectum palatij misit, qui eum ad supplicium postularet. Nisi Ferdinandus humana omnia diuináque miscere volet, necesse est tam indignum & abominabile facinus vindicet. Nam præfectus in carcerem se vnà dedit. Valete Fratres charissimi. Dominus Iesus vos semper tueatur. Salutate amicos omnes. Tu Farelle plurimam salutem dices ciuium magistris. Vtinam aliquando istud adrepere quoquomodo liceat. Nostri omnes vos salutant. M. D. XLVI.

IOANNES CALVINVS PROTECTORI ANGLIAE.

Ex Gall.

ETsi pro ea prouincia quam nunc sustines, Amplissime Domine, Deus te singulari prudentia, fortitudine & aliis virtutibus quas muneris illius magnitudo postulat, instruxit: quia tamen me agnoscis pro Filij ipsius seruo, cui ante omnia te approbare cogitas: sic mihi persuasi benignè à te susceptũ iri, quòd ipsius nomine ad te scriberem. Neque enim mihi aliud proposui, quàm vt opus cœptum persequendo, magis ac magis ipsius gloriã promoueas, donec ipsius regnum in optatissimum illum statum perduxeris, qui in terris extare quidem potest. Ex ipsa portò lectione percipies quàm nihil de meo attulerim, sed ex ipsius Scriptura, quidquid hîc habes, in vsum tuum protulerim. Iam si in vnam magnitudinem intuerer, in quam istic euectus es, satis scio quàm difficilis ad illam aditus esset tenuitati meæ: quum verò non asperneris illius Magistri doctrinã cui addictus sum, quin potius singularis priuilegij loco ducas te vnum haberi ex ipsius discipulis, non est quòd pluribus me apud te excusem, cùm te satis bene cõparatum iudicem ad illud suscipiendum quod ab ipso profectum esse constabit. Est sanè de quo gratias agamus Deo & Patri nostro, q̃ opera tua vti voluerit ad tantum opus, vt per te imprimis purum & syncerum suum cultum in regno Angliæ restitueret: præstaret etiam vt salutis doctrina audiretur passim, & fideliter annunciaretur omnibus qui aures arrigere dignarentur: quòd etiam tantam fortitudinem & constantiam tibi indiderit, vt contra tot insultus & difficultates infracto animo pergeres, ac manu potenti te asseruerit hactenus, vt tua consilia & labores sua benedictione prosequutus sit, atq; prosperauerit. Totidem, inquam, illa sunt pijs omnibus argumenta, pro quibus ipsius nomen concelebrent. Sed tamen quia Satan totus in eo est, vt nouas pugnas perpetuò accendat, ipsáque illa res per se omnium difficillima vna est, dare operã nempe vt Dei veritas placidè apud homines obtineat, cùm illi natura mendacio addicti sint: cùm etiam nõ desint alia quædã quæ ipsius cursum remorẽtur, ac nominatim quòd superstitiones Antichristi tã altas radices egerũt, vt ex animis multorũ ægrè reuelli queant: tu vnus mihi tãtò magis visus es ad opus tam arduũ sanctis omnino exhortationibus confirmandus, vti ipsa experientia te hoc quoq; compertũrum non dubito. Atque hoc faciet vt apertius hîc & liberius me geram: & sanè quia meum consilium voto tuo, vt spero, respondebit, sic statuo te etiam exhortationem meam boni consulturũ, vt ipsa non omnino necessaria fuerit, cùm zelus & solicitudo quæ me huc impulerunt, tibi non probari non possint. Ac tantò magis illa quam ipse agnoscis necessitas faciet, vt acceptus etiam hoc apud te meum studiũ reddatur. Quare à te peto, Amplissime Domine, vt me hîc patienter audias in ijs de quibus te admonere paucis instituí: ac vicissim spero, vbi illa attenderis, ipsa tibi solatium allatura,

quò animosius deinde opus illud sanctum persequaris, ad quod Domino placuit te huc vsque ministro vti. Equidem non dubito quin turbæ illæ ingentes quæ ab aliquo tempore acciderunt, tibi valde molestæ & acerbæ fuerint: præsertim cùm inde plerique offendiculum captarent, quos ex parte mutatio in religionis causa cõcitabat. Fieri, inquam, non potest, quin te illa cernentẽ varij motus exceperint, siue ad animũ & sensum tuum ipse tũ illa referres, siue ad strepitus improborũ, siue ad proborũ cõsternationẽ teipsum cõuerteres. Et me enim rumor ille tam longè dissitũ ita vehemẽter constrictum tenuit, donec accepi affulgere cœpisse auxilium à Domino. Sed quãdo vel ignis ille nondum planè consopitus est, vel nõ ita difficilè sit à Satana rursus excitari, propone tibi ante oculos memo-
2. Chro. 32. rabile illud piissimi Regis Ezechiæ exemplum, quod à Scriptura tam disertè traditum habemus: qui cùm sublatis ex Iudea superstitionibus purum Dei cultum ex ipsius lege constituisset, tanta subitò belli mole exceptus est, vt pro homine perdito & deplorato habendus passim iudicari posset. Sic enim Scriptura appositè ista simul conuertit, quod cùm totus ille in eo esset, vt verum Dei cultum suo loco reponeret, rem illi in speciem quàm infœliciss imè succesisse. Planè enim cùm ita se cordatè in Dei regno erigendo gessisset, regnum quoque ipsius cum summa tranquillitate coniunctum iri sperari poterat. Hinc igitur exemplum sibi statuãt pij omnes Principes ac prouinciarum Rectores, quò se animosius gerant, tum ad ableganda omnia idôla, tum ad verum Dei honorem, vti eo tenentur legitimè procurandũ, fidem ipsorum nẽpe per varias tentationes con simili examini subiiciendã esse. Sic permittit dominus, sic vult denique, vt & suorum constãtiam patefaciat, & illos comparatos reddat, vt oculos supra mundũ attollere discant. Interea verò Satã se se immiscet, vt cùm veram doctrinam apertè euertere non valet, obliquis artibus ac veluti
Iac. 5. per cuniculos idem moliri non desinat. Atque huc facit illa Iacobi admonitio, vt ad Iobi tolerantiam attenti, in illius etiam exitum intueamur. Perinde enim res tandem illi piissimo Regi cessit, cui Dominus ita adfuit in summis ipsius angustiis, vt tandem victoriã insignẽ inde retulerit. Quare cùm neque manus ipsius abbreuiata sit, neque portò minus illi sit nunc cordi, quàm superioribus sæculis veritatis ipsius assertio, non est quòd de illius ope desperes quicunque te fluctus excipiant. Maximam hominum partẽ Euangelio resistere, & omnes conatus eò conferre ne illud emergat, adeò mirum videri non debet. Ea siquidem est perpetua mundi ingratitudo, vt Deo vocanti tergum obuertat & aduersus illum calcitret, vbi iugum suum illi imponere cogitat. Cúmq; natura homines addicti sint hypocrisi, ferre non possunt, vt ad lumen verbi Dei adducantur, quòd eorum fœditatem & probrum reuelet: aut vt ex superstitionum suarum latebris extrahantur, sub quarũ vmbra somnum suum dormiunt. Quare nouum non est vbi ab illa parte contradicitur, cùm de redigendis ad Dei cultum & obedientiam hominibus agitur. Hoc tamen facere non debet, vt negligentes aut timidi hîc deprehendamur. Tandem enim vbi tumultuati fuerint satis ac suum furorẽ despumauerint, momento confundi & cũ suo tumore cõcidere necesse est. Sanè quod ad Deũ attinet, omnes illi hominum fremitus & bullæ ipsi tantùm ludus erũt, vt est in 2. Psal. adeóque quasi cõniuentibus oculis ad illorum æstus ipse conticescet, quasi res ea ad illum non pertineret. Atqui tandẽ ipsius potentia comprimentur. Nos verò eadem illa armati inuicto præsidio sustinebimur, quidquid aduersum nos moliatur Satan, tandém q; reipsa percipiemus, Euangelium vt nuntium pacis affert & reconciliationem cum Deo, ita etiam ad pacem inter homines cõstituendam pertinere, vbi a-
Esa. 11. pud Isaiam testatur Dominus: Vbi regnum Christi per ipsius doctrinam erectũ fuerit, futurum vt & gladij in vomeres & lanceæ in falces trãsformẽtur. Interea verò quamuis ex hominum improbitate & peruicacia prodeant, quæ aduersus Euangelium insurgunt seditiones & turbæ, in nosipsos tamen descendere oportet, ac statuere, Dominũ ita nos plectere propter nostra ipsorũ peccata, etsi vtatur illis instrumẽtis quæ verè Satanę mancipia esse constet. Vetus est illa querimonia, qua in Euangelium deriuata est omnium malorum causa, quæ humano generi pridem incumbunt. Constat siquidem ex historia, iam ab ipso initio quo Christianismus per orbẽ spargi cœperat, vix vllum fuisse angulum qui non extremis malis premeretur. Bellorum motus extabant cõtinui cuiusdam incendij instar, quo vniuersa conflagrarent. Diluuies hinc, illinc pestes & fames: Extrema & rerum omnium & ordinum inuersio, quasi orbis terræ in seipsum cõmissus planè dissiliret & cõfringeretur. Idem prorsus accidit hoc sęculo, ex quo Euãgelium cœpit emergere: miserabilis quædam extitit rerum omnium facies, vt passim volitet illa querimonia, nos scilicet infœliciss imo sæculo natos esse, ac perpauci nõ sub tanta mole fatiscãt.

Atqui

Atqui dum vulnera illa perſentimus, & ad manum ferientis attendere oportuit & ad cauſam: quænam illa porrò ſit neque adeò obſcurum eſt, neque perceptu difficile. Cõſtat verbum Dei per quod ad viam ſalutis perducimur incomparabilem theſaurum eſſe: Excutiamus verò nos ipſos, quàm reuerenter nempe vti ab ipſius auctore oblatum nobis eſt, ita etiam à nobis admiſſum ſit. Quando igitur ita vileſcit apud nos quod eſt apud illum tanti momenti, quis non iuſtiſſimum agnoſcat, qui noſtram ingratitudinem ita viciſſim vlciſcatur? Audimus & illud Chriſti apud Lucam: ſeruum qui teneat voluntatem Domini, neque illam opere præſtat, duplo grauiorem pœnam commereri. Cùm igitur tam negligentes ſimus ad obediendum voluntati Dei, cuius centuplo vberior extat notitia inter nos, quàm ſuperioribus ſæculis, alienum videri non debet, ſi vehementius in nos excandeſcat, qui omnium hominum minimè excuſabiles ſumus. Cúmque operam non damus vt bonum ſemen promoueatur & incrementum capiat, meritò inter nos ſpinæ & ſentes artificio Satanæ ſubcreſcunt, quarum deinde punctionibus infeſtemur. Cùm denique Creatori ipſi ius illud ſuum non exhibeamus in nobiſipſis, non minus æquum eſt hominum contumaciam aduerſum nos ipſos experiri. Vt ad te verò me propius conferam, Ampliſſime Domine, audio eſſe duo ſeditioſorum genera, quæ aduerſus Regem ac regni ſtatum caput extulerunt. Alij enim, cerebroſi quidam videlicet, ſub Euangelij nomine ἀταξίαν paſſim inuectam vellent. Alij verò in ſuperſtitionibus Antichriſti ita obdurauerunt, vt earum reuulſionem ferre non poſſint. Ac merentur quidem, tum hi tum illi gladio vltore coërceri, quem tibi tradidit Dominus: cùm non in Regem tantùm inſurgant, ſed in Deum ipſum qui & Regem in Regia ſede conſtituit, & te protectorem inſtituit, tum perſonæ tum ipſius etiam Regiæ Maieſtatis. Illud verò hîc ante omnia procurandum eſt, vt quantùm fieri poterit, illi qui eo Euangelij guſtu prædíti ſunt vt illi iam addictos eſſe conſtet, ipſum porrò ea animi deiectione ac reuerentia admittant, vt & ſibiipſis planè abrenuntient, & ſeſe Deo in ſolidum vt par eſt, addicant. Sic enim illos cogitare oportet, Dominum nempe iſtiuſmodi occaſionibus ipſos expergefacere, vt magis ſeriò in ipſius verbo proficiant, quàm hactenus præſtiterint. Frenetici quidem illi qui mundum in ſupinam quandam licentiam tranſuerſum cuperent, excitantur à Satana nominatim, vt per illos Euãgelium malè audiat: quaſi Euangelium cauſam præberet rebellioni aduerſus principatus, atque meram in mundum diſſipationem inueheret. Piorum eſt verò, ad tam infauſtos conatus perditorum hominum ingemiſcere, dum lucem Dominus qui illas tenebras ſerius ocius certiſſimè diſcuſſura ſit, ſuſtinendo implorant. Papiſtæ verò dum idôli ſui Romani fœditates & abominationes tueri ſtudent, apertum odium & beneficij Chriſti & omnium ipſius mandatorum magis ac magis produnt: quod tamen non poteſt non extremum mœrorem illis afferre, apud quos vel gutta ſynceri zeli ſupereſt. Quare ſibi & iſta à Domino deſtinari pij agnoſcant, quæ totidẽ ſint ad ipſos caſtigãdos flagella, quia nempe legitimos Euangelij fructus non ferant. Summa ratio igitur atque vnicè appoſita eſto ad iſtiuſmodi motus ſemel conſopiendos, vt qui Euangelio nomen dederunt, verè ad Dei imaginem reformati deprehendantur: atque ita teſtentur Chriſtianiſmum legitimum ab omni ἀταξίᾳ omnimodo abbhorrere: æquabili modeſtia & temperantia approbent ſe Dei verbo regi, nedum vt ex leges & effrænes habeantur: recta denique & ſancta vita os impiorum obturent. Sic placatus Dominus ferulas demum ſubducet, atque pro vindicta quam in verbi contemptores exerit, illam ſuorum reſipiſcentiam certiſſima benedictione proſequetur. Nominatim verò Nobilitas ipſa ac Magiſtratus hic exemplo præeant oportet, vt primi omnium colla ſubmittant cum ſummo timore ac reuerentia, ſupremo illi omnium Regi Chriſto Dei Filio: ipſi inquam fidem & obſequium animæ & corporis ſyncerè præſtent, vt & ipſe viciſſim eorum tumorem & faſtum comprimat, qui aduerſus ipſos iniuſtè criſtas tollunt. Hoc eſt nimirum ſummum principum huius ſæculi munus, vt ita ſubditos ſuos regant, vt primi omniũ Chriſto ſubeſſe geſtiant, déntq; omnem operã, vt illius vnius auctoritas ſupra omnes & ſummos & infimos emineat. Quare à te peto, Ampliſſime Domine, per Dominum ipſum & illam qua regnum Nepotis tui complecteris ſingularem charitatem, vti luculentè paſſim teſtaris, vt eo vnicè omnem conatum ac vigilantiam adhibeas, vt & Dei veritas prædicetur cum pleniſſima auctoritate & efficacia, & vt fructus quoque extent qui cœleſti illi ſementi reſpondeant: atque vt illud aſſequaris, nunquam manum remittas

Luc. xii. 47

ab incœpta plena & integra Eccleſię reformatione proſequenda. Hic verò vt meam mentem facilius percipias, totum iſtud in tria capita conferam. quorum vnum ſit De vera ratione populi rectè docendi. Alterum de extirpandis abuſibus qui hactenus obtinuerunt. Tertium ac poſtremum, de vitiis exactè corrigendis, & adhibenda opera, ne ſcandala & luxus paſſim vigeant, vt inde nomen Domini blaſphemetur. Ac quod ad primùm illud attinet, non eſt quòd in tradēda doctrinæ ſubſtantia immorer. Eſt magis de quo Domino gratias agam, à quo ita illuminatus es puræ doctrinæ cognitione, vt eandē etiam publicè doceri cures. Nō es, inquam, mihi docēdus quæ ſit Chriſtianorum fides, & quę illis doctrina tenēda ſit, cū per te adeò veritas fidei in Eccleſię cœtu reſtituta perſonet. Quòd ſi quis obiter cōprehēſum habere velit, quæ ſit Dei cultus ſumma, res nēpe eò redit. Vt vnū Deū habeamus rectorē noſtrarū cōſcientiarū, ad ipſarū regimē quod ſpirituale eſt, legē ipſius vnicā adhibeamus pro ſingulari pietatis regula: ne quid ad ipſius cultum ex hominū traditionibus quæ vanæ ſunt cōferamus, ipſum porrò pro ſua natura, ſpiritus & cordis integritate ab omnibus colēdum eſſe. Cùm verò in omnibus nobis nihil extet præter miſerabilē corruptionē, quæ tum ſenſus omnes tum affectus noſtros occuper, noſtrum eſſe meram illā iniquitatum abyſſum in nobis agnoſcere, & agnitam exhorreſcere: eo modo nobis probè cognitis, atque in nobis penitus fractis, contuſis, perditis, exutis omni dignitatis ſapiētiæ facultatis deniq; vllius ad bonum præſumptione, tum demum accurrere oportere ad vnicum fontē bonorum omniū Dominū noſtrū Ieſum Chriſtum, ab illo quicquid offert percipere, ac imprimis incōparabilē illum mortis ac paſſionis ipſius theſaurum, vt ea vna ratione Deo patri in ſolidū recōciliemur: purgatiq; aſperſione ſanguinis ipſius certò perſuaſi ſimus nullas in nobis extaturas maculas, quæ apud ipſius cęleſte ſolium pudore nos ſuffundant: ſic nobis certò cōſtabit vis illa ſacrificij perpetui, qua peccatorum gratuita remiſſio nobis ita obſignata eſt, vt illic præſidiū & anchoram ſalutis cōſtanter defigamus. Sic ipſius Spiritu ſāctificati, in obediētiam iuſtitię Dei cōſecrabimur: ipſius gratia cōfirmati, victoriā de Satana, mundo, carne reportabimus. Poſtremò cùm mēbra corporis ipſius ſimus, nō dubitabimus quin Deus in filiorū ſuorū albo nos recēſeat, vt vera fiducia ipſum illo Patris amantiſſimo nomine legitimè cōpellemus. Hic eſt nēpe ſcopus veræ doctrinæ quæ & in Eccleſia Dei habēda eſt ſēper & ab omnibus audiēda vt in eū ſcopū omnes ſincerè collimēt, dū ſeſe à mūdo ſenſim ſubducēdo, ad caput illud ſuū quod eſt in cælis intēto affectu & apertis votis, moribus, inſtitutis ſinguli ſeſe attollāt. Qua te verè pretioſiſſima ſua luce quæ tandiu ſub Antichriſti ſepulta latuerat, cùm nunc ita vberrimè perfuderit Domin⁹, pluribus iſta apud te nō exequar. Tantū quod attigi de docēdi forma eò ptinet, vt quę ſit idonea ratio ſequēda in populo inſtituēdo teneatur. Pungēdi ſunt nēpe ad viuū, vt ſentiatur in ſingulis illud Apoſtoli verbū Domni nempe gladium ancipitem eſſe qui intima vſq; cogitationum & affectuū configat, & ad ipſam vſq; oſſiū & medullarum compaginē peruadat. Hoc inquam inculco nominatim, quoniam vereor ne paucæ extent in Regno viuæ cōciones: maior pars autem in recitationis modum decurrat. Ac video quidem aliquam iſtius neceſſitatis occaſionem inter vos: quia nempe, vobis non ſunt ad manum probi & idonei paſtores, defectus ille ſuo quodam modo explendus eſt. Deinde cauēdum eſt ab erraticis hominibus & temerariis, qui vt in rebus nouis accidit, plurimū extra metas abriperētur, vt ſomnia ſua pro Dei verbo effutirent: ſed nulla eiuſmodi ratio obſtare debet, quin ipſa Chriſti inſtitutio obtineat, quod ad Euangelij prædicationē. Porrò legitima prædicatio mortua eſſe nō poteſt, ſed viua & efficax ad docēdum, exhortandū, arguendū, vti ad Timoth. teſtatur Apoſtolus: Adeò vt infidele ingrediēte in cœtū fidelium, affici illum oporteat & quaſi transfodi ipſa verbi auditione vt det gloriam Deo, vt alibi idem Apoſtolus oſtendit. Neque etiam te latere poteſt, quod idem Apoſtolus tradit de vi & energia quæ in illis extare debet, qui ſe probos & legitimos verbi miniſtros approbare ſtudent: vt abeſſe ab iſtiuſmodi quidem velit omnem ornatum & fucum eloquentię, quo ſe homines theatro venditant: ita tamen vt tantò luculentius in eorū ſermone ſeſe prodat vis illa Spiritus, quæ potentiſſimè agat in animis auditorum. Nulla igitur præcautio facere debet, quominus Spiritus ille Dei ſuam libertatē ac perpetuū vigorē retineat in illorum miniſterio in quos ſua dona cōtulit Dominus ad Eccleſiæ ędificationē. Expedit quidem proſpicere deſultoriis ingeniis quæ ſibi nimium licere volunt: claudenda eſt etiam ianua curioſis doctrinis. Ratio autem expedita ad eam rem vna eſt, ſi extet nempe ſumma quædā doctrinæ ab omnibus recepta, quàm inter prædicandū ſequantur omnes: ad quam etiam

Hebr. 4.

2. Tim. 3.

1. Cor. 14.

1. Cor. 2. & 2. Cor. 4.

etiã obseruandũ omnes episcopi & parochi iureiurãdo adstringantur, vt nemo ad munus Ecclesiasticũ admittatur, nisi spondeat sibi illum doctrinæ consensum inuiolatũ futurum. Extet præterea cõmunis formula catechismi in vsum puerorum, & siqui erunt rudiores in populo: sic ipsa veritas illis familiaris reddetur, ac simul eam ipsam discent ab impostoris & corruptelis discernere, quę sensim apud cessantes irrepere solent. Planè enim tibi persuasum esse oportet, Ecclesiã Dei catechesi carere non posse: illic enim verũ semen doctrinæ contineri, ex quo demũ messis pura ac proba cõstatura, ac deinceps multiplicanda sit, magis ac magis. Quare si ædificium eiusmodi instituere cogitas, quod & diu stare possit, & à ruina tutum maneat, da operam, vt pueri nominatim introducãtur ad fidem catechismo ad eam rem edito, vnde discant breuiter & pro suo captu, in quo situs sit verus Christianismus. Neq; verò in puerorũ institutione stabit tãtùm catechismi vtilitas. Accede enim & illa altera, vt tum populus per eum edoctus, meliùs ad proficiendũ in ordinaria verbi auditione cõparatus sit, tum verò vt si quis inflatus nouum aliquod dogma inueheret, ad catechismi exámen reuocatus statim deprehendatur. Quod ad formulã precum & rituum Ecclesiasticorum, valde probo, vt certa illa extet, à qua pastoribus discedere in functione sua non liceat, tam vt consulatur quorundam simplicitati & imperitiæ, quam vt certius ita constet omnium inter se Ecclesiarum consensus. Postremò etiam vt obuiam eatur desultorię quorundã leuitati qui nouationes quasdã affectãt, vti eò pertinere catechismum ipsum antè ostendi. Sic igitur statum esse catechismum oportet, statã sacramentorum administrationẽ, publicam itẽ precum formulã. Sed nõ hoc eò pertinet vt istius politici ordinis in Ecclesia occasione, vigor ille natiuus prædicationis Euangelij vllo modo cõsenescat. In illud potius incũbendũ est tibi, vt idonei & sonori buccinatores cõquirãtur, qui ad intima vsque cordium vocis Euangelij clangore peruadant. Periculum est enim ne multò tenuior fructus extet institutę reformationis, nisi cum illa sese etiã exerat prędicationis verbi potentia quàm efficassissima. Non frustra de Christo scriptum est, Percussurũ illum terram sceptro oris sui, ac percussurum impium Spiritu labiorum suorum. Hæc est nimirũ vera ratio, qua nos sibi perdomitos sistit, dum verbi sui virtute euertit ac deiicit quidquid ipsius gloriæ obstat in nobisipsis. Atque inde etiam constat Euangelio nomen illud quod regnum Dei appellatur. Quare cùm edicta & constitutiones Principũ Christianorum magnum pondus habeant ad promouendum & asserendum Christianismi statum, Deus tamen singulari modo prȩcipuam illam vim suam exererę vult in gladio spirituali verbi sui, quem pastoribus exerendum mandat in Ecclesia. Venio ad caput alterum de abolendis & euellendis radicitus abusibus & corruptelis, quas inuexit Satan superioribus seculis in Dei ordinationem. Constat Christianismum Papatus planè esse nothum & adulterinũ, & qui Dei iudicio vltimo illo die damnãdus sit cùm iã ipsius verbo tã apertè repugnet. Quare si ab illa voragine plebem educere est animus, exẽplo Apostoli vtendum est. Vbi enim agit de restituendo vero vsu Cœnæ Domini apud Corinthios, vt quæ obrepserant addita menta valere iubeat semel, quod, inquit, accepi à Domino, hoc & tradidi vobis. Inde colligenda generalis doctrina, cùm de legitima reformatione & quę Deo accepta sit agitur, ad ipsum purum putum Dei verbum redeundũ nobis esse. Quot enim supererũt mixturæ ex hominum ingenio prolatæ, totidẽ extabunt pollutiones, quæ homines distrahant à recto eorum vsu, quæ Dominus in ipsorũ salutẽ instituerat. Proinde dum istiusmodi sentina ex parte tãtũ exhauritur, res suo loco verè restituta dici nõ potest, vbi Christianism⁹ laruatus pro sincero & natiuo deprehẽditur. Atque illud à me ideo dicitur, quòd multos lõgè aliter iudicare intelligã: tolerãdos esse nẽpe abusus neq; attingẽdos, dũmodo crassissimę corruptelæ sublatę dici possint. Atqui ex opposito ipsa experiẽtia edocuit, quã fertilis sit mẽdaciorũ seges humanũ ingeniũ: vt vel minutulis granis cõspersum, in altissimũ cumulũ assurgat, vti totũ natura eò ferri cõstat. Longè alia verò est ratio, quã tradit Scriptura. Dauid eni de idõlis agẽs, ne ipsorũ quidẽ nominis se recordaturũ testatur, vt ostẽdat quã illa sibi omnib⁹ modis detestãda iudicet. Præsertim vbi attẽdimus quã grauiter eo nomine peccauerimus in Deũ, cùm in ignorãtia versaremur, illud nos tãtò magis seriò afficiat oportet, vt ab omni Satanæ fermento quã lõgissimè pedem referamus. Quid enim illæ cerimoniæ aliud fuerũt, quã totidẽ lenocinia quæ miseras animas ad malũ perducerent, vti ad ipsas illaqueãdas omnino positæ erant? Iã si de cautione agitur, monebuntur homines, scilicet, ne ad illas nunc impingant, cùm superioris vitæ peccata hac in parte illis retegentur. Quis tamen non videt, obdurari ipsos nihilominus, nihil vt infœlici illa cautione obtineri possit? Quare si quid istiusmodi intactum relinquetur, certissimum erit grauioris obsir-

Esa. 11. 4

1. Cor. 11.

Psal. 16.

obfirmationis in malũ fomentum, idemque velamen appoſitum ne ſincera doctrina quæ proponetur admittatur vt par eſt. Fateor quidẽ moderationi locum eſſe oportere, vt extremitates nimis abſciſæ neque hîc vtiles ſint, neque ſimpliciter vſurpãdæ, adeóque ceremonias ipſas ad vſum & captum populi eſſe accõmodandas: ſed non minus conſtanter affirmo videndum eſſe, ne ſub illo prætextu toleretur quidquam quod à Satana vel Antichriſto profectum ſit. Quò protinet illa Scripturæ loquendi ratio quæ in hiſtoriis regum Iuda nõ vno loco extat, in pleroſq; nẽpe qui cùm idola ſuſtuliſſẽt, omnia tamen ad viuum non reſecuerũt, hanc inquã illis aſpergit notã, quòd nihilominus excelſa quæ nos ſacella dicimus, & loca illa ſtultæ deuotioni dicata non abſtulerint. Cùm igitur eouſq; te Deus prouexerit, ampliſſime domine, da operam obſecro, vt veri templi ipſius reformatoris nomen referas, ac ſeculum hoc ſub rege nepote tuo piiſſimi Ioſiæ ſeculo reſpondeat: atq; ita omnia ſuo loco repoſita cures, vt Regẽ deinde vna ſolicitudo ordinis bene poſiti conſeruandi maneat. Proferã tibi iſtiuſmodi corruptelarum exemplũ, quod inſtar fermenti eſſe poſſit quo maſſa integra ſãctæ Cœnæ quodãmodo acefieret. Audio recitari iſtic in Cœnę celebratione orationẽ pro defũctis: neq; vero hoc ad Purgatorij Papiſtici approbationẽ referri ſatis ſcio. Neq; etiã me latet proferri poſſe antiquũ ritũ mentionis defunctorũ faciendæ, vt eo modo cõmunio fidelium omniũ in vnum corpus cõiunctorũ declaretur: ſed obſtat inuictũ illud argumentũ, nẽpe Cœnã Domini rẽ adeò ſacroſanctã eſſe, vt vllis hominũ additamẽtis eã cõſpurcare ſit nefas. Præterea vbi Deũ inuocamus non eſt indulgendũ
Rom.10. noſtris affectibus, ſed potius regula illa retinẽda eſt quã tradit Apoſtolus, vt verbũ Dei pro fundamẽto habeamus: illa verò defunctorũ cõmemoratio quæ ipſorũ veneratione vel cõmẽdatione cõiunctã habet, nõ reſpõdet verę ac legitimæ rectè orãdi inſtitutioni, ac perinde aſſumentũ eſt, quod in Cœna Domini nullo modo ferendũ ſit. Sunt & alia nõ perinde damnãda fortaſſe, ſed tamẽ eiuſmodi vt excuſari nõ poſſint, chriſma videlicet & vnctionis ceremonia: ſiquidem chriſma illud inuẽtio eſt friuola illorũ qui iam olim in Domini inſtitutione per ignorantiam non acquieuerũt, & qui nouo illo ſigno Spiritũ ſanctũ in Baptiſmo ita ſibi repręſentãdum duxerunt, quaſi aquæ ſignũ ad illud nõ ſufficeret. Extrema vnctio verò ab illorum inconſiderato zelo emanauit, qui Apoſtolos æmulari voluerũt, cùm
Marc.6. eodem cum ipſis dono non pollerent. Cùm enim Apoſtoli oleum in ægrorum ſanatione adhibuerunt, illud eò pertinebat vt ſanationis miraculum ea teſſera quaſi exhibitum obſignaretur. Ceſſante demum miraculorum dono, vſum quoque externę illius vnctionis ceſſare oportuit. Quamobrem illa omnia abſcindi ſemel præſtiterit, vt nihil in Eccleſia Dei vſurpetur, quod non & ipſius verbo conforme ſit, & ad Eccleſię ædificationem pertineat: ita verò tolerandi ſunt infirmi vt & confirmentur ſenſim & ad meliora promoueantur. Neque interea ſtultis immorandum eſt, vt illis ſatisfiat quibus hoc vel illud arridet ſimpliciter, cùm nulla idonea cauſa ſubeſt. Scio qua conſideratione plerique vlterius progreſſi non ſint: quia nempe veriti ſunt vt maior rerũ mutatio ferri nõ poſſet, præſertim vbi vicinorum ratio habenda viſa eſt, quibuſcum pax fouenda eſſet conniuendo ad plurima. Habeat ſanè hoc locum in rebus iſtius vitæ, in quibus licet de iure ſuo tantum remittere, quantum pacis ſtudium & amor requiret. Atqui alia prorſus eſt ratio regiminis Eccleſiæ quod ſpirituale eſt, in quo nihil non ad Dei verbum exigi fas eſt: non eſt inquam penes vllum mortalem quidquam hîc aliis dare aut in illorũ gratiã deflectere, cùm nõ alia res Deo magis inuiſa ſit, quàm vbi humana illa noſtra prudentia calculum hîc ſuũ apponere audet, vt vel moderemur vel reſcindamus vel retroferamur prẽter ipſius vnius cœleſte arbitrium. Ergo niſi illi diſplicere volumus, ad omem carnis intuitum oculi nobis ſemel claudendi ſunt: & quod ad pericula attinet quæ inſtare videbuntur, ſic illa nobis declinanda erunt quantum erit in nobis, vt tamẽ à recta via diſcedere ſemper ſit nefas. Extat Domini promiſſio, qua ſe nobis adfuturum ſtatuit rectam inſiſtentibus viam: ſupereſt igitur hoc vnum, vt partibus noſtris ſtrenuè fungendo, euentum illi cõmendemus. Neque enim aliunde eſt, quod ſapientes huius ſeculi ſuæ ſpes fruſtrãtur vt plurimũ, quàm quod Dominus recedit ab illis, quatenus ipſius auxilio diffiſi ſeſe ad media obliqua & quę Deo minus probantur conuertunt. Quare ſi Dei ipſius potentiã à nobis ſtare volumus, ſequamur ſimpliciter quod iubet: atque imprimis hoc fundamentum ſtatuendũ nobis eſt, reformationem Eccleſiæ ſingulare manus ipſius opus eſſe, vt hac in parte homines ſeſe illi in ſolidũ regendos tradãt: quódque etiam maius eſt, ſolere Dominum vt plurimũ, tam in reſtituẽda quã in conſeruãda Eccleſia ſua operari ratione quadã planè admirabili, & quæ omniũ hominum captum omnino ſuperet. Proinde nullã rationẽ ſinere opus illud reformationis

mationis Ecclesiæ ad humani sensus modulum exigi, & quod cœleste est, ad terræ & mundi formam compositum habere velle. Neque tamen ita excluſam rectam illam prudentiam velim, cuius maximus hîc quidem est vsus, vt non appositæ rationes incantur, ne in hanc vel illam partem nimis propendeatur, dum omnes Domino lucrari volumus: sed prudentiam hîc Spiritus non carnis regnare cupio, dum os Dominũ interrogabimus, ac precabimur vt nostro sensu valere iusso, vnus ille nos in omnibus dirigat atque manu perducat. Vbi nos ita geremus, facilè erit ansam præcidere variis tentationibus quæ nos in medio cursu remorari possent. Tu igitur ampliſſimè Domine vti feliciter illam Christianissimi restitutionem integram in regno Angliæ instituisti non innixus tibi sed potenti Dei manu, quæ te hactenus sustinuit & mirabiliter confirmauit, sic etiam in eadem illa fiducia tibi pergendum esse existima. Ac sanè cùm Dominus ipse tot passim principatus sustentet sua prouidentia qui tamen ipsi aduersantur, multo magis illos respiciet qui & in illum sunt defixi & toto suo conatu supremum illum herum sibi ascisscere cupiunt. Venio ad teritum caput quod est tum de vitiis coercendis tum de scandalis comprimendis. Ergo verò non dubito leges & edicta posita isthic esse, quæ recta & laudanda sint, & quibus populum in honestis moribus contineri conueniat: sed ingens illa ἀταξία quàm in mundo animaduerto me cogit vt te hîc etiam appellem, vt in illud incumbas vt homines sub bona & honesta disciplina habeantur. Imprimis vt Dei honorem in eo asseras dum illa crimina vlciscēris, quorum persequutio apud homines insuperhaberi solet. Cùm enim furta, cædes, rapinæ seueriſſimè plectantur, quia ad hominesiniuria pertineat, conniuetur interea ad scortationes, adulteria, ebriositates, blasphemias nominis Dei, tanquam ad res licitas, aut non ita grauiter vindicandas. Atqui Deus longè aliter iis de rebus pronuntiat: ostendit enim quàm pretiosum ipsi sit nomen suum, dum apud homines proscinditur & pedibus proculcatur. Neque verò fieri potest, vt tam horrenda probra diutiùs inulta sinat: nam & ex Scriptura colligi potest vel vna tantùm Benhadadi & Sancheribi profanorum regum in Deum contumelia, horrendum Dei iudicium ipsos cum suis omnibus tantumnon adobruisse. Et quòd ad adulteria attinet, quis pudor est, nos qui Christiano nomine censemur, in illis vindicandis ethnicis ipsis longè molliores deprehendi, cum adeò ioco etiam eiusmodi scelera transmittantur? Tanti est scilicet sacrum ipsum coniugium, imaginem inquam illam viuam sacratissimæ nostræ cum Dei Filio coniunctionis impune polluii arctissimam verò supra alias humanas omnes confœderationem perfidissimè diffringi? scortationes verò (si Apostolum audimus) non alio quàm totidem sacrilegiorum loco habebimus, quatenus templa Dei nostra corpora nimirum manifestè ita polluta, à Dei Spiritu & Christo ipso indignissimè abscinduntur. Vnde & illud subiicit, Scortatores & ebriosos ad Dei regnum non pertinere: vt & istorum commercium fidelibus nominatim interdicat: ex quo consequitur in Ecclesia Dei tales ferri nullo modo oportere. Atque his omnino malis accepta ferenda sunt flagella Domini quibus orbis terrarum concutitur: fit enim vt dum enormia ista scelera homines inter sese condonant, manum Dei vindicem in seipsos accersant. Quamobrem vt Dei iram auerti procures, à te peto, ampliſſimè domine, vt frænum hac in parte seriò adhibeas, déque operam vt qui se istic Christianos profitentur, illud demum reipsa & moribus qui sanctæ vocationi respondeant, exprimant atque commonstrent: quemadmodum enim doctrina ipsa est instar animæ ad Ecclesiam viuificandam, ita etiam disciplina & vitiorum correctio neruorũ loco haberi debent, quibus corpus integrum ac vegetum foueatur atque conseruetur. Episcopi & Parochi in illud præcipuè intenti sint ne Cœna Domini polluatur, si ad illam ij admittantur quorum vita propter scandala malè audiat. Te verò pro eo in quem te Deus euexit loco curare imprimis par est, vt alij omnes subditi pro suo quisque loco & vocatione manum operi admoueant, singuli partes suas impleant, vt ordo legitimè positus perinde etiam obseruetur. Hic verò, ampliſſime domine, in excusanda epistolæ prolixitate non ero prolixior, neque valde deprecabor offensionem quòd ita apertè animi mei sensum tibi aperuerim: confido enim exploratum esse tibi animum meum pro tua prudentia, ac pro eo vsu Scripturæ quem habes, facilè agniturum ex quo fonte hauserim quæ superius comprehensa à me hic habes: Quare non est quod metuam, ne fastidium tibi attulerim aut importunius egisse videri possim, vbi ostendi pro mea tenuitate sincerum illum effectum, qui eo fertur vnicè vt Dei nomen per te semper quàm ampliſſimè glorificetur. Hoc ab illo supplex in dies postulo, ac precor vt sua in te dona cu-

mulatè adaugeat, suo te Spiritu in vera & inuicta constantia confirmet, tueatur & sustineat contra omnes aduersarios, te muósque præsidio suo tegat, tuam illam administrationem ita prosperet, vt Regi argumentum inde extet ipsius concelebrandi, cui tam opportunus & sui rector & regni in illa ætate contigerit. Tandem igitur, perquam demississimè salute à me tibi adscripta finem scribendi faciam. Geneuæ XXII. Octobris M. D. XLVI.

Tuæ Excellentiæ deditissimus
Ioannes Caluinus.

CAL. FARELLO.

PArum abfuit quin ludi nostri versi fuerint in tragœdiam. Cùm meam sententiam rogasset Senatus, negaui me responsurum nisi de communi fratrum cõsilio. Auditis fratribus, respondi multas ob causas nobis non videri expedire vt agerentur, & simul causas exposui: nos tamen nolle contendere, si Senatus contenderet. Cum instaret dies, N. pro concione iterum inuectus est in actores (semel enim id fecerat) verùm hac secunda inuectiua tam fuit vehemens, vt protinus concursus ad me factus fuerit, magni clamores, minæ, & quid non? Quòd nisi intemperiem quorundam grauiter compescuissem, manu pugnaturi erant. Conatus sum in secunda concione mollire iratos animos, moderatione adhibita, nam imprudentem fuisse iudicabam qui extra tempus tali declamatione vsus foret. Verùm magis displicebat excessus, nullo enim modo approbare poteram quod dixerat. Ille verum esse tuebatur, ego constanter negabam. Erant ex fratribus qui hominis obstinationem fouebant. Circiter nonam vespertinam mihi renunciatum est centum aut circiter postridie conuenturos in curiam. Extemplo fratres vocaui: decreuimus eundum esse cum N. Vix illi fuit permissum vt mecũ egrederetur: deduco illum, alios accersi interea iubeo. Accusatores renuunt nobis præsentibus se verbum facturos, sibi enim nihil esse mecum negocij, nisi quòd reuerenter de me sentirent; ideóque nollent mecum litigare. Ego acriter insisto communem esse causam, donec appareat, N. in officio peccasse: iubemur vtrinque sedere. Ab aduersa parte seditiosi clamores: minantur se fuisse N. occisuros, nisi me reueriti fuissent. Ad cohibendũ tumultum detentus fuit in Curia, sed honorificè. Secundò die omnes turbas Domini auspiciis composuimus. Abel enim gratia valebat, ego authoritate apud actores. Senatus verò erat noster. Hoc tãtùm malè me habebat quòd non esset fortior & animosior: nam pro more suo nimium timidè se gessit. hic finis. Nũc ludi aguntur: adest Viretus spectator, qui ex composito iterum rediit, vt furiosum nostrum ad sanam mẽtem reducat. De fratribus tuis nihil prorsus audio. Est apud vos Helias Lemouicus cognomine, natione Ruppellensis, qui me tertiis iam literis rogauit, vt vobis testarer quid de superiore eius vita intellexerim. Pij qui illinc veniunt, asserunt probum fuisse virum & honestæ vitæ, atque etiam cœlibem fuisse, cùm illinc migraret ad nos. Itaque nõ est quòd hæc suspicio impedimentum coniugio afferat. Excusabis quòd illi non respenderim: atque etiam quòd tibi adeo breuiter perstrinxerim, quod longiorem fortè orationem postulabat. Vale frater in Domino charissime & integerrime amice. Saluta diligenter omnes fratres. Nemo hîc te vel illos salutat, quoniam nemo scripturum me sciebat, præter Nicolaũ fratris socerum qui interuenit. Dominus vobis perpetuò adsit ac sanctis vestris laboribus benedicat. Geneuæ IIII. nonas Iulij M. D. XLVI.

CAL. VIRETO.

NVper hic fuit N. Postquã morbos expressi, remedium simul illud suggessi de quo inter nos locuti eramus. Probabat, sed putat difficile esse impetratu: si tamen in tempore venerit, periculũ faciet: fatetur enim in tanta necessitate omnia esse tentanda. Ego autẽ vereor ne prius mittantur, qui suo more post multam ostẽtationem nihil agant: ita res diu desiderata nimis citò elabetur. Verùm hoc vt alia omnia Dominus viderit. De caligis dissectis fuit nobis hîc nuper aliquid negotioli. Hic erat prætextus: sed iam erumpere cœperant in maximam licentiam. Cùm ducenti eorum rogatu vocati fuissent, omnes adfuimus: ego otationem habui quæ illis momento extorsit quod certa spe deuorauerãt. Disserui enim de omnibus corruptelis in ge-

lis in genere, præfatus me nihil morari illas nugas, quia non audent palàm clamitare, fremunt ac frendent dentibus. Vno tamen experimento didicerunt, quòd non putauerunt populum esse nostrum. Cæsar tragicus postridie iter arripuit, ne pompæ interesset: quam conuētus ille ludicram & puerilē reddidit, cùm speraret fore imperij cuiusdam pignus. Nos illi ex insperato omnia sua consilia discussimus, ita Deus ludit istos Thrasones. Vale frater & amice integerrime. Dominus tibi adsit perpetuò, & sanctis tuis laboribus benedicat. Saluta vxorem tuam meo nomine. Genevæ, XXVIII. Maij M. D. XLVII.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS VIRETO.

HOstes nostri ita sunt excæcati, vt nullum honesti respectū habeant. Hesternus dies suspicionem à nobis prius cōceptam non parum cōprobauit: eos certare tanta impudentia, vt tumultum aliquem mouerent. Vocati fuerāt ducenti. Collegis meis pridie condixeram me in curiam vēturum. Adfuimus & quidem ante tempus: quia multi adhuc in publico obambulabant, egressi sumus extra portam curiæ contiguam. Illinc multi clamores & confusi audiebātur. Nec mora, adeò creuerunt, vt certum ducerē seditionis signum. Ego mox accurro: horribilis erat rerum facies. In confertissimas turbas me coniicio. Tametsi omnes ferè essent attoniti, ad me tamen omnes facere concursum, huc illuc raptare, ne quid iniuriæ paterer. Ego Deum & homines testari, me ideo venisse vt corpus meum gladiis obiicerem. Hortari vt à me inciperent, si vellent sanguinem fundere. Multum ex feruore statim remiserūt, cùm improbi, tum verò præcipuè boni. Tandē ad locū Senatus pertractus sum. Illic nouæ pugnæ, quibus me interposui medium. Putant omnes factū meo interuētu fuisse, ne magna & fœda strages ederetur. Collegæ mei interea turbæ permixti erant. Obtinui vt compositi omnes sederent. Oratione longa & vehementi quam habui pro temporis ratione, dicunt mirè fuisse omnes permotos, saltem paucis exceptis: qui tamen non minus laudarūt quàm boni, quod à me gestum erat. Hoc quidem priuilegio me hactenus & Collegas Deus muniuit, vt minimā læsionē nostri non aliter se detestari fingant, etiam qui sunt sceleratissimi, quàm paricidiū. Eò tamen prorupit improbitas, vt retineri qualemcūque Ecclesię statum diutius posse, meo præsertim ministerio vix sperem. Fractus sum, crede mihi, nisi manum Deus porrigat. Vale frater & amice integerrime. Saluta symmystam & omnes fratres. Ego & vxor mea plurimam salutem tibi optamus. Dominus vobis adsit perpetuò. XVII. Septembr. M. D. XLVII.

CALVINVS VIRETO.

ACceptis tuis literis vocaui ad me mulierem. Ea audita breuiter notaui, in quibus cum R. minùs cōgruebat eius responsio. Vt ingenio est admodum feroci atq; etiam proteruo, plus satis in causæ suę defensione se extulit. Cohibui tantùm eius intemperiem vt potui, sed quemadmodum dicis, breui mouebit nobis maiores turbas, nisi recepta fuerit. Proinde R. cōsulo vt periculo huic maturè occurrat. Nam cùm furiosi sint mulierum impetus in eiusmodi repulsis, tum verò hanc animaduerti non leuiter exarsuram. Quòd ad me attinet, vt coniugium ritè contractum non video, ita R. fidem iudico penitus obligatam. Frustra enim libertati suæ cauere voluit, sic agendo. Fateor sanè coniugium rem esse magis sacram, quàm vt nutu vel ambiguis promissis contrahatur. Proinde nō apparet in eorum conuentionibus ea religio, quæ coniugalem reuerentiam decebat. Scilicet ex aduerso res magis seria erat, quàm vt ludicris pollicitationibus eludere debuerit, tam muliercula, quàm alios. Ita nō possum statuere, quin fidem suam obstrictā habeat. Verùm antequam illi pronunties, quæ sit nostra vtriusque sententia, ipsum de capitibus adhuc cō trouersis interrogari optarim. Nam erit fortè eiusmodi responsio, quę si quid reliquum est dubitationis tollat. Quicquid tamen respondeat, hominem vrgeas iis argumentis, quæ res ipsa suppeditat, ne se & illū absq; profectu fabulę exponat. In rebus nostris nihil nouum. Grueti negotium Syndici protrahunt, Senatu inuito, nec tamen vt decebat reclamante. Scis enim paucos esse cordatos. Ego in exagitandis cōmunibus vitiis ac præ-

cipuè iũuenũ corruptelis ſeueritatẽ meam exerceo. Pericula quæ mihi boni viri ex pluribus locis nuntiant, diſſimulo: ne de me videar nimium ſolicitus. Dominus qualemcũque volet exitum dabit. Vale frater & amice integerrime vnà cũ vxore & familia. Dominus Ieſus te perpetuò gubernet, tibíq; adſit. Salutẽ plurimã dices fratribus & vxori meo nomine. Vxor te & familiam tuam ſalutat. Geneuæ XXIIII. Iulij. M. D. XLVII.

CAL. FARELLO. S. D.

IAm mihi placere incipit meum antidotum, ex quo tãtopere tibi probatur: nam antehac mihi non ſatiſfaciebat. Quanquã tu fortè qui labores meos quotidianos noſti, adeóq; pugnas quibus non tã exerceor quàm conficior, veniã mihi cõcedis, ſi quid minus eſt abſolutum. Ego certè ipſe miror, vllã ſcriptionẽ lectu dignã poſſe iam à me prodire. Quòd me & Collegas meos hortaris vt infracto animo perſtemus, mihi verò neq; pericula, neq; moleſtiæ animũ minuũt: ſed quia in rebus tam confuſis interdum cõſilio deſtituor, miſſionem à Deo mihi dari cupio. Stultum votũ, inquies. fateor. ſed quid Moſes tam inſigne pãtientiæ exẽplar? nónne impoſitũ humeris ſuis cõqueritur nimis graue onus? Atq; his quidem cogitationibus ſolicitor duntaxat, non tamen acquieſco. Noſtris hominibus iniecimus aliquem metum: & tamẽ nihildum correctionis apparet. Tãta eſt impudentia, vt noſtros omnes clamores patulis auribus & ſurdis abſorbeãt: deniq; multorum incurabiles ſunt morbi. Tẽtauimus enim hactenus ferè omnia, nullo profectu. Vltimus actus reſtat, cui te vellẽ intereſſe. Quàm tragicum tumultũ Deus cõpoſuerit, arbitror te ex meis ad Viretum literis intellexiſſe: ita enim mandaueram. Ducenti iuſſerunt vt nos & alij decem pacificatores diſſidia omnia tolleremus. Volui à mè ipſo fieri initium. Negabat heſternus noſter Cæſar ſibi quicquam eſſe, mecum ſimultatis, ego autem pus ſtatim expreſſi. Graui & æquabili oratione vſus ſum, adhibui punctiones acutas, ſed quæ minimè cæderent. Tametſi reſipiſcentiam manu in manum implicita promiſit, vereor ne fruſtrà ſurdo ce cinerim fabulam. Vtinam aduentu tuo rurſus me exhilares. Apud Viretum ſcio quoſdã de immodica mea aſperitate conqueſtos eſſe. Quid crediderit, neſcio: ſubolfeci tamen eum timere ne feruori meo plus ſatis indulgeam. Rogaui vt huc veniret. Dicit ille apud Terentium, Si hîc eſſes, aliter ſentires. Idem liceret etiam mihi dicere, Tu ſi eſſes ego, neſcio quid faceres. Verùm inter multas acerbitates hæc quoque eſt deuoranda. Non hæc tibi aut Vireto reſpondeo, ſed aliis qui ocioſi ſua cenſura nos caſtigant. Veſtram autem συμπάθειαν mihi videre videor, tantum abeſt, vt vos mihi iniquos eſſe putem. Vale frater optime & integerrime, vnà cum tota familia, quã meo & vxoris nomine amanter ſalutabis, ſimul & omnes Collegas: adeóque bonos omnes. Geneuæ. XXVIII. Decembris. M. D. XLVII.

Ioannes Caluinus tuus.

BVCERVS CALVINO.

MIhi verò valde probatur optime & colẽde atque chariſſime Caluine, quòd fratres inuiſis. Noſti enim quàm grauiter deplorem, iſtud charitatis & pietatis officium, vt fratres & ſymmyſtæ ſeſe inuicem inuiſerent, monerent, cõſolarentur, adeò hoc tempore noſtro negligi, imò etiã à pleriſque damnari. Quanto enim plus piæ & ſalutaris conſenſionis & mutuæ inſtaurationis retineri inter nos poterat, ſi libuiſſet frequentius cõuenire, & in Domino inter nos omnia cõmunicare. Dominus tibi adſit, vt quod piè inſtituiſti, ſit etiã fratribus fructuoſum. Multa eſt lentitudo vitæ Chriſti in membris eius, magnámq; ipſe in illis ſæpe infirmitatem ſuſtinet. Quòd initio belli tam multi, & cum his etiam gens veſtra, finxerunt ſe credere bellum hoc non eſſe motum religioni, prodiderúntque adeò fratres & ſocios, & quod nunc geſto bello, vt geri potuit, à gerentibus ſine auſpicio Domini quiſque pro ſe & neſcio quam pacem contra iuriſiurandi religionem petit & accipit, quidam etiam ſe hoſtes deinde profitentur ſociorum, hinc regni Chriſti apud nos (quid dicam intelligis) quid dici res ipſa ferat, neglectus. Quantum putas dediſſe cauſam quòd cõmunio Chriſti, & vitæ ac ſpiritus eius mutua ſubminiſtratio inter alios planè reſciſſa & prohibita, inter alios

ter alios ignorata & neglecta, inter nullos, vt oportuit, excitata & agitata fuit. Modò hîc peranxiè laboratur, deliberando quid nos facere Dominus velit. Offerunt quidam ſpem pacis, quæ libertatem & religionem nobis relinquat ſaluam, ſed quam pacẽ deſertis ſociis amplecti oporteat. Socij verò in ſuperiori Germania omnes iam defecerunt à nobis, præter Conſtantiam: quanquã nunc quidam etiam de Auguſta affirmant nondũ eſſe deditam. Horrent itaque omnes cordatiores admittere, quo vel violetur religio ſocietatis iurata, vel circumſcribatur vllo modo libertas ſeruiendi Deo. Horrẽt etiam humiliationem refugere, quam infert Dominus & intulit toti propè Germaniæ: dum etiam non vident iuſtam in populo pœnitentiam. Ora Dominum vt noſtris det ſpiritum conſilij, quo id ſtatuant quod probet ipſe & ſalutare velit facere Eccleſiæ ſuæ. Optarim cuique poteſtati, quam Dominus impoſuerit, prolixè deferri quæ oporteat, tantùm ne quid detrahatur Deo. Cùm antea fœdere noſtro vigente & multis formidabili, pax ſolida religioni obtineri non potuit, haud ſine cauſa metuunt multi grauem religionis circumſcriptionem ſubſequuturam, fœdere diſſoluto, & tam fractis & humiliatis ſociis: ſed ita frangi humiliarique meruimus. Orandus igitur Dominus, vt hoc firmius ipſius nitamur brachio, quibus adeò concidit brachium carnis. In Comitiis Auguſtanis anno 30. nullum erat fœdus, & liberè tum confitebantur multi, & condemnationem grauiſſimam fortiter excipiebant. Nouit Dominus qui ſunt eius. Initia multorum tetra ſunt, ita aperta blaſphemia & pietatis charitatiſq; abiuratio admiſcetur: paucorum eſt certa fides, & eò res recidit. Cùm venerit Filius hominis, putas inuẽturũ fidem in terris? Hoc verò magis orandus Dominus, quò nos conſeruet in ſolida & conſtante confeſſione ac prædicatione Euangelij ſui, ac donet vita quoque illud exornare aliquanto quàm fecimus plerique hactenus ſtudioſius. Sed quis noſtrum nõ quotidie ob hanc remiſſionem diſciplinæ excruciatur, quòd fratres & Collegæ primarij adeò nullam admittunt diſciplinæ, non dico ſeueritatem, neceſſariam tamen mediocritatem, vt in Papatu factum eſt? ita plerique hominibus proſpectum volũt, non Eccleſiis: & Eccleſiarum damnis auertere damna impiorum Collegarũ putant humanũ. Cùm etiam tot malis non deſint patroni, propter Eccleſiam nolunt in offenſionem incurrere potentum & gratioſorum hominum. Vale in Domino Ieſu cum ſanctiſſimo collegio Fabello & Vireto, quibus quæ ſcribo opto eſſe communia. XVIII. Martij. M. D. XLVII.

BVCERVS CALVINO. S. D.

QMi Caluine, ánne Deus ideo defuerit Verbo ſuo, quia nos illud tam ſecurè contempſimus? tam ſubitò, támque fœdè & miſerè concidit omnis ſuperbia noſtra. Sic vltus eſt in nobis, & vlciſcitur adhuc iuſtus Deus contumeliam nominis ſui, quam à noſtra paſſus eſt tam diuturna & pernicioſiſſima hypocriſi. Vindicabit nomen ſuum & ab Antichriſtis à quibus infinitis & petulantiſſimis hodie afficitur opprobriis. Sed cùm nos ſentientes tandem ſicut quo prolapſi ſumus, ita etiam quàm grauiter iſtud ſumus commeriti, conuerterimus ad ipſum cædentem nos Patrem: ora nobiſcum inſtanter Dominum Ieſum largitorem pœnitentiæ & fidei, vt nobis craſſitiem cordis pertundat, & compungat illud vero impietatis noſtræ ſenſu & dolore, atque det nos ipſi totos credere & conſecrare, quò per eum Patrem veniam exoremus noſtrorum peccatorum, & remiſſionem præſentium flagellorum: quæ ſanè niſi citò à nobis remoueantur, exitium minantur nobis. Exciſionem quidẽ regni Chriſti non metuo, verùm confido illud præclarè propagandũ, & Antichriſtum in dies magis proterendum: ſed vereor vt nobis Germanis Dominus ad rem hanc vti velit. Cætera hic noſter. Dominus ſit vobiſcum. Saluta tuos omnes meis verbis officioſiſſimé. XIX. Iulij. M. D. XLVII.

Tuus Bucerus.

BVCERVS CALVINO S. D.

ORate Dominum ardenter pro hac republica & Eccleſia, vt diſcat animam ſuam perdere, quò ſeruet eam. Cætera ex hoc optimo fratre. Dominus ſeruet vos & erigat cõtra mala omnia. Vxor tua & domus tua tecum ſalueat. Idem petit & mea. Pridie Calendas Aprileis. M. D. XLVII.

Ex Gall.

CALVINVS PIIS GALLIS.

DIlectissimi fratres, non dubito quin multa ad vos perferātur in dies tam ex his regionibus quàm ex Germania, quæ scandalo cessura sint illis qui non satis firmas radices egerunt in Domini nostri Iesu Christi fide. Quod autē ad vos attinet, ita vos à Domino cōfirmatos esse confido, vt neque vlla re eiusmodi neq; vlla etiam grauiore dimoueri vobis vnquā cōtingat. Equidem fieri nō potest cùm semel solido illi fundamēto Ecclesiæ innixi sumus, quin ad sæuissimos quósq; fluctus & tēpestates excipiēdas parati, ad illarū tantum impetū immoti perstemus. Adeò etiā expedit illis casibus obnoxios nos esse, quibus nempe cōstantia & firmitas fidei nostræ exploretur. In Germania Dominus ita fastū omnē nostrorū contudit, atq; potētiā illius amplificauit, à quo nihil præter malum expectari potest, vt simul videri possit velle asserere regnū suū spirituale omnibus iis in locis in quibus illud antè erexerat. Et res est quidē pro hominū captu tenuissimæ spei omnino: sed tamen si Ecclesiā afflictā & Christi sui regnū illi precibus commendare nō cessabimus, spero illū vltra captū nostrū manū operi admoturū. Timendū est enim ne adhuc humana subsidia oculos nobis obleuerint: nunc cùm nihil obstat quominus ad illius vnius opē respiciamus, reuocemus in memoriā quā cōstanter seculis elapsis Ecclesiæ suæ adfuerit, vt in illa etiā ipsum ita glorificandū adhuc nō dubitemus, vt admirari planè subeat, quod nemo antè speraſſet. Interea verò pergamus in nostra militia sub Christi crucis vexillo, quod vnū lōgè omnibus hominū triumphis antecellit. Quod ad rumores qui de nostris turbis volitarūt, primùm illi maxima ex parte in ipso itinere ab auctoribus conficti sunt: neque enim decimā partē hîc positi cōperiretis. Sanè nimis multos habemus duræ ceruicis & indomitæ, qui iugū subinde excutere gestiunt, vt suis tumultibus dissipēt & aboleāt legitimum Ecclesiæ ordinē: sunt eo in numero & senes & iuuenes. Iuuentus imprimis hîc est deprauatissima. Cùm igitur illis vagans licētia non cōceditur, calcitrant subinde & calcibus petūt. Non ita pridem leuissima de causa valdè cōmoti sunt, quòd illis caligæ dissectæ interdicerentur, quod ante annū duodecimum in vrbe prohibitum fuit: nō quòd ea res per se nos moraretur, sed quòd per illas caligarum rimas fenestra omni profusioni & luxui aperta à nobis animaduerteretur. Testati sumus nempe discissionē illam in sese nullius momenti esse, sed illā occasionem adhibuimus vt ad certū scopū collimaremus, quo nempe illorū audacia & profusio coerceretur atq; constricta teneretur. Inter illam velitationē Diabolus alia quædā suggessit, vnde graues strepitus & susurri. Atque vbi nos cordatiores experti sunt quàm vellent, atq; ad illis resistēdum magis animatos, erupit tandem venenū ex pectoribus, quod latebat prius. Sed illud totum merus est fumus: ac minæ istorum nihil aliud sunt quàm spuma superbiæ Moab, cuius ferocia cū fremitu concidat oportet. Vtvt sit, non est quòd illa vos perturbent. Longè alios motus experti sunt Moses & Prophetæ qui populi Dei rectores erant: atque istiusmodi exercitia nobis necessaria sunt. Vestrum est autem precibus pro nobis apud Dominum adesse, vt det ne vnquam declinemus, sed vt vitæ etiam, si opus erit, ipsius vnius cultum anteponamus: vtq; præ vnius illius timore omnium impiorum furorem & minas posthabeamus. Faxit etiam vt sedentur tandem turbæ omnes quæ infirmorum animos pungerent: quod vnum mihi omnium grauissimum esse solet. Dignatus est nos Dominus singulari beneficio cùm Magistratum optimè affectum dedit ad remedium adhibendum malo. Vnà etiam fratres mecum optimè sentiunt, vt in officio pergamus omnes, & in omnibus extet æquabilis cōstantia. Bene valete dilectissimi fratres. Dominus opus suum persequatur in vobis magis ac magis. Iulij XXIIII. M. D. XLVII.

BRENTIVS CALVINO.

NOn dubito, amicissime mi Caluine, te iamdudum accepisse quis sit status, imò quæ sit mutatio Ecclesiarum in nostra parte Germaniæ: quæ ruina etiam me ex ea Ecclesia, in qua Euangelium Filij Dei vigintiquinque annis docui, eiecit. Et cum mandato τοῦ αὐτοκράτορος, vel ad carceres vel ad mortem petitus fuerim, hactenus diuina clemētia, & cura amicorū ita defensus sum, vt his diebus saluus ad Basileam peruenerim. Statui autem hîc hybernare. Et quanquam inuenerim omnia hîc commoda, hospitium, vrbis amœnitatem, ciuium beneuolentiam, doctorum virorum fa-

rum familiaritatem,&(quo maximè delector) ministrorum Ecclesiæ humanitatem: tamen cùm venit in mentem vastatę Ecclesiæ,desertæ familiæ meæ,ac periculorum,quæ aliis & Ecclesiis & ministris earum imminere videntur, cogitare ipse potes nihil externarum rerum tam amœnum esse, quod in tali paroxysmo iucunditatem afferre queat. Quare,quæ est tua pietas,non dubito,quin coniungas tuas preces cum nostris, vt Filius Dei incipiat iterum declarare se sedere ad dextram Dei Patris sui, & tueri Ecclesiam suam.Nam hoc officium nos vicissim vobis præstamus,& gratulamur tibi & tuæ Ecclesiæ,quòd hæc pericula ad vos nondũ pertingant,ac precamur Deũ Patrem Domini nostri Iesu Christi vt vos ita conseruet,quò perspicuè cognoscatur Ecclesiam Filij Dei nõ in cœlis tantùm,verùm etiam in terris suas habere mansiones & hospicia. De Argentorato,existimo te è Buceri literis cognoscere quæ vel spes sit, vel metus. Adhuc deliberatur ibi de recipiendo vel reiiciendo Interitu. Wittembergum & reliqua Saxoniá ac Misnia fortiter adhuc Interitum recusant.Noriemberga agnoscit quidem τὸ μετα ξύ:sed nihil adhuc ibi mutatum est.In Ducatu Wirtembergensi aliquibus in locis,vna diei hora missatur,alia Euangelium Christi prædicatur. Nec ibi quicquam mutatum est, nisi quòd veteres quidam sacrificuli faciũt Missas. Veri autem ministri Ecclesiæ receperint in administratione sacrorum vestitum,quem vocant choralẽ, & adiecti sint quidam festi dies ad priores,præterea esus carnium publicus consuetis hactenus diebus interdictus sit.Cætera ita ibi salua sunt, vt pij ministri non solùm non exturbentur è suo ministerio, verùm etiam ex aliis locis expulsi recipiantur. Dominus det vt Princeps eius regionis possit hoc institutum suum conseruare & tueri. In quibusdam Imperialibus Ciuitatibus restituitur nõ Interitus tãtùm,sed etiam Papatus ipse, hoc est,extrema internecio. Optimus noster Frechtus adhuc tenetur captiuus cum Collegis suis in arce Kyrcheim, in ducatu Wittemburgensi, quam arcem Hispani præsidio suo tenent. τὸν αὐτοκράτορα aiunt hac hieme rediturum ad Spiram. Qui reditus, quid allaturus sit incolumitatis reliquiis Ecclesiarum, res ipsa declarabit. Et fortassis suas etiam partes aget in hoc negocio iudicium Cameræ his diebus Spiræ instauratum. Ita vides, nihil nobis spei, nisi in cœlo repositum esse. Age igitur amicissime mi Caluine, conscende, quod facis,nobiscum precibus tuis in cœlum, vt excitemus Filium Dei ad seruandas reliquias suas. Bene ac feliciter vale.è Basilea.Reliqua Renatus ille,qui mihi iucundus fuit comes ab Argentorato,vsque ad Basileam. v 1. Octobris.

Brentius tuus.

CALVINVS NN. S.

Ieri vt plurimum solet vt quæ superuacua sunt,non tædium modo pariant lectoribus, sed etiã non sine stomacho respuantur,atque ego contra hanc meam exhortationẽ quominus necessaria erit eò æquioribus animis exceptum iri à vobis confido.Nã qui sponte in prosequendo pietatis cursu sunt incitati non placidi tantùm, sed libenter quoq; stimulos addi sibi patiuntur:tales autem vos esse quia mihi persuasi, non est quòd ad pergendum hortari dubitem:etsi,vt simpliciter dicam quod res est,non ea vos alacritate pergere arbitror, quin magno adhuc vobis vsui sint piæ admonitiones,nondum certè eousque estis progressi quin longè vlterius sit enitendum. Semper cauendum est ne pretiosum illud semen quod accepimus, vel suffocetur vel degeneret: etiam si quotidie magna cura excolamur,res tamen ostendit quàm facilè spinæ succrescant,quid si neglectus accedat?quid si multiplices obrepant hinc inde corruptelæ. Sed omnium pessimum si eas nobis accersimus:video aliqua ex parte,vos melius sentitis ipsi, quàm multa se auocamenta ingerant in eo viuendi genere,in quo fluctuatis: sic enim de inquieta turbulentáque vita loquendum est,vt maximè acres intentíque sitis ad resistendum: difficilis tamen est victoria, quo maius periculum est ne securis & aliud agentibus inducatur Satanæ artificiis Christi obliuio, quæ vos in mundi abyssum demergat. Assiduè in mentẽ veniat illud Pauli, quosdam à fide excidisse, quòd alienati fuissent à bona conscientia, ne ipsi quoque tam horrendi naufragij simus exempla aliis:ac de vobis quidem nihil tale metuo.Sed quia nũquã possumus nimium cauti esse, hoc quoq; dissimulare amor erga vos meus non permittit,& videmus vt sibi hodie plerique ferè omnes delitias faciant,quasi

impunè cum Deo ludatur: quare nihil melius quàm vt ſubinde quiſque ſe ad torporem expergeſaciat, ſibi inſtet, ſe ad calculum reuocet. Nec verò ſi quis in vobis aliquãdo fuit ardor, langueſcere nũc debet ob iſtas calamitates, quibus Eccleſiam cernimus oppreſſam vt parũ ab interitu diſtare videatur: potius cogitare vos decet quàm miſeras populi ſui res & afflictas Moyſes ſciret eſſe quum vltrò ſe opibus, deliciis, honoribus Ægypti abdicans nonniſi probris & ærumnis ſocium ſe adiũxit, Quãquam non eadem omnes ſpiritus magnitudine peræquè excellimus, vocamur tamen ad vnum omnes ad imitandi ſtudium. His paucis ſi non planè teſtatam at ſaltem indicatam eſſe volui ſolicitudinem quam de ſalute veſtra gero. Valete egregij & nobiliſſimi adoleſcentes. Dominus vos Spiritu ſuo gubernet ſemper, ac ſpiritualibus diuitiis magis ac magis locupletet, quò nomen ſuum glorioſum per vos illuſtretur. Nonis Nouembris. M. D. XLVIII.

CALVINVS BRENTIO. S.

Eximio Domini noſtri Ieſu Chriſti miniſtro D. Ioanni Brentio, Symmiſtæ & fratri in Domino honorando.

SI quid mihi iucundum in his triſtiſſimis temporibus eſſe poſſet, iucundæ imprimis ſuauéſq; fuiſſent tuæ literæ. Gratiſſimæ certè fuerunt, multúmq; ſolatij attulerũt variis meis doloribus, quòd te ſcilicet de cuius vita diu anxij fuerant boni omnes ereptũ eſſe ex mortis faucibus nũciabant. Tametſi enim fieri nequit quin tibi acerba ſit vita in præſenti rerum ſtatu, dum ab ea Eccleſia te diuulſum cogitas quam & genuiſti in Chriſto, & tãta ſolicitudine educaſti, eámque vt eſt orbata ſuo Paſtore, propemodum expoſitam vides Satanæ libidini, ſimul tamen reputare debes nõ te fruſtrà ſeruatum à Domino. Poteras iam in hac tua ſenecta quamlibet vegeta mori ſatur annorum: & ſanè quid nunc eſt in mundo quod nos aliquo viuendi deſiderio ſolicitet? Sed ego nõ dubito quin Dominus qui hactenus miniſterio tuo feliciter & vberrimo cum fructu vſus eſt in Eccleſiæ ſuæ ædificationẽ aliquid habeat operis nobis incognitum, in quo te porrò exercere velit: non quòd melior ſpes ſaltem propinqua nobis appareat, quin potius ita ſe vndique quocunque oculos vertamus nouorum malorum ſigna oſtendunt, vt nihil præter vltimum Eccleſiæ interitum reliquum eſſe videatur: deinde quemadmodum his calamitatibus cauſam præbuit noſtra impietas & ingratitudo, ſic etiam nos contumacia noſtra hodie vrget vt multo plura & atrociora meritò timẽda ſint quàm hactenus ſenſerimus, ſed vna hæc cogitatio nihilominus me ſuſtentat animúmque reficit, quòd ita mecum ſtatuo Deum, quum mirificã hãc Eccleſiæ inſtaurationẽ inchoauit, non inanẽ ſpem oſtentaſſe, quę mox euaneſceret, ſed opus eſſe aggreſſum quod nõ inuito tãtùm Satana, ſed malitia quoq; hominũ reluctante tuebitur ac ſtabiliet. Interea purgationem qua nobis opus eſt, patienter feramus: ſi ſemel huc perruperit Leonis furor, multò crudelius nobiſcum agetur, & certè hactenus minas magis tentauit quàm ſæuitia graſſatus eſt: ſed profundet quod hactenus cõtinuit, ſimulac nihil iam ſibi obſtare cernet. Itaq; nõ aliter nos comparatos eſſe decet quàm ſi exertus gladius eſſet ſupra ceruices, & ignes accẽſi. cæterùm, vt dicebam nõ dubito quin futurus ſit modus aliquis caſtigationis, ac Deus propediem Eccleſiam ex miſerrima hac diſſipatione colligat. Vnum vereor ne prius tam fœdam Germaniæ mollitiem cum impia perfidia coniunctam ſeuerè vlciſcatur: quia tamen multas oues innoxias agnoſcat, ab hircis robuſtioribus fuiſſe proditas, earum vt ſpero pro ſua miſericordia rationem habebit, vt iuſtam iram cohibeat. Nos hîc, quoniam aliud non licet, tui & ſimilium aſſiduè in precibus noſtris ſumus memores, vtinam aliis quoque officiis iuuare te poſſemus: ſed hoc ſcilicet præcipuum nos ſimul omnes Deum ſuppliciter orare, vt ſi noſtris peccatis offenſus fræna impiorum ſæuitiæ ad tempus laxauit, nunc viciſſim eorum ludibriis ac petulantia prouocatus ſe & ſuos reſpiciat: Chriſtum deinde rogare vt non tantùm apud Patrem ſit nobis deprecator, ſed iuſtum Eccleſiæ ſuæ vindicẽ ſe oſtendat. Vale eximie vir, & frater in Domino mihi ſemper colende. Dominus cui ſeruis Spiritu ſuo gubernare te pergat, ac ſanctos tuos labores benedicat, Amen. Geneuæ, Nonis Nouembris. M. D. XLVIII.

MYCONIVS CALVINO. S.

VOluit hic cõmendari per me tibi, vt virũ docto & pio. Obtemperaui non inuitus, nonnisi, vt te meis salutarẽ. Fac igitur, si qua poteris illi commodare, commodes propter Dominum, cui mihi videtur se deuouisse. Calamitates huius tempestatis non potes ignorare: augentur in dies magis ac magis, eóque inquietus ille nequit cessare, donec ambitioni suæ satisfactum sit, vel periit. Rumor est occupasse in Pedemonte oppidum munitissimum (Binerol vocant) Et constat, præmissis Spiram tormentis, glandibus, puluere bombardico multo, & ipsum eò intendere animum cum suis, quò, vt ferunt, per Lotharingiam & Burgundiam inuadat regem, & Bernenses propter Sabaudum. Quia verò versipelli vix credi potest (simulat enim ac dissimulat pro occasione omnia) nescio quid credendum vel non credendum. Cæsarianum Interim in Sueuia obtinuit. Timetur Constantiensibus. Quod ante malum acceptum noluerunt, nunc dicuntur ambire miseri. Neminem habent auxiliantem: & prius neminem habuerunt, & tamen tantam præ se tulerunt constantiam. Potuissent cum paruo damno, temporali dico, tenere, quod nũc non valebunt post cladem & amissionem suburbij, & grauem ignominiam, vt taceam de damno animæ. Non curant quidam ex nostris, quòd paries ardet proximi. Equidem per dies aliquot fui in hac sententia, per istos futurum, vt Cæsar & nos vexaturus esset cum nefario suo Interim: & adhuc hæreo, adeo inuisus est illis Christus. Quarta Augu. vestes lineæ & candidæ singulis ministris Angustanis singulæ sunt à nouo Senatu missæ, & simul mandatum vt semper pro sacris concionibus iis vtantur. Ab hoc munere tamen excluſi sunt nõ vncti prius. Coacti sunt etiam iurare se nihil contra Cæsaream Maiestatem, & contra Interim dicturos: quòd si factum fuerit secus, condigna pœna puniendos esse. Ex quo vides, quænam libertas sit permissa prædicandi Euangelij. Nugæ omnia. Apud Norimbergenses vnus tantùm dicitur esse qui misset. Is dum ingreditur vel missat, vel egreditur è tẽplo stipatus est satellitibus, nequis noceat: tanto fortiores illi sunt Anguſtanis. Argentinenses adhuc durant, nescio quàm diu. Ex potẽtibus multi dicuntur migrare, inter quos & N. esse fert rumor: numeratur enim inter eos, qui fabricarunt Interim. Nescio quid de eis diuinandum: sperant aliqui, nonnulli desperant. Docti dum scribunt, præ se ferunt magnum metum. Mihi videtur Dominum misertu-rum aliquando suæ Ecclesiæ. Vale fortis in Domino. Basileæ XXVIII. Auguſt. anno M. D. XLVIII.

Os. Myconius.

BVLINGERVS CALVINO. S. D.

TVas dilecte mi Caluine scriptas in Iulio in Auguſto demum accepi. His serius respondeo: nam nunc negotiis oppressus sum ita tantumnon mœrore contabesco prõpter interitum Ecclesiarum in Germania superiore. Pridie defecit etiam Constantia, dedicit sese Romanorum regi, recepit milites præsidiarios 800. Ciues optimi, inter quos Blaurerus Consu, Zuickius, Labhardus, Hurusius & alij insigniores multi relictis ędibus, & immobilibus excesserũt & fugerũt in Durgauiã. D. Ambrosius ante 5. septimanas improbitate ciuiũ compulsus ad sororem in Durgauiam concessit, & ibi hactenus delituit. Sustinet odium indicibile. Iam concessit ad ipsum etiam D. Thomas Cos. & frater, vir incomparabilis Iam verò malum etiam nobis imminet. Expectamus quid vel hac hyeme, vel in vere hostes veritatis contra nos tentaturi sint. Dominus adsit nobis & confirmet nos in sua sancta veritate, ne quid nostra professione indignum admittamus. Orate pro nobis. Sunt nostri alacres, intrepidi & constantes adhuc, parati quæuis subire pericula: sed nisi vigilauerit Deus frustra vigilat qui custodit vrbem. Peccata nostra, sanguis, ingratitudo, auaritia, contentio, inuidia & alia his similia premunt nos omnes qui nomen Christi gerimus: ac meremur vt nos flagello excitet Dominus. Hic tamẽ clemens est & propitius, si vera fidẽ & sanctis precibus ipsi occurramus. Si placet ei nos ex hoc eripere seculo, innumeris liberarit malis, vita donabit æterna. Ipsi gloria semper. Ora pro nobis, & salutata fratres omnes. Salutant te D. Bibliander, Galtherus, Pellicanus, Werdmullerus, denique fratres omnes. Tigurj, XV. Octobris M. D. XLVIII.

H. Bullingerus tuus.

FARELLVS CALVINO. 5.

Gratiam & Pacem à Domino.

PEr exemplar literarum ad Viretum missum, existimo te intellexisse in quibus versetur spinis verus Christi seruus Bucerus, quem meritò pij omnes ardentissimis precibus D. commendare debent. Christus Iesus ei adsit, & plenè benedicat illius ministerio, ac omnium qui Ecclesiarum salutē quærunt. Mirum est Senatum tam esse fractum & tam exigua præditum fide, quòd nō cupit se totum D. committere, & quæ Christi sunt tueri & antichristo resistere. Fortè habet qui ita suadeant, & audit quosdam agere apud Vvirtembergensem: nescio an Schneffius sit. de Islebio res est notior, nimirū debere fieri Cæsaris imperata, & non licere Interim reiicere. Dominus Iesus faxit vt quod cœpisti in Interim, ne quemquam interimat, scribere absoluas. Nam sanè expedit, cùm procul à nobis (si vera audimus) nō improbetur: nā Vincētius fertur nō improbare, & passim qui se putant aliquid esse, & à nonnullis alicuius fiunt, illud commēdant. Tossano eiusmodi, qui per ceremoniarum instaurationem & additionem negotium fecerunt, verendum ne per Interim plus nunc faciant. Missatorem vnum habent, sed insignem ebrium, Mombelgardi, & alterum Blancmonte. Decanus vir pessimus, & qui diu sciens & volens Spiritui diuino reluctatus fuit, iubente Cæsare admissus fuit. hunc visitet D. vt meritus est. Nam nisi per D. improbitas viri compescatur, multum detrimenti Ecclesiæ afferet. Si Tossano & Bucero quoque timeam aduersa vt opto prospera & Ecclesiis concreditis ipsis: tibi quid non metuam & quid non optem & isti Ecclesiæ? non parum anxius vt res istic habeant, cùm nihil audiuerim à die quo istac solui: & in hac anxietate ita respiro, quòd malè res non habeant, cùm siquid mali esset, statim vulgaretur, vt nunc fit si vnquam fuerit, bona cùm rara sint, ratius anunciantur, mala cùm inundent nunquam non audiūtur. Ruina inconstantis Cōstantiæ prius audiebatur, quàm perfecta esset, & nunc narratur talis esse, vt Sodomam esse dixeris. Nam Bacchātium in morem, choreis, ludis, ebrietatibus, & omni spurciciæ ita feruntur operam dare, vt nemo iam iudicare possit honesti eos vnquam rationem vllam habuisse, ne dicam Christum & Euangelium audiuisse & excepisse. Pagi, qui in gratiam Cæsaris non solùm non fuerunt auxilio Constātiensibus, sed aliis quoque fuerunt impedimento, cum reliquis agunt, vt Interim admittant: & quædam alia. Propediem responsum sunt accepturi. Pecunia & ingentia munera, verendū ne fœdera omnia rumpant. Sed quid fœderis tenebit is qui se suósq; salutem & fortunas venales habet? Si Satanas tam infestus hostis sese pro insigni amico venditat, & id plerisque suadet, ac quædam in hoc dat, mirum si illius ministri hoc non persuadeāt iis quos supra omne genus hominum oderunt, præcipuè dum copiosum dant aurum. sed erit plusquam Tolosanum. sanè stipendium & munera, vt videntur profusius erogata, hami erūt quibus non solùm aurum omne principum acceptum, verùm insuper corpora & quidquid est, capiantur & sint præda datori, qui manibus suorum & sanguine fuso perlitabit ad satietatem illorum sanguine qui prius fudervnt. Sera erit pœnitentia, frustrà tunc sapientiam inuocabunt, quam recipere & audire noluerunt. Quid Gallis immineat, & quo instigatore orti sint motus, & ad quid, & qui proditioni seruierūt à proauis, iam est videre. sua iudicia exercebit D. qui nostri misertus corda tangat, vt seriò conuertamur omnes, & vera fide dignos fructus edamus veræ resipiscentiæ. D. Iesus te seruet incolumem, & diu Ecclesiæ suæ inseruientem. Vale cum coniuge & Collegis & piis omnibus. Seruet istos omnes D. qui tecum amāt Christum, & Satanam perdat. Collega te salutat & mei fratres. Neocomi, XIX. Nouembris. M. D. XLVIII.

Existimo te rescisse Synodum tandem concessam & admissam, quanuis dies nōdum dicta sit. Christus faxit vt Ecclesiis & sancto ministerio rectè cōsulatur, & quæ corrigēda sunt, vt decet, corrigantur. tu vide quæso, quid in doctrina multorum desideretur & in vita, vt Epicurei secum tam multos non perdāt. Per idoneos id opportunè curandū est, magno cū timore Dei & precibus assiduis ne Satanas quos fouet & agit, suis dolis tegat & fucis efficiat, quominus cognoscantur & impunè euadant. Nosti qui sint & quales, & quantum detrimenti afferant Ecclesiis, quæ nos meritò ad misericordiam sui inuitare debēt: sed potissimùm Christi sanguis quo redemptæ fuerunt, qui tam scelestè à tam impiis in domo Dei conculcatur: rependat illis iudex iustus idque citò, prout egerunt,

tam

tam obstinatis animis,& tanta improbitate:& pijs perfectè det pergerè,vota eorum exaudiens qui Christi gloriam, Ecclesiarum ædificationem & omnium salutem studio multo exoptant.

Farellus tuus totus.

CAL. BVCERO S.

LIteræ tuæ tametsi gaudio & tristitia mixtæ erant, mihi tamen perquam gratæ fuerunt. Vtinam animi tui mœrorem & eas curas, quibus te cruciari video, possem aliqua ex parte subleuare. Omnes tamen etiam atque obsecramus, ne te absque profectu conficias: vt lætus sis atque hilaris in tam varia & multiplici lugendi materia, neque tuæ est pietatis, neque expedit, neque optandum nobis est. Danda est tamen opera, vt te quoad licebit Domino & Ecclesiæ serues. Amplum quidem stadium cucurristi: sed nescis quantum adhuc tibi restet. Ego fortassis qui paulum à carceribus sum progressus iam propior sum metæ. Sed in manu Dei est cursus nostri moderatio & finis. Vt tamen maximè essem vegetus, dum pericula quæ ex multis partibus impendent circunspicio, multæ mortes quotidie versantur ante oculos. Sicut ergo isthic vos pugnæ exercent, ita hîc lentos timores fouemus: quanquam & tumultus iam intus sedatos esse cõfido, & rumor est vobis esse à Gallis inducias. Vtinã & firmę pacis ratio iniri posset: lanistã enim qui hęc duo regna inter se cõmittit, videmus interea ociosum ridere, & vtramvis captare fortunam, vt viribus integris adoriatur victorem, & victis spolia absque sudore & sanguine legat: adeóque de ambobus triũphet, ac prędam rapiat. Sed dum mecum reputo quàm prauis consiliis regatur Gallia, de hac re ferè despero. Illum quidem plus satis timent: sed alios superbè despiciendo, non cauẽt sibi ab eius astutia. Et sanè Dominus hac cæcitate atrocem eorum in sanctos sæuitiam, & quæ in dies magis gliscit (vt ego quidem interpretor) iure vlciscitur. Vtinam sicut illic vires colligit impietas, & augescit semper in peius, ita Angli contraria æmulatione ad solidam Christianismi puritatem contendant: donec ac vnicam Christi regulam omnia illic constituta cernantur. Dominũ Protectorẽ, vt volebas, conatus sum hortari, vt flagitabat præsens rerum status: tuum quoque erit modis omnibus instare, si modo detur audientia (quod te facere sum persuasus) præsertim verò, vt ritus qui superstitionis aliquid redolent tollantur è medio. Hoc tibi nominatim commendo, vt te inuidia liberes, qua te falsò grauari apud multos non ignoras: nam medijs consilijs vel authorem, vel approbatorem semper inferri bunt. Scio hanc quorundam animis suspicionem altius infixam esse, quàm vt eam reuellere facilè sit, etiã si nihil omittas. Et sunt qui te malignè nullo errore inducti calumniantur. Denique fatale quodammodo hoc tibi malum est, quod fugere vix possis. Cauẽdum tamen ne imperitis detur malè suspicãdi occasio, improbi verò obloquẽdi prætextum accripiant. N. tibi sine causa molestũ esse valde doleo. Vtinam aliquando humanitatem discat. Ego facilius ignosco, quod tã malitia impelli ipsum quàm cæco impetu ferri animaduertisse mihi videor. Non credas quàm nos aliquando atrociter lacerarit, & absentes & innoxios & amicos. In Viretum præsertim, cùm præter meritum summa quorundam iniquitate aliorũ verò perfidia prope esset oppressus, nõ minus violenter inuectus est quàm in sceleratissimum Ecclesiæ proditorem. Certè mansuetudini assuesceret, si sciret quàm noxia sit præferuidi sui zeli & immodicæ austeritatis intemperies. Tibi hæc indignitas cum aliis malis qua soles æquitate deuoranda est. Nec verò Tigurinis causam suam probaret. Hac in parte nonnihil abs te dissentio, quod putas aduersæ parti fieri injuriam. Nam dum eos nunquam tam crassè hallucinatos putas, vt Christum vbique diffusum imaginarẽtur, non tenes quid inter alios scripserit Brentius, Christum cùm in præsepi iaceret glorioſum in cœlo fuisse, etiam secundum corpus. Atque vt apertius loquar, scis doctrinam Papistarum modestiorem magisque sobriam esse, quàm Ampsdorphij & similium fuerit qui tanquam Apollinis Phœbades insanierunt. Scis quàm inhumaniter vexatus fuerit Dominus Philippus, quia modum aliquem teneret. Deliria quoque secum idololatriã trahebant. Quorsum enim illud Lutheri adorabile sacramentum, nisi vt idolum in templo Dei erigatur? Ego tamen sepulta esse hæc omnia cuperem. Summa quidem contentione semper apud vicinos nostros institi, vt ab insectatione abstinerent: vt tamen illis satisfieret, errores omnes quibus minimè consentiebã damnare suppressis nominibus non dubitaui. De loco tu certè nimis subtiliter differere mihi videris. Alios grauiùs offẽdit, ob-

ſcuritas quam aſtutè data opera accerſi abs te putant. Atque hos quidem errare ſcio. Sed non vi leo cur tantopere refugias quod docemus, cùm in cœlum aſcendiſſe Chriſtus dicitur, hac loquutione exprimi locorum diſtantiam. Neque enim an in cœleſti gloria ſit locus, hîc diſputatur, ſed tantùm an Chriſti corpus ſit in mundo. Id cùm Scripturis clarè teſtatum ſit, pro Fidei articulo amplecti non dubito. Et tamen cùm in ſcripto noſtro reperies, quorundam morositati non abſque certamine datum fuit: nam ego aliter verba temperaueram. Cæterùm quia hac quam vſurpauimus forma nihil continebatur, niſi quod ſentiebam, aliis eam concedere non fuit religio. Effectum ſacramẽtorum & quid per ea nobis Dominus conferat luculentius & vberius explicari, quàm multi patiantur, piè & prudenter optas. Neque verò per me ſtetit, quin pleniora quædã eſſent. Gemamus ergo ferentes ea quæ corrigere non licet. Exemplar ſcripti quod mihi remiſerunt, hîc habebis. Capita duo quæ verebaris ne admitterẽt, perlibenter ſunt amplexi. Si Bullingeri manſuetudinem reliqui ſequuti eſſent, facilius omnia impetraſſem: bene tamen habet quòd in veritatem conſenſimus, & tenuimus ſummam rei. Si theſes tuas duobus tantùm in locis aliquantum flecteres, faceres appoſitiſſimé, nempe vt clarius exprimeres te locorum diſtantia Chriſtum à nobis qui in mundo ſumus diſiungere: deinde, vt commenta omnia quibus hactenus ad ſuperſtitionem inductæ ſunt hominum mentes clarius reiiceres, præſertim vt Spiritui ſancto Chriſtóque ſuam gloriam vindicares, ne quidquam ad miniſtros vel elementa tranſferatur. Initia actionis in conſenſione ineunda meram deſperationem præ ſe ferebant. Subita lux affulſit. Voluerunt priores cum aliis Eccleſiis communicare. Non ægrè conceſſimus. Quod autẽ N. diſſentit, æquo animo ferendum eſt. Farellus tibi ſcribit copioſè, vt videbis, Viretus non audet: non enim credas quàm iniquè tractetur. Et tamen quàm poteſt officioſiſſimè te ſalutat, petítque vt ſe habeas excuſatum. Collegæ etiã mei omnes te reuerenter ſalutant. Nihil hîc noui, niſi quod Tigurum & Berna ſpem omnem fœderis Gallo abſciderunt. Vale clariſſime vir & Pater in Domino mihi plurimùm obſeruande.

CALVINVS MELANCTONI.

VEritatem rem eſſe pretioſiſſimam, vt eſt, omnes fatentur. Atqui cùm bonorum omnium fons ſit vnus Deus, quicquid vſpiam veri tibi occuret, niſi bis Deo ingratus eſſe velis, ab ipſo profectum eſſe ne dubites, nec ſecus ac vocem è cœlo delapſam excipias. Nam & dona Dei contemptim præterire nefas eſt: & quod proprium eſt ipſius adſcribere homini, maior etiamnum impietas. Ergo & philoſophia præclarum eſt Dei donum: & qui omnibus ſeculis extiterunt docti viri, eos Deus ipſe excitauit, vt ad veri notitiam mundo præluceret. Verùm inter eorum ſcripta & eam doctrinam quam Deus ſuo numini dedicauit, vt generi humano ſancroſancta eſſet, magnum eſt diſcrimen: illic enim tenuem quandam veritatis particulam tibi prælibari comperias, vnde guſtum capias modò quàm amœna ſit ac ſuauis cognitu, hîc verò plenam tibi copiam affluere quæ animum tuum penitus reficiat: illic vmbram & imaginem tibi ob oculos ſubiici, quæ te ad amorem eius excitet modò, non eã tibi familiarem reddat, hîc ſolidum corpus tibi ſiſti ex quo nõ familiariter tãtùm cognoſcere, ſed quodãmodo attrectare liceat: illic ſemen quaſi præfocatũ, hîc frugem habeas, & quidẽ in ſua maturitate. Illic deniq; exiguas tãtùm ſcintillas emicare, quæ ſic viam demonſtrẽt, vt in medio curſu deficiãt, vel potius quæ viam demonſtrare nequeant, ſed tantùm retinere, ne longius aberres: hîc verò Spiritum Dei inſtar lucidiſſimæ facis, vel potius inſtar ſolis ipſius, pleno ſplendore affulgere, vt & vitæ tuæ curſum vſque ad vltimam metam regat, & in beatam immortalitatem perducat. Hinc collige vbinam peregrinari, & vbi velut fixis ſedibus acquieſcere debeas.

CALVINVS MONSBELGARDENSIBVS.

Fidelibus Chriſti ſeruis miniſtris Mombelgardenſis Eccleſiæ, fratribus & ſymmyſtis chariſſimis.

GRatia vobis & Pax à Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto. Chariſſimi & ex animo colendi fratres, tandem accidit quod diu timuimus, vt iſthic quoque cõſtitutum à Domino Eccleſiæ ordinem Satan per ſuos miniſtros euerteret. Hoc tamẽ ſolatij, quoad in re triſtiſſima fieri poteſt, literæ veſtræ attulerunt, quod inde intelleximus vos omnes in officio ad extremũ perſti-

tiſſe

tisse. Nam quòd grauiter testati estis vobis improbari istas corruptelas, quæ ad inquinãdam sanæ doctrinæ puritatem ingerebãtur, digna ministris Christi fuit constantia: quòd nunc etiam perfidæ dissimulationi exilium præoptatis, in eo specimen editis luculentum synceræ vestræ fidei. Nam vbi vel abdicat docendi munere qui hactenus & Ecclesiæ Christi hospitium præbuerat in ditione sua, & vobis permiserat Christi prædicandi libertatem, vlterius nostro iudicio progredi non expedit: præsertim vbi nulla profectus spes apparet, neque oues quibus vos Christus Pastores prefecerat, operam vestram amplius desiderant. Nam vt proditor est qui volens cedit ac stationem vltrò deserit suam, sic resistere vbi cogimur nostrum non est, nisi fortè nos ad subeundum discrimen nominatim vocaret Ecclesia: nam tunc cẽties mori præstaret, quàm frustrari eorum vota qui Christum sequi parati essent. Vestra autẽ ratio longè diuersa est: quandiu enim fuistis Pastores, non defuit gregi vestra sedulitas aut solicitudo. Nunc cùm perseuerandi studium nihil profuturum sit, ac ne oues quidẽ ipsæ quibus obstricta est vestra fides, sibi vtile esse censeant vos vltrà tendere, perfuncti sanè estis. Restat igitur vt gubernacula vobis tradita commendetis Christo, vt solus ipse Spiritu suo regat, quando iam labori vestro non datur locus. Cæterùm satis reputamus quanto mœrore sitis oppressi, quibus nihil præter exilium & egestatem propositum est: sed precipuus mœror est ex ipsa Ecclesiæ clade, cuius maiorem vos habere rationem comprobastis quàm vestri. Et nos quidem malis vestris tam publicis quàm priuatis afficimur vt par est: atque vtinam liceret manũ vobis porrigere. Nunc quod residuum est, vos hortamur vt in hoc Christianæ synceritatis testimonio pergatis ad finem vsque. Beatior erit quamlibet misera vestra conditio, quàm si locum & nomen retineretis vnde Filius Dei exulat. Quanquam breui sentiemus ipsum ita regnare in cœlo, vt virtutem suam in terra quoque exerere velit. Nos interea ad militiam paratos esse oportet quando nondum tempus est triumphandi. Valete optimi & integerrimi fratres. Dominus Iesus vobis adsit, vos consoletur, & in sancta perseuerantia confirmet. Geneuæ XVI. Ianuarij M. D. XLIX.

Fratres vobis in Domino verè coniuncti
Ministri Geneuensis Ecclesiæ.

Ioannes Caluinus omnium nomine.

CAL. FARELLO.

DE morte vxoris meæ iã fortè istuc rumor peruenit. Ego, ne prorsus mœrore conficiar, quoad possum, adnitor. Adsunt etiam amici, nec quidquam relinquum faciunt, vt aliquid leuationis afferãt animi mei ægritudini. Cùm hinc frater tuus discessit, iam ferè de vita erat desperatũ. Cùm die Martis fratres cuncti adessent, censuerunt optimum fore, si communis inter nos precatio conciperetur. Id factum est. Cùm Abel omnium nomine eam hortatus ad fidem & patientiam esset, breuiter (vt iam valde fracta erat) testata est quid haberet in animo. Postea exhortationem, quæ tempori congruere, videbatur, adieci. Porrò quia nunquam de liberis suis verbum fecerat, veritus ne pudore impedita, in animo solicitudinem aleret, quæ eam magis cruciaret quàm morbus ipse, coram fratribus testatus sum, eos mihi ita curæ futuros acsi mei essent. Respondit illa, iam eos Domino commendaui. Cùm excipe-rem non obstare illud quominus agerem ipse quoque meas partes, respondit protinus, si Domino curæ erunt, scio tibi fore commendatos. Tanta animi fuit magnitudo, vt videretur è mundo egressa. Quo die animam Domino reddidit, frater noster Borgonius, ciciter horam sextam, pias exhortationes attulit: inter quas illa exclamabat: vt omnes animaduerterent cor eius supra terram longè eleuatum. Nam hæ voces erant, O resurrectio glorioſa! Deus Abraham & omnium Patrum nostrorum, iam à tot seculis in te sperarunt fideles, nemo frustratus est. Ego quoque expectabo. Sententias tales concisas iaculabatur potius quàm pronunciabat. Neque id ex aliorum verbis, sed vt in animo cogitationes agitabat, sic paucis verbis testabatur, quid secum meditata esset. Sexta hora domo abstractus sum. Post septimam, cum in alium locum exportata esset, cœpit statim deficere. Cùm subito vocem sibi eripi sentiret, oremus, inquit, oremus, vos omnes pro me orate. Eadem hora domum ingressus sum. Non potuit vocem vllam edere, signa

ostendit animi commoti. Ego pauca loquutus de Christi gratia, de spe vitæ æternæ, de vitæ nostræ contubernio, & de migratione, abdidi me ad precandum. Integra mente & preces audiuit, & attenta fuit ad doctrinam. Ante octauam placidè expirauit. Vt vix inter vitam & mortem discernerent qui aderant. Nunc mœrorem sic deuoro, vt à munere meo nullam intermissionem habuerim. Quinetiam Dominus aliis certaminibus me interea exercuit. Vale frater & amice integerrime. Dominus Iesus te Spiritu suo cõfirmet, & me etiam in hac tanta calamitate quæ certè me fregisset, nisi manum è cœlo porrexisset is, cuius officium est erigere prostratos, debiles confirmare, lassos reficere. Saluta fratres omnes, totámque tuam domum. Geneuæ, 11. Aprilis.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. VIRETO.

TAmetsi valde mihi acerba fuit mors vxoris mœrorẽ tamen meum, quoad possum, cohibeo. Et amici certatim officiũ faciũt. Me quidẽ & illos minùs proficere fateor, quàm optandũ sit: hoc tamẽ ipsum quod consequor, dici vix potest, quantùm me iuuet. Nosti animi mei teneritudinẽ, vel mollitiem potius. Quare nisi valida moderatio adhibita fuisset, non ita hactenus stetissem. Et certè non vulgaris est doloris materia. Priuatus sum optima socia vitæ: quæ, si quid accidisset durius, non exilij tantùm ac inopiæ voluntaria comes, sed mortis quoque futura erat. Quoad vixit, fida quidem ministerij mei adiutrix fuit. Ab ea ne minimum quidem impedimẽtum vnquam sensi. Atque vt de se nunquam fuit anxia, sic de liberis, toto morbi decursu, nunquam mihi molesta fuit. Quia timebam ne intus curam premendo se frustra cruciaret, triduo ante mortem, ego mentionem vltro inieci, promisique me partibus meis non defuturum. Excepit illa protinus. Iam eos commendaui Domino. Cùm dicerem, id non obstare, quominus & mihi curæ essent: respondit, Scio te non neglecturum quod scias Domino commendatum esse. Heri quoque primùm resciui, cùm instaret quædam mulier, vt mecum de illis ageret, præcisè ita loquutam esse, hoc verò præcipuum est, vti piè sanctéque viuant. Maritus meus vrgendus non est, vt eos in casta disciplina, & timore Dei instituat. Si pij erunt, confido illis sponte fore patrem: sin alij, indigni sunt pro quibus à me rogetur. Hæc animi magnitudo plus apud me valebit, quàm centum commendationes. De amica tua consolatione, magnam tibi habeo gratiam. Vale, optime & integerrime frater. Dominus Iesus te cum vxore tueatur, ac gubernet. Illi & fratribus plurimam salutem dices meo nomine. VII. Aprilis. M. D. XLIX.

Ioannes Caluinus tuus.

FAREL LVS CALVINO S.

LIteras tuas paucis post reditum meum diebus accepi. Ex eo tempore catharrus mihi valde fuit infestus: necdum molestiã exibere desinit. Vt breuiter ad quæstiones tuas respondeam. Cùm vxor non alia lege ducẽda sit homini Christiano, nisi vt se illi ad omnia piæ vitæ officia adiutricem præstet ac sociam, vbi ab hoc scopo vel minimum aberratur, non dubito quin vitiosum sit coniugium. Is porrò qui vxorem ducit impiis Papatus superstitionibus adhuc implicitam, quid aliud quàm prophanationẽ in domum suam inducit? Nam si corpus viri est vxor, excusari certè non potest, qui mulieri se adiungit quotidie ad peruersos cultus se prostituenti, vt ipse quodammodo dimidia sui parte inquinetur. Supersedeo dicere, quòd si quis talem ducat vxorem, consecrare magicis auspiciis nuptias cogetur. Cæterum puellam alioqui rectè sentientem, quæ tamen carnis metu in idololatriæ simulatione detinetur, prorsus cũ religionis hoste cõferre nõ ausim. Quantò enim quisque est alienior à Christo, ab eo nos quoq; magis abhorrere decet. Quam autẽ mihi describis, certum est à professis hostibus longo interuallo distare. Qui ad Baptismum Papalem tot prauis superstitionibus fœdatum, liberos suos offert, culpa non vacat. Atque id, ni fallor, inter incommoda recito, quibus pij homines stimulari debent ad migrandum.

grandum. At Melanchton & Martyr non prohibent: modò detestetur ille quisquis erit, quę pugnant cum Christi institutione. In eo nihil esset absurdi: nisi ad certam mortem paratum esse oportet, qui hoc audebit. Et tamen sic eorum, quos nominas, responsa probo, vt in singulis partibus non subscribam. Lusoriam Baptismi imitationem pro mero ludibrio, vt est, habendam censeo. Baptismus tamen Papistarum, vtcunque mille ludibriis scateat, efficaciam suam retinet: quatenus in hunc finem administratur, vt ex Christi mandato recipiant fidelium liberi signum adoptionis. Video enim Circuncisionem multis superstitionibus vitiatam, nihilominus pro gratiæ symbolo habitam fuisse. Quod obiicis in conuentu piorum, debere Baptismum celebrari, non obstat, quominus in idololatrarum cœtu administratus, valeat. Nam cùm docemus quid fieri deceat, vt purus sit Baptismus, omníque inquinamento vacuus, non abolemus Dei institutionem, etiamsi eam idololatræ corrumpant. Porrò inter illas Papalis Baptismi corruptelas, manet aliquid Dei proprium. Deinde sic Papistis detrahimus Ecclesiæ nomen, vt tamen illic quasdam manere reliquias Ecclesiæ, non negemus. Certè cùm Iosias & Ezechias ex toto Israelę colligerent qui defecerant à Domino, ad alteram Circuncisionem eos minimè vocarunt. Et cùm templum ipsum variis sacrilegiis pollutum foret, Circuncisio tamen valere non desiit. Ergo vtcunque eos peccare eos dicam, qui illic suos liberos ad Baptismum offerunt: non tamen Baptismum protinus nullum esse sentio, in quo nota aliqua diuinæ institutionis, etsi multis alioqui maculis fœdata appareret. Qui ab externa idololatriæ professione abstinent, non audeo simpliciter damnare, etiamsi fidem suam dissimulent periculorum metu. Nam cùm videamus pios qui inter persequutiones latuerunt, probatos fuisse Deo, plus à nobis exigi fas non est. Neque tamen is sum qui torpori eorum indulgeam. Quin potius hortabor, vt in omnes profitendæ suæ fidei occasiones intenti sint: neque impiorum apertas in Deum blasphemias sic taciti audiant, vt annuere videantur. Legem tamen imponere nõ audeo, quatenus progredi necesse habeant. Qui verò interim dum sacra peraguntur, in templis animi gratia obambulant, quoscunque prætextus obtendant, nullam excusationem merentur. Præterquam enim quòd ipsa delectatio quam ex tali spectaculo capiunt, parum eos Dei probris affici ostendit: in hanc offensionem temere incurrunt apud multos, quasi religionis potius quàm superstitionis contemptu id faciant. Quare hanc licẽtiam meritò improbo, quæ cùm à simulatione idololatriæ non multum distat, tum prophanum nescio quid magis, quàm Christianum sapit. Vltima quęstio de carnis resurrectione quã tibi à me expediri tantopere desideras, etsi apud me non multum habeat difficultatis, plus tamen temporis & operæ requirit. Colligendi enim & accuratè explicandi essent plurimi Scripturæ loci qui ad eam rem pertinent, si argumentum penitus excutiendum susciperem. Ego verò non tam vitandi laboris causa, quàm quòd curiosa magis quàm vtilis hæc quæstio videtur, breuitate ipsa testari malo, nihil magis quàm sobriam eius tractationem placere. Manichæorum delirium refutandum obiter: qui carnem resurrecturam negant, quia immunda est. Quòd res tibi incredibilis videtur huius carnis resurrectio, nihil mirum. Quòd autem hac ratione permotus, sufficere statuis, si credas nouis corporibus aliquando nos esse induendos, hoc à Scripturæ doctrina est alienum. Principio vox ipsa resurrectionis, præsertim cùm carni adscribitur, aliud sonat. Hæc enim est promissio. Qui suscitauit Christum à morte, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter Spiritum Christi in vobis habitantem. sic alibi, Reformabit Christus abiectum corpus nostrum, vt fiat conforme corpori suo glorioso. Certè his corporibus nunc putredini obnoxiis, nominatim promittitur immortalitas. Frigidæ sunt voces istæ! corruptibile hoc induet incorruptionem. Non posset expressius loqui, inquit Tertulli, nisi cutem suam manibus teneret. Argumentum à contrariis, Si mors huius carnis ab Adam: Ergo eiusdem carnis resurrectio à Christo: quia nos à corruptione instaurat. Citandus Ezechielis locus, qui continet resurrectionis typum. Occîdit Deus & viuificat: quid, nisi quod erat mortuum? Quod rident Athenienses resurrectionem à Paulo prædicatam, hinc colligimus, qualis fuerit prædicatio. Risus ille sanæ intelligentiæ confirmatio est piis. Metuite eum, qui potest animam & corpus perdere in gehenna. Quod corpus? Nempe quod occîdunt tyranni. Ab vsu sacramentorum ritè probatur carnis resurrectio. Baptismus non animam tantùm, sed carnem quoque sanctificat. Cœnæ participatio ad cœlestis vitæ fiduciam nos inuitans ad sensus etiam corporales dirigitur. Locus ex 8. ad Ro. capite conueniet, præ-

Rom. 8.

Philip. 3.

Ezech. 37.

2.Cor.4. cipuè vbi loquitur de redemptione corporis. Mortificationem Christi circunferentes, vt & vita Christi in corpore nostro manifestetur. Tertull. Arrhabonem resurrectionis nostrę in cœlum vexit. Ergo negent eum in cœlo esse, qui nos resurrecturos negant. Nisi nos corpore suscitat Deus, mortuos non suscitat. Enoch & Eliam corpore & anima seruatos vocat Tertull. candidatos futuræ immortalitatis. Deinde fideles, non tantùm vocantur Dei templa: sed hoc honore eorum corpora insigniuntur. Similiter dicuntur & 1.Cor.6. membra Christi. Porrò templa Spiritus & membra Christi sine spe instaurationis in putredinem abire nimis absurdum est. Quinetiam eodem loco satis declarat Paulus hæc esse corpora, quibus cœlestem æternámq; gloriam destinauit Deus. Præterea citãtur homines ad tribunal Christi, vt referat quisque secundum ea quæ per corpus gessit. Atqui minimè conuenit rependi nobis in aduentitiis corporibus pręmium operũ, quibus per- Philip.1. agendis hæc quæ nunc gestamus, fuerunt instrumenta. Pauli scilicet corpus in quo illustratum fuit Dei nomen honore priuabitur, & corpus aliunde conflatum martyrij gloria coronabitur? Huc accedit quod Christus in quo non viuam modò imaginem habe- 1.Cor.15. mus futuræ nostræ resurrectionis, sed etiam pignus, corpus quod exuerat, resumpsit. Ad hoc exẽplar conformari nos oportet. Alioqui non diceretur propriè, sicuti dicitur, primitiæ resurgentium. Et certè quos superstites inueniet dies ille, subita immutatione in iisdem corporibus resurgent. Si diuersam esse nostri rationem excipias, illud Pauli tibi regero, Non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur. Si in omnes competit immutatio, certè hæc ipsa caro renouabitur. Et quid clarius his verbis desideres? Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. Neq; repugnat, quòd aliam fore carnem ibidem Paulus docet. ad qualitatem enim hoc refert. Neque aliud sibi vult, quàm 2.Cor.15. quod aliis verbis postea tradit: vt absorbeatur quod mortale est à vita, ideo dicũtur Mat 27. corpora sanctorum è sepulchris resurrexisse. Quomodo illi exierunt è monumẽtis, nos quo Isa.26. que proculdubio Dominus educet. Itaque Isaias cùm sub resurrectionis imagine populi restitutionẽ depingit, Surgite, inquit, habitatores pulueris. Neq; aliter Christus: Mortui qui in sepulchris sunt, vocem filij Dei audient. Quod non staret, nisi receptis cadaueribus, resurgerent. Quod etiam exprimit illic Isaias, cùm dicit, Viuent mortui tui, ca- Ioan.5. dauer meum resurget. Vnde & dormitionis nomen fluxit: quod significatione careret, nisi veluti è somno corpora expergefiant. Falsum enim est, quæ humo conduntur corpora, dormire, si noua illis consumptis creanda sunt. Quinetiam si corpora quibus nunc circundamur, non resurgunt, superstitiosus fuit ab initio mundi sepeliendi ritus: quem tamen diuinitus fuisse traditum extra controuersiam esse debet, vt symbolum esset futuræ resurrectionis. Et sanè si creatio noui corporis sperenda foret, non huius quod 1.Thess.5. nunc incolimus instauratio: frustra optaret Paulus, vt spiritus, & anima, ac corpus inculpata sint in diem Domini. Eodem & altera exhortatio pertinet, vt nos munde- 2.Cor.7. mus ab omni inquinamento carnis & spiritus. Nam si hæc caro peccati sordibus inquinatur, sordium suarũ pœnam sustineat, necesse est. His testimoniis sic acquiesco, vt diuersis cogitationibus ad quatiendam fidem meam aditus non pateat. Atque tibi satisfactura spero, nisi mentem tuam nimis occupatam reperiant: quod & à pietate & modestia tua procul abest. Sed tamen leniter pro nostra amicitia monendum te censui, quia nuper cùm te audirem, subuerebar, ne altiores apud te radices egisset hæc opinio, quàm vt facilè eam abiiceres. Cæterum ingenij tui dexteritate confisus, ea digito monstrare satis habui, quæ apud hominem minus acutum aut exercitatũ vlterius prosequutus essem. Vale eximie vir & frater mihi in Christo Domino charissime. Saluta meo nomine diligenter, hospitem tuum. D. Pellicanum & reliquos. Dominus Iesus tibi semper adsit téque spiritu suo gubérnet.

VIRETVS CALVINO. S.

VÆ mihi vno multorum ore, eorúmq; grauiss. testium, de tui animi cõstantia ac fortitudine nunciãtur, in hoc tam acerbo familiæ tuæ vulnere, luctú que domestico, faciunt vt mihi apud te opus esse gratulatoriis quàm cõsolatoriis literis potius existimem, atque eò magis, quò penitius noui animi tui, vt ipse appellas, teneritudinẽ. Hoc enim potius nomine, quàm mollitiei, esse appellandam censeo. Nam id neutiquam mollis animi opus est, quod præstas.

Quò

Quò fit vt magis mirer vim in te agentẽ diuini illius Spiritus, qui ſe verè cõſolatoris dignum cognomine,in te palàm facit. An non meritò illius in te vim agnoſcam,tam forti ferente animo domeſticos caſus,quibus nihil tibi acerbius priuatim contingere potuit aut propius attingere,qui ad alienas calamitates ita commoueri ſoleas, earúmq; ſenſu haud ſecus afficiare,atq; ſi tua ipſius res ageretur? Non eſt vulgaris,crede mihi, hæc tua virtus,neq; vulgare teſtimonium diuinæ erga te beneuolentiæ. Quò fit vt me mei vehementer pudeat,quod olim in conſimili caſu, non præſtiterim eandem animi fortitudinem,aut ſaltem vmbram ipſius ſim aliquam aſſequutus. Adeò totus abiectus & proſtratus fui eo calamitatis telo, vt totus orbis nihil mihi niſi mera ſolitudo videretur. Nihil erat ſuaue, nihil quod animi dolorem lenire poſſet. Ego me frequenter apud memetipſum accuſabam,quòd mihi mollius longè ferre viderer meum dolorẽ,quàm deceret, non dico eam duntaxat perſonam quam ſuſtineo,ſed virum qui vel à primo limine philoſophiam illam cœleſtem ſalutarit,cuius me nõ ſolùm diſcipulum, ſed aliorum doctorem profitebar,quódq; iis neſcirem,in illo meo morbo,remediis vti, quæ aliis ſuppeditare ſoleo,quos iis video indigere. Tu verò contrà, tantùm abeſt vt frangaris debiliteríſque animo,vt potius cæteros longè reddas tuo exemplo fortiores, quãdo quod aliis præcipere conſueuiſti,te quoque facere poſſe teſtaris,vtpote qui nõ ſolùm cùm valeas, noris certa ægrotis conſilia dare,ſed ab iis quoque æger remedia petere, ac idem ſentire quod valens & ſanus. Mirificè & incredibiler me recrearunt, non inanes tantùm rumores, ſed tam multi nuncij, qui narrarunt te tam infracto pectore,ac tam dextrè,imò & fœlicius quàm hactenus vnquam omnia procuraſſe quæ tui ſunt officij, ac tam vbique ſemper fuiſſe preſenti animo in cõuentibus veſtris,in cõcionibus,in omnibus deinque negotiis cùm priuatis tum publicis,vt omnes magna cœperit admiratio, ídque eo potiſſimùm tempore, quo recentior ac proinde acerbior tuum animum dolor lancinare ac proſternere debuit. Perge igitur quò cœpiſti pede, ac tu te ita gerito, vt hanc omnibus de te confirmes opinionem,hoc luctu adeò de ſua ſede animum non deturbari tuum, quin ſemper tibi adſit præſentiſſimè. neque ſic te dolore impediri, quin ea omnia facilè perſpicias,quæ ad te conſolandum aliquid poſſunt habere momenti. Hoc autem vt efficias,vtque ſubinde conſtantius in hoc perſeueres propoſito, & magis atque magis confirmere, maiúſque in dies percipias ſolatium, ardentiſſimis votis Do. expoſco. Quid enim aliud conferre poſſum? Nam neque tanta eſt mea auctoritas, neque tam acutæ rationes, quibus te à mœrore luctúque deterrere poſſim aut reuocare, niſi hoc tibi ſua ſponte tua ſuppeditaret inſtitutio, & confirmatus in ferenda cruce animus,& diuinæ bonitatis exuberantiſſimus in te fauor, cuius reliqua omnia munera ſunt, quibus te affatim Dominus cumulauit. Quamobrem nõ ero hac in parte longior. Quin potius metuo ne hæc nimis ſint apud te multa. Salutat te vxor officioſiſſimè, quæ non vulgarem concepit dolorem ex chariſſimæ ſororis obitu, quæ mecum eam calamitatem nobis omnibus communem exiſtimat. Mihi vehementer dolet, quòd mihi non datur tuo præſenti frui conſpectu. Quæcunque me rationes impediant, ſi te cupere intellexero,crede mihi,tua ſolius volũtas, omnes difficultates, vt ſuperem facilè efficiet. Salutãt te Collegæ & reliqui omnes fratres officioſiſſimè, inter quos & Franciſcum Viuiacenſem annumera, qui nunc hîc eſt,& qui tibi ſuo nomine ſalutem quoque adſcribi iuſſit. Saluta domeſticos & reliquos amicos noſtros,meo præſertim nomine Gallaſiũ, Bezam,Ottomannum:cui & Frãciſcus ſalutem dicit. Vale,Lauſannæ. x. Aprilis. M. D. XLIX.

Tuus Petrus Viretus.

CAL. FARELLO. S. D.

PArum abfuit,quin priuignus meus ſine vllis ad te literis iſtac trãſiret. Tempus enim ſcribendi inter concionem & prandium mihi conſtitueram. Atqui certamen nobis fuit in Senatu,leue illud quidem & momenti inſtar caducum: ſed tamen in quo tempus illud, quod literis meis deſtinaueram, cõſumpſimus. Factio, quam noſti,calumniam ſtruxerat, Antonio Pigneto duce, quæ noſtram libertatem in concionibus valde minueret. Vt ſcias,quid ſit conſilij & animi apud nos: decretum erat, vt nos omnes admonerent παραπρώτοι, nẽ in vehementia pergeremus. Vicerat pars deterior, niſi in arenam progreſſi eſſemus.

Ita cauſam egimus Chriſti noſtri auſpiciis, vt hoſtium quoque nos puderet: hoc negotium me vltra decimã exercuit. Quòd ſi mihi liber fuiſſet totus dies, neſcio tamen quid ſcribere debeã. Vale frater & amice integerrime. Dominus tibi adſit ac benedicat ſanctis tuis laboribus perpetuò. Saluta diligenter noſtro omnium nomine fratres, & familiam. XIX. Martij. Quòd ad noſtram velitationem, proſperè ſucceſſit. Pignetus ex vrbe eiicitur. Senatus ad ſcortationum licentiam coercendam egregiè animatur. Fracti aduerſarij non ſine magna ignominia.

CALVINVS AMED. PERRINO CAPITANEO.

Ex Gall.

VBẽter te cõueniſſem, D. Capitanee, niſi aliter expedire mihi viſum eſſet: cauſam ſuo tempore & loco audire ex me licebit. Optaſſem verò vt te ſtitiſſes conſiſtorio, quò aliis exemplo præires. Cùm in eo aliquid deſideratũ ſit, quod tu fortaſſe admonitus non eſſes, optaſſem ſaltem te ad extremam concionem adeſſe hodie, vt illic Syndicus Corneus & ego tecũ ageremus. Vnde ſteterit non video: illud verò te exiſtimare volo, non poſſe nos vti pondere ac põdere, atq; impari bilance: & ſi in iure æquabilitas retinenda eſt, non poteſt ſanè in Eccleſia Dei inæquabilitas tolerari. Quis ſim aut ipſe ſcis, aut ſcire ſaltem debes: is nempe cui ita cordi ſit ius cœleſtis heri, vt ab illo recta conſcientia aſſerendo nullius mortalis cauſa dimouendus ſim. Aliò te ſpectare ipſe nõ ſentio: ſed illud aduerto, in ſua cauſa parum oculatum quemque eſſe. Quantùm ad me attinet, in hoc quidem negotio non tantùm Eccleſiæ ædificationi & ſaluti tuæ, ſed etiam commodo tuo, nomini & otio conſultum cupio. Quàm enim odioſum erit quod in te redundaturum eſt, quaſi à iure communi, quo nemo nõ tenetur, liber & ſolutus eſſes. Præſtat verò pro meo in te ſtudio periculum prẹuertere, quàm vt illa tibi nota infligatur: ſanè audiui quod ex domo tua prodierit, cauerem videlicet, ne ignem ſopitum excitarem, ne perinde mihi atq; ante annum ſeptimum hoc cedat. Sed nullius ſunt momẽti voces illæ apud me. Neque enim Geneuam redij vel otij vel quæſtus cauſa, neque rurſum mihi dolendum erit cùm Geneua erit egrediundum. Commodum & ſalus Eccleſiẹ & Ciuitatis mihi redeundi animum dedit. Ac ſi de me vno ageretur nunc, omnibus ſemel dictum vellem quibus moleſtus eſſe videor, quod facis fac citius. Atqui non efficiet illa quorundam indignitas & ingratus animus, vt officio deſim, atque ſtudium illud erga hunc locum ad extremum ſpiritum deponam, cuius Deum auctorem habeo. Neque vnquam alieni hominis affectum admittam, vt corpore abeſſe deinde contingat. Iſta ad te non ſpectant, ſed ad proximum à te ex tuis ipſis. Neque etiam vt iurgia ſpargantur, hæc ſcribo, ſed vt conſtet qua conſtantia perrecturus ſim, quicquid accidat. Te verò imprimis tibi perſuadere velim, primariam illam virtutem tibi affectãdam eſſe, vt Deo obedias & ordinẽ communẽ atque politiam Eccleſiæ obſerues. Dominus te præſidio ſuo tueatur, tibíque patefaciat, quantùm verbera etiam certi amici præſtent proditoriis aliorum blanditiis. Vale.

Tibi addictus & ex animo
frater I. C.

VALENTINO PACAEO DOCTORI LYPSICO.

QVòd me dignum exiſtimaſti, cuius amicitiam vltrò appeteres: in eo me tibi valde obſtrictum eſſe ſentio, ac libenter profiteor. Nunc quod mearum eſt partium, ſaltem in mutuo amoris affectu paria tecum facere conabor. Scripta verò mea tibi probari, cùm ego mihi gratulor, tũ Eccleſiẹ nomine gaudeo. Nam & quia tali viro placent, non pœnitenda eſſe ſtatuo: & ſimul futurum ſpero, vt multi iudicium tuum ſequuti, aliquem ex lectione fructum capiãt. Nec verò hoc à me vel ambitioſè vel arroganter dictum accipias. Nam ſicuti vel nullo haberi loco, vel nomen meum penitus ſepultum latere facilè patiar: ita certè non alio conſilio ſcribo, niſi quia profuturos ſpero meos labores. Quòd ſi quis inde prouenire fructus poteſt, eum quàm latiſſimè ſpargi cupio. Verùm de me plus ſatis. Quoniam Satanæ miniſtros non dubitamus ſedulò conatus ſuos iſthic perſequi, anxiè veremur, ne iam à priore ſtatu Eccleſiæ veſtræ deflexerint. Præterquã enim quòd improbos videmus miris artibus

ris artibus pollere, & pugnando non fatigari: in parte noſtra nihil ferè prudentiæ, animorum etiam minus. Vtinam in retinenda ſaltem doctrinæ puritate aduerſarij nos ingenuos, vt decebat, & cordatos ſentirent. Sed tãtùm abeſt, quin hæc in vulgo cõſtantia appareat, vt in ipſis quoque ducibus fœda perfidæ defectionis exempla vbique appareant. Quanquã ſi fideliter partibus noſtris defungi velimus, vltrà progredi neceſſe eſt. Quorſum tendãt adulterini iſti ritus, quos nobis ingerũt profeſſi Chriſti hoſtes, nemini eſt obſcurum: nempe vt claram doctrinæ lucem obruãt, vt vitient ſyncerũ Dei cultũ, vt quædam ſint oppreſſæ veritatis trophæa. Cùm olim clandeſtinas inſidias piorum libertati ſtruerent aſtuti homines, Paulus ne ad momentũ quidem illis cedere ſuſtinuit. Gloriatur Paulus, ne in vnius quidem hominis circũciſione quidquam ſe dediſſe improbis, quò libertas apud Gentes integra maneret. Nos hodie taciti & amentibus ſimiles innumera ſuperſtitionum colluuie Eccleſiam Dei oppleri obruíq; feremus? ſed περὶ τῶν ἀδιαφόρων pertinaciter litigandum eſſe, negãt graues & pij homines. Mi frater, quàm vereor, neque abs re, ne iſta ἀδιαφορία magnam ac luctuoſam nobis διαφορὰν breui pariat. Et ſanè dolendum eſt, homines quoſdam ita in rebus mediis, ſine delectu ac modo, extendere libertatẽ, vt fidei vnitatem lacerent: ſic promiſcua facere omnia, vt ſacrum Dei cultum exoticis quibuſlibet corruptelis ſecurè corrumpant. Vt liberè dicã, quod pro tua prudẽtia nõ ignoras, iam iſtic plus ſatis fęciũ erat in ceremoniis. Vnde, antehac nihil reſectum fuiſſe apparet, niſi quod hominibus plus æquo ad indulgentiã propenſis tolerabile nõ fuerat viſum. Vt concedã fœtidas illas ſordes, quibus purgatæ fuerunt veſtræ Eccleſiæ, in rebus mediis poſſe cenſeri: earum tamen reſtitutio eritne res media? Quanquam parum verecundè facere mihi videntur illi, qui res omnes externas ſic indifferẽtes habent, vt cœleſtibus Dei oraculis, & ſanctæ Chriſtianiſmi profeſſioni indifferenter ferãt quæuis miſceri ludibria. Si mihi cum rudi aliquo & gregario homine eſſet negotiũ, exẽplis quàm id abſurdum ſit oſtenderem. Apud te verò genus ipſum attigiſſe, ſufficit. Huc accedit quòd doctrinã ipſam, licet diſſimulãter, his ſtrophis inuoluunt. Nam vbi baptiſmum & ſacram Cœnam fœdarũt indignis corruptelis, vt parum ab hiſtrionicis ineptiis differant: cõfirmationem & extremam vnctionem admittunt. Quorſum? Vt ſeptem numerentur ſacramenta. Alias ſpecies apud hominem peritum non enumero. Verùm, vt ſolis ceremoniis agatur, delectum tamen adhibendum cẽſeo, ne quid admittamus vel à recto Dei cultu alienum, vel quod Euangelij claritatem obſcuret: deinde ne facilitas noſtra hoſtibus inſultandi malitiam præbeat. Hîc ſtandum eſt, meo iudicio, etiam ſi decem mortes nunc ſint oppetẽdæ. Quò turpior eſt multorum ignauia, qui antequam inſtet vitæ dimicatio, vel illecebris deliniti, vel cæco metu perculſi, vel neſcio quibus minis territi, ſtationem ſuam flagitioſè deſerunt: & tamen non deſinunt ſuggeſtum occupare, vnde Chriſtum eiúſq; doctrinã & Eccleſiæ ſalutem ſcelerata perfidia, doctorũ nomine laruati pereant. Vides, eximie vir, vt beneuolentia erga me tua fretus nõ minus familiariter in ſinum tuum quæcunque ſentio, deponere audeam, quàm ſi interior longíque temporis cõſuetudo tecũ mihi intercederet. Atq; hinc iudicium facere potes, quãtam habuerim literis tuis fidem. Vale eruditiſſime vir, frater & ſymmyſta mihi ex animo colẽde. Dominus te Spiritu ſuo regere pergat, tuóſq; labores benedicat in Eccleſiæ ſuę ædificationẽ. Saluta reuerẽter meo nomine D. Eraſmũ Sarcerium, D. Ioachimũ Camerarium, D. Rheticum & alios amicos. Collegæ mei & reliqui fratres vobis plurimam ſalutem dicunt, veſtri in precibus ſuis memores. Geneuæ, XIII. Calendas Iulij. M. D. L. D. Pphilippi ideo nullam feci mentionem, quia illi ſeorſim ſcribo. Si habes qui Argẽtoratum veniant, illuc tutò poteris literas tuas deſtinare. Aut Wendelinus Richclius typographus, aut Ioannes Sturmius libenter mihi reddendas curabit. Si tibi quiſpiam Auguſtæ fidelis amicus erit, is Bernam commodè mittere poterit ad Muſculum. Inde ad me perferentur.

Ioannes Caluinus ex animo tuus.

CALVINVS MELANCTONI.

DIcebat olim Satyricus ille: Si natura negat, facit indignatio verſum. Mihi nunc longè ſecus accidit. Adeo enim me diſertum nõ facit præſens dolor, vt ferè elinguem potius reddat. Præterquam enim quòd me verborum facultas ad exprimendum animi affectum deficit, ſola rei de qua ſcripturus ſum, cogitatione fractus propè obmuteſco. Me itaq; gemere potius quàm

loqui existimes, velim. Quantopere Christi hostes exhilarent vestra cum Magdeburgẽsibus certamina, ex illorum ludibriis ac sannis, plus satis notum est. Fœdum certè ac detestabile, Deo primùm & Angelis, deinde toti Ecclesiæ spectaculum præbent. Hîc, mi Philippe, etiam si nulla in te culpa hæreret, prudẽtiæ tamen atque æquitatis tuæ foret, vel sanando malo remedium, vel mitigando leuamen saltem aliquod excogitare. Sed ignosce, si ego non omni te prorsus culpa libero. Atque hinc coniecturam facere potes, quàm grauia sint aliorum de te iudicia, & quàm siniſtri odiosique sermones. Patere interea, mi Philippe, vt in libera admonitione veri amici officio fungar: acsi paulò acrius tecum agam, ne quidquam ideo ex veteri mea in te beneuolentia atque obseruantia imminutum putes. Etsi istud tibi nouum vel insolens non erit, me rustica potius simplicitate offendere, quàm adulatorie in vllius hominis gratiam loqui. Ego etiam quia vicissim expertus sum, tibi nihil esse ingenuitate gratius, minus anxiè laboro, ne molestè feras à me reprehendi, si quid iure displicet. Cupio equidem tua omnia sine exceptione, & mihi probare, & aliis. Sed ego te nunc apud teipsum accuso, ne iis qui absentem damnãt, cogar subscribere. Hæc tuæ defensionis summa est, modò retineatur doctrinæ puritas, de rebus externis non esse pertinaciter dimicandum. Atqui si verum est, quod pro certo passim asseritur, tu res medias & indifferentes nimis longè extendis. Cultum Dei mille modis apud Papistas adulteratum non ignoras. Corruptelas, quæ minimè tolerabiles erant, sustulimus. Nunc impij, vt de subacto Euangelio triumphum agant, eadem iubent restituere. Si quis recusare non dubitet, hoccine pertinaciæ adscribes? Id verò à tua modestia quàm alienum sit, noui. Tu si ad cedendum fuisti mollior, id tibi vitio à multis verti, nõ est quod mireris. Adde, quòd eorũ quæ tú media facis, quædã cum Dei verbo manifestè pugnant. Nimis præcisè fortassis quædã alij vrgent, atq; vt in contentionibus fieri solet, odiosè quædã exagitant, quibus nõ inest tãtum mali. Verùm si quid in rebus diuinis intelligo, tam multa Papistis abs te concedi non oportuit: partim quia laxasti quæ verbo suo Dominus adstringit, partim quia proteruè Euangelio insultandi materiam dedisti. Cùm circuncisio adhuc licita esset, ánnon vides Paulum, quia versuti ac malitiosi aucupes insidias piorum libertati tendebãt, illis profectam à Deo ceremo-
Gal. 2 34. niam pertinaciter negare? Itaq; ne ad momentum quidem se illis cessisse gloriatur, quò Euangelij veritas integra maneret apud Gentes. Hodie verò non de circuncisione nobis molesti sunt hostes: sed ne quid sincerum nobis relinquant, putidis suis fermentis & doctrinam & omnia pietatis exercitia inficiunt. Quòd Magdeburgenses dicis tantùm de linea veste rixas mouere, quorsum pertineat, non video. Lineæ enim vestis vsum cum multis ineptiis, tam apud vos quàm apud illos hactenus retentum fuisse arbitror. Sed profectò crassioribus te corruptelis manum dedisse, quę apertè ad vitiãdam totius doctrinæ puritatem & labefactandum Ecclesiæ statum tendunt, passim fremũt boni & religiosi homines. Si fortè quod tibi aliquando dixi, oblitus es, nunc in memoriam reuoco: nimis charum esse nobis atramentum, si ea literis testari dubitemus, quæ tot ex medio grege martyres quotidie sanguine suo obsignant. Atque ita quidem loquebar, quo tempore lõgius à telorum iactu abesse videbamur. Nunc cùm nos in arenam Dominus protraxerit, eò virilius nos eniti decebat. Alia, vt nosti, tua est, quàm multorum cõditio. Plus enim ignominiæ ducis vel antesignani trepidatio, quàm gregariorum militum fuga sustinet. Ergo vt aliorum timiditati parcatur, nisi æquabile inuictæ constantiæ exemplum ostendas, vacillationem in tanto viro non ferendam esse omnes dicent. Itaq; plures tu vnus paululum cedẽdo, querimonias & gemitus excitasti, quàm centum mediocres aperta defectione. Quanquã autem certò persuasus sum, te mortis formidine nunquam compulsum fuisse, vt à recta linea vel minimum vnquam deflecteres: fieri tamen potuisse suspicor, vt animum tuum alia timoris species percelleret. Scio enim, quantopere inhumani rigoris crimen horreas. Sed memineris oportet, non maiorem Christi seruis famæ quàm vitæ rationem esse habendam. Neq; enim Paulo meliores sumus, qui
2. Cor. 6. 8. per infamiã & probra securè perrexit. Nos censeri præfractos ac tumultuosos homines, quibus magis libeat in totius orbis exitium ruere, quàm ad moderationem aliquam descendere, acerbum id quidẽ & durum est. Sed iampridem ad voces illas occalluisse aures tuę debuerant. Nec verò vel mihi tu ita malè notus es, vel ego tibi adeò sum iniquus, vt te ab aura populari, ambitiosorũ more pendére arbitrer. Sed nõ dubito, quin te illæ interdũ punctiones debilitẽt: quid? an prudẽtis & cõsiderati hominis est, Ecclesiã scindere ob res minutas & propè friuolas? An nõ tolerabili aliquo incõmodo pax redimenda? Cuius

da? Cuius dēmētię est, sic ad extremum tueri omnia, vt totius Euāgelij summa negligatur? Olim cū hæc & similia ab astutis hominibus spargerētur, te plus iusto moueri solitū, animaduertisse mihi videor, ac ingenuè tibi aperiore quid verè diuinā animi tui magnitudinem impediat, qua te alioqui abundè instructum esse scio. Huius meæ vehementiæ non obscura tibi ratio est, quòd tecum mori centies malim, quàm traditæ abs te doctrinæ videre te superstitem. Neque hoc dico, quasi vel periculum sit, ne vnquam tuo ministerio patefacta Dei veritas intereat, vel tuæ perseuerantiæ vllo modo diffidam: sed quia nūquam satis solicitè cauebis, ne quam captant impij cauillandi occasionem, ex tua facilitate arripiant. Dabis veniam quòd miserabiles istos quamuis irritos gemitus in sinum tuū exonero. Vale clarissime vir, & mihi semper ex animo obseruāde. Dominus te Spiritu suo regere pergat, virtute Spiritus sui sustētet, præsidio suo tueatur, Amen. Saluta quæso meo nomine amicos, si qui istic erūt. Hîc plurimi sunt qui te reuerenter salutant. Multi enim vitandæ idololatriæ causa ad nos ex voluntarium exilium ex Gallia profugiunt.

CAL. FARELLO. S. D.

BInas abs te literas paucis abhinc diebus accepi. Priores attulit hic noster Raymondus, alteræ mihi à fratre meo sunt redditæ. Verùm iam ante Raymondi aduentum abierat Viretus. Ad eum igitur vtraſque misi, vt ipse quoque ad eas quod visum fuerit, respondeat. Fratres, sicut dicis, commendemus Domino, quando aliud restat nihil. Cæterum hoc tempore de impetranda fratribus illinc aliqua leuatione frustra cogitaremus: nisi fortè noui quidpiam acciderit: quod nondum despero. Itaque imminere occasioni statui. Sed adduci nequeo, vt satagam ante tempus. Ecce etiam de eo qui Gratianopoli tenebatur, tristē nuntium à fratre tuo Claudio audies: cuius literas ad te mitto. Quòd me tā topere hortaris, vt istuc cum Vireto quàm primum veniam: ego verò tibi non concedam, hoc tibi magis esse in votis quàm mihi. Sed vna est suscipiendæ profectionis ratio, si Viretum Bernam vsque comiter: quod facere tentabo. Sin verò hæc spes me & illum frustrabitur: dimidium saltem eius quod optas assequēris. Imò plus dimidio. Nam me aliqua ex parte secum feret. Consilium interea fratribus non possum aliud dare, nisi vt collegam tuum coram Magistratu admoneant, vt se patiatur in ordinem redigi. Quòd si peruicaciter recusare institerit, denuncient sibi non esse loco fratris, qui communem disciplinam cōtumacia sua perturbet: semper hoc in Ecclesia valuit, quod veteribus Synodis fuit decretum, vt qui subiici communis disciplinæ legibus noluerit, munere abdicetur. Neque hîc quærenda est hominum authoritas: cùm Spiritus sanctus de talibus pronunciauerit, Ecclesiam non habere morem contendendi. Valere ergo ipsum iubeant, qui communis societatis iura respuit. Non puto eò vsque Satanam istic aut alibi vsquam valiturum, vt tantæ vnius hominis proteruiæ indulgeatur, contempto fratrum omnium iudicio: quòd importunitate sua vobis ipse tandem extorserit. Cæterum euentum gubernabit Deus. Vtcunque cadat, vestrarum tamen partium omnino est, grauiter hanc minimè tolerabilem insolentiam seueris remediis cohibere. Proderit tamen simul commemorare, quàm improbè hactenus patientia lenitatéque vestra abusus fuerit: ne ad contentionem subitò prosiliisse videamini. Vale frater integerrime & amice optime. Fratres omnes cum tua familia peramanter salutabis nomine meo. Dominus vos omnes conseruet. 1.Cor.11.16

CAL. FARELLO.

DE Carmelita cùm ego consultus essem à Vireto, statim quid sentirem respondi: ne amplius fratribus molestus esset. Alia omnia frustra mihi tentari videbantur. Nam vt accerseretur fide publica, neque expedire censebam: nec vnquam Bernatibus fuisset persuasum. An tu illis consuleres, vt tam proiectæ impudentiæ cani darent maledicendi impunitatem? Nam si addita aliqua exceptione vellent restringere eius licentiam, negaret sibi esse tutum. Quinetiam non petit quia venire cupiat. Verùm si posset obtinere, circunferret huc & illuc, & se iactaret apud imperitos, qui inde coniecturam face-

rent eum esse aliquem. Si nosses eius impudentiam, statueres etiam proculdubio, magis hinc arcendum esse, quàm fide publica euocandum, vt impunè cum magno supercilio Christum blasphemaret. Nam genties victus, sine fronte tamen triumphum canet. Insistere, vt fide publica tutum illi accessum cures, nimis est ridiculum. Quo enim loco talem nebulonem esse putas? Hæc in meis ad Viretum literis & similia longius sum prosequutus. Facile autem fuit in meam sententiam eum adducere, cùm iam sponte huc propenderet. Fratres etiam omnes libenter assensi sint. Cæterum quid Carmelitã moramur? cùm nihilò mitius se gerat Capũculus vester. Cùm hostes tam procul quæris, videris nullos habere domi. Atqui potius hoc contenderẽ, vt iste insanus aliò abigeretur. Tales si sint hostes professi, nõ adeò nocent. Nunc verò cùm bellum intus gerãt, hac laboramus difficultate, quòd illis resistere non possumus, quin concutiatur Ecclesia. Scripsit ad me nuper epistolam, cuius exemplar breui, vt spero, ad vos mittetur, vnà cum fratrũ nostrorũ expostulatione: vnde intelliges nihilò mitius me ab eo prouocari quàm à Carmelita. Verùm ea epistola nihil ad libellum, quem tandem è manibus emisit, vt me vlciscereturquòd non ex eius sententia vobis consilium dedissem. Non exponam tibi fusius quale sit argumentum, & quanta dexteritate tractetur. Tantùm propone tibi Capunculum illic loqui: nam tibi iam notus esse debet. Ego certè nunquam credidissem tam insulsum hominem esse, nisi ipse testimonium, & quidem reipsa, de se reddidisset. Si è claustro suo veteri sic ineptiret, ego suauiter riderem, quòd professi Christi hostes suam stoliditatem pueris quoque ipsis ita proderẽt. Nunc verò cùm cogito, eiusmodi monstra incubare Ecclesiæ Dei, & quasi in sinu nostro dormire, temperare stomacho meo non possum, quin ebulliat. Quanquam priusquam aliquid aggrediar, tuum cõsilium super ea re audire optarim: num expediat querimoniam deferre ad fratres. Certè eiusmodi probra in eo scripto continẽtur, de quibus si iure egero, nemo tam iniquus erit iudex, qui nõ vindicãdam publica ignominia talem petulantiam censeat. Vtinam daretur colloquendi facultas. Sed quia hoc non est, rescribas mihi quamprimùm velim, num cẽseas expedire, vt ego fratrum literis meas priuatim adiungam. Iam communes illæ scriptæ sunt. In conuentu decreuimus mittendas esse. Ego meas incœpi. Quanquã ego acriter pungo, fratres tamen nihilò sunt blandiores. sic tractandus est ille asinus. Ni si enim bene pungatur, qua est stupiditate, non sentiet: si tibi non contigerit fidus nuntius, nos tamen prima occasione mittemus. Tuum postea erit consilium, num illo præsente recitari debeant. Libellus meus de Cœna in Latinam linguam versus est à Collega nostro Parisino. Ioannes Giradus eum excudere statuit. Ego tamen nondum annui, antabo te, significes, num vtile censeas hoc tempore publicari. Scis vt prudens nominatus ita incedam, ne grauiter impingam in hanc aut illam partem. Fieri poterit, vt neutris satisfaciat. At causa nõ erit, cur asperius quisquã accipiat, quæ scribo. Omnes nostri reuerenter te salutant, Collegæ, familia nostra, & Nicolai quæ aucta est nuper fratris mei filiola. Bernardinus quoque. Dauid noster scire cupit, num vetus sodalis redierit: & quid de coniugio speretur. Vale frater mihi amicissime. Saluta meo nomine fratres & amicos omnes cum tota familia. Geneuæ, XIII. Decembris.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. FARELLO. S. D.

DE rebus nostris vix habeo quod scribam: quia mihi adeò sunt obscuræ, vt de exitu valde sim perplexus. Fracti sunt eorum animi, qui se aliquos esse iactabant. Multum se cõsequutos esse putant, si ille non possit omnia, qui nisi eorum ignauia nihil posset. Quotidie nouæ occasiones eius domandi offeruntur: adeò omnes negligunt, vt dicas sponte sibi iugum accersere. Nam quia sibi mutuò non fidunt, quisque de retinenda sua statione est solicitus. Interea nulla vox est libera. Nobis liceret tranquillis esse, si nihil moneremus. Sed dum videre cogimur, quæ si Romæ audiremus fieri, sua indignitate reprehensionem aliquã exprimerẽt, tacere quî possemus? Ego tamen, vt hortaris, dum retinendæ Ecclesiæ studeo, ipse retineor, ne prosiliam vltrà quàm expediat. Vix octo dies nobis effluent absque conflictu. Spero Dominum ita mihi adfuturum, vt tibi moderatio & æquitas, vel potius tolerantia mea probetur. Omnia enim obliuione deuorabo, modò ne cursum regni Christi interpellent

terpellent, à quibus nunquam erit postulandum, vt adiuuent: quando eò prolapsi sunt, vt resipiscentiæ nulla spes appareat. Libelli editio, cùm pudorem multis incussissem, tandem permissa. Quinetiam exemplar ad me fuit allatum, vt fide mea iudicióque excuderetur. Sed cũ reputo quales insultus fratribus nostris sustinẽdi sint, videor mihi propemodũ sub vmbra certare lusoriũ certamen. Argentinẽsibus hoc modo reliquum erat, vt ab Episcopo inducias impetrarent. Bonus Tossanus post discessum principis adhuc cũ symmystis hæret, ne locum deserant. Vale frater & amice integerrime. Dominus Iesus tibi adsit perpetuò, te sustineat, tuos labores benedicat. Saluta diligẽter fratres nostros, Christophorum, Michaelem, Satonum, Gasparum & reliquos, totámque familiam. Collegæ mei vos salutant, & vxor, quæ se vestris precibus commendat. Geneuæ XII. Decembr. M. D. XLVIII.

Bvcervs Calvino.

S.D. in Domino qui vestras Ecclesias diu seruet, vt vel alicubi vox pura sonet Euangelij. Quàm pauci domus suas non in arenam ædificarint, dies præsens testatur. Deo plus potentiæ perpauci tribuunt, quàm sufficere carnis ratio iudicare potest. Pendemus nos hîc adhuc consiliis. Petierãt nostri ab Imper. vt vel aliquas nobis Ecclesias relinqueret pro pura religionis administratione: id quod ille pernegauit. Nunc quid facturi sint, nouit Dominus. Nõnisi miraculis seruari poterimus. Tu ora nobiscum. De farragine nescio quid faciendum tibi statuam. Optarim, & vtile Ecclesiis agnosco, c õsilia & fraudes aduersarij detegi: tamen hæreo, an Ecclesiæ vtile sit in te irritari singulariter crabrones. Dominus dedit tibi insigne donum illustrandi Euãgelium suum, cuius præclarum nobis munus iam iterum exhibuisti commentariis tuis in Epistolas ad Timotheum. Spiritus Domini ipse te regat, & certum reddat de hac re & de omni ministerio tuo. Hîc si quid fermẽti recipiatur, finẽ faciet ministerij mei hîc Dominus. Tum forsan dabit, vt, quod expetij toties, videam vestras Ecclesias. Saluean sancti istic omnes. Plurimùm me recreat subsistere adhuc in sua statione Opt. Viretum nostrum. Optimè Vale cum vxore & domo tua tota. Pridie Calendas Octobris M. D. XLVIII.

Tuus totus, Bucerus.

Io. Calvinvs Lelio Sozino Italo.

IAm Deo serius quàm optabas, respondeo, quia inuitus, vt verum fatear, quò me vocant literæ tuæ protrahor. De resurrectione carnis, video tibi minimè esse satisfactum. Atqui si plus à me postulas, ne scire quidem vltrà quàm docui, appeto. Si excusem non esse mihi plus datum à Domino, æquum non esset, me præterea vrgeri. Tenẽda enim nobis est regula, Credidi, ideo loquar. Verum dico in hac fide, quã apud te professus sum, sic me acquiescere, vt longiùs tendere fas mihi esse non arbitrer. Audio quid tu contrà. Quum hoc præcipuum sit fidei nostræ caput, cùm in eo posita sit fœlicitatis nostræ summa, non videri superuacuam eius inquisitionem. Et sunt istę quidem specioſæ illecebræ. Sed quod Spiritus Dei per os Ioannis admonet nondum apparuisse, & noticiã in diem vltimum differri, modũ mihi præscribi sentio. Quæ tibi scripsi, adeo firma apud me sunt, & Dei verbo comprobata, vt nulla me dubitatio sollicitet. Sic porrò sufficiunt, vt eorum fiducia, mortẽ securè contemnam. Si plura desideras, aliunde petenda sunt. Quoniã nunquam à me impetrabis, vt obsequendi tibi studio, fines à Domino positos trãsiliam. In aliis quoq; si parcior ero, quàm optes, ignosce. De vxore ducenda siquis à me consilium petat, non aliud suadebo, nisi eam ducat, quæ parata sit Christũ cum marito sequi. Idque non ore tantùm profiteatur, sed re ipsa demonstret. Nam quæ alioqui rectè sentiens, ab impietatis tamen professione discedere non vult, eam quisquis ducet vxorẽ, pessimũ sibi laqueum induet. Nimis sæpe expertus sum in multis, quãtùm à Christo recedant, qui se implicãt talibus cõiugiis. Verùm vt sigillatim tibi respondeam. Quod rogas an à coniugio Papistico, non secus atque à Turcico sit abstinẽdum: Ego qui superstitiones Papatus, in quibus educati sunt penitus

retinent, non ausim tamen in eodem gradu cum Turcis locare. Nam aliquantò propius ad nos accedunt. Verùm omissa comparatione, homini Christiano fas esse nego, se vxori adiungere, quæ sit à Christo aliena. In eo autem numero scimus esse omnes Papistas. Qui licitum sibi esse putat eam accipere, quæ adhuc multis erroribus tenetur implicita, modò iustitiam in Christo suam quęrat, non animaduertit, quantis postea in rebus futurum sibi cum illa sit dissidium. Nemo igitur, me auctore, hoc periculum adibit: quin potius hæc mea sententia est, nec piè, nec in Domino matrimoniũ cõtrahere, qui aliam sibi sociam asciscit, quam quæ diuortium prius cum Papa fecerit. Scio non semper dari optionem ex voto, verùm difficultas culpam non purgat. Solennis Papatus abnegatio si accedat, laudanda quidem erit: sed ego eam quasi necessariã exigere non ausim: sicuti nec certum modum finire, quousque in pietatis doctrina, progressam esse oporteat, quæ ducenda est vxor, nisi quòd velim relicto Christi hoste & manifesta impietate valere iussa, Christo nomen dedisse. Quod rogas an ratum vel irritum eiusmodi coniugium habere Ecclesia debeat, quorsum pertineat nõ satis assequor. Nam sicuti mutuus vtriusque partis cõsensus requiritur, vt ritè Dei nomine & auspiciis consecrentur nuptiæ: ita si quis ab officio declinet, non desinit tamen legitimum esse coniugij vinculum, quo alter alteri obligetur. Leuitatem meritò quidem improbabit, fidem tamen datã non soluit. Ego si ex duobus malis eligendum sit leuius, facere aliter non posse arbitror, qui sub Papatu degit, quàm vt liberos suos ad Baptismũ quãuis adulteratũ offerat. Si corruptelas, quæ cũ Dei mandato pugnãt detestetur, piè & ex Christiani hominis officio faciet. Præsens sanè mortis periculũ: sed eò plus laudis merebitur cõstantia, quòd nullo metu frangetur quisquis erit, quominus cõfessionem pietate sua dignam edat. Liberos siquis Baptismo priuet, plus duplo pariet offensionis. Itaque hoc non consulerem. Iam cùm mollities animi omnes ferè qui viuunt sub Antichristi tyrãnide, impediat ne liberè testentur se ab inquinamentis Papistarũ esse alienos, hinc monendi sunt, vt ego ipsos moneo, quàm miseri sint, & quãtum in labyrinthũ demersi, qui Dei offensam nisi altera offensa fugere nequeunt. Hoc verè est inter sacrum (vt loquũtur) & saxũ premi, nõ posse Christo liberos suos offerre, quin ad inquinamẽta Antichristi prostituant: & tamẽ non posse vsum Baptismi prætermittere, quin contempti Christianismi notã in se suscipiant. Hunc stimulum iis qui illic sibi blandiũtur, admoueo: vt suam infœlicitatẽ in suis quoque liberis agnoscant. Cùm Papistarum Baptisma à lusorio distinguo, fingis tibi respõsum, quod tanquam à me datum impugnes. Non reperies in meis literis, scio, pendêre illius vim ab intentione consecrantis. Tantum, nisi fallor, ideo dixi efficax, quatenus in hunc finem administratur, vt in Christi corpus nos inserat, vel vt nostrę sit renouationis symbolũ. Iã nihil mea refert, sit ne homo Lucianicus qui baptizat, sit ne Diabolus. Tãtùm enim respicienda est institutio, & continuus vsus: qui à Christi mandato, tanquam ex fonte fluxit. Certè non heri primùm cœpit baptizandi ritus. Eum nec Papistæ, nec idololatræ alij excogitarunt. Perperam itaque eum æstimas, nisi ad originem suam reuoces. Vtcunque autem multis prauis accessionibus vitiatus fuerit, semper tamen stetit hoc fixum, baptizari Christi mandato, in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti: vt sit regenerationis testimonium. Hic est finis quem considerãdum doceo. Nec alia fuit ratio, cur olim Circuncisionem Deus in media sacrorum omnium profanatione ratam nihilominus habuerit: nisi quòd in illum primum finem dirigebatur, vt sigillum esset diuini fœderis: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Itaque cùm populus sub Iosia fœdus de integro feriret, ac solennem suæ defectionis pœnitentiam ageret, non tamen iterata fuit Circuncisio: quæ non infidelitate modò, sed impiis multis superstitionibus polluta erat. Tanti enim est sancta Dei institutio, vt inter multiplices hominum corruptelas, ad vim suam retinendam præualeat. Antistrophon, quòd in me torquere vis, nullum est. Neque enim lusoria Baptismi imitatio, vt credis, in populum Dei inferebat: sed instituti diuinitus traditi obseruatio. Et tamen degeneres erant filij, qui fœdus cum patribus initum violauerant. Quòd Ecclesiæ reliquias manere in Papatu dico, non restringo ad electos, qui illic dispersi sunt: sed ruinas dissipatæ Ecclesiæ illic extare intelligo. Ac ne mihi longis rationibus disputandum sit, nos Pauli auctoritate contentos esse decet, qui Antichristum in templo Dei sessurum pronuntiat. Quanquam & hoc rationibus satis validis me probasse puto, Ecclesiam licet semiruptam, imò si lubet, diruptam ac deformem, aliquam tamen manere in Papatu. Atqui non patior, vt in priuatis pij hominis ædibus Baptismus purè iuxta Christi regulam administretur.

2. Thess. 24

Facilis

Facilis responsio est. Nam huiusmodi Baptismum, qui apud nos non permittitur, ac iure quidem vetitus est, facilius tolerarem, quàm Papalem illum tot sordibus infectum. Verùm hîc non agitur, quid ego probem. Quòd autem Baptismum pro nihilo me ducturum putas, quem è fratribus meis quispiam fortè intra priuatos parietes administrauerit, hoc nunquam mihi venisse in mentem, Deum & homines testor. Longè enim aliud est præscribere, quid rectum sit ac syncerum, & quid inter exoticas accessiones residuum sit ex Dei institutis. Si Turca in Ecclesiam solenni fidei professione receptus fuerit, quin baptisandi quoque sint eius liberi, non dubito. Viget enim promissio illa: Ero Deus tuus & tuorum. Timiditatem, qua fit, vt cautius viuant quidam, quàm vt in suspitionem, veniant tyrannis, simpliciter damnare non est meum. Vnus enim legislator & iudex, cuius ore non video damnari. Qui verò astutam suam simulationem in adeundis missis vtile promouendæ gloriæ Dei subsidium esse putant: vtinam cogitarent non ita inopem esse Deum, vt nostris mendaciis indigeat. Certum quidem est, hac occasione interdum quosdam Christo lucrifieri. Id quoties euenit, exemplo Pauli gaudeo. Quouis enim modo propagetur regnum Dei, lucro apponere nos decet. Sed nunc disputatur, an tale probetur Deo obsequium: quod ipse negat. VII. Idus Decembr. M. D. XLIX.

GASPAR CARMELVS CALVINO S. D.

Salutem per Iesum Christum seruatorem nostrum vnicum.

VTinam tecum præceptor obsernande, nuper Neocomi cùm esses, coràm colloqui mihi licuisset. Quod certè, Deo iuuante, fecissem, si certi aliquid de aduentu tuo habuissem. Sed id cùm factum non sit, supereſt vt tecum per literas colloquar, téque mihi in consilium adhibeam super ea re, de qua iam subinde mentionem in cœtu nostro feci, sed frustra. Nam quamuis fratres videant & sciant me in Ecclesia, quæ mihi commissa est, obrui magnitudine negotij, tanquam fluctu, nullus tamen adhuc mihi adiunctus fuit, qui velut in parte laboris esset. Cùm itaque hac via non successisset, tentaui aliam, rogando fratres classis nostræ efficerent, vt aliquis vicarius muneri meo succederet. Verùm nec id quoque ab eis impetrare potui. Nouem iam annos onus omnino humeris meis impar, cui etiam succumbere incipio, solus sustinui. Præsum duabus Ecclesiis, quarum templa disiunctissima sunt. Iter, hyeme potissimùm, ob iniuriam temporis permolestè conficitur. Non rarò mihi accidit, vt equo insidens frigore penè astrictus fuerim, & quandóque aqua pluuiali totus madens suggestum conscendo im. Mira est quoque loci totus vastitas. Patet enim millia passuum quatuor in longitudinem, & in latitudinem totidem. Certè me totum hîc penè conficio. Si ratione mei fratres habere nolint, ero posthac inutilis Ecclesiæ Domini: nam literis operam dare, præ multitudine negotiorum, non possum. Accedit hoc ad labores reliquos, quod mihi ferè, verum fateor, mortis instar est, hoc est me ostiatim, quæ ad victum necessaria sunt, tota hyeme quærere necesse sit, cogárque sæpe nunc eandémque domum huius rei gratia, haud semel, sed decies, adire. Re nonunquam infecta, vexatus multorum maledictis discedo. Te per Dominum oro, vt mihi tuis consiliis adsis: nescio enim quid mihi in hac re amplius faciendum sit. Pestis nuper Neocomi grassari cùm cœpisset, consilio nonnullorum factum est, vt posthac si grassari pergat, alter ex ministris teneatur peste laborantes inuisere, aut diaconum aliquem conducere, qui id onus assumat. Multi hoc pacto, quantùm ex bono aliquo viro intelligere potui, sperant breui futurum, vt peste pereant, quorum opera Ecclesiæ Domini adhuc valde egent. Dominus suis adsit, & impiorum conatus dissipet. Vale. Monasterij IX. Iunij M. D. L.

BVLINGERVS CALVINO. S. D.

DIdici à N. nostro te, Caluine colendissime & charissime, rectè valere, quo nomine tibi gratulor, optóque vt sit diuturnum. Nos quoque rectè valemus hîc omnes Deo gratia. Curiæ intra 9. septimanas extinxit pestis 1100. homines. Mirum est in tam angusto oppido & breuissimo tempore tot esse sublatos. Cum his migrauit & D. Ioan. Blasius. Decubuit & D. Ioan. Commander, sed reualuit per Christũ. In vicinia Curię plurimi moriũtur. Nos adhuc liberi sumus ab illa lue. Cæsar Augustæ cupit modis omnibus emulgêre ex Principibus & ordinibus Imperij

consensum in continuationem Cõcilij Tridentini: item auxilium contra rebelles. Vrget & alia quædam capita, nec audio esse quenquam qui ei se opponat. 14. Augusti milites Hispani domum, vt vocant, concionum sacrarum ponè ædem S. Vlrichi diripuerunt. Capti sunt ex iis aliquot, sed plurimi arbitrantur ex carcere impunè dimittendos. Ferociunt Papistæ & minantur extrema. Aiunt Cæsarem totum in eo esse vt Magdeburgũ omnibus rebellibus faciat exemplum. Cæterum ignorat viuere & viribus pollere eum qui custodit Israelem. Nostrum erit in hisce turbis ardentes Domino preces offerre, & pro periclitantibus & pro nobisipsis: deinde & constanter facere nostrum officium dicendo & scribendo. Mitto tuæ pietati 1111. Decadem quam hac æstate cõscripsi, non vt putem te illa indigere, sed vt beneuolentiam erga te meam testarer. Salutant te fratres. Saluus sit D. Nic. Gallasius cum omnibus bonis. Vale cum tuis omnibus. Tiguri, x x x. Augusti. M. D. L.

N. Calvino.

GRatiam & Pacem à Domino. Desidero plurimùm literarũ vestrarum consolationem. Quanquam enim hîc non desint mihi certi in Domino amici, & fratres: attamen nescio quo pacto, perquàm anxiè cupiam rescire, quid veteres amici & probatiores Collegæ agant, quomodo opus Domini per eos procedat, vtque etiam me admoneãt, consolẽtur & exhortentur. Subinde scribitur ex patria, & ex aliis locis Germaniæ, quæ animum meum magnopere excruciant: tum res Christi hîc quoque geritur, vt nisi Dominus innocentissimum & religiosissimum Regem & alios aliquot pios homines singulari respiciat clemẽtia, valde verendum sit ne horrenda Dei ira, breui & in hoc regnum exardescat. Inter Episcopos hactenus de Christi doctrina conuenire non potuit, multò minus de disciplina. Paucissimæ Parochiæ idoneos habent Pastores, pleræque venundatæ sunt nobilibus, sunt etiã ex Ecclesiastico ordine, atq; ex iis quoq; qui Euangelici videri volunt, qui tres aut quatuor atq; plures Parochias tenent, nec vni ministrãt, sed sufficiunt sibi eos qui minimo se cõduci patiuntur, plerũq; qui nec Anglicè legere possunt, quíq; corde puri putidi Papistæ sunt. Et primores quidẽ regni multis Parochiis præfecerunt eos, qui in cœnobiis fuerunt, vt pensione eis persoluenda se liberarent, qui sunt indoctissimi, & ad sacrũ ministerium ineptissimi. Hinc inuenias Parochias in quibus aliquot annis nulla sit habita concio. Quid autem nudis edictis & remotione instrumentorum superstitionum proficiqueat ad regni Christi restitutionem, non ignoratis. Vtraq; hîc Academia habet permulta egregia collegia, magnis opibus & multis optimis legibus instructa, qualia in nulla Academia orbis habentur: non solùm enim egregiè aluntur in his collegiis quamplurimi, in plerisque vltra centum studiosi, verùm honestas etiam pro vestibus & libris habent inde pensiones pecuniarias. Ex his debebant ad Ecclesias subinde extrudi fidelium ministrorum examina: Nam omnes artium Magistri theologiæ discẽdæ deputati sunt, quatuor tantùm, in quolibet collegio exceptis, quorum duo medicinæ, duo peritiæ legum debent operam nauare. Sed ea pridem inoleuit conniuentia, & hoc maximè tempore ita est corroborata, vt multò maxima pars collegarum, sint vel acerbissimi Papistæ, vel dissoluti Epicurei, qui quantùm possint iuuentutem ad sua studia pertrahunt, & odio imbuunt sanę Christi doctrinæ atq; disciplinæ. Atque nostri quoq; adeò sunt parci concionum suarum vt per totam quadragesimam excepto vno aut altero dominico die, quam tamen adhuc volunt videri obseruare in die ipso memoriæ mortis Christi ac etiam resurrectionis, neq; hodie vllã populo concionẽ dederint. Interim pleriq; Parochorum sic sacra recitant & administrãt, vt populus tantundẽ de Christi mysteriis intelligat, atq; si adhuc Latina & non vernacula lingua vterẽtur. Cùm verò de hac tam horrenda Ecclesiarum deformitate querelę deferuntur à sanctis hominibus ad regni proceres, dicunt his malis mederi esse Episcoporum: cùm deferunt ad Episcopos Euangelium pridem professos, respondent illi, se ista emendare non posse nisi publica regni cõstitutio de eo fiat. Dum autem magna illa regni concilia habentur quotannis, tot ingeruntur causæ prophanæ, vt hæc Christi causa locum non inueniat. Tum committunt deliberationem de his rebus hominibus tam multis, támque animis dissentientibus, vt ne semel adesse omnes & ad hoc negotium possint congregari, nedum aliquid rectum & solidum de tantis rebus cõstituere. Ad quã causæ Christi procrastinationem, quibus otium & fastus Antichristi magis cordi est quàm crux Christi, Episcopis, haud impigri

adsunt

adsunt plerique ex nobilibus bonis Ecclesiasticis ditati, qui & ipsi præsertim, Ecclesiarum vastationem magis lucrosam sibi existimant, quàm earum piam reformationem. Accedit his malis quòd non pauci omni veræ pœnitentiæ, fidei, bonorum operum, communionis & disciplinæ Ecclesiasticæ cura reiecta, vnum hoc agitẽt ac contendant, ac sæpenumero admodũ irreligiosè vt de ea Christi per Sacramenta participatione, quæ veræ pietatis sensum non satis resipiant. Atq; hi maximè sequuntur eos magistros qui ardent publicè scribere, & adserere, conatum esse fanaticum, moliri Ecclesiæ & pœnitentiæ disciplinã, vt qui palàm peccauerunt ad agendam pœnitentiam ligentur, eáq; à peracta ab eo vinculo absoluantur & nominatim peccatorũ cum scãdalo cõiunctorũ absolutionem ab Ecclesia percipiant. Adeò permittunt sibi in quæuis Dei verba & quantumuis clara eas inferre interpretationes, quas illis suggerit ipsorum prudentia, aut etiam fastidium, ne dicam odium eorũ qui rectius docent, aut vtrũque simul malũ. Hæc verò tibi, optime Caluine, ideo tam liberè scribo, vt preces pro ijs Ecclesiis amplius intendatis, & cùm ad ducem Somerseti scribis, eum grauissimè de illa Ecclesiarũ vastatione, & proditione admoneas: quod illę paucissimis exceptis permittuntur, qui nihil vel Christi norunt vel quærunt. Rogo proinde te vt has nemo nisi Farellus & Viretus legant. Nosti enim quàm non conducat, ista spargi, & minimè omnium per nos. Pro sereniſſimo rege qui ad miraculum vsque in pietatis & literarum studiis proficit, preces vestras accumulate. Etenim in quanto versetur humanitus discrimine inde facile agnoscas, quòd Papistæ passim tantopere ferociant, cùm videant & sciant tamen, regem totis viribus incumbere in regni Christi restitutionẽ. Sed vident maiorẽ natu sororẽ, Papistica pertinacissimè tueri & vsurpare, siue quòd ita ferat ingeniũ eius, siue quòd de consobrino tantùm confidit. Sed tam frigida regni Christi molitio meretur ista pericula, & aduersarios conatus. Agas mecũ gratias Domino qui me morbis meis magna ex parte liberauit, qui me ad mediũ Martij iterũ acerbissimè inuaserant. Possum enim qualitercũq; rursum munus meum obire, quanquã multa adhuc hæreat debilitas in cruribus, brachiis & manibus quibus nondũ ad scribendũ rectè vti possum. Orate Dominũ pro me vt si fieri potest, me quamprimùm hinc liberet, aut aliqua ex parte Ecclesiæ suę vtilem faciat, imò vt sanctificet nomen suum in me quocunque ipse vult modo. Optime vale cum tuis omnibus, optimo Farello, Vireto & huius monetæ collegis tuis aliis. Cantabrigiæ die Pentecostes. M. D. L.

CAL. FARELLO. S. D.

PEtrus Forueletus literas mihi tuas ostendit, quibus ad suscipiendum apud vos diaconi munus, eum inuitas. Quia me quoque sciebat abs te literas accepisse: putabat in illis aliquid, quod ad se pertineret, cõtineri. Respondi quod res erat, te ne verbo quidem meminisse. Consilium petiit. Non potui aliud dare, nisi vt vos inuiseret quasi hoc tantùm acturus, vt vobis salutatis, ad munus suum rediret. Ex quo ad nos rediit, non nihil me peccasse fateor, quòd non familiarius eum de anteactis admonui. Multa quidem obstirerunt: sed nihil magis, nisi quòd verebar ne sibi iniuriam fieri putaret, si partes monitoris apud eũ suscipere auderẽ. Ergo peccatũ agnosco, quòd stulta verecundia impeditus, fratris officium omisi. Ex quo ad nos reuersus est, placidè & modestè se gessit. Aliud quod scribam in præsentia non habeo. Si essemus vnà, multa narrarẽ. Petrus tibi de misero quodam Britone narrabit, qui phrenetide correptus, multũ nobis molestiæ faceſſet. Fuit hîc Pedemõtanus quidã, valde sibi placẽs, qui sibi Dominum apparuisse dicebat: vt Moses ipse foret, ego Aaron. Cùm die Natalis, cõcione habita, inspectioni priuatæ per vnã decuriã operã dedissem, fessus domũ redeo. Ille me ita excepit, vt micam panis gustare non sineret. Dominum sibi apparuisse: habere in mandatis, quæ ieiuno ieiunus exponeret. Cùm me animus deficeret, post meridiem scilicet, obtecraui, vt mihi paululum quiddam edere permitteret. Non desiit inde me fatigare, donec heri seuerè repudiatus fuit à fratribus. Tametsi ridiculè insanus est: in hoc tamen subornatus est à Satana, vt friuolis allegoriis admirabilem illam virtutem, quæ in redemptione populi exerta fuit, obscuret, adeóque in nihilum redigat. Verùm hæc colloquiis magis conueniunt, quàm literis. Aliunde nihil suppetit scriptione dignum. Vale frater & amice integerrime, mihíque ex animo semper amande & colende. Dominus Iesus te semper regat, seruet, benedicat, & modis omnibus per te glorificetur. Geneuæ, pridie nonas Ianuar. M. D. L I.

CAL. BVLINGERO S. D.

NVper cùm iterem Neocomum, nuncius cum tuis literis in itinere mihi occurrit. Alteras posteà domum reuerso quidam Italus obtulit cum quinta decade. Quòd te libros tuos nõ ideo mittere excusas, vt abs te discam: ego verò vt meos labores piis omnibus cupio prodesse, ita vicissim libenter ex aliorum scriptis proficio. Atque hæc verè fraterna est communicatio, vbi sic inter nos distributa esse Spiritus dona agnoscimus, vt nemo vn⁹ sibi sufficiat. Gratũ ergo mihi tuum munus fuit. Plurimum etiam gaudij attulit, non mihi solùm, sed etiam Farello & reliquis fratribus consensionis nostræ editio. Vtinam quindecim diebus citius venissent tuæ literæ. Nam his nundinis Francfordianis exiissent. Quantùm ad Galliam nostrã, tempestiua erit publicatio. Valde quidẽ, vt spero, vtilis. Nuper excusi sunt mei in Iesaiã & Epistolas Canonicas commentarij. Vtrósque Regi Angliæ dicare visum est. Exẽplar præfationis vnius, quod Vergerio misi, abs te legi potuit. Addidi & priuatas literas, quibus generosam pueri indolẽ acuere conatus sum. Intereà allatus est tristis nuncius, Hopperũ in carcere teneri. Hoc pridẽ subueritus fuerã. Nunc vereor, ne Episcopi quasi victores ferocius multò insolescant. Itaq; sicuti in recusanda vnctione eius constantiã laudo: ita de pileo & veste linea maluissẽ (vt illa etiã nõ probẽ) nõ vsq; adeo ipsum pugnare: idq; nuper suadebã. Multos & potẽtes habet aduersarios: nec dubito quin acriter ad eũ opprimendũ insistãt. Sed Dominũ illi adfuturũ spero: & quidẽ eò magis, q̃ perfidè, vt audio, nõnulli eũ oppugnãt, qui alioqui simulãt Euãgelio se fauere. Vobis trãquillũ Ecclesiæ statũ gratulor. Hîc sunt improbissimi nebulones, qui nõ parũ molestiæ & turbarũ nobis facessunt: quibus tamẽ exitũ, quẽ meriti sũt instare cõfido. Cõsilia Imperatoris multos anxios reddũt. Quòd nõnullæ eius copiæ nunc Alpes traiiciunt, meritò suspitiosum est. Si hãc regionẽ inuadat, nõ alia spe me cõsolor, nisi q̃ me Dominus ex misera hac vita eripiet. Intereà gregẽ suum cuius me cura præcipuè excruciat, nõ negliget. Vale ornatiss. vir, & symmysta plurimũ mihi obseruande, vnà cũ fratribus quos nostro omniũ nomine diligenter salutabis. Gallasius etiam priuatim te salutat. Dominus te regere pergat suo Spiritu, manu sua protegere, ac benedicere tuos sanctos labores. Amen. Geneuæ IIII. Idus Martias M. D. LI.

CAL. BVLINGERO S. D.

BInas abs te paucis his dieb⁹ literas accepi: vtrasq; singularis erga me beneuolentiæ pœnas atque eo nomine mihi gratissimas. Bene habet, q̃ non eundem modò animũ Deus nobis cõtulit, vt Regẽ Angliæ & eius cõsiliarios incitaremus ad pergendũ: sed fecit etiã vt cõsilia nostra tam aptè inter se cõgruerẽt. Hoc certè ad eorũ confirmationem nonnihil, vt spero, valebit. Reditũ nuncij, qui libros illuc meos cum literis tulit, indies iam expectare incipio. Simul ac reuersus erit, si quid dignum afferet relatu, dabo operam vt tibi sit commune. Intereà scripsi ad illustrissimum Sõmersetti Ducem, ostendíque fieri non posse, quin Papistæ superbius insolescerẽt, nisi maturè compositum esset dissidium de ceremoniis. Hortatus ergo sum hominem, vt Hoppero manum porrigeret. Quidquid simulet Papa, non existimo consilium Tridentinum seriò cogi. Coniecturæ meæ ratio est, quòd Rex Galliæ Episcopis omnibus suis mãdauit, vt sedulò quisq; diœcesin suam perlustret: acta visitationis singuli ante sex mẽses cõfecta ad Metropolitas referãt. Sibi esse in animo nationale totius regni cõcilium celebrare. Illic Tridenti & Papæ nulla mentio. Neque tamen dubito, quin res inter eos de composito geratur. Nempe vt Gallus in Papæ gratiam, obiecto concilij nationalis fuco, Tridentinum illud dissoluat. Prudentes accensam belli facem in Italia iudicant. Turcicus legatus nunc in aula Gallica est, qui Regem ad bellum stimulet. Maxima classis Italiæ vel Hispaniæ imminet. Ergo Dominus istos, ne Ecclesiæ tam sint molesti, occupabit. Cùm mihi Tridentum petenti istac fore iter noueris: nimis es inhumanus, qui nobis saltẽ vnius hospitium non offers. Sed expectas fortè nouam bullam quæ nos admittat. Neque enim ex eorum sumus numero, qui de iure, vel consuetudine, vel priuilegio sanctæ sedis Apostolicæ locum obtinent. Licebit ergo nobis domi quiescere. Quanquam est etiam quod domi agamus. Nam & Christus laboris materiam suppeditat: & Satã ociosos sedere non patitur. Dabis festinationi meæ veniã. Nam cùm Germani isti adolescentes operam mihi suam offerrent, horam tantùm ad scribendum dederunt, quæ propè effluxit. Vale ornatissime vir, & frater mihi ex animo obseruande & charissime. Collegæ mei te reuerenter salutant. Meo & illorum nomine plurimam salutem dices D. Bibliandro, D. Pellilicano,

cano, Galthero, & reliquis fratribus. Dominus vos omnes tueatur suo præsidio, Spiritu gubernet, labores vestros prosperet. Consensio nostra minus diligenter Latinè hîc impressa fuit, quàm vellem. Sed breui rursum excudetur. Interea Gallicum exemplar Latino adiunxi, in quo te mendum nullum offendet. Geneuæ x. Aprilis M. D. LI.

Ioannes Caluinus verè tuus.

CALVINVS VIRETO S. D.

QVòd nihil iam à multis diebus literarum accepisti, scito nimis assiduam & simul anxiam vestri memoriam in causa fuisse. Mœror quē ex Buceri morte concepi, solicitudinem ac metum auget. Iam & mors Vadiani nouũ vulnus inflixit: cuius opera etsi non tam longè se proferre, & per omnes Ecclesias spargi poterat, maximo tamē vsui erat in ciuitate magni ponderis, imò apud Heluetios & Rhetos. Quàm multiplicem in Bucero iacturam fecerit Dei Ecclesia, quoties in mentem venit, cor meum propè lacerari sentio. Faxit Dominus, vt reliquos omnes, qui mihi lugendi essent, superstites relinquam, vt lætior moriar. Vale frater integerrime. Dominus te conseruet, cum vxore & familia. Omnes plurimùm salutabis meo nomine. Geneuæ. x. Maij M. D. LI.

CALVINVS S. N. S. D.

QVum mihi se nuntius hic cum tuis ad Bezam literis obtulit, ego & recenti metu perculsus, & simul graui mœrore oppressus eram. Pridie enim nuntiatum mihi fuerat, peste correptum esse. Itaque non tantùm periculo anxius, sed propè attonitus, pro singulari meo in illum amore, quasi iam mortuum lugebam: etsi non tam priuati amoris erat hic luctus, quàm ex publica Ecclesiæ cura oriebatur. Equidem inhumanus sim, nisi eum redamē, qui me plusquàm fraternè diligit, & colit non secus ac patrem. Sed me vehementius cruciabat Ecclesiæ iactura: cùm hominem, ex quo amplissimos fructus expecto, subita morte ab ipsis stadij carceribus nobis præripi viderem: quem & ingenij suauitas, & morum elegantia, & ingenuus animi candor non minus antea amabilem bonis omnibus reddiderint. Verùm, si huc semel furtim aduolâris: quod te magnoperè hortor vt facias, longè seipsa etiam superiorem reperies. Quòd tibi perditum esse dicis, infaustum illud omen procul faceſſat. Hoc magis consentaneum, vt suo discessu te verè & in solidum recuperet. Quid enim nobis est extra Christum, quo fruamur? Spero autem hominis vitā nostris precibus concessam. Quanquam enim nōdum periculum euasit: heri tamen lætior nuntius allatus est. Cras, vt spero, audiemus quod omnem dubitationem eximat. Vale, eximie vir, & officium hoc meum boni cōsule, quòd tam familiariter ad hominem ignotum scribo. Dominus te Spiritu suo gubernet, ac præsidio tueatur. Pridie Calendas Iulij M. D. LI.

CALVINVS VIRETO S. D.

STatueram ad te nunc venire, & iam ad iter propemodum accinctus eram. Sperabam aduentu nostro aliqua eius molestiæ parte leuatum te iri, qua te improbi isti nebulones afficiunt. Quanquā enim ad te non pertingunt eorũ latratus, fieri tamen non potest, quin te vel mordeat, vel saltem pungat tam indigna malignitas. Libēter etiā cum D. Zerkinte collocutus essem, quem istic fore audieram. Velim interea, vt cum illo agas, num tam importuna Frāciſci Maurisii petulantia cōpesci queat. Mea certè nō magni refert. Cur enim scarabeũ in sua palude frementē securè contemnere nō liceat? Sed me exemplū mouet. Indoctus monachus mihi in pago ignobili detrahit. Ridiculũ. Sed esse concionatorē, qui pro suggestu declamitet, nos esse Papistis deteriores, qui in cōsistorio scriptā manu sua schedā proferat, vbi me nominatim arguit falsa & Dei verbo cōtraria docere, vbi me impostorē vocat, vbi impiè sentire blaterat, qui mihi assentiũtur: mihi valde acerbũ est, alios etiam magis cruciat. Nō videt miser ille, nihil se proficere aliud, nisi q̄ se detestādũ plebi sibi cōmissæ propinat. Ego iā illic Papista existimor. Eo nomine me amāt ac mihi fauēt. Verùm interea laceratur Christus, improborũ maledicentiæ exponitur eius veritas, infirmæ conscientiæ labefactantur: & tandē longius spargetur fama, iam nos intestinis discordiis flagrare. Quāquam hactenus quieui: fratres tamen mei instāt, non vlterius ferendũ esse, vt publicè nobis videntibus & scientibus damnetur cōmunis Ecclesiæ nostræ doctrina. Etiā nimis præfractos &

morosos placauit nostra cũ Tigurinis concordia. Narrabat enim Theobaldus Toquerus quẽ nosti, nuper hac trãsiens, Nurbergenses mihi applaudere. Sed nebulo hic in suis latebris tumultuando, vult aliquid famæ acquirere. Ego vt litem moueam, non dum persuadeor. Sed quid censeat Zerkintes, magnopere scire expedit: & tu cũ venies, simul consiliũ tuum afferes. Vale frater optime & integerrime. Saluta vxorẽ & filiolas meo nomine. Dominus vos omnes tueatur, vobis adsit, vos gubernet. Nostri te plurimùm salutant. Fratribus quoque istic plurimam ex me salutem dices. Genuæ v. Idus Augusti M. D. LI.

CALVINVS CRAMMERO ARCHIEP. CANTVARIENSI S. D.

IVquidem, illustrissime Domine, vere & prudenter in hoc tam confuso Ecclesiæ statu, nullũ aptius afferri posse remediũ iudicas, quàm si inter se cõueniant pij, cordati, & in Dei schola probè exercitati homines, qui suum in pietatis doctrina cõsensum profiteantur. Videmus enim quàm variis artibus Satan, Euangelij lucẽ, quæ mirabili Dei bonitate nobis exorta passim refulget, conetur obruere. Cõductitij Papę canes latrare non desinũt, ne purus Christi sermo exaudiatur. Tãta licẽtia passim ebullit & grassatur impietas, vt parũ à manifestis ludibriis absit religio. Qui professi non sunt veritatis hostes, ea tamen proteruia lasciuiunt, quæ breui, nisi obuiam eatur, fœdam nobis confusionem pariet. Neque solùm in hominum vulgo regnat hic tum stultæ curiorisatis, tum intemperantis audaciæ morbus: sed quod magis pudendum est, in ordine quoque pastorum nimis iam grassatur. Quibus deliriis seipsum deludat & quosdam alios fascinet Osiander, plus satis notum est. Et Dominus quidem, vt ab initio vsq; mundi solitus est syncerę fidei vnitatẽ, ne laceretur hominũ dissidiis, mirabiliter, & modo nobis incognito, seruare poterit. Quos tamen ipse in excubiis locauit, minimè torpere vult: quãdo & eosdẽ sibi destinauit Ministros, quorũ opera sanam in Ecclesia doctrinã ab omnib⁹ corruptelis purget, ac incolumẽ ad posteros trãsmittat. Tibi prę sertim, ornatiss. Præsul, quò altiore in specula sedes, in hanc curam, vt facis, incumbere necesse est. Quod nõ ideo dico, quasi tibi addendũ esse nouum calcar existimẽ: qui non modò sponte præcurris, sed aliis quoq; instas volũtarius hortator. Verũ vt te in tã fausto præ-
1. Cor. 16. 9 claróq; studio, mea gratulatione confirmẽ. Lætũ quidẽ esse in Anglia Euãgelij successum audimus. Sed istic quoq; vsu venire, quod suo tẽpore expertus est Paulus, non dubito: vt ostio ad recipiendã puram doctrinã aperto, multi repẽte aduersarij cõtra insurgãt. Etsi verò me non latet, q̃ multi sint vobis ad manũ, idonei ad refellẽda Satanæ mẽdacia vindices: facit tamen eorũ improbitas, qui ad turbandũ satagunt, vt bonorũ sedulitas hac in parte nunquã nimia sit, aut superuacua. Deinde scio nõ ita vnius Angliæ haberi abs te rationẽ, quin orbi simul vniuerso consulas. Regis quoque sereniss. nõ modò generosa indoles, sed rara etiã pietas meritò exosculãda, q̃ sanctum consiliũ de habẽdo eiusmodi cõuentu fauore suo prosequitur, & locũ in regno suo offert. Atq; vtinam impetrari posset, vt in locum aliquem docti & graues viri ex præcipuis Ecclesiis coirent, ac singulis fidei capitibus diligenter excussis, de cõmuni omniũ sententia certã posteris traderent Scripturę doctrinam. Cęterũ in maximis sęculi nostri malis hoc quoq; numerandũ est, q̃ ita aliæ ab aliis distractę sunt Ecclesię, vt vix humana iã inter nos vigeat societas, nedũ emineat sãcta mẽbrorũ Christi cõmunicatio, quã ore profitentur omnes, pauci reipsa syncerè colũt. Quòd si frigidius, quàm par esset, se gerunt doctores: grauissima penes ipsos Principes est culpa, qui vel profanis suis negotiis impliciti, Ecclesiæ salutẽ & totã pietatẽ negligũt: vel singuli priuata pace cõtenti, aliorum cura non tãguntur. Ita fit, vt mẽbris dissipatis, lacerum iaceat Ecclesię corpus. Quantũ ad me attinet, si quis mei vsus fore videbitur, ne decẽ quidẽ maria, si opus sit, ob eã rẽ traiicere pigeat. Si de iuuando tantum Angliæ regno ageretur, iã mihi ea satis legitima ratio foret. Nunc cùm quęratur grauis & ad Scripturę normã probè cõpositus doctorum hominum cõsensus, qua Ecclesiæ procul alioqui dissitę, inter se coalescãt, nullis vel laboribus, vel molestiis parcere, fas mihi esse arbitror. Verùm tenuitatẽ meã facturã spero, vt mihi parcatur. Si votis prosequar, quod ab aliis susceptum erit, partibus meis defunctus ero. D. Philippus longius abest, quàm vt vltrò citróque cõmeare breui tempore literę queant. D. Bullingerus tibi fortè iam rescripsit. Mihi vtinam par studij ardori suppeteret facultas. Porrò quod me facturum principio negaui, ipsa rei quã sentis, difficultas tentare me cogit: non vt te horter modò, sed etiam obtester ad pergendum: donec aliquid saltẽ effectũ fuerit, si non omnia ex voto succedant. Vale ornatissime Præsul, & mihi ex animo reuerende. Dominus te Spiritu suo regere, sanctósque tuos conatus benedicere pergat. Geneuę.

CAL-

CALVINVS CRAMMERO ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI S. D.

QVando hoc tempore minimè sperandum fuit, quod maximè optãdum erat, vt ex diuesis Ecclesiis, quæ puram Euangelij doctrinam amplexæ sunt, conuenirent præcipui quique doctores, ac ex puro Dei verbo certam de singulis capitibus hodie cõtrouersis ac dilucidã ad posteros confessionẽ ederent: consilium quod cœpisti, reuerende Domine, vehementer laudo, vt maturè apud se religionem Angli cõstituant: ne diutius rebus incertis, vel minus ritè compositis quàm decebat, suspensi hæreãt plebis animi. In quã rem ita omnes qui gubernacula istic tenent, cõmunibus studiis incumbere oportet, vt tamen præcipuæ sint tuæ partes. Vides quid locus iste postulet, vel magis quid pro muneris quod tibi iniunxit ratione abs te suo iure exigat Deus. Summa est in te auctoritas, quam non magis tibi honoris amplitudo conciliat, quàm cõcepta pridem de tua prudentia & integritate opinio. Cõiecti sunt in te bonæ partis oculi, vel vt tuum motum sequantur, vel vt cessationis tuæ prętextu torpeãt. Atq; vtinam te duce aliquantò longius iam ante triennium progressi forent, ne tantum hodie negocij crassis superstitionibus tollendis ac certaminum restaret. Fateor equidem ex quo seriò refloruit Euangelium in Anglia, intra breue tempus non paruas accessiones esse factas. Verũ si reputas, & quid adhuc desit, & quàm nimis fuerit in multis rebus cessatũ, nõ est quòd remissius ad metã, quasi magna stadij parte cõfecta properes. Neq; enim quasi te videam in opere assiduum, monendus videris, ne tibi quasi defunctus indulgeas. Sed, vt liberè loquar, magnopere vereor, nec desinit metus hic recurrere, ne tot cunctãdo trãsigantur autũni, vt perpetuæ tandẽ hyemis frigus succedat. Iam ætas quò magis ingrauescit, acrius testimulare debet: ne si rebus confusis è mundo sit migrãdum, magna te ex cõscientia tarditatis, anxietas constringat. Res cõfusas appello: quia sic correctæ sunt externæ superstitiones, vt residui maneãt innumeri surculi, qui assiduè pullulẽt. Imò ex corruptelis Papatus audio relictã esse congeriẽ, quæ non obscuret modò, sed propemodum obruat purum & genuinũ Dei cultum. Interim totius ordinis Ecclesiastici anima non spirat, vel saltem non viget, vt par erat: doctrinæ scilicet prędicatio. Certè nunquam integra florebit religio, donec Ecclesiis melius prospectum fuerit, vt idoneos habeant Pastores, & qui docendi munus seriò obeant. Id quominus fiat, occultis quidẽ artibus obsistit Satan. Vnum tamen apertum obstaculum esse intelligo, quòd prædæ expositi sunt Ecclesiæ reditus. Malum sanè intolerabile. Sed præter illam dissipationem, quæ nimis crassa est: non multò leuius mihi videtur aliud vitium, quòd ex publico Ecclesię prouentu aluntur ociosi ventres, qui linguam incognitam vesperas cãtillent. Nihil dico amplius, nisi quod te approbatorem esse eius ludibrij, quod palàm cum legitimo Ecclesiæ ordine pugnat, plusquàm absurdum est. Quanquam autem non dubito, quin hæc tibi subinde veniant vltrò in mẽtem, & ab optimo & integerrimo viro D. Petro Martyre, cuius te consilio vti plurimùm gaudeo, suggerantur: tot tamen ac tã arduæ difficultates quibuscum luctaris mihi visæ sunt sufficere, ne superuacua foret mea exhortatio. Vale clarissime Præsul, & mihi reuerende. Dominus te diu conseruet incolumem, Spiritu prudentiæ & fortitudinis magis ac magis locupletet, tuósque labores benedicat, Amen.

CALVINVS HALLERO S. D.

VOd tibi nuper ac Musculo nostro ad leuãdum vtriusque domesticum mœrorem, nullę à me literæ venerũt, peto abs te, mi Hallere, ne meum inde erga vos studiũ æstimes. Ex quo enim domos vestras peste tactas esse audiui, quã anxiè de vestro periculo cogitauerim, non est quòd laborẽ multis verbis exprimere. Hæc porrò memoria nõ piis & cordatis hominibus gratior esse debeat, quã literarum officium: tibi ac illi planè satisfactũ iri cõfido, vbi intellexeritis meũ silentium ex neglectu minimè profectum esse. Cur autem scribendi partes omiserim hæc fuit causa, quòd serò huc fama perlata est, nec scire tunc certò poteram, quousque grassata esset calamitas. Itaque rebus dubiis nihil tentare ausus, ad preces me conferre malui, quas & vobis esse magis necessarias, & magis optari sciebam. Cæterum cùm festi dies hîc abrogati grauiter ex vestris quosdam offenderint: istic quoque multos spargi odiosos sermones credibile est. Atque ita statuo me totius rei auctorem non à maleuolis tantùm, sed ab imperitis quoque adscribi. Ego autem vt sanctè testari possum, me inscio ac ne optante quidem hanc rem fuisse transactam, ita ab initio in animum induxi, inuidiam potius tacendo leuare, quàm excusationes quærere nimis solicitas. Priusquàm vrbem vn-

quam ingrederer, nullæ prorsus erant feriæ præter diem dominicum. Quæ apud vos celebrantur, eodem plebiscito acceptæ sunt, quo ego & Farellus fuimus expulsi: idque improborum violentia tumultuosè extortum magis fuit, quàm legitimo ordine decretum. Ex quo sum reuocatus hoc temperamentum quæsiui, vt Christi natalis celebraretur vestro more: aliis autem diebus extraordinariæ supplicationes tabernis manè clausis, fierent: à prandio ad suas operas aut res agendas quisque rediret. Erāt tamen interea prefracti quidam, qui præpostera quadam malitia à communi more dissiderent. Et varietas cùm in Ecclesia ritè composita tolerabilis non foret, atque etiam apud exteros suspitionem gigneret, non bene ciuibus inter se conuenire, Senatum hortatus sum, vt cōmodo remedio in posterum hoc dissidium tolleretur. Verùm simul illa, quam hactenus coluerant, moderatio disertis verbis ac nominatim à me laudata est. Aliquantò pòst tanquam nouus aliquis hospes, de abrogatione audiui. Atque vtinam N. olim minus ambitiosè egisset. Nam in hac tota prouincia aboliti fuerant dies festi. Quatuor isti, vt postliminio redirent, ille non minus pertinaciter contendit aduersus omnes Gallicæ linguæ Pastores, quàm si de Ecclesiæ salute ageretur. Dixisses Victorem aduersus Orientales pro suo Paschate dimicare. Cùm olim ex ipso scisciteretur quo iure Circūcisio plus haberet honoris quàm mors Christi, obmutescere coactus est. Sed præterita omittamus. Mihi satis fuit breuiter indicasse, vnde hæc tam repentina apud nos mutatio. Ego tametsi neque suasor neque impulsor fui, sic tamen accidisse non molestè fero. Quòd si statum nostræ Ecclesiæ æquè cōpertum haberes, non dubitares meo iudicio subscribere. Hoc tamē testatum esse volo, si mihi delata optio fuisset, quod nunc constitutum est non fuisse pro sententia dicturum. Nec tamen est cur homines adeò exasperentur, si libertate nostra vt Ecclesiæ ædificatio postulat, vtimur: quemadmodum nec vicissim præiudicio esse morem nostrum æquum est. Vale eximie vir ac frater mihi ex animo colēde. Saluta quæso meis verbis collegas tuos & D. Nicolaum Zer. Fratres mei te & illos plurimùm salutant. Dominus vos Spiritu suo regat, tueatur, in omnibus benedicat, Amen. Genevæ IIII. nonas Ianuar. M. D. L I.

CAL. MINISTRO BVRENSI S. D.

QVòd friuolis illis sermonibus de abrogato apud nos die Dominico fidē non habueris, prudēter abs te factū est. Nā eiusmodi fabularū portentis sua absurditas fidē omnē derogat. Quòd autē fiducia nostræ modestiæ fretus grauiter repulisti calumniā quæ nobis inurebatur, in eo amici & fratris officiū nobis præstitisti. Nā certè plusquàm insanus essem, si inepta hæc & friuola nouitate turbarē bonos, improbos armarem, omnium me exponerē ludibrio. Et quid de me loquor: Hominē hīc ex turba nullum esse adeò importunū arbitror, qui hoc vnquā somniauerit. Ego tamen iā lōgo vsu cōtemnere rumores istos didici, vel saltem æquiore animo ferre: q̄ mihi hactenus propemodū fatale fuit, putidis his calumniis quotidie onerari. Fortassis res vna fabulæ materiā præbuit q̄ festus dies, qui Christi natali dicatus erat, in proximū diē Dominicū trāslatus est. Recténe an secus, nō meum est pronuntiare. Ac per me licet, vt liberè, tuo id iudicio improbes. Quādo enim factū est me nec auctore, nec cōscio, mihi imputari nō debet. Miraberis, nostros, incōsultis Pastoribus, receptum in Ecclesia ordinē ita subitò mutasse. Verùm id quoq; inaduertentia potius q̄ peruicacia accidit. Antequàm vrbē hanc primo aduētu ingressus essem, abrogati erāt dies festi omnes, præter Dominicū. Farello & Vireto hoc vtile visum fuerat. Ego receptæ cōsuetudini libēter acquieui. Eandē quoq; rationē noua hęc Bernatiū prouincia secuta initio fuerat. Surrexit N. nec minus tumultuosè pro diebus festis, q̄ olim Victor Romanus pro suo Paschate pugnauit. Ex quo autē fuimus expulsi, quatuor festi dies cum aliis quibusdā ritibus instituti sunt. Reuersus, cùm momēto possem quidquid me absente actum erat, magnę partis applausu cōuellere, placidè quieui: nisi q̄ dissimulare non poterā, prępostere celebrari Christi circunciſionē, præterito mortis die: id inscitè ac perperā ab indoctis hominibus fabricatum esse. Iam q̄ diē conceptionis Christi sub Marię nomine plebs colebat, acriter in eā superstitionem quotannis inuectus sum. Galli enim sua lingua festū nostræ Dominæ in Martio appellant. Ac proinde dies illi sacer esse vulgò creditur. Sic tamen mihi temperaui, vt compescerem exaduersō, qui dies illos prorsus tollendos clamitabant, Nam qui inter principia nomen Euangelio dederant, adeò ægrè tulerant nouationem posteà inductam, vt mihi interdùm non pepercerint, quòd nimis tepidus videbar. Quinetiam ad gladios semel ventū est. Cùm vtrinq; immodicus cōtentionum feruor præualeret, media ratio nobis placuerat, vt manè clausis tabernis feriæ agerētur, à prandio cōferrent se ad operas ordinarias.

dinarias. Id ante annos nouẽ ſtatutũ fuit: neq; tamẽ hoc modo ſedata fuerunt certamina. Varietas enim in clauſis vel apertis tabernis turpe diſſidium prodebat. Cùm nec finis nec remediũ inueniretur, anno proximè elapſo veni in curiã: rogaui Senatũ vt modum aliquẽ pro ſua prudentia excogitaret, quo populus in meliore conſenſu retineretur. De abrogatione nominatim locutus non ſum. Quin potius laudaui, q̃ hactenus fouendæ pacis ſtudio, ſe ad Bernatiũ morẽ accõmodaſſent. Cùm plebiſcito audiui abrogatos eſſe dies illos, adeò res erat inexpectata, vt propemodũ obſtupuerim. Certè ſi ſententiã rogatus eſſem, nihil aliud dico, niſi q̃ vix auſus eſſem ita ſtatuere. Vides in toto hiſtorię cõtextu, nihil fuiſſe recens inductũ: ſed Eccleſiæ cõſuetudinẽ, quæ malo exẽplo euerſa fuerat, reuocatã: & tamen id præter opinionẽ meã accidiſſe. Nec verò hæc ſola fuit Eccleſia, quę nullas, præterquàm diei ſeptimæ ferias retinuerit. Argentorati enim idem olim inſtitutũ erat. Ego adueniens ordinem bene cõpoſitum turbare non debui. Quòd nunc etiã quaſi poſtliminio reuocatus eſt, mihi non videtur eſſe tanta offenſionis cauſa. Si quid tamen culpæ eſſet, iniquè faciunt, qui me ſubiiciunt alieni facti reum. Vale.

BVLLINGERVS CALVINO S. D.

VIx meas illas occluſeram, tradendáſq; Italo illi Cremonẽſi curauerã, cùm tuæ mihi per hũc tabellionẽ redduntur, Caluine colẽdiſ. frater, & quidẽ expectatæ & gratiſſimæ. Nõ aliud expectauerã de te, mi frater, reſpõſum, quàm quod exhibes. Scio enim in huiuſmodi rebus parũ pietatẽ promouẽtibus, multũ autẽ inuidiæ cõflantibus, te nunquã fuiſſe moroſũ. Ego quidẽ in his eã libertatẽ ſeruari cupio, quã video apud Eccleſias viguiſſe ab ipſis Apoſtolorũ tẽporibus. Noſtra Eccleſia ante annos, ni fallor, XII. plura habuit feſta: ſed abrogatis his ſolũ retinuit diẽ Dominicã, & feſta Chriſti, Natiuitatis videlicet, Circũciſionis & Aſcẽſionis D. Adiecit & miſſionẽ Spũs S. ſuperiorib. propter celebrationẽ Cœnæ D. Abrogauit aũt feſta alia, q̃ vicini interpretarẽtur nos ferias agere diuis. Ergo vt palã profiteremur nos nõ colere diuos cultu ſoli Deo debito, oĩa in vniuerſũ abrogauim⁹. Multa quidẽ erat altercatio in innouationis initio, modò aũt ſumma eſt inter nos trãquillitas. Certũ eſt. D. Bucerũ migraſſe ad D. in Anglia & D. Hopperũ epiſcopatui ſuo reſtitutũ eſſe, qua de re tibi dudũ ſcripſi, ſi literæ tibi ſunt redditæ. Addo his aliud non lætum nuntium D. Vadianum noſtrum exceſſiſſe 6. April. magno cum mœrore totius vrbis & Eccleſiæ Sangall. Seruamur nos, mi frater, ſæuiori certamini, cui ſi nos D. immiſcuerit, certò non deſeret. Ipſe vires cõferat, vt ipſum & cõfeſſione doctrináque & in corpore noſtro ſemper glorificemus. Si quando dabitur occaſio, ſcribe obſecro. Nam nihil mihi tuis eſt gratius literis. Vale æternum cum Gallaſio & omnibus fratribus. Tiguri XXIX. Auguſt. M. D. LI.

VIRETVS CALVINO S. D.

COgnoſces ex Farelli literis quid egerit, quomodo ſit except⁹ & quid à nobis requirat, quid itẽ velit ad te ſcribi ſuo noĩe. Non dubito quin tibi ſępe illud veniat reſpõſum D. in mentẽ, quod fecit Paulo deprecãti illũ carnis ſtimulũ quo aſſiduè & tã acerbè pũgebatur. Noſti quas ob cauſas D. ſeruis ſuis aduerſa immittat, & quã in partẽ Paulus interpretetur. Nõ vos tot artib. & tã malis ac toties Satanas impeteret, niſi hoc veſtrũ propugnaculũ quod habet apud vos Chriſti Eccleſia, ſibi admodũ ſentiret aduerſariũ & ſuo regno inimicũ. Sit igitur vobis hic eius inſult⁹ tanq̃ Sacramentũ, quò magis atq; magis cõfirmemini in S. hoc certamine ad quod eſtis vocati. Si ex mũdo eſſetis vos mundus diligeret, vobis faueret. Certiſs. igitur notæ vobis eſſe debẽt ſãctæ veſtrę vocationis impiorũ praua ſtudia, quib. alij clã alij palã ſãctis veſtris conatib. reſiſtũt, & pia ſtudia remorari conãtur. Memẽto eius fiduciæ qua ſeſe Dauid erigebat aduerſus Goliath pugnaturus, memor victorię illius quam ex dilaniato à ſe vrſo & leone reportarat. Qui te hactenus cũ tuis fratrib. inuictum ſeruauit, perficiet opus q̃ cœpit in vobis. Impij proficiẽt in peius, quãdiu volet D. Sed interea eorũ interit⁹ nec dormitat, nec cũctatur. Nõ videt cęci iudicia D. tã illuſtria quorũ fulgor omnib. perſtringit oculos. Atq; eò teſtãtur ſe eſſe deploratiores, & à Deo magis alienos. Oportet eſſe ſectas, vt qui probati ſunt, fiãt manifeſti. Oportet iam re ipſa experiri, ſintne cœtus electorum & reproborum, quando Dei veritati hoc credere nolunt tam apertè docenti. Soliciti expectamus exitum huius turbationis. Scripſiſti nuper te nolle ſcribere quid facturus eſſes, ſi noſtro eſſes loco. Scribe. Nã crede mihi ſi quod facturus eſſes, cũ à nobis fiet, gloriam Dei promouere poteſt, nullo noſtro deerimus muneri. Hoc tamen nos malè habet, quod nondum ſatis proſpicere potuimus, quid magis in rẽ Eccleſiæ futurum eſſet. Vale. Collega te ſalutat. Lauſannæ XXIIII. Decembr. M. D. LI.

MINISTRIS HELVETICIS FRATRIBVS ET symmystis plurimùm obseruandis S.

EST hîc Hieronymus quidam, qui abiecta monachi Cuculla, vnus ex Circunforaneis medicis factus est, qui fallendo, & frustrando tantum sibi impudentiæ acquirunt, vt ad quiduis audendũ prompti sint, ac parati. Is iã ante octo menses in publico Ecclesiæ nostræ cœtu doctrinã de gratuita Dei electione, quam ex verbo Dei acceptã vobiscum docemus, labefactare conatus est. Ac tunc quidem qua fieri potuit moderatione sedata fuit hominis proteruia. Postea non destitit locis omnibus obstrepere, vt simplicibus hoc fidei caput excuteret. Tandẽ virus suũ nuper aperto gutture euomuit. Nã cùm pro more nostro vnus è fratrib⁹ illũ Ioannis locũ exponeret, vbi pronuntiat Christus ex Deo nõ esse, qui verba Dei non audiunt, dixissétque, quotquot Spiritu Dei renati nõ sunt, peruicaciter vsq; in finẽ Deo resistere: quia peculiare sit obedientiæ Donũ, quo Deus suos electos dignatur. Surrexit nebulo ille, ac dixit falsam & impiã opinionẽ, cuius auctor fuit Laurẽtius Valla, nostro sęculo exortã esse: quod Dei voluntas rerum omnium sit causa. Hoc autẽ modo peccata, & malorũ omnium culpã in Deum transcribi, & illi affingi tyrannicam libidinẽ, qualem Poetæ veteres in suo Ioue cõmenti sunt. Postea ad alterum caput descendit, non ideo salutem consequi homines, quia electi sint, sed ideo eligi, quia credant: nec reprobari quẽquam nudo Dei placito, sed eos tantùm, qui se communi electione priuant. In hac quæstione agitanda multis, & atrocibus cõuitiis in nos inuectus est. Præfectus vrbis re audita eum duxit in carcerem, præsertim quia tumultuosè plebem hortatus fuerat, ne se decipi à nobis sineret. Nunc ad Senatum delata est causæ cognitio. vbi errorem suum non minori obstinatione quã audacia tueri perrexit. Interea cùm iactaret se in aliis Ecclesiis complures habere à sua parte ministros, postulauimus à Senatu nostro, ne prius de tota summa pronuntiaret, quã habito Ecclesiæ vestræ respõso, cognosceret nebulonẽ illum improbè suffragij vestri titulo abuti. Ille initio pudore victus Ecclesiarum iudicia non abnuere, sed cauillari vos meritò propter familiarem cum fratre nostro Caluino vsum videri suspectos. Senatus tamẽ sicuti à nobis rogatus erat, vos censuit consulendos. Huc quoque accessit, quòd vestram Ecclesiã implicabat. Zuinglium enim præ aliis omnibus damnãs, Bullingerũ eiusdem secũ esse sentẽtię mentiebatur. In Ministris etiã agri Bernẽsis astutè dissidij ansam captauit. Nos verò sic Ecclesiam nostrã cupim⁹ hac peste purgari, ne inde fugata vicinis noceat. Tametsi autẽ nostra, & publicæ trãquillitatis magnopere interest, quã profitemur doctrinam, vestro consensu approbari: non est tamen, quòd fidẽ vestrã multis verbis imploremus. Non ignota est vobis fratris nostri Caluini Institutio, quã hic pręcipuè suscipit oppugnãdã. Quàm reuerenter, ac sobriè illic de arcanis Dei iudiciis disserat, prædicare nihil attinet: quia satis luculentus per se testis est liber. Nec verò quidquã hîc docemus, nisi quod sacro Dei verbo proditum, in Ecclesia vestra iam inde à restituta Euangelij luce obtinuit. Satis conuenit, fide nos iustificari: sed in eo apparet solida Dei misericordia, cùm fidẽ intelligimus gratuitę adoptionis esse fructũ. Adoptionẽ verò ex æterna Dei electione fluere. Hic autẽ impostor cùm electionẽ ex fide pendere fingit, tum fidem ipsam nõ minus ex proprio motu hominis, quã ex cœlesti inspiratione oriri. Rursum extra cõtrouersiam est, q; pereunt homines, ipsorũ malitię imputandũ esse. Sed in reprobis, quos Deus arcano suo cõsilio tãquã indignos præterit, ac deserit, illustre se profert humilitatis documẽtum. Hieronymus autẽ iste nihil iustè à Deo fieri concedit, nisi cuius ratio posita iaceat sub oculis. Hoc denique inter nos fixum est, ac cõcessum: Deum in hominum peccatis culpæ sociũ adscribi fas nõ esse: nec vllo modo in eũ cõpetere peccati nomẽ. Id tamẽ nõ obstat, quò minus miro quodam, & incõprehensibi iudicio per Satanã, & reprobos tanquã iræ suæ organa manus suæ potentiã exercẽs, nunc fideles ad patientiã erudiat, nũc hostibus suis pœnas infligat quales merẽtur. Hic profanus nugator Deũ reatu inuolui clamitat, cùm eius prouidẽtiam rerum omniũ arbitrã facimus. Deniq; omne discrimẽ inter causã remotã & absconditã, & propinquas tollẽs, erũnas sancto Iob impositas Dei opus cẽseri nõ patitur, quin pariter eũ dabolo, & Caldęis, & Sabæis latronib⁹ reus fiat. Proinde quod mutua inter nos cõiunctio postulat, vestra subscriptione Christi doctrinã sacrilegiis proterui, & male feriati hominis grauatã leuare, & asserere ne grauemini. Quòd quia vos vltrò, & libẽter facturos cõfidim⁹, anxiis vel accuratis precibus vobiscũ agere superuacuum est. Nos vicissim ficubi vsui erit vobis nostra opera, ad fraternũ omne officiũ semper paratos habebitis. Valete charissimi, & obseruandi fratres. Dominus vos Spiritu suo regat, labores vestres benedicat, & Ecclesiam vestram tueatur. Geneuæ.

CAL-

CALVINVS MINISTRIS BASILIENSIBVS S. D.

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo charissimi & plurimum fratres honorandi.

TSi responsum de quæstione vobis proposita dedistis minus plenum ac liquidum quàm res fortè postulabat, certè quàm spes votáq; nostra ferebant: vestrum tamen cãdorem iuuandíque studium gratis animis amplexi sumus. Cæterũ nihil illic nisi piũ & orthodoxũ cõtineri sentimus. Vtinã talis cõfessio impetrari à Bolseco potuisset. Nulla enim causa fuisset exhibendæ vobis molestiæ. Sed quod de ipso testati sumus, plusquàm ferreę esse frõtis hominem, veriũ esse cõprobat, cùm se vestro iudicio subscribere mẽtitur. Nec verò eũ puduit corã Senatu nostro idẽ iactare. Sed valida refutatione quæ in prõptu erat, cõfusus, tandẽ obmutuit. Porrò an quidquã vestræ doctrinę affine habeat, nõ est difficile iudiciũ. Literis nostris ac testimonio ne ha beatur fides: descriptas ex actis publicis eius respõsiones Senatus noster vobis misit, in quibus reperietis ad verbum fidem ab electione non pendère: item electionem esse ex fide: item neminem in sua cæcitate manere ob naturæ corruptionem: quia ritè à Deo illuminantur omnes: Deum verò contumelia affici, si quis dicat deseri aliquos in sua cæcitate à Deo: quoniam illi sic visum est. Item trahi à Deo rationales omnes creaturas: nec quenquam ab initio deseri, sed qui sæpius Deo reluctatus est. Item ex lapideo corde fieri cor carneum, nihil esse aliud quàm dari cor intelligentiæ capax. Hanc verò gratiam generalem esse: item non esse hos potius quàm illos ad salutem prædestinatos. Cùm illi ex primo ad Ephesios capite obiectus esset locus, pro desperata sua impudentia respondit, non illic de communi piorum salute tractari: sed quòd Paulus cum suis collegis in munus Apostolicum electus foret. Cùm rursum à nobis exceptum esset, solos igitur Apostolos adoptionis gratuitæ esse compotes, solos Deo reconciliatos esse, solos remissione peccatorum donatos, adeo non motus est, vt canino risu fulmina illa exciperet. Conferte hæc delyria cum vestro iudicio: quid magis dissentaneum? Absit ergo vt vos impiis eius erroribus dicamus suffragari: à quibus vos esse alienissimos epistola vestra disertè clamat. Imò cùm tentaret impostor vos sibi implicare, detecta eius fraude proteruiam strenuè compescuimus. Cuius rei Senatum nostrum habemus locupletissimum testem. Et cùm in exilium actus est, publicè ex solenni more pronũtiatum ex scripto fuit, iudicia Ecclesiarum, quibus staturum se receperat, contumaciter spreuisse. Scribat Fallesius hominẽ esse non malum, & ingratiã ignoti nebulonis famã suam ludibrio prostituat. Breui maiore quàm vellemus Ecclesiæ damno cõstabit, quàm noxia fuerit pestis. Nam alia quoq; errorum monstra alere multi sunt idonei testes. Et nunc cùm fidem vestrã apertè oppugnet, fallaci cõsensus simulatione, à vobis literas elicere conatus est, quarum prætextu apud rudes & simplices abuteretur. Vos autem & amicè erga nos, vt fratres decebat, quòd responsum distulistis, vsque dum facti essetis de tota re certiores: atque vt vestra prudẽtia dignum erat, scitè & rectè quod impij & perfidi nebulonis astutia vos circumueniri passi non estis. Vt vestra moderatio non vulgari laude digna est: ita vos eius fructum sensuros speramus. Pro ista, qua erga nos vsi estis humanitate, nõ vulgares habemus gratias. Valete eximij viri, & fratres nobis ex animo colendi. Dominus vos cum Ecclesia vestra cõseruet ac benedicat. Mense Ianuario M. D. LII.

Eph. 1. 3. & deinceps.

CALVINVS CHRISTOPHORO LIBERTETO S. D.

TV verò, mi Christophore lõgè falleris, si æternũ Dei consiliũ ita posse discerpi putas, vt quosdam elegerit in salutem, neminẽ exitio destinarit. Nam si aliquos elegit, sequitur certè non omnes esse electos. Porrò quid de his dicendum erit, nisi eos sibi relinqui vt pereant? Mutua igitur inter reprobos & electos relatio sit oportet. Verbo quidẽ fatetur Hieronymus Bolsecus, certum aliquem numerum à Deo electũ esse, sed cũ propius vrgetur, ad vniuersos homines delabi ipsum necesse est. Dicit enim palã ex æquo gratiã omnib⁹ offerri, quæ ad salutẽ sit illis efficax: q; alij recipiunt, alij respuunt, discrimen in libero eorũ arbitrio esse, qui Deũ vocantem motu proprio sequũtur. Neq; enim dissimulat sic libero arbitrio prędito esse

omnes, vt in medio omnibus posita sit obtinendæ salutis facultas. Hoc modo totã prædestinationem ab ipsa radice conuelli vides: statui liberum arbitrium, quod salutem aliqua ex parte nobis acquirat. Atque hoc plus quàm ridiculũ est, quòd Hieronymus liberum arbitrium confessus, à meriti voce abhorret. Quisquis enim ideo censetur in Dei Filiis, quia oblatæ sibi adoptionis gratiæ se aptauit, quomodo merito spoliandus est? Hunc sibi sensum, vel potius hoc se delirio implicitum teneri, iam satis prius ostenderat: sed nuper rursus ad nos venit. In cœtum nostrum vocatus, cauillando nihil profecit, quin eum ex suis latebris in lucem protraherem. Præter quindecim verbi Ministros aderant & alij testes idonei. Norunt omnes, si vel vnam pudoris guttam habuisset, potuisse statim ad sanam mentẽ reuerti. Sed initio puerilibus cauillis ludebat: sed tertio verbo cùm premeretur, frontem penitus abiecit. Subinde enim, quod bis & ter concesserat, negare: quod negauerat, rursus cõcedere: vacillare à suis principijs, interdum etiã excidere: sine fine & modo in eosdem reuolui circuitus. Nec fieri aliter potuit. Nisi enim tractos à patre fuisse, qui ad Christum veniunt, fatemur, & hoc peculiare esse Spiritus sancti opus in electis, vel omnes promiscuè electos esse constat, vel causam electionis in cuiusque merito sitam esse. Si reprobationis exordium in secunda hominis contumacia statuitur, sequitur nihil apud Deum esse constituti, sed suspensum esse eius consilium, quid de singulis acturus sit. Fatetur Hieronymus natura omnes prauos esse, gratiam Dei omnibus offerri, quæ ingenitã à natura prauitatem corrigat. Quosdam fingit liberi arbitrij sui motu correctionẽ admittere, vt sit efficax: alios, quibus idẽ liberum esset, respuendo bis fieri cõtumaces: inde fictitiã reprobationẽ elicit. Ita æternũ Dei consiliũ subiici hominũ arbitrio, quis nõ videt? Et tu elegantiam nescio quam in tanta insulsitate videre te putas? Atqui, si quid in diuinis intelligo, hoc multò ineptius ac crassius cõmentum est, quàm Papistarum fuit. Iam si fructus electionis est, bona & recta in homine voluntas, reprobos sequitur toto cordis affectu
Rom. 9. 16. ad malum ferri. Nec verò Paulus, cum volentis esse negat, aliquam tribuit reprobis voluntatem, quæ per se sit irrita: quin potius ex Dei misericordia fluere docet, quòd bene velle & rectè currere incipiant, qui prius erant ab omni rectitudine auersi. Desinant ergo fontẽ & primam causam discretionis inter electos & reprobos in humano arbitrio locare, si quem electioni Dei locum relinquere volunt.

CALVINVS N. S. D.

Itius eram scripturus, nisi me spes aduentus tui quàm literæ tuæ fecerant, hactenus tenuisset. Nunc longior mora vel mutatum abs te consilium esse arguit, vel aliquid quod profectioni tuæ obstiterit, accidisse. Atque hoc quidem posterius mallem, modò ne quid triste sit & aduersum: deinde non nisi ad breue tempus te impedias. Verùm quod nollem propè suspicari cogor, non eundem qui tunc fuit, hodie tibi manere animum. Equidem hîc falli cupio: etsi ita est, errorem meum extemplò refellere in tua potestate est: quod vt facias vehementer rogo. Si tibi factam à me iniuriam queraris, ego libenter culpam deprecabor: aut si rigidior fueris, pœnam quam statues luere non abnuam. Solùm aduentu tuo quæ nos adhuc suspensos tenet, dubitationem exime. Nec verò me fugit quàm multa istic quotidie dici soleant ad turbandum quod cœperas consilium: quàm multa etiam tibi vltro venire in mentem potuerint. Verùm si meo consilio, aut saltem precibus obtemperas, duo abs te impetrare velim, ne te vanorum hominum blanditiis lactãdum prebeas, sed potius in te descendens conscientiam intus propriam roges quidnam factu sit opus. Deinde ne alium tibi iudicẽ vel arbitrũ statuas, quã Deũ ipsum. Video enim quas sibi delitias faciãt permulti, ac præsertim ordinis tui homines. Quanquã autem ex eorũ numero te esse non arbitror, qui suis delitiis inebriati securè sibi indulgẽt: non videtur tamẽ superuacua monitio, ne fortè per incuriã obrepat torpor, vt acrius tibi & seuerius instes. Quòd nuper multorũ animi spe nescio qua erecti sunt, vtinam firma esset ratio! Si quos iuuat multa sibi de nihilo promittere, voluntario eorũ errori non inuideo. Tibi verò denuntio, nisi spõte falli vis, non esse cur ista temere passim concepta opinio te moretur. Iam si migrandi tempus nondũ esse maturũ putas: saltẽ mẽsem vnũ quo nos inuisas, furari licet. Certè præstat semel coràm in sermonẽ venire, quàm agitare per literas, de quib' vix vnquã probè disceptabitur, donec in rẽ præsentem ventũ fuerit. Simul tamẽ memineris, si alimẽtis maturè

prospicitur,

prospicitur,& damni infecti cautio moram nullam admittit,minus esse in hac causa procrastinandum. Vale eximie vir & mihi plurimùm honorande. Dominus tibi semper adsit, Spiritu prudentiæ & fortitudinis te gubernet, gressus tuos regat in gloriam nominis sui,Amen. VIII.Calend.Augusti. M. D. LIII.

CAL. FARELLO S. D.

QVm his mensibus assiduo concionum onere supramodum grauatus fueris: iam tempus esse arbitror,vt tibi aliquantulum quietis indulgeas. Frater noster Christophorus interea se paulatim colliget. Neque enim salubre foret, tam citò à morbo longã profectionem suscipere. Ergo si cõsilio meo obtemperas,breui nos inuises.Si videbitur,in itinere comitẽ assumes Viretum. Nisi facturum te confiderem quòd suadeo, haberes à me longiores literas. Etsi in rebus nostris nihil est quod te exhilaret. Qua etiam ratione à scribendo impedior, ne bis tibi sim molestus.Caue tamen ne miseros fugias. Vale integerrimè frater & præstantissimè Christi serue.Dominus tibi perpetuò adsit,te gubernet,labores tuos benedicat.Collegam,fratres,amicos & familiam saluta.Geneuæ X. Iulij, M. D. LII.

Io.Caluinus tuus.

MELANCHTON CALVINO S. D.

REuerende vir,& charissime frater, sæpe ad te scriberem, si tabellarios certos haberem. Colloqui etiam mallem de rebus grauissimis multis: quia & iudicium tuum magni facio: & scio integritatem animi, & candorem in te summum esse.Nunc ita viuo ὥσπερ ὄνος ἐν σφηκίαις. Sed fortassis ex hac mortali vita ad collegium in cœlo candidius breui accedam. Audio Franciscum Dryandrum hac æstate apud te fuisse. Mihi,si viuam noua exilia expectanda sunt. Quare si cædendum erit ex his locis,colloqui tecũ decreui. Studia doctrinarũ in his regionibus mediocria fuerunt. Nunc lue, & bellis impediuntur. Ac sæpe gemens deploro causas horũ furorũ in gubernatoribus.Oro etiam Filiũ Dei, vt has calamitates leniat, & auferat causas. Si voles mihi sæpius scribere,poteris literas Francisco Dryandro mittere. In pagella, quã incluſi breuiter scripsi historica huius Autumni.Bene vale. Calend.Octob. M. D. LII. Iam respondeo ad Gorgonem Osiandri. In Pannonia Turcici Bassæ tres sunt qui habẽt duos exercitus & recens occuparunt quædam oppida insignia,& trucidauerunt exercitum Regis Ferdinandi. Nunc profectus est in Austriã Dux Saxoniæ Mauricius,vt ducat exercitum contra Turcos.Interea Marchio Albertus vastata vicinia circa Noribergam,& vexata Frãcfordia,diripit oppida in diœcesibus Moguntina & Treuirensi. Gallici Regis exercitus accessit ad Leodiensem diœcesim. Imperator Carolus Spiræ exercitũ colligit, vt Gallicum Regem & Marchionem reprimat. In Saxonia filius Comitis Alberti Mansfeldensis colligit exercitum circa Bremam, & nunc ad hæc loca nobis vicina accedit,recuperaturus suam patriam,& turbaturus totam regionem. Ita sunt in Germania passim vastationes. Ecclesiæ sunt in luctu & mœrore: & doctrinarum studia conticescũt.Crescit robur seditiosè clamantium de libertate. Vobis tranquillitatem gratulor,& Deum oro,vt nobis quoque nostras miserias leniat.

Philippus.

CALVINVS MELANCHTONI S. D.

LIteris tuis quas altero postquam datæ fuerant, mense accepi, nihil potuit accidere hoc tempore gratius.Nam ad ingentes molestias, quibus satis duriter conficior,nullus ferè est dies quo non aliquid noui doloris, vel curæ accedat. Itaque sub qua premor malorum congerie breui tabescerem, nisi eorum acerbitatem Dominus suis remediis leniret: in quibus hoc mihi non leue fuit,quòd & te mediocriter valere cognoui, vt saltem fert ætas, & tenera corpusculi tui valetudo:& de amore in me tuo nihil prorsus esse mutatũ,ipsis literis factus sũ certior. Relatum mihi fuerat,sic te mea quadam nimis libera admonitione,quæ tamen longè aliter afficere te debuerat,fuisse offensum, vt epistolam coram aliquot testibus conscinderes.Etsi autem parum credibilis erat nuncius,ex quo tamen longo temporis successu va-

riis signis confirmatus est, aliquid tandem suspicari coactus sum. Quò nunc libentius cognoui, saluam adhuc inter nos manere coniunctionẽ: quam certè, vt ex concordi pietatis affectu coaluit, sanctã perpetuò, & inuiolabilẽ esse decet. Quũ autem magnopere nostra interfit, quã Deus nominis sui auspicijs sacrauit amicitiã, bona fide, constãtérq; ad extremũ colere: totius etiam Ecclesiæ magna hîc agitur vel vtilitas, vel iactura. Vides enim quã multorum in nos coniecti sint oculi: vt improbi maledicẽdi ansam ex dissidiis nostris captẽt: vt obscuris tantùm simultatibus infirmi turbentur. Nec verò parui refert ne qua ad posteros exeat vllius inter nos exortæ discordiæ suspicio. Plusquam enim absurdum est, postquam discessionẽ à toto mundo facere coacti sumus, inter ipsa principia alios ab aliis dissilire. Porrò etsi me procul abs te distare agnosco, libentérq; fateor: quia tamen non ignoro, in quem theatri sui gradum me Deus extulerit: non est cur dissimulẽ, sine magna Ecclesiæ iniuria non posse amicitiam nostrã violari. Atque vt nulla sit nobis aliorum ratio: ex tuo ipsius sensu æstima, quàm mihi acerbum foret, ab eo homine alienari, quem & vnicè amo, ac reuereor, & Deus vt toti suæ Ecclesiæ conspicuũ redderet, non modò singularibus donis magnificè ornauit, sed adhibuit ad res summas gerẽdas primarium ministrũ. Et certè mirus hic ac prodigiosus est stupor, q; inter nos tam facilè cõtemnitur sacer ille cõsensus, quo cœlestes Angelos referre in mundo decebat. Interea non desinit Satan discordiarũ semina passim spargere: & fit nostra socordia, vt multam materiam coaceruet. Tandem excitandis ignibus reperit sua flabella. Referam quid nobis in hac Ecclesia, summo piorum omnium cruciatu acciderit. Ac iam annus integer elapsus est, ex quo inter has pugnas iactamur. Quidam nebulones, quum nobis de gratuita Dei electione, & misera humani arbitrij seruitute litem mouerent, & publicè tumultuarentur, nihil ad nos grauandos habuerunt magis plausibile nominis tui prætextu. Quum experti essent, quàm nobis promptum esset, quæcunque ingerebant commenta refellere, hoc scilicet artificio nos obruere tentabant, nisi vellemus palàm abs te discedere. Et ea quidem seruata fuit à nobis moderatio, vt minimè extorserint, quod astutè captabant. Professi ergo sumus ego, & collegæ omnes mei, eundem, quò tendis, in doctrina scopum nobis esse propositum. Nec verbum in tota disceptatione excidit, vel in te minus honorificum quàm par erat, vel quod tibi fidem detraheret. Nec tamen fieri potest, quin me interea vehementer vrat tacita ista cogitatio: improbis post mortem nostram, vexandæ Ecclesiæ occasionem, quoties libuerit, relinqui, dum pugnantes eorum sententias in certamen committent, quos velut vno ore, vnum idémque loqui decuerat. Quòd se Osiander nobis subduxit, imò non sine violento impetu se proripuit, nõ mirum, nec tantopere dolendum. Tu enim expertus pridem es, ex eo esse ferarum genere, quæ nunquam cicurantur: & ego semper inter nostra dedecora eum numeraui. Quo certè die mihi primùm visus est, profanum hominis ingenium, & fœdos mores sum detestatus. Quoties suaue, ac generosum vinum laudare vellet, has in ore habebat voces, Ego sum qui sum: Item, hic est Filius Dei viui: quæ manifesta Dei ludibria proderent. Quò magis sæpe miratus sum vestra omnium indulgentia talem belluam foueri. Præcipuè verò, quum locum in præfatione quadam tua legerem (vbi post Wormaciense insaniæ specimen plusquam liberaliter abs te laudatur) obstupui. Sed faceſſat ille, quem alienissimum à nobis esse expedit. Quosdam alios retentos mallem. Vt tamen hos quoque omittã: me non leuiter pungit, quæ in nostra docendi ratione nimis palàm conspicitur repugnantia. Equidem non ignoro, si quid detur hominum auctoritati, longè æquius esse, vt tibi subscribam, quàm vt tu in sententiam meam descendas. Verùm id non agitur: neque etiam à piis Christi ministris optandum est. Hoc scilicet quæri vtrinque decet, vt consentiamus in puram Dei veritatem. Me autem, vt ingenuè fatear, religio impedit, ne tibi in hac doctrinæ parte accedã: quòd nimis philosophicè de libero arbitrio disputare videris: in electione tractanda nihil aliud habere propositum, nisi vt te ad communem hominum sensum accommodes. Neque enim hallucinationi tribui hoc potest, quòd homo acutus, & prudens, & in Scriptura probè exercitatus, electionem Dei cum promissionibus confundis, quæ sunt vniuersæ. Nihil enim magis notum est, quàm verbi prædicationem omnibus promiscuè esse communem, sed fidei Spiritum solis electis singulari priuilegio donari. Vniuersæ sunt promissiones. Quî fit igitur vt non peræquè apud omnes vigeat earum efficacia? Nempe quia non omnibus brachium suum Deus patefacit. Nec verò apud homines mediocriter in Scriptura versatos ea res disputatione indiget: cùm pariter omnibus Christi gratiã offerant promissiones: & externa voce inuitet Deus

quoslibet

quoslibet in salutem : peculiare esse fidei donum. Et mihi videor totam hanc quæstionem,quanuis impedita sit ac spinosa, proximè edito libello dilucidè explicasse. Cùm res adeò plana sit,te ex animi sensu prorsus diuersum tradere, nemo erit sani iudicij,cui persuadeas.Curam simul & dolorem mihi auget, quòd te video hac in re propemodũ esse tui dissimilem. Audio enim,cùm tibi oblata esset formula nostræ cum Tigurina Ecclesia consensionis, protinus arrepto calamo sententiam vnam, quæ Dei electos à reprobis parcè,& sobriè discernit,abs te fuisse confossam.Quod certè ab ingenij tui man suetudine,vt alia taceam,valde abhorret. Itaque vt meum libellum legere,vel saltem gustare sustineas,non rogo:quia id frustra mihi facturus videor. Vtinam his de rebus coràm aliquãdo colloqui liceret.Notus est mihi tuus candor,perspecta ingenuitas,& moderatio:pietas verò Angelis,& toti mundo testata est. Ergo facilè, vt spero, tota ea res inter nos expediretur. Quare si vnquam se daret opportunitas, nihil magis optarem, quàm ad te accurrere: sin verò contigerit quod times, erit hoc mihi in rebus miseris & luctuosis non leue solatium,videre te prius,& amplecti, quàm ex hoc mundo migrandum sit. Hîc minimè fruimur ea quiete, quam existimas. Intus multũ negotij,molestiarum atque etiam turbarum.In conspectu sunt hostes, à quibus noua subinde pericula ceruicibus nostris imminent. A Burgundia quinque horarum itinere distamus.A ditione Gallica intra vnius horæ spatiũ ad portas nostras venitur. Sed quia nihil beatius est, quàm militare sub Christi vexillo, nõ est cur te ista incommoda à nobis visendis deterreant.Interea gratum officium præstabis,tuum & communem Ecclesiæ statum indicãdo. Vale clarissime vir, & mihi ex animo honorande frater.Dominus te præsidio suo tueatur,spiritu regat,& benedicat sanctos labores tuos. Collegæ mei,& multi pij, cordatique homines te reuerenter salutant. Geneuæ, IIII. Calend. Decemb. M. D. LII.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. FARELLO S. D.

ADicessu vestro rursus in curiam vocatus sum. Neque enim comicus noster Cæsar legationis obeundæ causa antè voluit pedem vrbe mouere, quàm negotium hoc trãsactum esset:quia timebat, ne se absente aliquid grauius decerneretur in cognatum. Non tamẽ vocatus sum per apparitorem, sed venit domum vnus ex senatoribus, qui me deduceret. Illic Balthasar ex more conquestus est de iniuria sibi facta.Respondi quod visum est.Senatus deliberatio nec difficilis,nec longa fuit.Nisi quòd omnes,ac si non iudices, sed voluntarij arbitri sederent, nihil statuere audebant,quod non vtrique parti scirent gratũ fore. Balthasar cum suo patrono semel atque iterum vocatus, ferociter calcitrauit. Tandem visus est, qui sua intemperie omnia turbare solet,illius lasciuiam domare: vel saltẽ sedare nimiũ feruorem:ne cogeretur Senatus in eum esse durior. Etsi autem simulabant ambo,se gratuiter vri ob inustam infamiæ notam,nihil tamen malebant, quàm totam litem placidè componi. Quia nullo modo elabi poterat miser iste, quin pœnam daret eius conuitij, quod ebrius in me effutiuerat,tandem quasi precibus cognati sui victus, staturum se arbitrio Senatus promisit.Multa prætereo,quæ vltrò citróq; agitata sunt. Quia trãsactionem mihi negaui ratam fore,nisi publicis literis testata esset. recitatur ex scripto Senatusconsultum,in hanc formam.Rectè me & ex officio feciss e,quòd illum à sacra Baptismi sponsione depulerim.Nihil esse causæ,cur se læsum queratur, cùm suo merito repulsam illam passus sit.Illi mandari,vt me in posterum reuerenter colat, abstineat ab omni contumacia.Et quia sparsus esset tumor,illum mihi absenti maledixisse, quod sibi nunquam veniss e in mentẽ diceret,locũ illi sui purgandi dari.Hęc autẽ purgationis species palinodia erat,honesto prętextu velata, quò dedecus effugeret. Additũ etiã,Senatum hæc omnia sibi integra seruare:& seuerè vindicaturum,si quando ille insolesceret. Sed quia laqueo se constrictum teneri cernebat,eius veniam extorsit.Cæterùm affinis eius, qui materterã habet vxorẽ,quasi mea facilitate liceret sine modo abuti, de suo addidit, vt ego vicissim pro bono & honesto eum homine haberẽ. Ostẽdi breuiter quàm absurdum & indignum illud foret.Ita sine mora & absque vlla disceptatione,quod perperam addiderat,expungere iussus est.Ego primo illo capite cõtentus,quo magna mihi & Col legis libertas parta est,in reliquis me exorabilem prębui.Nobis enim dabatur,quod sanguine meo redemptum optassem.Nam etsi aliquoties rationibus nostris succubuerant,

nihil tamen adhuc certi pronuntiatum fuerat. Porrò vt sentiret ille quanuis indignus, me salutis ac quietis suæ esse cupidum, consului vt ad veniam deprecandam sponte se consistorio offerret. Facturum promisit, & venit quidem: sed minimè animatus vt decebat. Superbè enim iactauit se nullius culpæ sibi esse conscium, & parum aberat, quin alios impeteret. Ego meo officio defunctus excusaui, quòd paterna indulgentia cum ad bonam frugem reuocare frustra conatus essem. Dimissus est cum tristi responso, excommunicari eum & sodales, donec resipiscerent. Mirabili Dei prouidentia hoc totum gubernatum fuit, quòd priuata venia fretus, in animo habebat paucis pòst diebus infantē mihi afferre, vt maiorem apud rude vulgus inuidiam conflaret, si reiicerem: mihi verò religio fuisset admittere, qui publico Ecclesiæ iudicio damnatus, nondum pœnitētiam suam professus erat. Nunc non facilis modò nobis victoria, sed plausibilis etiam causa erit. Quanquam de exitu, qualem prospicio instare, non admodum mihi gratulor. Ficta enim confessione nos eludet, quæ tamen ipsa ad exemplum proderit. Seniores omnes habemus optimè nobis coniunctos, valde etiam cordatos in asserendo Ecclesiæ iure, & coercenda improborum proteruia. Vnum duntaxat excipio, qui tamen perfidis suis blanditiis neminem hactenus potuit flectere. Perendie hâc transiit filius Iusti Ionæ per equos celeres ad Regem properans, à Comite Manssfeldensi legatus. Nescio quid dicam, nisi quòd iusta Dei vindicta vbiq; mūdus turbatur, qui sub illius obsequio quiescere nō potest. Plura literis non licet cōmittere. Quū Ecclesiæ Saxonicæ facta esset mētio: inter alia narrauit, Melāchtonē malè audire, quòd non magis ingenuè professus sit, sibi nobiscū in causa sacramentaria bene cōuenire. Ipse autē de tota re ita prudēter & scitè disserit, vt nihil in eius sermone futile animaduerterim, cùm tamen satis acriter ad eum obseruandū essem intentus. Nō dubito quin iam audieris me patriæ esse superstitem. Ita vrbē mortuā lugere cogor, quæ superiore anno ob falsum mortis meæ rumorē solennes habuit supplicationes, vt de Christo triūpharet. Vale integerrime frater, & fidelis Christi serue, cuius præsidio te commendo. Geneuæ, IIII. nonas Decemb. M. D. LII.

CALVINVS MERCERO S. D.

PRæfectum vrbis vestræ libēter vidi: tum quòd se hominem pium atq; integrum esse nobis probauit: tum quòd mihi familiariter exposuit vt valeres, & quo in statu res tuæ nunc essent. Fuit hîc circiter dies quindecim. Quanquā autē cupit in patria suam operam Domino impendere, quia tamen munus suum variis difficultatibus implicitū esse videt, quibus se parem fore minimè confidit: testatus est in discessu, placere sibi migrandi consilium. Quantùm ad rationes tuas domesticas spectat, nihil arbitror fore melius, quàm si primo quoq; die laqueos expedias, quibus istic teneris. Frater tibi iniquus est, magísq; pertinax, quàm vt sponte, quod etiam sine eius fraude fieret, substitutionis suæ iure cessurus sit. Tu verò remedij quærendi studio, malū duplicare cogitas. Ne posthac imprudentia te lapsum fuisse queraris, tibi iam denuntio, si vxorem duxeris, nihil fore tua seruitute miserius. Iam vt tibi obsequens, & morigera aliqua contingat, & quæ ad solum vertēdum parata sit, nihildū tamen hac ratione profectū fuerit. Liberi procreandi sunt, qui fratrē à substitutione depellant. Quousq; tandē, obsecro, libertatē tuam differs, ad quā præcipiti ferè cursu properandū erat? deinde, quibus auspiciis nuptias tuas celebrabis? Quo genere cōsecrationis Domino liberos ab ipso tibi datos offeres? qualis erit familię tuæ religio? An nō cernis nouos te laqueos induere, quibus ne strangueleris magnopere timendum est? Imò inexplicabilem labyrinthum te ingredi? Vt nihil sit incommodi præter biennij moram: est tamen ὑποσολοικὸν, tempus ita extrahendo, vacationem interea à Domino petere. Sed ego aliter iudico: te in hoc lutum, vnde nunc emergere conaris, penitus demersum iri, si te semel coniugio inuoluas. Iam quid matre tua fiet, cuius ætas singulis diebus ingraueſcit? Sanè hoc singulare est Dei donum, quòd cùm Dominus illi per te manum porrigat, nihil magis cupit, quàm citò à vinculis liberari. Nunc eam per flexuosas ambages circunducere, neque esset humanum, & à pietate etiam tua magis abhorret. Præterea falleris, si te solutū fore speras, simulac fueris pater. Quis enim cauebit, liberos patri fore superstites? Ergo ne tum quidem libera erit agrorum venditio. Quare nihil melius quàm vt trāsigas quouis modo cum fratre. Atqui tertia, vel dimidia pretij parte,

vt nimium

vt nimium tenax est, ac cupiens, te fraudabit? Crede mihi non parum lucri feceris, si dimidium iustæ æstimationis recipias. Qua in re non mediocriter tibi vtilis erit Præfecti opera. Et se bona fide ac sedulò facturum pollicitus est, quidquid iniunxeris. Quòd si hæc te nondum satis afficiunt, ad obtestationes me conuertam. Te igitur per incomparabile illud redemptionis beneficium obsecro, quo nos dignatus est Filius Dei, ne quid te impediat, vel remoretur, quominus te illi totum addicas. Nec tibi suspectum esse decet desiderij mei ardorem. Quia scis in quem finem tantopere aduentum tuum expetam. Et magni interest, celeriter te ad opus illud accingi, quod Ecclesiæ Dei plusquam necessarium esse cognoscis. Quare omnes morarum nexus vel dissue, vel abrumpe: vt te nobis quamprimùm sistas. Hanc epistolam, cùm mihi tempus sesquihoræ nuntius daret, ex lecto dictare coactus sum. Excusa igitur, quòd non mea potius manu. Vale eximie vir, & frater ex animo colende. Dominus te spiritu consilij, & fortitudinis gubernet, ne quid tibi aliud propositum sit, quàm illustrare sanctum eius nomen. Nonis Decembris. M. D. LII.

BVLINGERVS CALVINO S. D.

DIu iam nihil tuæ pietati scripsi, frater in Domino colende & dilecte, præsertim quòd seriam aliquam occasionem obseruarem. Ea cùm modò sit oblata, scribendi volui officium repetere. Retulit haud dubiè frater ille Lausanensis è Comitiis Badensibus rediens quid actum sit ab vrbibus Tiguro, Basilea, Schaffusio in causa vinctorum propter verbum Dei in Gallia: & quòd V. C. Ioannes Habius vrbis nostræ Cos. ad Regem missus sit legatus. Is ergo hodie scriptis ad amplissimum vrbis Senatum literis exposuit, quomodo legationem iniunctam obierit, quid responsi à Rege ex ore ipsius proprio acceperit. Nempe quòd post diligentem supplicationem factam, Rex non communicato cum suis consilio postularit disertè, ne vrbes illæ in hoc negotio pergant ipsi esse molestæ: cùm non ita pridem scriptis ad IIII. vrbes literis idem negotium scripto agẽtibus animi sui sententiam explicarit, de quo nihil cesserit: liberum se facere vrbibus, vt pro suo beneplacito res suas gubernent; id ipsum omnino velle in regno suo, quod prorsus cogitet purum seruare à seditiosis illis hominibus. Hæc est illius Regis responsio, quæ ita vti meretur à nostris accepta est. Hoc nescire te nolui, vt hoc ardentiores preces Domino offerre vnà pergeremus. Viuit qui populum suum ex Ægypto liberauit, Viuit qui captiuitatem ex Babylone reduxit. Viuit qui Cæsaribus, Regibus ac Principibus profligatis Ecclesiam suam asseruit. Oportet nos quidem per multas afflictiones ingredi in regnũ Dei. Væ autem illis qui tangunt pupillam oculi Dei. Pergamus nos constanter docere verbum Dei, prædicare Euangelium Christi, & cum omnibus sanctis, in cœlum oculos attollere. Non deseret nos qui dixit, Ero vobiscum vsque ad cõsummationem sæculi. In mundo afflictionem habebitis, confidite, ego vici mundum. Christus seruet nos & suam Ecclesiam. Saluta fratres omnes. Salutant te fratres. Tiguri, XV. Augusti. M. D. LII.

CAL. IOANNI CHARO.

HActenus ad te scribere distuli, vir ornatissime, ne aliud appetere forsan viderer, quàm animus meus ferebat. Nam vt fucosæ sunt mundi amicitiæ, atque vt passim regnat ambitio, & vanitas, paucissimi verò sunt, qui synceritatem colant: necesse est, suspectos ferè nobis esse, quorum non penitus comperta est probitas. Tandem plusquam legitima scribendi causa visa est, quòd cùm iam aliquoties ad Regem ipsum ausus fuerim scribere: nihil vnquam ad te dare literarum minimè deceat, cuius opera, secundum Dei gratiam factum est, vt mihi aliisque Christi seruis ad illum pateret accessus. Ac præteriti quidem temporis facilis est excusatio, quòd initio veritus sum, ne parum sibi haberi fidei putarent, quorum hortatu scribebam, si aliorum opera vsus forem in literis offerendis: & tibi quo cum nulla mihi familiaritas intercesserat, molestus esse nolebam. Quòd si quid peccatum est, pudori hoc meo potius, quàm negligẽtiæ tribues. Nam cùm pridem, & eximiæ

tuæ pietatis,& excellentis doctrinæ fama inductus meritò te coluerim: hæc vna ratio satis tibi conciliat bonorum omnium animos, quòd Regem non modò præstantissimæ indolis, sed etiam maturæ supra ætatem virtutis tuo labore formatum habet Anglia, qui laboranti,imò prorsus afflictæ Dei Ecclesiæ in his miserrimis temporibus manum porrigat. Certè Dominus,cùm hoc te honore dignatus est,nõ eos solùm tibi deuinxit, qui præsentem inde fructum capiunt, sed quicunque restitutam cupiunt Ecclesiam Dei, vel saltem collectas eius reliquias. Nunc si, quem diu apud me tacitus alui,amoris affectum tibi testatum facerem, hoc meum officium tibi non fore ingratum, mihi persuasi. Cæterùm,quando neque tu in isto fortunæ splendore priuatis mei similium officiis indiges: & ego tenuitate mea contentus nihil tibi oneris mea causa impositum esse volo: mutuam inter nos beneuolentiam colamus in hac caduca vita, donec in solidum ea fruamur in cœlo. Interim vno consensu studeamus regnum Christi ornare, quantùm in nobis est, propagare, & tueri. Videmus enim quàm multi sint palàm infesti hostes, quorum in dies magis crescit furor, & accenditur: ex eorum autem numero, qui nomen Euangelio dederunt, quàm pauci bona fide in asserenda Filij Dei gloria laborent: quantùm sit in multis primoribus frigus, vel potius quanta ignauia: quãtus denique totius mundi stupor. Quanquam autem adeò te voluntarium esse existimo, vt alienis stimulis minimè indigeas: quæ tamen humanitas tua est, non dubito quin tibi familiariter hæc à me proponi, boni consulas, quæ sibi vnumquenque nostrûm assiduè suggerere conuenit. Id verò abs te nominatim peto, vt si quando Regem sereniſſimum censueris meis exhortationibus excitari posse, monere, & ex re præsenti consilium dare ne graueris. Vale præstantissime vir, & mihi ex animo colende. Dominus te suo præsidio tueatur,spiritu suo gubernare pergat,& sanctis tuis laboribus benedicere. Geneuæ,Idibus Februarij. M. D. LIII.

CALVINVS FARELLO.

QVum nuper extremis amici officiis erga te defunctus, vt mihi quidem videbar, quòd residuum instabat doloris nimis maturo discessu effugere optassem:tantæ festinationis quam merebar, pœnam dedi. Atq; vtinam solus dedissem.Sed hoc aliquãtò deterius fuit, quòd eodem cõplures bonos mœrore mecum implicui.Nunc tamẽ lętiore nuncio recreatus, stultitiam & pudorem meum obliuiscor.Et certè dignum est hoc singulare Dei beneficium,quod omnem tristitiæ materiam absorbeat.Nunc postquam morbo leuatus es, danda erit opera,vt animi vigorẽ, quem inter grauissimos cõflictus nimis strenuè exercuisti, & corporis vires,quas prorsus collapsas fractásq; esse oportet,paulatim recolligas. Faxit Dominus,quando te ante tempus sepeliui,vt te mihi superstitẽ videat Ecclesia. In hac precatione cum publico fidelium bono coniuncta est priuata mea vtilitas: quia & breuior erit militiæ meæ cursus, & à morte tua deflenda eximar. Neque tamen interea, si ita Domino videbitur,tibi tandiu prorogari vitæ finem recuso, vt adhuc decẽnij labor mihi accedat.Cæterùm modò sic Christo viuamus,vt quotidie etiam parati simus illi mori,quid de nobis futurum sit,securos agere decet. Nunc solùm curãdæ valetudini incũbe,vt breui cõualescas.Quàm multi amici te salutent,frater melius ore exponet. Vale frater integerrime.Dominus qui te præter spem nostram Ecclesiæ suæ restituit,de Satana & impiis per te semper triumphet. Symmystis & aliis plurimã salutem. Geneuæ, VI. Calendas Aprilis. M. D. LIII.

Ioannes Caluinus verè tuus.

CAL. VIRETO S. D.

QVt Matthęus noster Bernam proficiscatur,ex eo audies. Quia videbam hominem tam iniquè variis modis tractari: non ausus sum vehementius dehortari à suscepto cõsilio. Negare etiam non potui,quin cõmendationem abs te peterem, quam vltrò daturus esses. Neque enim causa, tua suffragatione indigna est: & pro tua humanitate ostendere voles, eum à te in rebus suis miseris non contemni. Itaque mihi satis est, vt homini obsequar, vno te verbo

vno te verbo monuisse. Cardinalis Bellaius hac transiẽs Paguetum misit, qui me accerseret. Non sum tunc domi repertus. Quieuit ille: puto quòd non magnopere colloquiũ meum appeteret. Pagueto dixit, de fratribus nostris Bernates non impetrasse, quia Cõ nestabilem præterierant. Spem facere melioris exitus visus est, si ad nouas preces accederet illa commendatio. Ego verò merum esse ludibrium arbitror. Nam Connestabilis anteà rogatus, blãdo respõso ipsos derisit, vt nosti. Quòd tamẽ visum fuerit, aliquid rursus tentare: supplicium eorum differri mandauit, donec alpes transissent. Senatum, meo iudicio, admoneri non erit inutile, vt inde consilium capiat: ne videamur fratrum salutem negligentius curasse. Reliqua in tuum aduentum. Vale frater integerrime. Saluta vxorem & filiolas diligenter meo nomine. Dominus vos tueatur, & Spiritu suo regere pergat. Geneuæ, VIII. Maij. M. D. LIII.

CAL. FARELLO S. D.

VTinam, mi Farelle, aptius malis tuis remedium inuenire possem, quàm hîc tibi afferre cogito. Sed cùm tu minimè ignores, multa nobis esse tolerãda, quæ corrigere non licet: pluribus verbis te non hortabor, vt te in certamine non planè hostili mansuetũ moderatúmq; præbeas. Si tamẽ hoc vocari certamen debet, cùm abs te Collega sine odio & tumultuandi libidine dissentit. Quid in eo desiderem, quia tu mihi optimus es testis, in præsentia non refero. Piũ tamen esse hominẽ, & officij sui studiosum, cognoscimus. Huc accedit, quòd nõ modò te amat, sé que tibi probari cupit, sed patris loco habet ac reueretur. Cur autem proteruius interdum se gerat, quàm par est, hæc mihi præcipua esse videtur ratio: quòd dum te nimis rigidũ & morosum esse iudicat, popularitatem nescio quam affectat, quæ offensis medeatur. Ita bonus vir, dum vult consultum esse quieti tuæ, inuidiámque declinat, cui sustinendæ vos fore pares diffidit, nec constantiam grauitatémq; retinet Christi ministro dignam: & dum necessitatem resistendi tibi imponit, improbis arma suppeditat, quibus ministerium commune oppugnent. Quàm hæc odiosa res sit & acerba video: nec me latet, quãtum reprehensionis mereatur eius vitium. Sed æquitatis ac prudentię tuæ est ex aduerso colligere, quæ ad subleuandã eius culpã valent. Si immodica confidentia exultat, scis tamen eã nullo malitiæ veneno aspersam: si qua peruicacia laborat, nihil tamen illi minus propositũ, quàm Ecclesiã turbare, vel ex fratrũ cõtemptu triumphum agere. Cur ergo nõ ignoscerès eius imprudẽtiæ? Capunculũ tulisti, non modò nihili hominem, sed qui ad lites natus totũ Ecclesiæ ordinẽ insano fastu calcabat, qui virulentis cauillis imprudenter euertere studebat quidquid rectè & ordine cõpositum foret, qui fatali quodã genio non minus quàm rabioso impetu ferebatur ad nocendũ, qui data opera factiosos omnes stimulabat in Ecclesię perniciẽ. Quantò igitur magis fouẽdæ cum eo homine pacis habenda tibi ratio est, qui & tecũ Domino fideliter seruire cupit, & ab hostilibus diffidiis abhorret? Quanquã non modò pax tibi cũ eo alenda est, sed amicitia colenda. Nã si reputas, quàm pauci hodie sint tolerabiles ministri, hunc & probũ & diligentẽ, & aliis dotibus laude dignis instructũ minimè aspernaberis. Cęterum vt offensionẽ abs te hactenus cõceptã silentio tegere fortè expediet, ita in posterũ si quid peccet, liberècũ eo expostulare pręstabit: modò ne in dissidiũ res erũpat. Modò se amari intelligat, eũ mediocriter, vt spero, morigerũ habebis. Proximo Sabbatho Lugduni exustus est mercator, qui mira cõstãtia & pari moderatione ad supplicium perrexit: cũ modis omnibus ad defectionẽ impellere ipsum cognati & populares tẽtassent. Mater etiã ter genib⁹ eius aduoluta, flẽs suppliciter precata, vt vitę suæ parceret, nihil obtinuit. Passim in Gallia sæuiũt. Sed in Belsia præsertim vexatur nobilitas. Vale integerrime frater, & mihi verè obseruãde. Dominus te spiritu suo regere pergat, diúque seruet incolumem. Saluta fratrem tuum & amicos. Geneuæ, XIIII. Calend. Augusti. M. D. LIII.

CALVINVS FARELLO S.

QVæ nuper ego ad te priuatim, & quæ simul cũ symmystis meis ad te scripsi, in bonã partem abs te accepta esse, vt omnia nostra æqui boníq; consulere soles, gaudeo. Faxit Dominus, vt sanioribus consiliis parêre discant, quibus multa incõsideratè effluunt: & tua moderatione cõcordiã foueas, quã paruis interdũ dissidiis labefactare conatur Satan. Franciscus vester, cùm iam

ad discessum paratus foret,rogauit an vellẽ istuc scribere. A Fallesio redibat.Hortati vt punctum temporis maneret,ideo nolui, quia nec spes erat aliqua profectus,& hominẽ præfractũ à suscepto cõsilio deducere,nõ ita facile erat. De morte Regis Angliæ incerti primùm rumores volitabant.Posteà certiores quàm vellẽ subinde nũcij sunt sequuti. Successit in regnum consobrina ordinum suffragiis.Metuitur tamen seditio. Verissimũ est quod dicis incomparabili thesauro priuatam esse terram illam, quo indigna erat.Equidem ita statuo, vnius pupilli morte totam gentem optimo patre esse orbatam. Breui fortè audiemus,vt res habeant.Nostrum tamen est,in patientia animas nostras possidere.Vale frater integerrime.Saluta Collegam & reliquos symmystas,fratrémq; Claudium.Dominus vobis semper adsit, vos gubernet ac labores vestros benedicat. Collegæ mei tibi plurimam salutem dicunt.Idem etiam amici. Vale iterum. Geneuæ, VII. Augusti. M. D. LIII.

CAL. FARELLO. S. D.

EST vt dicis mi Farelle.Quanuis multis tempestatibus variè & duriter iactemur:quia tamen nauẽ qua vehimur,nauclerus gubernat, qui ne in mediis quidem naufragiis perire vnquam nos sinet:nõ est cur metu vel tædio mẽtes nostræ obruantur. Iam nouum habemus negotium cum Serueto. Hac trãsire fortè cogitabat. Necdum enim scitur,quo cõsilio venerit.Sed cùm agnitus fuisset,retinendum putaui.Nicolaus meus ad capitale iudicium,pœnæ talionis se offerens,ipsum vocauit. Quadraginta accusationis capita postridie in mediũ scripta attulit.Tergiuersatus est initio.Itaque vocati sumus.Proteruè mihi conuitiatus est,non secus acsi haberet sibi obnoxium.Ego,vt dignus erat,eum excepi. Tandem pronunciauit Senatus capita omnia probata esse.Dimissus est è carcere Nicolaus die tertio, quum fratrem meum sponsorem dedisset,quarto absolutus est.De impudentia hominis nihil dicam.Sed tantus fuit furor,vt non dubitauerit dicere diabolis inesse diuinitatem.Imò singulis plures inesse deos:quia deitas substantialiter tam illis quàm ligno & lapidi cõmunicata fuerit. Spero capitale saltem fore iudicium: pœnæ verò atrocitatem remitti cupio.Vale.Collegę mei te resalutãt.Idẽ faciũt Budęus,& qui iam conualuit Normandius.Fratri etiam Claudio salutẽ dices meo nomine.Geneuæ, X X.Augusti. M. D. LIII.

CALVINVS SVLCERO. S. D.

QVum Michael Seruetus iam ante annos viginti Christianum orbem virulẽtis suis ac pestiferis dogmatibus infecerit:nomen tibi non ignotum esse arbitror.Quòd si librum non legisti,fieri tamen vix potest,quin de ipso genere doctrinæ aliquid audieris. Is est de quo fidelis Christi minister,& sanctę memoriæ D.Bucerus,cùm alioqui mãsueto esset ingenio,pro suggestu pronunciauit dignum esse,qui auulsis visceribus discerperetur. Sicuti ab eo tempore non desiit venenum suum spargere,nuper Viennæ maius volumen, sed ex iisdem erroribus consarcinatum excudi clãculum curauit. Re verò patefacta,in carcerem est coniectus. Vnde nescio quomodo elapsus,per Italiam errauit ferè quatuor menses. Tandem huc malis auspiciis appulsum, vnus ex Syndicis,me auctore,in carcerem duci iussit. Neq; enim dissimulo,quin officij mei duxerim,hominem plusquam obstinatum & indomitũ, quoad in me erat,compescere,ne longius manaret contagio.Videmus quàm licentiosè passim grassetur impietas,vt subinde noui errores scaturiant,quanta sit eorum ignauia, quos Deus gladio armauit, ad vindicãdam nominis sui gloriam. Cùm tam acres sint & animosi superstitionum suarum vindices Papistæ, vt atrociter sæuiant ad fundendũ innoxium sanguinem:pudeat Christianos magistratus in tuenda certa veritate nihil prorsus habere animi.Fateor equidem,nihil minus esse consentaneum, quàm vt furiosam eorum intemperiem imitemur. Verùm, est aliqua moderationis ratio,ne impiis liceat quasuis in Deum blasphemias impunè euomere;vbi est impediendi facultas.In hoc homine tria sunt consideranda. Quàm prodigiosis erroribus totam religionem corruperit:imò quàm detestandis ludibriis conatus sit euertere omnem pietatem: quàm fœdis deliriis inuoluerit Christianismum, & omnia religionis nostræ principia funditus euerterit.Secundò,quàm se obstinatè gesserit:quàm diabolico fastu cõtempserit omnes monitiones:quàm desperata peruicacia præceps actus fuerit ad virus suum spargendum. Tertiò, quanto hodie fastu suas abominationes asserat. Tantùm enim abest à spe resipiscentiæ,

piſcentiæ,vt non dubitet ſanctis viris Capitoni, & OEcolampadio aſpergere hanc maculam,quaſi ſocij fuerint Cùm oſtenſæ eſſent OEcolampadij epiſtolæ, dixit ſe mirari, quo ſpiritu abductus foret à priore ſenſu. Sed quia tibi curæ fore ſpero, vt hominis impietas quibus meretur elogiis pingatur,plura non addam. Tantùm vnius rei te admoni tũvolo,quæſtorẽvrbis,qui tibi has literas reddet,in hac cauſa recto eſſe animo,vt ſaltem exitum quem optamus, non fugiat. Vtinam veteres tui diſcipuli eodem modo animati forent. De rebus Gallicis nihil ſcribo,quia nihil hîc eſſe noui arbitror, quod non æquè vobis notum ſit: niſi quòd proximo Sabbathi die tres pij fratres Lugduni exuſti ſunt, quartus in vicinum oppidum miſſus ad ſimile ſupplicium. Vix credibile eſt cùm homines eſſent illiterati,quanta Spiritus Dei luce ad ſummam doctrinæ perfectionem illuſtrati,quoad res ferebat,& qua virtute ad inuictam conſtantiam inſtructi fuerint. Vnus metu conſternatus initio à ſyncera confeſſione deflexerat. Cùm iudicibus certum foret eum abſoluere,de ſua perfida ſimulatione prefatus,alacriter ſe ad ignem obtulit. In aliis quoque Gallię partibus flagrant ſimilia incendia:nec ſpes vlla eſt mitigationis. Vale. Geneuæ v. Idus Septem. M. D. LIII.

CALVINVS ECCLESIAE FRANCFORDIENSIS PASTORIBVS. S. D.

Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto,eximij viri & mihi ex animo colendi fratres.

NOmen Serueti Hiſpani vobis auditum eſſe non dubito, qui ante annos viginti virulento libello, multíſque ſacrilegis erroribus referto, Germaniam veſtram infecit.Nebulo hic, quum ex Germania profugus ſub fictitio nomine in Gallia latuiſſet, nuper ex priore illo libro, & nouis figmentis quæ ſibi fabricatus eſt, maius volumen conſarcinauit, quod Viẽnæ in vrbe Lugduno vicina,clanculum excuſum eſt.Eius autem multa exẽplaria proximis nundinis paſchalibus Francfordiam deuecta fuerant: verum inſtitor Typographi vir pius & integer,quum admonitus foret nihil illic præter immenſam errorum farraginem contineri,ſuppreſſit quidquid habebat. Quàm multis erroribus, imò prodigioſis in Deũ blaſphemiis ſcateat, longum eſſet referre. Fingite vobis rhapſodiam ex impiis omnium ætatum delyriis conſutam.Nullum enim eſt impietatis genus,quod non hæc bellua velut ex inferis excitauerit.Et malo ex lectione ipſa vos iudicium facere. Certè reperietis ferè in ſingulis paginis, quod vobis horrorẽ incutiat. Auctor ipſe tenetur in carcere à Magiſtratu noſtro, & propediem, vt ſpero,daturus eſt pœnas. Veſtrum autem eſt dare operam, ne hoc tam peſtiferum venenum lõgius emanet.Nuncius vobis referet in qua apotheca ſint libri, & quo numero. Librarius,niſi fallor,exuri patietur. Quòd ſi quid obſtaculi eſſet, vos tam fore cordatos confido, vt mundus tam noxia corruptela purgetur. Et ratio vobis expedita erit. Quòd ſi veſtro arbitrio res permiſſa fuerit, neceſſe non erit à Magiſtratu petere, vt manum iniiciat. Quanquam autem ita de veſtra integritate ſum perſuaſus,vt vos eſſe admonitos ſufficiat:rei tamen magnitudo poſtulat, vt per Chriſtum vos obteſter, ne vobis effluat occaſio,vt ſedulò ſitis ad officium veſtrum intenti. Valete ornatiſſimi viri, & chariſſimi fratres. Dominus vos Spiritu ſuo regat, præſidio tueatur, & labores veſtros benedicat.Geneuæ VI.Calendas Septembris M. D. LIII.

CAL. FARELLO. S. D.

ECce tibi morem aliqua ex parte gero. Epiſtolæ loco breuiculum habebis, quod multum temporis non auferet. Rediit ab Heluetiis nuncius. Vno conſenſu pronunciant omnes,Seruetum impios errores,quibus olim turbauit Satan Eccleſiam,nunc renouaſſe,& monſtrum eſſe non ferendum.Cordati Baſilienſes.Tigurini omnium vehementiſſimi. Nam & impietatum atrocitas grauiter ab illis exprimitur,& hortantur Senatum noſtrum ad ſeueritatem. Subſcribunt Schaphuſiani. Bernẽſium literis etiam appoſitis,accedunt & Senatus literæ quibus non parum ſtimulati ſunt noſtri. Cæſar comicus,ſimulato per triduum morbo,in curiam tandem aſcendit,vt ſceleratum iſtum pœna eximeret. Neque enim erubuit petere,

vt cognitio ad ducẽtos veniret:ſine cõtrouerſia tamen damnatus eſt. Cras ad ſupplicium ducetur. Genus mortis conati ſumus mutare, ſed fruſtra. Cur nihil profecerimus, coràm narrandum differo. Vale integerrime frater & Chriſti miniſter eximie. Deus te conſeruet ac regat ſemper. Amicis omnibus plurimam ſalutem. Noſtri te reſalutant. Geneuæ XXVI. Octob. M. D. LIII.

FARELLVS CALVINO S. D.

NOrmedium rediiſſe ad priſtinã valetudinem ac Marchionẽ ex Italia gratulor vtrique, ne dicam tibi. Eſt ſanè præterea quod inuideã piæ matronæ, ab his in quibus luctamur malis, ſolutę, cui iam datur cum Chriſto eſſe & agere. Mira eſt Dei diſpẽſatio in Serueto, quòd iſtuc venerit. Vtinam vel ſerò ſapiat. Magnum ſanè miraculũ erit ſi mortẽ perferat ſeriò ad D. cõuersis, & occũbẽs vna morte (qui multas myriades cõmeritus eſt) ſi omnes cõtẽdat ædificare præſentes, qui multis iam ſublatis & qui ſuperſunt, adde etiam venturis nocere ſtuduit. Valde crudeles erunt & admodũ iniurij Chriſto, & doctrinæ pietatis, & veri Eccleſiæ hoſtes iudices, ſi non moueantur blaſphemiis horrendis tam nefandi hæretici, quibus diuinam maieſtatem impetit, & Chriſti Euangelium conatus eſt labefactare, omnéſque corrumpere Eccleſias. Sed ſpero D. facturum vt qui laudantur ob iuſtas inflictas furibus & ſacrilegis pœnas, ita ſe gerant, vt in hac parte meritò bene audiant: ſublato eo qui tandiu obſtinatiſſimè in hæreſibus perſeuerauit, quique tam multos perdidit. Quòd pœnæ atrocitatem leniri cupis, facis amici officium in inimiciſſimum tibi hominem. Sed te, quęſo, ita geras, ne temere quiuis audeat noua inferre in publicum dogmata, & tandiu omnia turbare impunè, vt iſte fecit. Vides arrogantem hæreticum Hieronymum, qui toties conuictus nondum in ordinem cogi potuit, & iudicum indulgentia potius quàm æquitas, dum officium non facit, non modò illi nocet & tãtùm non perdit, verumetiam multis. Verùm hæc te non fugiunt, neque ideo dicuntur, vt opus tibi ſit: ſed & de aliis non paucis querimur, ita & hîc licet. Pleriq; nonnihil accedentes ad hęreſin catabaptiſtarum, qui facinoroſi, vt plurimùm, nolũt improbos è medio tolli, quò liceat eis impunè ſua tradere & ſequi flagitia: volunt non aliter agi cum hæreticis, quàm vt ſinantur, quaſi nihil interſit inter munus Paſtoris & Magiſtratus. Si Pontifex pios damnet hæreſeos, & furentes iudices iniquè exequuntur in innocentes id quod debetur hæreticis, quæ amentia eſt inde colligere non perdẽdos hæreticos, vt piis ſuccurratur? Sanè eiuſmodi inaudita prius ratione ſibi & aliis conſulere voluerunt, præter viam quam tenuerunt omnes ſerui D. & veluti ſeſe adiungẽtes
Act 25 11. hæreticis. Ego cùm legerẽ Paulum dixiſſe ſe non refugere mortem ſiquid cõmeruiſſet, planè me obtuli ſæpius paratum ferre mortis iudicium, ſi quidquam contra pietatis doctrinã docuiſſem. Et addidi me quàm digniſſimum eſſe quouis ſupplicio, ſi à fide & doctrina Chriſti quenquam auocarem. Sanè nõ poſſum de aliis aliud ſentire quàm quod de me ſtatuo. Vale & tecum pij omnes. Mirum eſt quàm vratur Satanas & ſui omnes, quòd non periſtis pridem. Hodie legebam ſcriptum ad fratrem vnũ te obiiſſe, ſed prius Fiburgum veniſſe ac vocaſſe ſacerdotem, confeſſúmque te grauiſſimè erraſſe. Sic durẽt & locum habeant Pontificia, & tantùm poſthac ex illis percipiãt ſacrificuli & tota fæx Pontificia quàm vera ſunt, quæ ita ſine fronte ſpargũt. Sed non tantùm Pontificij veteres, quin & noui Pontifices & bis monachi tãtùm nõ rumpuntur. Chriſtus omnibus meliorem det mentem, téque & iſtam ſeruet Eccleſiam, quam ſemper auctiorem numero piorum, & donis, & cœleſtibus benedictionibus locupletiorem reddat. Cupio Collegas ſaluos, cum reliquis piis. Collega te ſalutat, Caſpar & Claudius frater. Neocomi, VIII. Septembris. M. D. LIII.

VIRIS CLARISSIMIS, PIENTISSIMISQVE DOMINIS DOMINIS Syndicis, & Senatui ampliſſimo Geneuenſis reip. Dominis noſtris omni ſtudio colendis & obſeruandis.

QVod Dominus & Seruator noſter Ieſus Chriſtus in agone vltimo precatus eſt ad Patrem pro ſuis, vt ſeruentur per nomẽ eius, qui dati ſunt ipſi, vt ſint vnum, ſicut & ipſe vnum eſt cum Patre: idem nobis etiã hoc tempore precandum eſſe maximè cernimus: quò ſub hanc mundi ſenectam omnes in

hoc

hoc neruos intendit tenebrarum princeps, vt si quid est sanæ professionis & fidei labefactet, sanctorum consensionem, vnitatémque Spiritus conuellat, & dissipet, religionẽ puram à fundamentis extirpet, sic permittente nimirum Deo Patre optimo, in hoc vt probetur Ecclesia, & exercitatione non insalubri firmetur, atque ad resistendum in fide excitetur, & animetur: tum vt suam potentiam declaret cõtra portas inferorum validam. Ac eiusmodi sanè probationis genus vobis Amplissimi viri, vestræque Ecclesiæ hoc tempore contigit, quo Seruetus Hispanus vestras in manus peruenit, multis iam annis horrendæ impietatis, & blasphemiarum in sacrosanctæ Trinitatis mysterium assertor, & renouator: quem etsi molestiam vobis datam dolemus, tamen quia interest plurimùm gloriæ nominis Christi, atque vniuersæ Ecclesię, vt malo in exitium plurimorum grassanti occurratur, gaudemus eò loci auctorẽ detineri, vbi nobis persuademus nec prudentiã Christianã, neque zelum sanctis dignũ defuturum esse. Cúmq; super hoc ipso negotio cẽsuerit. A. V. nos Ecclesiæ huius Administros interpellandos esse, transmissis in hoc collationibus scripto à Pastoribus vestræ Ecclesiæ fratribus nostris in Domino obseruandis, & Serueto exhibitis: tum libro eiusdem Serueti, quo sparsa esse sua dogmata cernimus, hanc grauatim mentem nostram pro charitatis lege, nostráque in vos promptitudine, sicut ea postulat, hisce aperimus: vtcunque & vester ordo amplissimus consilio polleat, & doctrina excellente, iudicióque præditis viris prouisum sit Ecclesiæ vestræ, quorum iudicio & sancto, & exquisito vobis satisfieri nihil dubitamus. Cæterum, quantùm ex inspectione libri, Serueti confessionibus, refutationibúsque perspicere licuit, deprehendimus planè in redemptionis nostræ mysterium strictũ esse stylum: capútque fidei de Filio Dei vero Deo ab æterno, veréque homine facto ex muliere, sicut Apostolus inquit, Iuxta promissiones factas Patribus, stupenda temeritate hunc impetere: personarum trium distinctionem in essentiæ vnitate simpliciter tollere: Christi gloriam, quam habet à Patre ab æterno, euacuare: ídque contra apertæ Scripturæ oracula, atque orthodoxæ Ecclesiæ confessionem: quam cùm fratres nostri Tygurini perspicuè, doctéque expresserint, nos vt ei penitus consentientes repetere supersedemus. Quales autem habiti sint, qui eos articulos vnquam tentare ausi sunt, notius est, quàm vt egeat explicatione nostra. Cancro morbo Paulus eiusmodi pestem assimilauit: & heresin definierunt veteres adeóque & ipse Apostolus, crimen multò leuius, quàm ab hoc designetur. Et pro hæreticis damnati sunt proclamatique, qui vna aliqua in parte impegissent, si errorem pertinacius tueri pergerent. Atqui Seruetus nõ simplicem, sed ex multis impietatibus conflatam hæreticorum laruam profitetur, puta, Arrij, Marcionis, Sabellij, Fotini, Manichæi, Pelagij, & cæterorum: & quod in pluribus, hísque diuersis impugnatum est à melioris notæ Ecclesiæ Doctoribus Patribúsque, id ab hoc vno ore impudentissimo, atque blasphemo euomitur, vt verè illi Christus signum sit contradictionis: cui nec essentiã diuinitatis, neq; hypostasin, nec carnis nostrę veritatẽ, neq; animã humanã relinquat, iungenda in sacrosancta hac persona discerpat, & distincta confundat, redemptionis virtutem euernet: præter alios prophanos errores quamplurimos, atque deliria omnia, vt vestri Pastores, confratréque nostri inquiunt, à verbo Dei, & orthodoxæ Ecclesiæ consentu aliena. Et quę hæc quidem tanta confidentia, præsumptione, & pertinacia, vt appareat illud sapientis in eo verum, Impius cùm in profundum venerit, contemnit: & illud item, Si contuderis pistillo in mortario, non recedet ab eo stultitia eius. Nam neque captiuitate humiliatur ad modestiam, neque tam luculentis, veris, & euidentibus fratrum nostrorũ institutionibus, quibus errorum, luce clarius conuincitur, vel cedit, vel acquiescit: sed serpentis instar incitati, maledicos, atque contumelioſos in Caluinum synceriſſimum Dei seruum, & blasphemos in Dominum subinde sibilos edit, & lubricus nonnunquam elabi conatur. In hoc enim Deum vnum, eúmque simplicem inculcat toties, quasi trium hypostaseon vera diuersitas naturæ simplicitati vllo modo repugnet: atque insaniat proinde Ecclesia Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate venerandam commendans. Sicut & Christo Dei Filio multa cùm præ se ferat tribuere, manifestè tamen duabus naturis cõstantem personam negat, quæ iuxta illam quidem ab æterno, & ante secula, nedum ante incarnationem à Patre genitum (Scriptura testãte) vt cuius egressus à diebus æternitatis est, & per quem facta sunt secula, gignentis naturã per omnia referat: iuxta hanc verò in seculo natũ, carnem de carne nostra, ex substantia Virginis, per omnia fratribus similem. Hoc ergo veritatis pede pressus, quantumlibet subdolus, vafércque tenetur. Meminimus verò nos ante annos viginti tres in hac ciuitate domino OEcolampadio præstantissimo huius Ecclesiæ præsidi negocium ab hoc homine

exhibitum,& verbis ſcriptíſque ſeriò interpellatum, nihilò factum emendatiorem: vt iam tum vir Dei ſagaciſſimus ſententiam tulerit, daturum religioni Chriſtianæ graue diſpendium,niſi manu Domini frangeretur.Quæ cùm ita ſint,viri præſtantiſſimi,primùm omnium meritò gratias Deo æterno Patri Ieſu Chriſti agitis, cuius benignitate ſynceram lucem veritatis inconcuſſè adepti eſtis,Spiritúſque ſancti iudicium,vt praua & adulterina à vera germanáque vitæ doctrina quæritis diſcernere: eundémque precibus ardentibus interpellare debetis,vt nos conſeruet in ſynceritate fidei,confirmétque vt hactenus ſtabiles,& immotos contra ſcandala tam horribilia,Satanæque aſſultus. Poſtremò,quod Seruetum attinet hortamur,vt quod facere vos apparet,omne ſtudium in ipſo ſanãdo adhibeatis, modò quæ excitauit offendicula,& ipſa ſanari queãt. Verùm ſi inſanabilis in concepta ſemel peruerſitate perſtet,ſic pro officio veſtro, poteſtatéque à Domino conceſſa coerceatur,ne dare incommodum queat deinceps Eccleſiæ Chriſti, néue fiant nouiſſima primis deteriora.Qua in re ſuppeditabit Dominus ipſe Spiritum, robur,& ſapientiam:quem vnà vobiſcum cum Eccleſia noſtra pro vobis ſeriò, aſſiduéque orabimus.Viciſſim nos noſtrámque Eccleſiam amplitudinis veſtræ fauori, & ſacris orationibus commendantes. Valete, ex Baſilea, die decima octaua Octobris. M. D. LIII.

V.A.In Domino deditiſſimi Paſtores Eccleſiæ Baſilienſis.

AMPLISSIMIS VIRIS SYNDICIS SENATVIQVE REIPVB. GENEuenſis Dominis, & Conciuibus noſtris colendiſſimis,

Gratiam & Pacem à Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.

NOua denuo moleſtia,viri ampliſſimi,domini & amici in Chriſto venerandi, Eccleſia veſtra turbetur ex ſcriptis,quæ miſiſtis, abundè ſatis intelleximus. Videmus Satanam pertinaciſſimè hoc agere, vt emergentem veritatis lucem millè modis impetat:etſi extinguere nequeat, inductis ſaltem perniciоſorum,& intricatorum dogmatum nebulis obſcuret. Quòd ad præſentem Serueti cauſam attinet,inſpeximus illius dogmata, quoad eius fieri potuit, eo temporis ſpatio,quo tabellarius veſter hîc apud nos ſubſtitit. Et quoniam ſententiam noſtram expoſcitis,ad ea quæ in ſcriptis Serueti deprehendimus, paucis viſum eſt ad petitionem veſtram reſpondere. Vt coram Domino loquamur,non poſſumus per conſciẽtias noſtras probare, quæ homo iſte de ſubſtãtia,ac forma Deitatis,de ſanctæ Trinitatis myſterio,de verbo Dei,& illius incarnatione, de anima & carne Chriſti,de Spiritu ſancto,de Angelis,de animabus,& ſpiritibus noſtris,de peccato mortali,de pędobaptiſmate nõ ſolùm in corde ſuo ſentire,ſed editis ſcriptis non iam primùm,ſed olim dogmatizare cœpit. Videmus hominem ſibiipſi nimium placuiſſe plurimùm, & parum ſpirare modeſtiæ. Permittit enim ſibi liberum,quæuis religionis noſtræ capita vocare in quæſtionem, & omnia vel nouis expoſitionibus inuertere,vel renouata veterum hæreticorũ labe prorſus corrumpere.Sic reſuſcitat nobis Sabellianos,Noetianos,Priſcillianiſtas,Anthropomorphitas,Apollinariſtas,Valentinianos:& ne à fanaticis noſtrorum temporũ ſectis abhorrere videatur,Baptiſmum infantium horrendis modis flagellat, & abominabilẽ reddere conatur:vt reliqua taceamus,quæ de ſuo in medium afferre non dubitat. Arbitramur autem pro vigilantia Miniſtrorum veſtrorum omnia hæc ſatis eſſe in lucem producta,& reprehenſa,nec id à vobis agi,vt examinationem huius cauſæ exactiorem ab aliis diuini verbi Miniſtris,quàm à veſtris recipiatis. Quare abſque vllo tractatu ſententiam noſtrã paucis aſſignare viſum eſt, ne de fratrum noſtrorũ ſtudio, & vigilãtia quidquam addubitare videamur.Oramus Dominum,vt det vobis ſpiritum prudentiæ,conſilij,& fortitudinis,vt & peſtem hanc ab Eccleſiis,cùm veſtra,tum aliis auertatis: & ſimul nihil remittatis, quod Magiſtratui Chriſtiano inconueniens cenſeri poſſit. Dominus Eccleſiam,& rempub.veſtram in vera pietate,& pace iugiter ſeruet immotam.Bernæ. Veſtri in Domino. M. D. LIII.

Miniſtri Eccleſiæ Bernenſis.

BVL. CALVINO. S. D.

BReues Ampliſſimus Magiſtratus Geneuẽſis literas ad clariſſimũ vrbis noſtræ Senatum ſcripſit. Quia verò Gallicè ſcriptæ erant, ornatiſſimus D. Conſul Galtero noſtro vertendas in Germanicum mihi: ita factũ eſt vt & ego viderim & legerim. Tres proponunt quæſtiones noſtratibus. 1. Quomodo ex præcepto Dei & ſecundum Scripturas illibatámque religionem exercenda ſit excommunicatio. 2. An non alia ratione quàm per Conſiſtorium exerceri poſſit. 3. Quid hac in re in Eccleſia noſtra fiat. Lectæ ſunt in frequenti Senatu literæ: mox deputati ſunt D. Coſ. & ex Senatoribus illuſtres viri tres, qui aſcitis tribus huius Eccleſiæ Paſtoribus de reſponſione commoda danda conſultarent. Conſultauerunt & concorditer omnes conſenſerunt, ſcribendum Ampliſſimo Senatui Geneuẽſi, dolere nobis ſic ipſorũ turbari Eccleſiam, vt lis & contentio ex lite & contentione ſeratur. Dudũ audiuiſſe nos de legibus iſtius Eccleſiæ Conſiſtorialibus, & agnoſcere illas pias eſſe, & accedere ad verbi Dei præſcriptum: ideóque non videri admittendum vt per innouationem mutentur. Satius eſſe vt integræ conſeruentur, hoc præſertim ſæculo, in quo ſubinde homines fiunt deteriores. Et quanquam noſtra diſciplina veſtræ pro omnia non reſpondeat, illam tamen pro ratione temporum, locorum & perſonarum eſſe temperatam, nec ideo veſtram velle ſubuerſam. Quoniam verò quid à noſtris fiat, veſtri ſcire poſtularunt, paucis conſignata ſumma mittitur. Hæc hodie concorditer ſtatuta ſunt, & cras reſponſio hæc ad totum referetur Senatum. An hic illam probaturus an reprobaturus ſit, ignoro. Dominũ ex animo oro, vt omnia bene vertat ad gloriã nominis ſui. Nos certè ſummis annixi viribus laborauimus, ne quid fieret à noſtris quod in derogationẽ bonarum legum Eccleſiæ veſtræ tenderet. Vos quoque hortamur, vt pergatis eſſe fideles Domino, & modum adhibeatis rebus omnibus, ne rigore nimio perdatis quos ſeruatos cupit Dominus, qui arundinem comminutam non confringit, neque linum fumigans extinguit. Vale vir colendiſſime & frater in D. chariſſime. Valeat æternum Budæus noſter. Valeat Comes à Martinengis & cum his D. Gallaſius & reliqui ſymmyſtæ & fratres. Feſtinantiſſimè Tiguri XII. Decembr. M. D. LIII. Iam mittitur ad me copia, vt vocant, literarum ex Ampliſſimo Senatu noſtro: ſimul nũtiatur approbaſſe Senatum heri à nobis paratum reſponſum. Video in ſumma nihil variare ſcriptũ publicũ Senatus, ab iis quę heri in hiſce cõſignaui literis: imò veſtros ſtudioſè hortãtur, vt in his permaneãt, quę ſemel ſint recepta. Nos noſtræ diſciplinæ formam non mittere vt vel tantillum præſcribamus, præſtare vt in ſemel receptis & ſanctè quidem ex Scriptura receptis perſeuerent Eccleſiæ. Protinus ergo iam ſcribo literas D. Simperto Voghio, & D. Simoni Sulcero Paſtoribus Schaffuſ. & Baſil. Eccleſiæ, de cõcordi reſpõſo magiſtratus noſtri, ne quid huius iſti ignorẽt, vt & ipſi pacẽ quærant & ædificationem Eccleſiæ Geneuẽſis, licet non per omnia ſimilia habeant in ſuis Eccleſiis. Dominus per Spiritum ſuum benedicat negotio huic & dirigat corda veſtra in viam pacis. Amen Amẽ. Iam ſcribã & Bernam ad D. Hallerũ & Muſculũ. His iſtas mitto, orans, vt maturè curẽt ad te perferri. Ama nos in Domino mi Caluine & ora pro nobis vnà cũ fratribus. Saluus ſit optimus ſenex & optimè meritus de Eccleſia D. Farell⁹, primus iſtatũ partium Apoſtolus. Vide mi Caluine vt diligẽter & piè omnibus piis deſcribas Seruetum cum ſuo exitu, vt omnes abhorreant à beſtia. Tiguri XIII. Decemb. Salutant te ac tuos noſtri omnes.

CLARISSIMIS ET AMPLISSIMIS SYNDICIS, ET SENATUI Reipublicæ Geneuenſis Dominis noſtris colendiſſimis.

AMpliſſimi Domini, quamuis de pia ſedulitate, diligentiáque ſingulari chariſſimi noſtri fratris Ioannis Caluini, cæterorúmque eius collaboratorum nihil dubitemus, quin pro exquiſita, & diligenti cura, & vigilantia, quam hucuſq; præſtiterunt in Eccleſia Chriſti, ſatisfeciſſe nobis videri potuiſſent. Præterea Eccleſiæ Tigurinæ Antiſtites, fratres noſtri in Domino obſeruandi, pro exacto iudicio, quo præ cæteris Eccleſiæ Miniſtris dotati ſunt, ſuam (quam & nos videre voluerunt) ſententiam quàm diligentiſſimè ad vos ſcripſerunt, potuiſſemus hiſce contenti eſſe: Tamen quia A. V. viſum eſt, etiam noſtram hac in re audire ſenſentiam, quantùm brevitas temporis admiſit, contulimus concertationes Serueti, quas cum veſtræ Eccleſiæ

Miniſtris habuit. Libros item ipſius blaſphemiis in ſanctiſſimam Trinitatem: vniuerſam item Chriſti Eccleſiam refertos, quibus hæreſeis multis iam annis ſopitas, vnáque cum hæreticis oppreſſas reuocare, magnóque cum ſimplicium ſcandalo euomere, obtrudereque Eccleſiæ Chriſti conatur, percurrimus. Neque aliter pro dono nobis à Deo collato indicare poſſumus, quàm diuerſos à ſana doctrina, neque tolerandos, vt vel proponantur, vel legantur in cœtu piorum. Neque dubitamus, quin vos pro inſigni prudentia veſtra ipſius conatus repreſſuri ſitis, ne blaſphemiæ ipſius, tanquam Cancer, depaſcantur Chriſti membra. Nam longis rationibus euertere ipſius deliramenta; quid aliud eſſet, quàm cum inſaniente inſanire? Subſcribimus igitur vniuerſi iudicio Tigurinæ Eccleſiæ Miniſtrorum fratrum noſtrorum in Chriſto chariſſimorum, commendantes interim veſtram amplitudinem vnà cum Eccleſia veſtra gratiæ diuinæ. Datæ Scaffuſij v I. Octobris, anno M. D. LIII.

Veſtræ amplitudini dediti

Simpertus Vogthius
Sebaſtianus Grubel
Iacobus Ruger
Miniſtri Eccleſiæ Scaffuſianæ.

RESPONSIO MINISTRORVM TIGVRINAE ECCLESIAE

Clariſſimis Syndicis & Ampliſſimo Senatui Genetienſis reipub. Dominis noſtris colendiſſimis S. D.

ACcepimus per hunc tabellionem, literas amplitudinis veſtræ, vnà cum libro Serueti & articulis ex ipſo conſignatis, cum collatione ſcripta per amplitudinis veſtræ cõcionatores, fratres noſtros venerabiles & charos, & Michaelem Seruetum. Ac quoniam illa omnia à nobis inſpici, diligentérque expendi, & noſtrum de his nos iudicium adiicere pietas veſtra poſtulauit, amplitudini veſtræ morem gerentes, quid de toto hoc negotio Vnitatis & Trinitatis Dei, denique de Filij Dei myſterio ſentiamus & doceamus, & quid de controuerſia vel ſcriptis Miniſtrorum Eccleſiæ veſtræ & Serueti iudicemus, quanta poſſumus breuitate & perſpicuitate, Deo iuuante explicabimus. Myſterium adorandum Vnitatis & Trinitatis Dei benedicti in ſæcula, nihil dubitamus ab exordio mundi ab omnibus ſanctis & creditum eſſe firmiter, & poſteris credẽdum fideliter traditum, ſed & in Scripturas manifeſtè relatum, à Spiritu ſancto inſpiratis veracibus Prophetis. Hoc igitur theologiæ veræ principium & caput, ita eſt comprobatum Dei oraculis, ita confirmatum euidentibus ſignis, vnanimíque conſenſione receptum à catholica & orthodoxa, tam veteris quàm noui Teſtamenti Eccleſia, vt ipſum vel in quæſtionem vocaſſe, nefas ſemper fuerit iudicatum. Fatemur itaque cum ſancta & vniuerſali Dei Eccleſia, vnam eſſe Dei eſſentiam, tres perſonas diſtinctas, non confuſas. Pater enim de cœlis teſtificans de Filio ſuo: Hic eſt Filius meus dilectus (inquit) in quo placatus ſum. Filius is eſt, cui pater miſit teſtimonium. Spiritus ſanctus verò in ſpecie columbæ apparuit, tres quidem diſtinctæ in vna eſſentia diuina, perſonæ. Emerſerunt quidem ante concilium Nicenum, Praxeas, Noetus & Sabellius veteribus appellati Patripaſſiani, qui diſtinctionem perſonarũ propter vnitatem Dei conſeruandam confundebant, ſed doctè & irrefragabiliter à vigilibus Eccleſiæ præſidibus ſunt confutati, Scripturíſque propugnatum & in Eccleſia conſeruatum, adorandum trinæ Vnitatis Dei myſterium. Vnde cernimus in concilio Niceno, Eccleſiæ præſides non aliud nobis ſymbolo condito tradidiſſe, quàm quod à tẽporibus Apoſtolorum, imò & Prophetarum, catholica & orthodoxa retinuerat Eccleſia. Quod ergo Seruetus Hiſpanus Trinitatem æternam Dei, triceps monſtrum & Cerberum quendam tripartitum, denique imaginarios deos, illuſiones ac tres ſpiritus Dæmoniorum appellitat, æternam Dei maieſtatem nefandè & horribiliter blaſphemat. Quod Athanaſium, Auguſtinum & alios Dei ſeruos eximios, illuſtriáque Eccleſiæ lumina, Trinitarios atque adeò atheos appellat (ita enim omnes Trinitatem agnoſcentes nuncupat) non illos tantùm: ſed totum chorum ſanctorum, adeóque totam Chriſti Eccleſiam, infandis & non ferendis conuitiis indigniſſimè proſcindit. Abominandum

verò

verò videtur illud esse in homine infœlici, quod Iudæorum quoque blasphemias in Christianam religionem effusas, excusat, & fœda Mahumetis verba, tres in Trinitate personas, vel vt ipse ait, tres deos, patribus fuisse incognitas, & esse filios Beelzebub; approbat & extollit. Quid verò potuisset ab hoc homine magis impium in Deum, & indignius in intemeratam fidem Christianam, expui? quæ obsecro aures Christianæ ista patienter audiant? De Filio Dei concorditer credidit & docuit Ecclesia Dei ab initio, subsistere illum ab æterno in propria hypostasi, hoc enim docta fuerat ex verbo Dei, Christo ipso apertissimè in Euangelio dicente: Antequam Abraham esset, ego sum. Vtique substantia, non carnis quidem, sed Diuinitatis, iuxta quam Apostolus illum dixit esse expressam imaginem substantiæ paternæ. Vbi simul illud ex veteri Scriptura citat testimonium: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hic filius gloriæ ab æterno Filius, Deus verus, in tempore factus est hominis filius, homo verus, natus non ex substantia Dei Patris, sed ex substantia Mariæ virginis matris, quam Deus spiritu suo fœcundam reddidit. Vnde filius ille & semen benedictum mulieris, & germen Dauidis, & filius hominis appellatur. Manet autem in vna indiuisa persona, retinens tamen naturas duas impermixtas aut inconfusas, diuinam & humanam. Id quod adeò perspicuis & euidentibus Scripturæ testimoniis comprobatum, iam olim & nunc esse constat, vt qui addubitet, cum ratione insaniat. Nos igitur simpliciter & concorditer, ita vt iam exposuimus, firmiter credimus, & in Ecclesia fidei nostræ concredita, prædicamus. Rursus ergo blasphemus in Dei Filium deprehenditur Seruetus, qui illam ab æterno Filij hypostasin existentem & Patri coessentialem & coæqualem, diabolicam ideam, & fabulosam quandam Chimæram, conuitiari non veretur. Insuper asserere audet corporalis filij patrem alium non esse vllum, quàm ipsum Deum Patrem, ex cuius substantia caro Filij nata sit. Longè aliter docuit Paulus doctor gentium, qui dixit Filium Dei genitum fuisse ex semine Dauidis secundum carnem, & declaratum Dei Filium in potentia & spiritu sanctificationis &c. Cæterum cur singula istius blasphemi hominis recolligere pergeremus? S. tis diligenter & fideliter enormes aliquot istius errores & apertas hæreses collegerunt Ecclesiæ vestræ fidi Pastores & docti, eo scripto cui titulum præfixerunt, sententiæ vel propositiones excerptæ ex libro Michaelis Serueti. Eas nec per calumniam excerptas aut consignatas inuenimus, nec illas vlla ratione recipimus aut approbamus: sed execramur potius. Nam Seruetus responsione sua mox subiecta rem inuoluit, non explicauit, deprauatis interim multis veterum de Vnitate & Trinitate Dei, déque Filij Dei mysterio sententiis, id quod Ministri Ecclesiæ satis apertè opposita responsione euicerunt. Replica vel scholia Serueti præter externam impudentiam & conuitia dira, parum aut nihil sunt. Toties enim illud suum Mentiris, Caluino impingit, toties magum, & Simonem Magum criminatur, vt meminisse pigeat ac pudeat. Præsertim cùm res ipsa clamet, & scripta Serueti diligenter expensa testentur, nihil confinxisse Caluinum, Seruetum potius ea quæ dixit, rursus negare, ac fuco aliquo tingere. Caluini Pastoris vestri & fratris nostri fidem & diligentiam, denique egregia in exules & pios merita, illustriora esse speramus, quàm quæ istius criminationibus indignissimis, vel apud Amplitudinem Vestram, vel apud alios viros bonos obscurari possint. Neque hoc dissimulat Amplitudo Vestra, quæ (quod non sine animi lætitia legimus) disertè scripis literis, significans iudicium à nobis non requirere, quòd Ecclesiæ vestræ Ministris diffidat: sed potius vt nostrum de his non nesciat iudicium. Porrò quomodo Amplitudo Vestra coerceat hunc hominem, qui olim ab Ecclesia per Scripturas conuictas & damnatas hæreses, renouat, ac prima fidei nostræ firma capita oppugnat, oppugnandóque, Deo & sanctis eius conuitiatur, vestræ prudentiæ relinquimus æstimandum. Si non fallit nos similitudo nominis, mouit hîc Seruetus hoc ingens malum ante annos viginti, conante tum beatæ memoriæ D. I. OEcolampadio ipsum reducere in viam: ac tum quoque doctrina Serueti ab iis qui primi hisce regionibus Euangelium Christi prædicarunt, condemnata fuit. Ille verò sui sensus tenax, nihilominus anno 1531. curauit in Germannia 7. libros de Trinitatis erroribus, & alios dialogos excudi, quibus dubium non est complures parum exercitatos in Scripturis, & infirmiores in fide, præcipites actos in graue tum animarum tum corporum discrimen. Quo tamen adeò satiatus non fuit, vt modò recisis pestilentissimis erroribus & blasphemiis non ferendis, semetipsum in impietate & blasphemia superare, & corruptissimam doctrinam sub specie restitutio-

Io.8.58. Heb.1.3

nis Christianiſmi Eccleſiæ obtrudere pergat. Multa ergo fide & diligentia contra hoc opus eſſe iudicamus, præſertim cùm Eccleſię noſtrę apud externos malè audiant, quaſi hæreticę ſint & hæreticis faueant. Obtulit verò in præſenti ſancta Dei prouidẽtia occaſionẽ, repurgandi vos ſimul ac nos à praua mali huius ſuſpitione, ſi vigilantes fueritis, diligentérq; caueritis, ne veneni huius contagio per hunc ſerpat latius, id quod facturos A.V. nihil dubitamus. Dominus Ieſus Chriſtus conferat pietati veſtræ, ſapiẽtiam & fortitudinem, viam, rationem & modum iuſtum faciendi volũtatem eius ad gloriam nominis ipſius & ad fidei ſynceræ Eccleſięq; fidelẽ cõſeruatioem. Simul offerimus A.V. noſtra obſequia, cõmendamúſq; eidem nos omnes. Cæterum per tres integros dies tabellarium hunc veſtrum detinuimus, quòd nõ potuerimus nos citius explicare. Datum Tiguri, 11. Octobris. anno M. D. LIII.

V. Amplitudini dediti Paſtores & Lectores, Miniſtri Eccleſiæ Tigurinæ.

CALVINVS VIRETO S. D.

DE rebus noſtris volebam apud vos ſilere, ne fruſtra mœrorem vobis augerem. Sed quia veritus ſum, ne grauius vos afficerent varij rumores, ſatius tandem mihi viſum fuit, de ſumma ipſa breuiter vos certiores facere. Cùm ante ſeſquiannum interdictus foret vſus Cœnæ Berthelerio, tunc apud Senatum conqueſtus fuit: nos in gratiam nebulonis vocati ſumus in curiam. Cùm auditæ eſſent cauſę, pronuntiauit Senatus iure fuiſſe excommunicatum. Inde quieuit ad hunc vſque diem, vel deſperatione vel contemptu. Nunc verò ne Perrini Syndicatus effluëret, neglecto Conſiſtorio ſe reſtitui à Senatu voluit. Ego iterum vocatus, multo ſermone diſſerui non ritè neque ordine id eſſe facturos: imò fas non eſſe Eccleſiæ diſciplinam hoc modo labefactari. Me tamen abſente, nec audito Conſiſtorio, data eſt illi recipiendę Cœnæ facultas. Simul-ac mihi renunciatum fuit, modis omnibus curaui, vt Senatum Syndici vocarent. Ego ita ſedulò in cauſam incubui, vt nihil meo iudicio prætermiſerim, quod ad flectendos eorum animos faceret: partim vehementia, partim moderatione ad ſanam mentem reducere conatus ſum. Iuraui etiam mihi potius ſtatutum eſſe mortem oppetere, quàm vt ſacram Domini Cœnam adeò turpiter prophanarem. Nihil enim eſſe indignius, quàm vt ille ſua contumacia Eccleſię Dei illudens & inſultans, peſſimos quoſque & ſui ſimiles, quaſi elato vexillo, ad eandem proteruiam incitaret. Reſponſum eſt, Senatum de priore ſuo decreto nihil mutare. Ex quo perſpicitis, mihi hac lege relinqui Miniſterium, ſi Conſiſtorij auctoritatem calcari patiar, ac Chriſti Cœnam manifeſtis contemptoribus porrigam, qui pro nihilo ſibi eſſe Paſtores iactant. Atqui centies moriendum foret potius, quàm vt Chriſtum ita fœdo ludibrio ſubiicerem. Quid heri in vtraque concione dixerim, non commemoro: quia multi coràm narrabunt. Nunc igitur habeant improbi & perditi homines quod captarũt. Me, vt par eſt, angit Eccleſiæ calamitas. Verùm ſi tantum licentiæ Deus Satanæ concedit, vt violentis imperiis opprimatur Miniſterij mei libertas, defunctus ſum. Ipſe verò qui vulnus inflixit, remedium inueniet. Et ſanè, cùm tanta ſcelerum impunitas iam per annos complures graſſata ſit, Dominus fortè iudicium aliquod parat, cuius conſpectu ſum indignus. Denique quidquid futurum ſit, partes noſtræ ſunt, nos eius arbitrio ſubiicere. Valete fratres integerrimi. Dominus vobis adſit ſemper, vos gubernet ac tueatur. Viciſſim orate, vt miſeram hanc Eccleſiam reſpiciat. Genevæ, Pridie nonas Septembres. M. D. LIII.

CALVINVS BVLLINGERO. S. D.

EN vobis iterum nouus labor. Diſciplinam Eccleſiæ, quæ hîc mediocris eſt, iam per integros ſeptem annos oppugnant, quicunque cuperent ſine iugo laſciuire. Sed homines diſſoluti ex vulgo non tantùm nobis facerent negotij, niſi duces haberent, qui ex eorum licentia ſibi potentiam quærunt. Iam eò ventum eſt, vt labefactetur quidquid hactenus ordinis Eccleſiaſtici

fiastici viguit, nisi istinc afferatur remedium. Atque hac de causa non dubitauit optimus frater noster Dominus Budæus, hoc aspero anni tempore profectioem ad vos suscipere, vt vos de toto negotio admoncat. Breuis tamen summa est, vt amplissimus Senatus vester, verbo Dei consentaneam esse respondeat, quam hactenus sequuti sumus formam: deinde nouitatem improbet. Reliqua ex literis communibus intelliges, quas tamen ea lege scripsi, vt si non expediat longius proferri, nominatim D. Gualthero eas communices. Tuo iudicio totum hoc permitto. Si duo illa capita per vos impetro, vt leges nostras Senatus vester suo suffragio confirmet omni ambiguitate præcisa, & à nouitatis studio nostros deterreat, huic Ecclesiæ in longum tempus parta erit quies. Literas meas tibi pridem redditas esse confido, in quibus gratias vobis omnibus agebam meo, & fratrum nomine pro fideli, sanctóq; responso, quod in Serueti causa dedisti. Præclara illa commendatio, qua nos ornastis, apud bonos suum habuit põdus: effrænes ac perditos nondũ frẹnare potuit, vt vides. Breui tamen spero meliora, si istinc iuuabimur. Librũ Serueti, & farraginẽ illam, quam petebas, ciuis quidam vester ad te tulit. De misera Angliæ vastitate plura scis, quàm expediat. Itaq; à scribendo supersedeo. Vale ornatissime vir, & venerande frater. D. Gualthero, vxori tuę, generis, & fidelibus salutem plurimam. Dominus vos omnes tuatur suo præsidio, & spiritu regat. Geneuæ, XXVI. Nouemb. M. D. LIII.

CALVINVS TIGVRINIS MINISTRIS FRATRIBVS ac Symmistis pl. obseruandis S. D.

ME quidem valde pudet, optimi & ex animo colẽdi fratres, quòd cùm nuper vobis in Serueti causa molestus fuerit Senatus noster, nouum iam rursus negotium exhibet. Est tamen aliqua eius rei iusta excusatio. Nam cùm se ferocius iactet quorundam improbitas, quàm vt ad resistendũ pares sint, qui rectè piéq; sentiunt, subsidium à vobis petere coguntur. Ego verò vt maximè vobis parcere cupiam, cessandum tamẽ in tanta necessitate non putaui. Ex quo ad hanc Ecclesiam reuersus sum, disciplinæ forma si non perfecta, & qualis optanda foret, saltem tolerabilis viguit. Institutum enim erat Consistoriũ, quod regendis moribus prẹesset. Nulla in eo ciuilis iurisdictio, sed tantùm reprehẽsiones ex verbo Domini: vltima verò pœna, excommunicatio. Inter alia certamina, quæ nobis subinde per continuum trienniũ mouerunt Satanæ ministri, hoc nos violenter exercuit, quòd quidam perditæ impudentiæ nebulo, cõtra Ecclesiæ iudicium ad sacram mensam prorumpere conatus, vbi nos constanter furori suo resistere vidit, vrbem impleuit magno tumultu. Nec verò difficile hoc illi fuit, cùm ab impiorum factione ad hanc fabulam agendam delectus foret. Et quia non modò eosdẽ habebat patronos, quos Serueti causam clamosè tueri non puduit, sed etiam socios atque auctores, summa contentione, adeóq; intemperie ab illis effectum est, vt Maior Senatus receptum, & hactenus seruatum Ecclesiæ ordinem repente conuelleret. Nos iterum restitimus. Qui errore lapsi fuerant, decernunt petendũ esse ab Helueticis Ecclesiis consilium. Quanquam autem ad vos non scribitur, quia tamen certum est, Clarissimi Senatus vestri responsum non nisi ex sentẽtia vestra fore, ego vos in tempore monendos ac rogandos censui. Et optimus vir, ac imprimis cordatus, mihíque vnicè dilectus frater profectionem hanc aduerso anni tempore, laboris & molestiæ plenam libenter suscepit Ecclesiæ nomine. Primùm igitur vos per Christi nomen obtestor, vt cogitetis non vulgare aliquod negotium vobis tractandum esse: sed de toto huius Ecclesiæ statu consultationem haberi. Ego enim quod perfidæ ignauiæ esse arbitror, quandiu hanc personam sustineo, nõ acriter ad extremum vsq; pugnare pro sancta & legitima disciplina, centies è vita potius, nedum ex hoc loco migrare sta tui, quàm vt patiar impiè labefactari, quod ex Dei verbo sumptum esse probè cognosco. De excommunicatione non omnes hodie idem sentiunt. Nec me latet pios, & doctos esse homines, quibus sub Christianis principibus nõ videtur necessaria esse excõmunicatio. Atqui neminẽ fore cõfido sanæ mẽtis, rectíq; studij, qui eius vsum improbet. Mihi certè non obscura est Christi doctrina. Sicubi à plebe impetrari non potest, vt hoc Christi iugum suscipiat, postquam strenuè eò incubuerint Pastores, alia est eorum ratio, quàm nostra. Nimis enim turpe esset, ædificiũ quod nobis tuendum Christus commisit,

viuis & videntibus nobis dirui,ac euerti.Nec vereor, vt pertinaciæ damnetis meum ſtudium,vbi perſpecta fuerit,quam hactenus ſequuti ſumus ratio,& quam nobis impij eripere moliuntur.Quòd ſi vobis liquebit nihil in ea contineri, niſi puræ Chriſti doctrinæ conſentaneum,obſecro date operam,vt idem teſtetur Clariſſimus Senatus veſter. Hoc enim præcipuum eſt,vt intelligant noſtri homines nouitatẽ,quam affectant, ſe non poſſe conſequi, quin diſcedant à Chriſti regula, vel, ſi hoc durius videtur,quin deflectant. Superest vt D.Budęus quod literis complecti non ſatis ſit,coram vobis exponat.Dominus mihi & Collegis meis è cœlo teſtis erit, nihil ab annis quatuor omiſſum fuiſſe ab improbis hominibus,quò paulatim mediocrẽ huius Eccleſiæ ſtatũ peſſundarent. Clandeſtinas eorũ machinationes ab initio perſpexi. Verùm,non habeo quid dicã, niſi quòd Dominus flagella parabat corã oculis noſtris,vt timorẽ incutiens nos ad ſe reuocaret. Quia verò ſurdi,& cæci eramus,remedio locus non fuit.A biennio autẽ non alia fuit noſtra cõditio,quã ſi inter profeſſos Euangelij hoſtes verſandum nobis foret. Nunc extremus actus agitur.Multis enim victoriis potiti Euangelij hoſtes, magnificũ de Chriſto,eiúſque doctrina,& Miniſtris,deniq; membris omnibus triumphũ agere cogitant.Quàm inhumaniter,contumelioſè,& barbarè vexauerint Chriſti exules, quos in fidẽ ſuam receperãt,dicere ſuperſedeo.Quàm placidè,modeſtè & patiẽter omnes indignitates deuorauerint,quibus aſylũ in prompu erat, ne ipſi quidẽ iniuriarũ auctores negare poterunt.Nunc ad ſummũ peruenit nequitia,vt omni pudore excuſſo,templũ Domini in lupanar cõuertere obſtinatè cupiant. Atq; vt ſciatis, quàm fœda ſit deformitas,cùm hîc nuper eſſet frater noſter Farellus,cui ſe totos debẽt,vt ſatis noſtis, & pro iure ſuo eos liberè moneret, tantus in eũ furor exarſit, vt capitale iudiciũ in eum intentare non ſint veriti.Scio equidẽ nõ debere nouum videri,ſi reperiantur in vrbe libera factioſi homines,qui turbas concitent.Sed deploranda eſt Senatus noſtri cæcitas,quòd libertatis ſuę patrem,& patrem huius Eccleſiæ ſibi reum cauſæ capitalis mitti à Neocomenſibus poposcit.Dedecus huius vrbis proferre cogor, quod ſanguine meo delere cuperẽ.Venit Farellus:antequam vrbẽ ingreſſus eſſet, denuntiauit domi meæ Apparitor Senatus, ne ſuggeſtũ conſcẽderet.Reliqua nõ perſequor: quia ſatis eſt eius ingratitudinis guſtũ dediſſe,quæ bonis omnibus, & ingenuis meritò ſtomachũ mouebit. Sed quoniã me complures cauſæ impediunt,ne mala noſtra apertè deplorẽ, ſic breuiter habete, niſi per vos cohibeatur Satã,habenas ei laxatum iri.Perinde ergo ſatagere vos decet, ac ſi in manu veſtra eſſet huius Eccleſiæ ſtatus. Nec moroſitate noſtra fiet, vt loco potius cedamus, quàm ſententia.Omnes enim boni norunt,vt turbis obuiam iremus, hactenus nos fuiſſe plus ſatis flexibiles:cùm tamen minimè dubiũ foret, patientiã noſtrã ab improbis tẽtari.Hanc autem victoriam illis tradere non licet,quin ſcientes & volentes totum ius Eccleſiæ prodamus:nõ modò quia peſſum ibit Miniſterij noſtri auctoritas: ſed quia fœdiſſimis quibuſque probris ſubiectum erit Chriſti nomen, effrænis malorum omnium licẽtia magis ac magis inſoleſcet, piorum conditio non modò iniuriis quibuſque obnoxia, ſed prorſus afflicta miſerè iacebit.Quò certius confido vobis curæ fore, vt ſuffragio veſtro ſubleuati qui hîc ſunt fideles, Deum paulò quietius colant. Valete optimi, & verè mihi colendi fratres.Dominus vobis adſit,& ſpiritu ſuo vos regat,prudentiámque ſuppeditet,quæ non tuendæ modò veſtræ Eccleſiæ ſufficiat,ſed aliis quoque fulciẽdis.Collegę mei vos diligenter ſalutant,& commendant,quàm poſſunt ſtudioſiſſimè hanc Eccleſiam veſtræ fidei,& prudentiæ. Geneuæ, XXVI. Nouembris. M. D. LIII.

Ioannes Caluinus veſter.

SVMMA QVAEDAM CAPITA DISCIPLINAE Eccleſiaſticæ Geneuenſis.

Nota de disciplina eccleſiastica

IAm elapſi ſunt anni duodecim,ex quo inſtituta fuit Geneuæ habẽdi Conſiſtorij ratio,& præſcriptæ leges:quas non modò tulit Senatus,ſed totus populus ſuis ſuffragiis recepit,ac ſanciuit. Vnde fideliter,& ad verbum excerpta ſunt capita,quæ ſequuntur.

Si quis dogmata ſpargat receptæ in Eccleſia doctrinæ contraria,amicè & fraternè moneatur:ſi acquieſcat,remittatur ſine vlla infamiæ nota:ſi peruicax fuerit, vel pertinacius addictus ſit errori ſuo,ſeriò moneatur, donec iudicet Cõſiſtoriũ maiori ſeueritate

ſeueritate opus eſſe: ac tũc quidem interdicatur illi vſus Cœnæ, & deferatur ad Senatũ.

Si qui ſacros conuentus negligant, vt palàm appareat id contemptu fieri: vt ſi qui Eccleſiaſticum ordinem ſpernant, vt talium exemplo vileſcat, & peſſum eat fidelium communio: illi ad Conſiſtorium vocati, moneantur. Qui ſe dociles & morigeros præbuerint, amicè remittantur domum. Si quos obſtinatè in deterius pergãt, poſtquam ter fuerint moniti, prohibeantur ab vſu Cœnæ: ídque Magiſtratui indicetur.

Quòd ad ſingulorum vitam ſpectat, teneatur in corrigendis vitiis ratio, quam Dominus præſcribit: nempe vt occulta vitia priuatim placidis admonitionibus caſtigentur: nec quiſquam fratrem ſuum ad Eccleſiæ iudicium vocet ob delictum, quod cũ publico ſcandalo cõiunctum nõ erit, donec ad ipſum delictum acceſſerit contumacia.

Cæterum qui ludibriò habuerint priuatas monitiones, moneantur rurſus ab Eccleſia. Si præfracti fuerint, & quanuis legitimis teſtimoniis conuicti, pro veniæ deprecatione pertinaciam opponant, arceantur ab vſu Cœnæ, vſque ad reſipiſcentiam.

Quòd ad manifeſta & famoſa peccata ſpectat, quæ Eccleſia diſſimulare nequit, hoc diſcrimen adhibeatur: Mediocre delictum, cui caſtigando admonitio ſufficiet, non vltrà proſequantur Conſiſtorij ſeniores. Vocetur quidem propter aliorum exemplum, qui deliquit: ſed petita venia remittatur. Si nulla appareat reſipiſcentia, repetatur ſeria obiurgatio. Qui verò in Eccleſiæ ſcandalum pergent, tanquam Dei contemptores arceantur à ſacra Cœna, donec reſipiſcentiæ ſignum dederint.

Quòd ſi grauius ſit flagitium, & ſeueriore pœna dignum, quàm vt verbis caſtigetur, de eo cognoſcent Conſiſtorij iudices, vt qui ita prolapſus fuerit, arceatur à Cœna Domini ad breue aliquod tempus, vt ſe coram Deo humiliet.

Si quis contumaciter ſpreto Conſiſtorij iudicio, ad ſacram menſam ſe ingerat, repellatur à Miniſtro.

Ea ſeruetur moderatio diſciplinæ, ne querimoniis vlla detur occaſio propter immodicum rigorem: atque vt correctiones nihil aliud ſint, quàm vtiles medicinæ.

Sic etiam intra fines Eccleſiaſtici regiminis Conſiſtorium ſeſe contineat, vt nihil ordinariæ poteſtati Magiſtratus deroget, ac detrahat: ac verbi Miniſtri ſpirituali gladio contenti, ciuilem iuriſdictionem non attingant, nec quicquam delibent ex iure Magiſtratus. Adeóque quoties ad Conſiſtorium delatæ erunt cauſæ, quarum cognitio ciuilem pœnam, vel coercitionem requiret, mittantur partes ad Senatum, vt ciuile iudicium ſuo arbitrio exerceat.

Porrò ſcire operæpretium eſt, non ſolos verbi Miniſtros ſedere iudices in Conſiſtorio: ſed numerum duplò maiorem, partim ex minori Senatu, ex delectis ſenioribus eſſe, vt vocant, partim ex maiori deligi: adhæc vnum ferè ex ipſis Syndicis præſidere.

Per annos duodecim ita ſibi temperauit Conſiſtorium, vt ſatis conſtet nemini factam fuiſſe iniuriam: vel plus oneris fuiſſe impoſitum, quàm cauſa exigeret. Pauci quidem interea proterui homines conqueſti ſunt. Verùm Senatus re cognita ſemper iudicauit Conſiſtorium ritè officio ſuo eſſe functum.

Inter alios præcipuus extitit nebulo quidam, cuius improbitas bis firmis ac validis rationibus ita refutata fuit, vt à Senatu pronunciatum ſit, etiam iure excommunicatum eſſe. Cùm per ſeſquiannum ſacra communione priuari maluerit, quàm pœnitentiam apud Conſiſtorium teſtari, nuper ius ac libertatem recipiendæ Cœnæ à Senatu impetrauit, Conſiſtorio non audito: admiſſus tamen non fuit: quia Paſtores fas ſibi eſſe negarunt, leges in quas iurauerant, violare. Cùm multi obſtreperent, vocati ſunt in Curiam Miniſtri, à quibus oblata fuit excuſatio quæ ſequitur.

Magnifici Domini, non longis verbis præfamur, quantopere vobis optemus morem gerere: ſicuti etiam vobis obſtricti ſumus: quoniam obſequia noſtra, ſicuti hactenus nos feciſſe cognoſcitis, maluimus reipſa & veris documentis probare. Verè tamen aſſerere poſſumus, nihil eſſe nobis magis in animo, quàm vobis obſequi, quò ad licet. Verùm ſi nobis obſtat conſcientia, quò minus ſine exceptione veſtris omnibus mandatis pareamus, vos obſecramus ſuppliciter per nomen Dei, ne iuſtas excuſationes grauemini admittere. Quin potius quod rectum ac Dei verbo conſentaneum eſſe docuerimus, veſtra auctoritate ſanciatis, vt fideliter poſſimus quæ & Deo & vobis debemus officia præſtare. Neque enim vnquam liberaliter & ſyncero animo vobis ſeruiemus, niſi ſimpliciter, & qua decet integritate ſequamur quod Deus nobis præſcribit: & quidem ea conſtantia, vt ne huc vel illuc flectamur in hominum gratiam.

Hoc in disceptationem trahitur: Ad quos ius & auctoritas excommunicandi pertineat. Nunc quia professi estis, nolle vos à vestris legibus discedere, superuacuum foret longo sermone ostendere, quicquid quærimus, esse prorsus verbo Domini consentaneum. Et certè ita sunt compositæ illæ leges, vt nihil contineant, quod non ex puro fonte Scripturæ petitum sit. Dicimus ergo totam rem, de qua nunc controuersia nobis mouetur, clarè illic esse expositam. Nam & quas ob causas excommunicandi sint qui peccarunt, dilucidè statuitur, & hæc prouincia mandatur Consistorio.

Nunc friuolo cauillo ius suum Consistorio quidam eripere tentant, quia alicubi additum est, vt Consistorium de suo iudicio vos certiores reddat. Neque enim hoc modo impeditur Consistorij libertas, quò minus disciplinam sibi mandatam exerceat: sed in alium finem posita sunt hæc verba, vt duros & indomitos homines coerceatis, quibus contemptui est spiritualis correctio. Et sanè vobis denuntiare non iubetur, vt iudicium ad vos transferat, quisnam priuandus Cœna sit, necne: quemadmodum alibi diserte exprimitur, vt de pœnis, & de tota ciuili iurisdictione vobis integra seruetur cognitio. Illic enim Consistorio frænum iniicitur, vt à iure vestro abstineat. Hîc autem postquam suis partibus fuerit functum, iubetur ad vos deferre, ne contemptores impunè aduersus Ecclesiam lasciuiant. Atque ita distincta est ratio, vt penes Consistorium ius excommunicandi maneat: vos autem imperio coerceatis rebelles, vbi ita visum fuerit.

Imò hoc non vbique præcipitur, vt quoscunque prohibuerit à Cœna Consistorium, vobis significet. Sed nominatim hoc ad duas species restringitur: nempe, Si qui spargendis falsis dogmatibus pertinaciter insistant: vel si qui in spernendo Ecclesiæ ordine obstinati sint: quia in ea parte plus est periculi, vt opus sit Magistratus imperio. Quod pertinet ad reliquos omnes, siue monitionibus non paruerint, siue delicta sua fuco obtegere conentur, siue culpam confessi ad ingenium mox redeant, vt appareat non seriò fuisse tactos: siue malo exemplo offenderint Ecclesiam: nulla illic vestri fit mentio: quia nondum eò vsque malum inualuit, vt à vobis subsidium petatur. In summa, non aliò respicit illa denuntiatio, nisi vt vindices sitis, vbi ludibrio habebitur Ecclesia Domini, & spiritualis eius correctio pro nihilo ducetur.

Videtis ergo, Magnifici domini, in vestris legibus nihil esse obscurum, vel ambiguum: ac sine controuersia excommunicandi munus Consistorio iniungi.

Cùm autem eos, qui se temere & proteruè ingerunt, à Ministro repelli oporteat, plusquam absurdum foret admitti crassos contemptores, qui palàm & ex professo Ecclesiæ insultant. Nisi fortè permittere illis velitis, vt contumelioſè spernendo qui à vobis creati sunt iudices, quique totum corpus Ecclesiæ repræsentant, tam de Deo ipso, quàm de vobis triumphum agant. Atqui minimè ferendum est, vt sanctum illud & spirituale regimen, quod Deo pretiosum esse scimus, & quod nobis tantopere commendat, profani homines pedibus calcare sibi permittant. Et sanè præstaret nullum ordinem esse positum, quàm vbi positus est, ita violari. Præstaret nullum esse Consistorium, quàm extare inane nomen tam fœdis ludibriis obnoxium.

Interea non vos latet, obseruandi Domini, quoties conquestus est quispiam de nimia seueritate, nos semper ad reddendam rationem fuisse paratos, & ita vobis satisfeciſſe, vt semper os maledicis obstructum fuerit. Scimus enim quantopere ab officio nostro abhorreat eam tyrannidem nobis arrogare, vt pro ratione nobis sit voluntas. Nec verò, etiam si per homines liceret, quidquam tale nobis ipsi concederemus. Adde, quòd nunquam recusauimus vel minimis quibusque ex plebe officij causam nostram reddere, quoties rogati sumus. Tantùm abest, vt grauemur eandem erga vos modestiam colere, quos omni reuerentia (vt par est) honoréque prosequimur. Et vos nobis huius rei optimi estis testes. Cæterum vt nos perspicitis ad omnes officij nostri partes implendas propensos & voluntarios, viciſſim à vobis petimus, quoties vobis constabit iniquè nobis detrahi, vt manum nobis porrigatis: nec patiamini grassari eorum lasciuiam, qui sùsque déque habẽt omnia turbare, vt iugum disciplinæ excutiant. Memoria etiam repetite quod sæpius ex nobis audistis, si obtinuerit hæc licentia, vt quò quisque contumacius se efferet, ac audacius ordinem labefactabit: eò meliore sit loco, & mercedis vice priuilegium reportet, quo legibus soluatur, fieri non posse, quin paulò post horribilis sequatur confusio.

Quare magnifici & obseruandi Domini, vestrarum partium est, huiusmodi scandalis

ita in

ita in posterum mederi, vt colatur inter nos Deus omnium consensu: politia Ecclesiæ suo tenore fluat: vos extra molestiam sitis: & nobis liceat salutis doctrinam sine controuersia & trãquillè ministrare. Tantùm enim absumus à libidine minuendi iuris vestri, vt assiduè potius Dominum pro Reipublicæ vestræ statu precemur. Et certè nihil nobis magis expedit, quàm vos florere, & prosperè habere in Domini gloriam. Nec verò timendum est, ne vestræ auctoritati insidias tendamus, pro qua tuenda, si ita ferret necessitas, libenter quisque nostrûm vitam impenderet. Quare si ius vestrum cupitis saluum tenere, non est cur nobiscum litigetis.

BVLLINGERVS CALVINO S. D.

SImul & se abire iam, & si quid scribere velim Geneuam, hic mihi significauit. Idcirco vix ista scribere potui. Accepi tuas frater chariss. Audiui Gualterum nostrum, qui me solicitum & anxium reddidit. Ne recesseris, oro, ab ea ecclesia quæ tot habet viros excellentes. Memineris illius ex actis Apostolicis. Noli timere, nam multus est mihi adhuc in hac vrbe populus. Tametsi enim sunt porci & canes multò plures quam velimus, propter electos tamen multa sunt toleranda. Præterea non ignoras quãtum actum sit tripudium, omnes qui in Gallia Christum oderunt: quanto denique periculo exules Gallos exposueris, si discesseris. Mane ergo, Mane & patere quęcunque Dominus immiserit probra, contemptiones, pericula, mala. Non deseret te Dominus. Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei. Obtulit quidem Dominus materiam per occasionem accommodatissimam Amplissimo Senatui Geneuẽsi se & Ecclesiam expurgandi à labe seu fœditate hæreseos, dum Seruetũ illũ Hispanum in manus eius dedit. Nouit hũc bona pars orbis Christiani vel ex blasphemis libris editis de erroribus Trinitatis, & iis quæ edidit merè Iudaica pro iustificatione operum. Audis illum nunc alio edito libro semetipsum superasse impietate. Si ergo huic rependeret Amplissimꝰ Senatus, quod blasphemo nebuloni debetur, totus orbis cerneret Geneuẽses blasphemos odisse, hæreticos, qui verè sunt pertinaces hæretici, gladio iustitiæ persequi, & gloriam maiestatis Diuinæ vindicare. Verum si hoc nõ fecerint, tuum tamen non fuerit deserta illa Ecclesia aliis quoque malis occasionem præbere. Pugna intrepidè, Deo confide per Christum, implora eius consilium & auxilium, vt te eripiat. Iuuamus te certatim orationibus nostris. Viue & vale XIIII. Septemb. M. D. LII.

Tiguri. Act. 18. 9. 10

CAL. BVLLINGERO S. D.

INtelligo ex tuis literis obseruande frater, tibi non satis nota fuisse mala nostra, de quibus apud te conquestus fueram. Quia me improbi sciunt irritabilem esse, sæpius & variis modis stomachũ mihi mouendo, patientiam excutere conati sunt. Tametsi verò difficilis mihi fuit lucta, nunquam tamen adepti sunt quod captabãt, vt de via deflecterem. Et iam ad omnes eorũ punctiones pridem obdurui. Dominus enim ita me intra breue tẽpus in hac gente exercuit, vt multis experimentis didicerim, quàm multa Christi ministris ferenda sint. Idem quoque vt spero, qui me hactenus sustinuit, non minori in posterũ fortitudine instruet. Quare eius auxilio fretus stationem in qua me locauit, nunquam volens deseram. Nec verò, cùm hîc nuper esset Dominus Gualtherus, vllis contumeliis, vel indignitatibus fractus, ad cedendum me parabam: Sed quoniã ab improbis inita erat ratio, qua me inuitum extruderent. Quidam ob effrenes suas libidines, & multa flagitia, Cœnę vsu priuatus donec resipisceret, contẽpto Ecclesiæ iudicio, volebat nihilominus admitti: & cum palàm, sua contumacia, ius consistorij euerteret, obtinuerat à Senatu, quod recusare mihi necesse fuit. Cæterùm, quia ferreũ os hominis mihi notum erat: & data opera eum improbi mihi opposuerant, vt vel sua proteruia me vinceret, vel tumultum concitaret, Senatum admonui quid facturus essem. Peruicit deterior factio, vt nihil æqui impetrarem. Postridie adierat frater noster Dominus Gualtherus, vbi me potius mortem obiturum denunciaui, quàm vt sacrum Domini panem canibus prostituerem: qui ex professo non sine Euangelij crasso ludibrio, Ecclesiæ ordinem pedibus calcare statuerent. A prandio quid dixerim malo ex oratione ipsa intelligas, quam Beza noster vertendam curauit. Ne quid mutatum putes: ego nunquam inspexi: Sed à notario sumpta est, qualem ex ore meo

exceperat.Postea res agitata in Senatu fuit,vbi cùm superior esset bona causa,destiterũt pauliſper qui res turbatas cupiunt, donec tumultuandi magis opportunum esset tempus.Instat autem solennis Comitiorum dies,vbi aliquid proculdubio tentabunt.Sed faciet Dominus,vt peruersi eorum conatus euanescant. Mihi disciplinam, quæ hîc & Senatus,& populi decreto recepta est,morte potius sancire certum est,quàm vt me videte labefactari patiar.Si me ab officio prohibeãt,coactus potius discedam, quàm libertate me abdicem, qua perdita Ministerium meum concideret. Nec verò ita ferreus sum, quin me excruciet horrenda,quam prospicio futuram,gregis dissipatio. Sed dum reputo quid mihi liceat,in proposito confirmor. Tu quod facis, precibus nos iuuare perges, vt hoc ouile sibi Christus conseruet. Iam agitur octauus dies,ex quo à vobis rediit nuntius.Quantùm pro fideli vestra opera,cordatóque responso hæc Ecclesia debeat,verbis assequi nequeo.Iam verò quòd de me,& collegis meis tam amanter,& honorificè in doctrinæ nostræ commendationem loquuti estis, hoc nomine priuatim nos vobis obstrictos agnoscimus,& non vulgarem habemus gratiam. Vtinam mutuis officiis certare nobis daretur. Sed vos animis nostris scimus esse contentos.Quid de homine futurum sit, nondum scitur. Quantùm tamen coniecturis assequor, cras feretur in curia iudicium: perẽdie verò ad supplicium ducetur. In Gallia res nihilò melius habẽt, quàm solebant. Vbi sæuiendi est materia,sanguini non parcunt. Diuione breui tres exurent, nisi fortè id iam factum sit.Et periculum est, ne Scotiæ motus incendium exasperent. Hoc ideo commemoro,vt miseri fratres vobis sint commendati. Nemausi enim septem,vel octo teneri in vinculis allatum est.In aliis Galliæ vrbibus complures sunt. Vale ornatissime vir,& frater mihi plurimùm colende.Saluta diligenter Symmystas,vxorem,generos,& filios.Dominus vobis semper adsit,vos tueatur,& Spiritu suo regat. Collegæ mei plurimam vobis salutem dicunt.Geneuæ, v i.Calend.Nouembr. M. D. L I I I.

Farellvs Calvino s. d.

VI Bernæ,quò me fratres ire iusserunt reluctantẽ, vt aliquibus flagitãtibus Pastorẽ obtineremus,omnes probabant quod petebã.Si Christus propitius fauerit miseris,fiet aliquid,alioqui spei nihil affulget. Vereor ne mihi cõtingat quod iis qui sua seniores elargiti sunt iunioribus,qui pro gratia, graues sunt oculis eorum de quibus bene meriti sunt. Scortum R. quod tam malè audiuit ob anteactã vitã,ne quid dicã de morte mariti (nescio an ei liceat intrare solũ Bernense) egit,vt scis,non procul istinc apud Pontificios velut defectrix ab Euangelio: & puellã quam habebat iam initiatam Euãgelio, & quæ fuit particeps Cœnæ D. elocauit viro infesto doctrinæ Christi: & ita locata puella defecit ab Euangelio séque adiunxit Põtificiis,& eorum scelestis sacris.Et cùm hîc agat,rogata fuit num vellet vale dicere Antichristo,& ad Euangelium redire,ac perpetuò in eo viuere.Respondit,oportere vt virum sequeretur, & viuere pro more eorum apud quos ageret.Hæc fassa nõ se victuram iuxta Euangelium, peperit puellam. Auia puellæ voluit natam offerre baptizandã.Ego respondi non admittendam,quòd in fœdere non sit, cùm neuter parens fidelis sit, neque in Ecclesia Christi agat & admittatur:nec posse nos quenquam intingere nisi fuerit in fœdere: aióque R. id nunc velle in ruinam Ecclesiæ moliri, quòd olim pater,qui erronis filium voluit offerre intingendum,ex iis scilicet quos Ægyptios vocant. Cúmque videret me adigẽte patrem erronem ad abnegandam omnem impietatem in qua vixerat, & stipulante vt iuxta Euangelium posthac viueret, & insuper cùm vrgerẽ leuantes puerum,vt plenè prouinciam eius susciperent patre cõsentiẽte, & filium permittente & cedente, si non viueret ex præscripto Euangelij: Præfectus ferre actionem hanc non potuit,sed cùm loqui vellet,reprehensus exiuit.Ita filia nunc turbare Ecclesiã vult indebita Baptismi administratione. Collega subdit Auiam esse in fœdere & suscipere filiolæ curam,& quandiu viuet,daturam se operam,vt in Euangelio viuat:& quòd sit in fœdere palàm esse,quia excepta sit ab Ecclesia,& admissa ad Cœnam.Quare si vernæ & emptitij,qui in ædibus erant Abrahami ad Circuncisionem admittebantur, multò magis hãc,quæ in ædibus auiæ nata est. Ego ludi hîc Ecclesiam affirmo. Scilicet mater quæ filiam mancipauit Satanæ,sub quo ea fatetur se victuram, & non sub Euãgelio, dabit operam vt quam minus habet charam,formetur in Euangelio?det primum specimen in filia quam perdidit,reducat eam. Quod autem attinet ad receptionẽ auiæ,ego pernego

pernego me vnquam in eam ſententiam veniſſe neque vēturum, niſi aliud cernam in ea: neque probo collegæ factum, qui ſuo more non vereatur profanare omnia,& improbiſſimos velle admittere cogit. Et quòd attinet ad eos qui cum eo faciūt, res ita habet & quātò iniquior eſt tantò plauſibilior. Nam ſiue ex Turcis ſiue ex Iudæis vel quibuſvis puer offeratur,& quidquid eſt eiuſmodi,intingi iuberent. Quare inſolentia eorum magis cohibenda venit,quàm fouenda. Quòd attinet ad Abrahamum & vernas ipſius, dent micā fidei tanti ſerui D. in tam vili mancipio Satanæ, quod tunc Eccleſiam adeo horrendè fœdauit vt ſtupendum ſit. In Gallia quid non egit,vnde Euangelium malè audiret ſuis ſcortationibus & diuortijs. Adde quòd iudices omnes laici cùm non poſſent eam conciliare viro,vbi iuſta ferri debebat Eccleſiæ excommunicatio, auſi ſunt eam ab omnibus Eccleſiis excommunicare,ſibi vſurpantes quod nō licebat. Sit vana actio,tamen quod iuſtè infligi debebat,vbi ſoluitur? Soluta eſt, ait aliquis,dum admiſſa fuit ad cœnam: nego id legitimè factum. Sed quis audiuit vnquam Abrahamum aliquem ex ſuis mancipaſſe ſacrilegiis idololatrarū,& rurſus perſeuerātem in impietate in ędes ſuas admiſiſſe, & infidelis prolem tentaſſe circuncidere? Actū eſt cum fratribus: qui re parū expenſa, pars ſuaſit intingendam puellam, pars conſulendas eſſe Eccleſias, pars non intingendam. Sed mira contentione collega egit & aliqui ſecum. Non pauci tantum quod vulgus ait nemini denegandum Baptiſmum petenti. Rogabam qua ratione puella munda eſſet. num patris? is prorſus eſt impius. Nū matris? at illa defecit à Chriſto,& in ea defectione pergit. Cùm ergo immunda ſit,quis niſi maledictum incurrens mundam affirmabit? Et vt videas pietatem auiæ,cùm collega decreuiſſet ſciſcitari de fide ipſius,& aſtringere arctius ad procurandum,ne vnquam puella adduceretur in papiſmū: illa reſciens,adiit improbum Plebanum,qui dignus erat Deum Pontificium perpetuò euocare: ac ſe non ita miſcere piis debebat. Habuit leuātes Pontificios & inſuper milites & apud aliam Eccleſiam,quam hāc voluit intingi. Sanè video collegam nimis præfractū. & plus ſibi quàm par ſit tribuentē, Facile huic erit omnia efficere per Conſiſtorium, ſi aliud non videam. D. nobis adſit. Tu cum fratribus tuum iudicium indicabis & aliud non addes quàm ſententiam. Rogabam Muſculum de hac re Bernæ & item Hallerum, vt hic nihil reſponderit niſi quod collaturus eſſet alijs, ita ille iuſſit vt tuum haberem iudicium, quod ei ſubindicarem tandem. Vale. Non moleſtè feras,quòd tam ingrata ſcribam, lętiora non habeo nunc. Faxit Chriſtus vt meliora audiamus,vt fertūtur aliquot epiſcopi admiſiſſe Paſtores Euangelicos,& iam non ſe cornutos epiſcopos, ſed duces principéſque dicere. Neocomi XVIII. Iulij M.D.LIII. Saluta pios omnes.

CAL. FARELLO. S. D.

Gratia tibi & pax à Deo Patre noſtro & D. Ieſu Chriſto.

QVòd de cauſa apud vos dubia ſententiam noſtram rogas frater & ſymmyſta in Domino venerande. Liceátne ordinis noſtri miniſtris,qui puram Euangelij doctrinam profitentur ad Baptiſmum admittere infantem, cuius pater ab Eccleſiis noſtris alienus eſt: mater verò ad Papatum defecit: ita vt parentes ambo ſint Papiſtæ,ita reſpondendum cenſuimus. Abſurdum eſſe vt eos Baptizemus,qui corporis noſtri membra cenſeri nequeunt. Quum in hoc ordine ſint Papiſtarum liberi,quomodo Baptiſmum illis adminiſtrare liceat,non videmus. Accedit etiā altera ratio. Stipulamur enim ab iis qui offerunt, vt adultos erudiāt in ea fide,in qua baptizantur. Si nemo fideiubeat,profanari Baptiſmum certum eſt. Si verò promittant fideiuſſores quod non eſt in eorum poteſtate,palàm luditur Deus,præſertim ſi hoc notum ſit,non ſeriò ſed tantùm defunctoriè promitti. Nam ſi aſtutè fallunt,culpa vacuus eſt miniſter. Cæterum minimè dubitamus,non alios eſſe idoneos ſponſores, niſi penes quos ſit præſtandi facultas,hoc eſt, qui infantem habituri ſint in ſua poteſtate, vel qui patris aut matris rogatu fidem ſuam Eccleſiæ obligent. Sed præcipuam in eo difficultatem vobis eſſe intelligimus,quòd auia,pro matre Baptiſmū nepoti ſuo vel nepti petiiſſe dicitur. Nam quum Dominus gratiam ſuam in multas ætates extendat,eam aſtringere non eſt noſtrū. Et certè locum hîc habet vulgaris regula: fauores eſſe ampliandos. Sed duo conſideranda ſunt. An auia in ſe recipiat infantis educationē, idque faciat iure ſuo,vt caueatur Eccleſiæ in grege manſurum qui cooptatur. Neque enim in auiæ gratiam baptizandus erit nepos,in quem nihil habebit ipſa iuris, & qui alienus erit ab eius familia. Circunciſio non

tantùm vernis Abrahæ,sed emptitiis quoque seruis communis fuit: ad Loth verò non peruenit,qui ex eius domo migrauerat. Deinde videndum an ipsa quoque auia membrum sit corporis nostri,& in cœtu piorum locum obtineat. Mulierem designas quæ si apud nos habitaret,quia tamen filiam elocauit extra Ecclesiam, &,quantùm in se fuit, abdicauit à piorum communione,hac vna perfidia se priuauit iure sponsionis,ne audiẽda sit cùm de Baptismo agitur.Certè si vigeret legitima disciplina,excommunicatione digna erat quæ Ecclesiam oue vna fraudauit.Quòd si culpam agnoscens pœnitentiam suam hoc modo testatam faceret, fœtum saltem qui ex coniugio perperam contracto natus est,in matris locum vobis restituẽs, fortè repudiare æquum nõ esset. Verùm quia nihil tale præ se fert,quin potius vt impura est ac profana mulier, ita totam suam sobolem prostituere Satanæ parata est, nimię socordiæ fuerit Baptismũ aperto eius ludibrio à nobis exponi.Certè quæ Ecclesiæ communione indigna est, multò minus potest aliis patẽ facere in eam aditum.Vale eximie vir,ac frater nobis plurimùm obseruande.Symmystis tuis plurimam salutem nostro nomine dices,nósque eorum precibus commẽdabis.Dominus vobis adsit,spiritu suo vos gubernet,manúque sua tueatur.Geneuæ, XVI. Calend.Augusti. M. D. LIII.

CAL. D. AGNETI ANGLAE S. D.

QVanquam sciebã opus fore interprete,generosa Domina,vt literas meas intelligeres,scribẽdi tamen fiduciã mihi dederunt quidam amici: imò ad hoc officium tibi præstandum vehementer hortati sunt. Linguã verò Latinam potius elegi,quia sperabã tibi multos fore ad manũ, qui Italicè exponerent,quum linguæ Gallicæ nulla ferè vel rara sit apud vos cognitio. Principio autem ne fructu careant meę literæ,mihi roganda es,vt eas comiter excipere ne graueris.Quod facilè abs te impetrabo,si consilij mei finem spectes.Quinetiã,quod postulo,sponte & libenter facturam promittunt,quorum hortatu scribo. Nec verò pietati tuę consentaneũ esset,quẽ vnum agnoscis ex seruis Christi, spernere,præsertim salutis tuæ studio loquentem.Ac iusta quidem causa est,vt à gratulatione incipiam.Nam Euangelij fidem sic te amplexam esse audio, vt nihil tibi potius sit syncero Dei cultu:cuius singulare studium in eorum omnium animis vigere debet,qui suauitatem illam gratiæ,quæ nobis in Christo offertur,verè gustarunt.Ideo enim apparuit Filius Dei, & quotidie suos thesauros nobis proponit, vt mundi illecebris renuntiantes, cœlestem vitam meditemur. Ideo etiam semine incorruptibili suæ doctrinæ nos Deus regenerat, vt iustitiæ fructus proferat tota vita nostra, qui sacræ eius adoptioni respondeant. Multi quidem impiè hodie illudunt Christo, prætextum licentiæ quærentes ex eius doctrina: sed videmus quàm horrendis modis hæc sacrilegia Deus vindicet. Te verò in hoc totam esse, vt sancta vita Euangelium ornes, magnopere gaudeo. Atque hinc apparet Euangelium in te viuas egisse radices. Cæterum, quia innumeris hodie corruptelis refertus est mundus, non modò rectè animatam te esse conuenit ad pergendum in hoc cursu, sed inuicta quoque fortitudine esse armatam necesse est, vt sub Christo cœlesti duce milites. Nam sic hodie inualuit impietas, ac præsertim apud vos sic grassatur tyrannis Antichristi, vt non possis sine magnis periculis, & certaminibus integrum Deo cultum præstare. Cuius rei tu optima testis es: atque in eo maximè refulget pietatis tuæ vigor, quòd non solùm tibi non indulges in vitiis communibus, sicuti multi solent: sed quia pro tua prudentia vides quàm misera sit istic tua seruitus, voluntarium exilium subire mauis, quàm in illis sordibus, quæ te contaminant, manere defixa. Porrò quando huc vsque te Deus Spiritu suo expergefecit, mearum partium esse duxi, currenti addere stimulos, & sanctum hoc consilium adiuuare. Si tibi istic esset integrum, Deum non fraudare debito obsequio, manere potius suaderem, quàm relicta patria, longo itinere, magno sumptu, & ingenti molestia longinquam & incognitam regionem petere. Nunc verò cùm minæ & terrores hostium Christi, tibi fidem tuam, vt decebat, profiteri non permittant, te etiam impediat carnis infirmitas, vt ab his laqueis exitialibus quamprimùm euoles, consulere & hortari non dubito: adeóque me tacente fieri non potest, quin te conscientiæ inquietudo ad quærendum remedium assiduè solicitet. Interim cauendum tibi est, ne longa deliberatione frustra tempus terendo,exitum tibi præcludas.Fateor sanè in tam arduo

negotio

negotio temere nihil esse tentandum : verùm si tibi obscura non est Dei voluntas, non potes sine graui eius iniuria, perplexo animo hoc & illud diu agitare. Seriò igitur statue, quod Deus præcipit statim esse exequendum, & simul te absque mora accinge. Nec te retineant vanæ & fallaces blanditiæ, quibus sibi plerique adulantur : sed in mentem subinde tibi recurrat, fidei confessionem Deo magis esse pretiosam, quàm vt leue delictum sit, impuris superstitionibus se polluere. Huc etiam accedit, quòd istic tanquam ouis famelica extra ouile, & pascua Christi in sterili deserto vagaris. Nec me latet, quàm tibi difficile ac molestum sit, ex patria migrare, vt in alieno solo procul à cognatis habites, ac iam prouectæ ætatis matrona non modò mutes domicilium, sed etiam commoditatibus te exuas, quibus in flore ætatis carere durum & acerbum foret. Ad hæc omnia quid obiiciam non habeo, præter hoc vnum, quod tamen vt spero, abundè tibi sufficiet : si sapiat nobis cœlestis vita, nihil in terra esse tanti, quod ab illius studio nos retardet : deinde, Filium Dei non solùm quia de nobis ita meritus est, sed quia summo imperio potitur, dignum esse cuius honorem omnibus mundi honoribus, deliicis, opibus, & commodis præferamus. Quòd si nobis locum incolere liceat, vbi purè colitur & inuocatur Deus, longè præstat illic exulare, quàm in patria quiescere, vnde Christus Rex cœli & terræ exulat. Si nulla te necessitas à nido discedere cogeret, filia tamen Dei non esses, nisi tibi peregrinatio esset terrena vita. Nunc quum te illinc violenter expellat sacrilega tyrannis Antichristi, & Dominus clara voce te exire iubeat, ne tibi adeo molesta sit peregrinandi conditio, donec in æternam hæreditatem nos simul Deus colligat. Vale nobilis & eximia Domina, mihíque ex animo colenda. Dominus te Spiritu prudentiæ regat, fortitudinem & constantiam tibi augeat, suóq; præsidio tueatur.

GASPAR LISERVS NVRTINGENSIS PASTOR IO. CALVINO S. D.

QVòd ego homo tibi ignotus, vir præstantissime, ad te literas dare non vereor, quæso ne audaciæ, aut temeritatis alicuius damnes, multominus ægrè molestéque feras. Hoc enim tibi velim persuadeas, me ad id audendum non nisi germano ac verè ἀνυποκρίτῳ (vt Apostolus vocat) amore erga te esse adductum. Ex quo enim primùm Ecclesiæ cura mihi mandata est (sexennium autem ferè in exercendo hoc munere exegi) ac lucubrationes tuas euoluere cœpi, tantus me tui amor incessit, vt interea vix aliud magis in votis habuerim, quàm me tibi esse notum & amicum. Adeo etiam, vt cùm ante quadriennium Augustanum illud τὸ μεταξὺ, vt vocant, hinc inde grassaretur, ac pios syncerósque Euangelij doctores in exilium eiiceret, mihi diu propositum aliud non fuerit, quàm statim Geneuam me velle petere, simul ac ministerio prohiberer. Etiamsi verò id (Christo sit laus & gloria) non factum, & Deus ex mero suo fauore, quo nos nunquam non prosequitur, Euangelium suum purum nobis partim reliquerit, partim dispulsis τοῦ μεταξὺ & Papatus tenebris, iterum restituerit, ego tamen te propterea amare non desij. Sed quò tu indies plures in Ecclesiæ cõmunis vtilitatem & ædificationem libros emittis, eò maiore quoque studio te semper ego quoque prosequor. Quamobrem cùm nuper ex bibliopola nostro, cùm esset in nundinas illas Francfordienses profecturus, quærerem, num etiam Geneuenses illuc venirent, ille verò non solùm venire eos, verùm etiam sibi nonnihil familiaritatis cum eis intercedere diceret, tẽperare mihi non potui, quin traderem bibliopolę literas, quas ab eo Geneuẽses mercatores acceptas, ad te vsque perferrent. Accipe igitur, vir ornatissime, hanc epistolam tãquam μνημόσυνον amoris mei erga te summi, syncери, ac verè Christiani : Christiani inquam, vtpote qui pietatis auspiciis consecratus, ab externis causis non pendeat : quemadmodum tu alicubi de eiusmodi amicitia loqueris. Hanc enim ego quoque, cum Hieronymo, pro vera amicitia & necessitudine habeo, quàm non vtilitas rei familiaris, non prẹsentia tantùm corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor & diuinarum literarum studium conciliant, ac sic Christi glutino copulatur : qualis reuera hęc nostra erit, si modò me in album tuorum amicorum referre dignatus fueris. Tu autem, mi Caluine, in sancto illo tuo ac pio proposito susceptóque labore explanandæ scripturæ, strenuè perge : nec prius desiste, quàm omnes libros Propheticos & Apostolicos percurreris. Si modò tam diu (quod vnicè à Deo Patre Domini nostri Iesu Christi rogamus) vitam tibi Dominus prorogauerit. Placet enim

mihi, imò piis omnibus purus ille ac verè latinus tuus stylus. Placet succincta illa breuitas, quæ etiamsi nõ more aliorum interpretum, in locos cõmunes euagatur, nihil tamen omittit, quod scitu dignum & necessariũ est. Probatur etiam nobis illud pium pacis studium, quo conaris obliuione sepelire, contentionem illam, satis infœlicem, de Eucharistiæ sacramento motam, quæ multum nos iam diu exercuit, & hauddubiè multis, ne Christo se totos addicerent, fuit impedimento ac obstaculo. Quoniam verò hæc contẽtio, apud omnes obliuione obrui nequit, conaris dissidentes partes inter se reconciliare, ac ita iuxta Christi verbum εἰρηνοποιεῖν. Nec dubita, te non perdidisse in hoc studium & operam. Multi enim quos ego noui, qui antea aduersam partem tantùm nõ execrabãtur, lecta tua hac de re ac diligentius perpensa sentẽtia, æquiores Zuinglio & OEcolãpadio facti, planè in tuam sentẽtiam manibus ac pedibus eunt. Ex quorum numero me quoque vnum esse liberè profiteor. Verè enim tibi assentior alicubi dicenti: Nisi Lutherus, OEcolampadius, ac reliqui (viri certè nũquam satis laudati) partim siniſtris opinionibus fuissent occupati, partim disputationis vehementia exacerbati, rem tantam non fuisse, quin potuissent inter se reconciliari. Hæc si bene memini, tua verba sunt. Verùm talem contentionem & offendiculum promeruit mundi ingratitudo, qui Christum sibi illucescentẽ, non quo par fuisset, honore ac reuerentia excepit. Quòd si alter alterum nõnunquã asperius tractauit, id tribuendum est infirmitati eorum, qua laborant etiam in hac vita sanctissimi. In istis enim altercationibus caueri nequit, quin multa non tam ex animo, quàm ex affectu dicantur. Id quod etiam in hac contentione factum, à Domino tamen eis condonatum, planè nullus dubito. Si quæris in quo statu nostræ sint Ecclesiæ (quæ enim tua est pietas, pro nobis quoq; haud dubiè es solicitus) scias, omnes in hoc ducatu Papisticis ac metaxysticis sacrificis esse purgatas, ídq; nomine & mandato principis nostri verè Christophori, qui siue spectes virtutem, siue eruditionem, siue pietatẽ, nulli principum Germanorum erit secundus. Nisi fortasse ei, in quo victo & capto, heroicam magnanimitatem sæculis omnibus spectandam proposuit Dominus. Sic enim tu in libello, qui de Scandalis inscribitur, de Iohanne Friderico, Saxoniæ duce ac olim Electore (tacito tamẽ eius nomine) loqueris. Documẽta pietatis suæ satis luculẽta princeps noster edidit. Solus ex omnibus Germaniæ principibus confessionem suæ fidei, eámque typis excusam Tridentino illi conciliabulo ausus fuit exhibere. Viros propter Euangelij confessionem exulantes, liberaliter excipit, ac perhumanè habet, imò magnis prẽmiis ad se inuitat. Sub tali principe, non possunt non fœlices esse Ecclesiæ. Est tamen quod non immeritò pius quispiam adhuc desideret. Mittuntur adhuc ex aula Pastores, & nonnunquam satis rudes ac ignaui: non eliguntur veteri more, ab vniuersa Ecclesia: qui mos vtinam iterum quasi postliminio reuocaretur etiam apud nos. Nec ordinantur Ministri impositione manuum ac precibus. Excommunicatio nulla apud nos adhuc est in vsu. Adeò vt opus vobis sit Paulo, vt Titum admoneat, vt pergat ea quæ desunt corrigere. Magnę existimationis est apud principẽ Ioannes Brentius, quòd si his de rebus ad eum scriberes, non faceres rem tuo ministerio indignam, & Ecclesiis nostris, opinor, valde vtilem. Tu quid hac in re faciendum sit, quæso, diligenter tecum deliberes, & ad me perscribere proximis nundinis Francfordiensibus ne digneris. Quidquid enim alij sint facturi, ego certè qui se manifestis flagitiis ac scelebus contaminant, mox Satanæ tradere incipiã: quia autem rem tantam ac viribus meis maiorem sum tentaturus, planè consilio mihi opus esse iudico. Cùm ante triennium Antidotum tuum contra Acta Tridentina legerẽ, statim in ipsa præliminari epistola deprehendi, te libelli cuiusdam abs te editi, de necessitate reformandæ Ecclesiæ, mentionem facere, ac rogare lectorem, vt eum quoque percurrere non grauetur. Ego verò cum hactenus studioſè apud omnes bibliopolas quæsierim, nanciſci tamẽ adhuc non potui, eum, quæso, post semestre exactum, cùm iterum tui mercatores Francfordiam sunt petituri, tuis typographis trade, quò ad oras nostras aliquando etiam appellat. Vale bene ac fœliciter vir eruditissime, ac me amicis tuis, seu potius filiis verè γνησίοις (quantùm ad doctrinam pietatis) accense: ego te patris loco habere, colere, veneraríque nunquam desinam. Vale iterum Nurttingæ, quod est oppidum ducatus Wirtembergẽsis. Anno M. D. LIIII. XXVII. Februarij. quo die ante annos tres fidus ille & eximius seruus Christi Martinus Bucerus Cantabrigiæ in Anglia mortuus est.

CAL.

Io. Calvinvs D. Gaspari Lisero, Ecclesiae Nvrtingensis Pastori S. D.

EGo verò, optime frater, nimis agrestis forem, ac inhumanus, si tuum in scribendo officium, quod vt à summa erga me beneuolentia profectum esse video, ita grato animo, hilariq; amplecti decet, audaciæ, vel temeritatis damnarem. Itaque & libenter intellexi, te meam amicitiam expetere (quo nomine me tibi deuinctum esse profiteor) & ex tuis literis alterum gaudium accessit, dum permultos esse significas, qui fructum ex meis laboribus non pœnitendum colligant: in quorum numero te quoque esse asseris. Hæc enim Dei benedictio mihi non parum addit animi: hoc tam maligno sęculo, esse tamen pios & eruditos homines, qui non modò priuatim ex meis lucubrationibus proficiant, sed vtilitatem, quam sentiunt, fideli opera studeant latius quasi de manu, quod aiunt, in manum proferre. Pergamus igitur hoc cursu, mi frater: ac inter nos sancta vigeat donorum Dei communicatio, quæ Ecclesiam, inuidia & ambitione procul valere iussis, ædificet. Meum quoque studium in sedanda discordia, quæ nimis infœliciter initio renati Euangelij exarsit, tibi probari gaudeo. Vtinam eadem vbique regnaret modestia. Sed iam denuo surgunt turbulenti homines, nõ minus quàm indocti, quos nulla de causa nescio quæ intemperies ad bellum reparandum exagitat. Nostrum verò est talibus flabellis placidè occurrere, ne incendium longius grassetur. Tranquillum Ecclesiis vestris statum gratulor: sed non simul coniunctos esse disciplinæ neruos, qui eum contineant, dolendum est. Nec alia corrigendi vitij ratio apparet, quàm si Pastores, quos seria regni Christi cura tangit, inter se consentiant. Nam vt vnus, aliis in consilium non adhibitis, quidquam tentes, auctor esse non audeo. Adde quòd nunquam vtile putaui, ius excommunicandi permitti singulis Pastoribus. Nam & res odiosa est, nec exemplum probabile, & facilis inde in tyrannidem lapsus, & alium vsum Apostoli tradiderunt. Strenuè verò vt ad symmystas tuos incitandos labores, non tantùm consulo, sed vehementer hortor. Brentio nondum scripsi: breui tamen, vt spero, melior dabitur opportunitas, quam non prætermittam. Libellus de necessitate reformandæ Ecclesiæ, supplex est exhortatio ad Cæsarem, & Ordines imperii: quem inter opuscula reperies. Vale integerrime frater. Dominus te regat Spiritu suo, virtute sustentet, laborémque tuum benedicat. Geneuæ VI. Calendas Septembris M. D. LIIII.

Ioannes Caluinus tuus.

Calvinvs Melanhtoni S. D.

QVanquàm meis vltimis literis abs te non fuisse responsum doleo & valde miror: fastidio tamen vel contemptu id esse factum, quum nihil minus in naturam moresque tuos cadat, suspicari nequeo. Itaque nuntium hunc nactus, qui suam mihi in literis tibi reddendis operam obtulit, tentandum rursus putaui, num fortè quid possem elicere. Ego verò non de tuo erga me amore dubitans, qui semper immodicus fuit, ita loquor: sed quia silentium tuum, vt Ecclesiæ Dei noxium esse iudico, ita meritò triste, molestúmque mihi esse debet. Scribebam nuper de illo doctrinæ capite, in quo magis sensum tuum dissimulas, quàm à nobis dissentis. Quid enim aliud de homine acerrimi iudicij, cœlestisque doctrinæ peritissimo arbitrer: quum neminem mediocriter in sacris versatum lateat, quod ipse quasi ignotum tegis? Et tamen funditus perit gratuitæ Dei misericordiæ cognitio, nisi hoc tenemus, mero Dei beneplacito à reprobis discerni fideles, quos in salutem eligere voluit: nisi & hoc deinde constat, fidem ab arcana Dei electione manare: quia Spiritu suo illuminat, quos eligere, antequam nascerentur, ei visum est, & adoptionis gratia in familiam suam inserit. Hanc doctrinam à summo theologo conuelli quàm absurdum sit, pro tua prudentia expende. Manifestum certè dissidium in scriptis nostris notari, pessimi exempli esse vides. Nec verò hanc tollendæ discrepantiæ legem præscribo, vt tu mihi assentiaris: sed ne pudeat nos sacris Dei oraculis subscribere. Quærendæ verò conciliationis quæcunque tibi placuerit ratio, eam libenter amplectar. Ecce nunc homines indocti, & turbulenti, bellum Sacra-

mentarium à parte vestra innouant: quos etiam ipsos tua taciturnitate foueri, boni omnes gemunt & queruntur. Quantumuis enim audax sit insciția: nemo tamen dubitat, si liberius profiteri quod sentis, in animum induceres, quin tibi facilè sit eorum intemperiem aliqua saltem ex parte sedare. Nec verò ita humanitatis oblitus sum, quin & mecum reputem, & aliis quoque ostendam, quo cum hominum genere tibi negocium sit: quàm te anxium, perplexúmque teneat ista rerum perturbatio: quàm multa circunspicere tibi necesse sit, quæ tuum cursum impediunt, ac morantur. Sed nihil tanti est, vt furiosis hominibus tua dissimulatio ad turbandas & dissipandas Ecclesias frænum laxet. Taceo iam, quàm pretiosa nobis esse debeat ingenua sanæ doctrinæ professio. Scis annis plus triginta defixos in te fuisse innumeræ multitudinis oculos, quæ nihil magis cuperet, quàm se tibi docilem præbere. Quid? an hodie ignoras, plurimos ab ambigua illa, in qua te nimis timidè contines, docendi forma dubios pendere? Quòd si tibi syncerè, solidéque testari quod esset vtile cognitu, liberum non est, saltem danda erat opera, vt frænares istorum intemperiem, qui de nihilo importunè tumultuantur. Quid enim, obsecro, sibi volunt? Clamauit tota vitâ Lutherus, non alia de re se contendere, nisi vt suam Sacramentis virtutem asseret. Conuenit, non inanes esse figuras, sed re ipsa præstari quidquid figurât: In Baptismo adesse Spiritus efficaciam, vt nos abluat, & regeneret. Sacram Cœnam spirituale esse epulum, in quo verè Christi carne & sanguine pascimur. Ergo in sedando tumultu, quem denuo concitant præposteri homines, causa magis videtur fauorabilis, quàm vt inuidiæ metu cessandum sit: cuius tamen varias agitationes in isto gradu effugere non potes. Danda solùm opera est, vt aheneus ille bonæ conscientiæ murus non eas modò, sed quamlibet violentos totius mundi impetus fortiter sustineat. Nam dum ab Osiandri patronis & flexibilem, & profanæ magis philosophiæ deditum, quàm cœlesti doctrinę, vocari audio, grauius me vulnerat probrum illud, quàm si vel maleuoli, vel proterui homines obiicerent, quod non modò fateri honestum esset, sed etiam magnificè iactare glorioſum. Vale chariſſime vir, & frater mihi imprimis obseruande. Dominus te præsidio suo tueri, Spirituque regere pergat vsque in finem. Geneuæ VI. Calendas Septembris M. D. LIIII.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. VALERIANO POLANO S. D.

QVòd ex longa & infesta iactatione tandem in portum appulisti, vbi saltem animum colligere liceat, gaudeo. Quòd verò istic statio tibi oblata est, in qua te vtiliter exerceas, & pusillo gregi, qui tua opera, & sedulitate collectus est, operam tuam impendas, non tibi solùm priuatim, sed etiam multis piis fratribus, ad quos fructus perueniet, gratulor. Triste quidem, miserúmque spectaculum est, dispersas, quasi laceri corporis membra, Ecclesias videre. Sed quid si hæc dissipatio admonet instare tempus, quo Dominus filios suos in cœlum colligat, qui exilio vix locum in terris reperiunt? Interea assuescant profugi fratres, vbi & corpore & animo peregrinati fuerint, ad vltimâ migrationem. Porrò, vt se placidè in precario hospitio contineant, te illis & modestiæ & moderationis exemplar esse conuenit. Atque in eam rem non paruo adiumẽto fore tibi spero symmystam tuum D. Morellum, cui non minus præclarum synceri animi, & mansueti spiritus, quàm doctrinæ testimonium boni viri reddunt. Eum meo nomine plurimùm saluere iubebis. Collegæ mei vobis ambobus salutem optant. Vale chariſſime frater. Dominus tibi semper adsit, te Spiritu suo regat, laboréſque tuos benedicat. Geneuæ VI. Calendas Septembris M. D. LIIII.

CALVINVS PERRVCELIO S. D.

TIbi locum obtigisse, vbi operam impendas Dei Ecclesiæ, gaudeo: ac Dominũ precor, vt ad stationem, in qua te locauit, fideliter tuendam Spiritu suo gubernet. Porrò, quia in ceremoniis tibi non datur quæ optanda esset, libertas, dabis operã, vt te ferre omnes intelligant magis quàm probare, quidquid superfluum erit. Ego quid sentirem, meis ad fratres literis, de te nihil cogitans, palàm

palàm & ingenuè fum teſtatus. Quibus non placebit meum conſilium, nihil apud eos te iuuabit mea auctoritas. Apud alios plus habebit ponderis, vt arbitror, teſtimonium illud, quàm ſi quid priuatim tibi ſcriptum oſtenderes: quia facilè obreperet ſuſpicio, gratia, & precibus eſſe elicitum. Semper quidem tibi duo hæc imprimis erunt ſpectanda: ne quid tibi plus imponi ſinas, quàm ferat Eccleſiæ ædificatio, & tranquilla puráque conſcientia ſuſcipere tibi liceat. Spero etiam à Senatu & Paſtoribus nonnihil impetratum iri, modò abſit contentio. Nihil enim magis eos exacerbat, & ad repugnandum acuit, quàm vbi ſe, & ſua damnari putant. Tu verò ex re præſenti melius quid expediat, diſpicies. Quare nihil præſcribo. Vale eximie vir, & frater mihi chariſs. Dominus te Spiritu ſuo regat, laborémque tuum benedicat. Collegæ mei te amanter ſalutant. Fratribus gratiã Dei, & omne benedictionis genus ex animo precor. Geneuæ. 6. Calendas Septemb. M. D. LIIII.

CAL. MARTYRI S. D.

ETſi communis amicus noſter Sturmius conſilium mihi ſuum de Commentariis dicandis perſcribens, te quoque idem ſentire addiderat: hoc tamen ipſum ex tuis literis intelligere, longè mihi fuit gratius. Vnum vereor, ne labor meus, quem tibi curæ eſſe oſtendis, non tanti æſtimandus fuerit. Quî fit autem, vt de tuis in eundem librum commentariis ſileas? Nam quum adhuc eſſes in Anglia, ex reſponſione quam Roberto Stephano dederas, breui exituros ſperabam. Quare eorum fructu, quem non dubito vberem fore, diutius fraudari Dei Eccleſiam molestè fero. In hac enim confuſa librorum ſylua graues, eruditas, & ſolidas piorum, rectéque ſentientium hominum & qui pari auctoritate, iudicióque prædíti ſunt, lucubrationes extare imprimis neceſſe eſt, tum ad puritatem doctrinæ aſſerendam, vt ad poſteros ſalua integráque perueniat, tum ad refutandam eorum qui omnia permiſcent, inſulſam leuitatem. De Philippo, valde mihi dolet. Ergo ei non ſatis eſt, vel quocunque tulerit hominum gratia, flexibilem mutare, vel ſilentio prodere veritatem, niſi cordatos Dei ſeruos, ad quorum imitationem potius ipſum eniti decebat, inflectere ad ſuam mollitiem conetur. Præclarè verò abs te factum, quòd te liberum veræ doctrinæ defenſorem fore profeſſus es. Sic enim tuo exemplo præſcripta eſt ei regula, quatenus pax fouenda ſit, vt ſcintillam aliquam virilis animi, ſpirare tandem diſcat. Ad collegam tuum, cui nimis ſeruiliter ille gratificari voluit, D. Sturmij hortatu ſcripſi, vt eum N. placarem: vtcunque tamen ſuccedat, nunquam me pœnitebit aliquid tentaſſe. Verùm, ſi qui collapſi ſunt, tuum eſt, impoſitum tibi onus e ò animoſius ſuſtinere. Quod cùm planè te facere intelligo, magis ac magis in ea ſententia confirmor, te mirabili Dei prouidentia, qui laboranti Eccleſiæ ſuccurreres, iſtic fuiſſe retentum. D. Zankum meo nomine ſaluere cupio. D. Marchio noſter te plurimũ ſalutat. Vale præſtantiſs. vir & mihi obſeruande frater. Dominus tibi ſemper adſit, te gubernet, laboréſq; tuos benedicat. Si maturius veniſſent tuæ literæ, copioſior ad Principes, tuo admonitu, fuiſſet exhortatio. Sed poſt dimidium Auguſtum mihi fuerunt redditæ. Collegæ mei te ſalutant. Geneuæ VI. Calendas Septembris M. D. LIIII.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS SVLCERO S. D.

QVum tumultuari non deſinant indocti & præfracti homines, qui bellũ Sacramentarium in Saxonia renouant: ineunda erit aliqua ratio, quæ illorum intemperiem mitiget, vel clamores ſaltem compeſcat, & ſimul pios & graues doctóſque nobis conciliet. Mihi nihil aliud in mentem venit, quàm breui libello teſtatũ facere, quãtò rectius & ſyncerius ſentiãt noſtræ Eccleſiæ, quàm illi calumniãtur. Simulac plus ocij nactus fuero, tale aliquid meditor. Nũc excuditur mea in Geneſin præfatio, ad filios Ioãnis Friderici Saxoniæ Ducis, in qua pacis & cõcordiæ ſtudiũ obiter cõmẽdo. Caſtallio, mihi crede, nõ minus virulẽta eſt beſtia, q̃ indomita, & peruicax. Charitatẽ ſimulat: nẽpe vt modeſtiã: quũ tamẽ nihil arrogantius fingi queat. Libellum illũ atrocibus in me probris refertũ ipſe & alij conſarcinarãt eo conſilio, vt ſubitus in me impetus cõſurgeret. Lõgè decepti ſunt. Nã decreuit Senatus, vt mihi legẽdus daretur. Mihi verò non modò promptum fuit, calumniarum nebulas diſcutere: ſed etiam con-

uertere in meam laudem, quidquid odiosè obiectum fuerat. Mihi verò magis tolerabile est priuatim imperi, quàm videre subinde miseros, qui hîc degunt Christi exules, quotidie nouis molestiis vexari. Quanquam Dominus hac quoque in parte hactenus manum nobis porrexit, ne frangeremur. Verùm, de statu nostro si plura scire cupies, nuntius tibi fideliter referet. Filius est Scribæ Senatus, iuuenis probus & integer. Vale ornatissime vir, & mihi obseruande frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet, ac tueatur. Collegæ mei te reuerenter salutant. Tuis nostro omnium nomine plurimam salutem dices. Genevæ VII. Idus Augusti M. D. LIIII.

Ioannes Caluinus tuus.

SVLCERVS CALVINO S. D.

QVod de bello Sacramentario apud Saxonas restaurato scribis, cum dolore certè accipio: vt qui nihil nisi grauia offendicula, ex intestinis eiusmodi conflictibus oritura sperare possim. At enim iam antè plus satis ærumnarum erat in Ecclesia & regnans triumphánsque adhuc Antichristus, meritò nisi studio insensati esse velimus, ad mutuam in Domino ὁμονοίαν excitare & permouere debeat. De Castalione miror vehementer, si pergit nomen tuum ministeriúmque arrodere, qui adeò se pacis charitatísq; studiosum simulat. Monebitur autẽ grauius, quando, ex nihilo esse nõ possunt quę significas, nimirũ à viris fidedignis nũciata tibi. Et indicium quidem est capitis egregiè cerebrosi perditíque & deplorati in eo quisquis est, qui epistolã nomine supposititio contra te ad Senatum vestrum est architectatus. Neq; enim gloriam inde sperare potest, quòd te virum Dei celebriorem in certamẽ prouocet: & vt apud Gellium habetur, inimicitias obscurus cum eminente suscipiat, neque magnũ prouentum ad atterendam existimationem tuam apud cordatos saltẽ expectare, nomine suppresso, quando tale genus famosorum libellorum naturæ quodã instinctu, exosum habetur mentibus ingenuis. Sed deteget aliquando hanc Satanicam prauitatem Dominus Iesus, & vt hactenus reprimet fraudulenta consilia. Cæterum de annotationibus Castalionis in Epist. ad Ro. capit. 9. ex præsentiun latore omnia cognosces, & si quæ sunt, quæ de rebus Germanicis cupis cognoscere. Nam apud nos noui nihil est, nisi quod attrito Marchione Alberto Episcopi cristas tollunt cum suo Ioue Henricho Brunsuicense, qui Principibus nobis vicinis aliquot, motus dedisset, nisi Cęsaris auctoritate, ad eius necessarios vsus fuisset in Germaniam inferiorẽ reuocatus. Sic nos pergit hortari ad pœnitẽtiam Dominus Deus, quem pro te tuísque non desinam seriò precari. Vale in Christo Iesu. Basileę XIIII. Iulij Anno M. D. LIIII. Salutant te tuósque collegas mei symmystæ.

IO. CAL. D. DOCTORI MARPACHIO, ARGENTINENSIS ECCLESIÆ PASTORI.

IAm ferè sesquiannus est, ex quo multa de Ecclesiæ Gallicanæ, quæ apud vos est, dissidiis subinde audire non sine magno dolore cogor. Nam dum pauci homines improbi, ac proterui molestiam fratri nostro N. exhibere volunt, factum est illorum intemperie, vt prauis contentionibus vexata fuerit Ecclesiola, cui Dominus apud vos quietum hospitium concessit. Mihi verò hunc nuntium tristem acerbúmq; fuisse mirum nõ est: quia non secus me torqueret dissipatio eius gregis, quem Dominus meo labore, olim colligi, & ad tempus foueri voluit, ac viscerum meorum laceratio. Quanquam autem remedium aliquod maturè adhiberi vehementer cuperem, quia tamen sperabam quidquid turbarum excitatum fuerat, tua & fratrum nostrorum prudentia, ac moderatione facilè sedatum iri: satius mihi visum est quiescere, ne vel frustra vobis molestus forem, vel diffidere æquitati vestræ viderer. Sed quũ rem quotidie in deterius collabi rumor esset, statui mihi esse scribendũ aliquid. Nec verò me diutius silere patiebatur dolor. Id dum mecũ agito, ecce lætior nuntius affertur, rationẽ à clarissimo Senatu initam esse, quæ proteruiam quinque nebulonum frænaret: núncq; sedatos esse motus, vt saltẽ tolerabilis sit status. Vtinam omnia sic essent ex voto composita, ne quid mihi præter gratulationem restaret, eámque puram & solidam. Verùm, quia subest adhuc in futurum tristis quædam suspicio & metus, studium huic malo purgando adhibere officij mei esse duxi. Duo autem, quantùm intelligo, fuerunt totius mali capita, delatus est initio N. quòd de sacra Domini Cœna aliter quàm vos sentiret, ac docceret.

doceret. Nõ dico à quibus, vel quo animo ratiõ cõcordiæ habenda fuit. Suscepta cognitio est. Verùm, si bona fide res tunc agebatur, trãsacta esse debuit. Qui accusatus fuerat, fidei suæ confessionẽ edidit. Quã vera, quàm liquida, quàm plena fuerit, non disputo. Hoc mihi vnũ sufficit, non esse improbatam. Itaq; sic apud me antehac cogitaui, sententiam fratris, & symmystæ vestri, si non prorsus silentio vestro probata fuit, tolerabilẽ fuisse indicatã. Clàm interim obliquis artib⁹ vos quidquã esse machinatos ne suspicari quidẽ libet. Quid ergo restabat, nisi vt quinq; nebulonibus ad turbandã Ecclesiam longè plus quàm par erat, dari existimarem? Hoc enim debuit à vobis omnibus ritè expendi, an fas sit, an deceat, an denique rectum sit atque humanum, quinque homines turbulentos, palàm à reliquo corpore dissidentes, foueri contra suum Pastorem. Sed quia hoc quoque vulnus nunc sanatum est, ad illud prius redeo. Quid vltrà flagitetur à N. quàm præstiterit, mihi non satis compertum est. Vos quidem operam dare conuenit, ne nimis præcisè vrgeatur. Si hodie viueret eximius ille Dei seruus, & fidelis Ecclesiæ Doctor Lutherus, non tam esset acerbus, vel implacabilis, quin libenter admitteret hanc confessionem: nobis verè præstari, quod figurant Sacramenta: ideóque in sacra Cœna corporis & sanguinis Christi nos fieri participes. Quoties enim professus est, non aliam sibi esse pugnandi causam, nisi vt constaret, Dominum inanibus signis non ludere nobiscum, sed intus implere quæ oculis proponit, ac proinde effectum signis esse coniunctum? Hoc inter nos conuenit, nisi magnopere fallor: Cœnam Christi non theatricum esse spectaculum spiritualis alimenti, sed re ipsa dare quod figurat: quia illic piæ animæ Christi carne & sanguine pascantur. Quanquam autem deprecatoris hîc vices potius quàm monitoris suscipio: liberè tamen dicendum est, nimis fore morosos, si qui hac moderatione non contenti fratrem suo ministerio deiiciant. Adde quòd turpe exemplum est, qui ritè & ordine vocatus est ad munus Pastoris, sine legitimo Ecclesiæ iudicio, mero Senatus nutu abdicari. Fieri quidem passim incipit: sed iam aliquoties vidi in eorum capita recidere, qui scientes, & volentes ius Ecclesiæ prodiderant. Sancta, quæ apud omnes pios adhuc viget, diúque, vt spero, vigebit, Capitonis, & Buceri memoria, quorum perspecta fuit & fides & prudentia & eruditio & integritas, instar lampadis locum istum collustrat, vt notius sit, atque ad exemplum notabilius quidquid à vobis in vtramque partem geritur. At certè, quæ in seruando Ecclesiæ ordine eorum erat religio, decies mori maluissent, quàm violentam Pastoris deiectionem, non dico suo consensu, sed etiam silentio probare. Equidem si quid operæpretium ex meo aduentu cum tuis Collegis sperares, laborem non recusarem. Imò eò libentius ad vos venirem, quia me quoque in hanc controuersiam inuolui video. Mihi autem valde acerbum esset, doctrinæ genus, quod liberè istic olim tam in Schola, quàm in templo professus sum, nunc repudiari. Sed ne importunè satagere videar: non vltrà mihi progrediendum esse duxi, quàm vt te & rogando, & monendo, & obsecrando, & hortando pij fratris, deinde miseræ Ecclesiolæ quietem procurem. Si me impetrasse audiam, quod summopere cupio, erit cur nobis omnibus gratuler. Vale eximie vir vnà cum symmystis fratribus mihi charissimis, qui tecum Ecclesiam istam gubernant, quibus ego meas literas communes esse volo, si ita censueris. Dominus vos omnes tueatur suo præsidio, spiritu prudentiæ, rectitudinis, æquitatis & constantiæ dirigat, laboréque vestros benedicat, Amen. Geneuæ VIII. Calendas Septembris M.D.LIIII.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS IOAN. SLEIDANO. S. D.

QVum ex fratris nostri N. literis nuper intellexissem ex tribus, quos regendæ Gallicæ Ecclesiolæ Senatus præfecit, te esse vnum, vehementer, vt par erat, gauisus sum: & hoc mihi gaudium fore diuturnum confido. Sic enim statuo tibi diuinitus magis quàm humano consilio prouinciam hanc fuisse iunctã, qui tua fide & prudentia cõponas, quidquid hactenus turbarũ mouit Satan: præcaueas deinde, ne qua improbis detur tumultuãdi occasio. Ergo ex animi mei voto consultum est pusillo gregi. Te verò quò minus ad officiũ exhorter, nullus timor impedit: sed quia superuacuũ esse existimo. De Philippi consensu

quantopere vna in re mihi gratulari debeam, nescio: quando in summis capitibus vel philosophis se venditans sanam doctrinam apertè oppugnat: vel ne in se quorundam iritet odia, sensum suum astutè, saltem parum ingenuè, tegit. Dominus eum fortiore spiritu instruat, ne grauem ex eius timiditate iacturam sentiat posteritas. A tribus mensibus in Aquitania quinque aut sex fuerunt exusti, in quorum morte Christus magnificè triumphauit. Nuper etiam in oppido Venetæ ditionis paulò vltra Vulturinam admirabili constantia ad vltimum vsque spiritum, pius vir mihi probè notus, Christum confessus est. Noui hîc nihil fertur, quod non peræquè vobis notum sit. Vale eximie vir, & mihi plurimùm honorande. Dominus te cum familia tueatur perpetuò, ac benedicat. De classe Turcica certior allatus est nuntius, exusto quodam oppido, vastata regione maritima, captis hominum quinque millibus in Græciam rediisse. Genevæ VI. Calendas Septembris M. D. LIIII.

CALVINVS N. S. D.

EGo verò, mi frater, non adeo sum morosus, quin amicis facilè ignoscam, etiam si nihil ad me toto anno scribant. Nam quia in hoc officij genere minus sum sedulus, vel saltem dum me alieni occupant, summis amicis interdum quod debetur non persoluo, libenter de mutua silentij venia cum ipsis paciscor. Ergo nisi alia suspicio animum meum pupugisset, nullas abs te literas mihi venire, nunquam ægrè tulissem. Cæterum multa fuerunt, quibus me offensum fuisse non dissimulo. De vestris dissidiis nemo fratrum tuorum priuatim ad me scripsit. Per alios delatę sunt querimoniæ. Ego nõ me vltrà interposui, quàm vt per eosdem nuntios suaderem, quæ pacis, & concordiæ erant. Certè eius generis fuerunt mea consilia, vt non minus habita fuerit à me amicitiæ nostræ ratio, quàm fides Christo & Ecclesiæ præstita. Quare non est cur me eorum pudeat, vel tu mecum expostules. Inquire obsecro, reperies nihil à me profectum, quod non tibi summopere placere debuerit. Atque vtinam magis familiaris tuis symmystis fuisses. Res, vt opinor, momento transacta foret. Interea tuas ad Farellum literas legi, ex quibus olfeci animum tuum vel in me esse exulceratum, vel obliquis suspicionibus infectum. Excandescentiæ verò & stomachi in eos, quibus, vt nunc scribis, suffragari me putabas, plenæ erant. Cur si amicitiam nostrã læsam putabas, non statim cõquestus es? Verùm hæc apud me occulta continui: ac ne minimæ quidem offensionis signum dedi. Tantùm dolebat, quòd te à fraterna communicatione subducerres. De tolerandis hæreticis quænam esset tua sententia, ex quibusdam sciui. Tu quidem sic in vmbra iudicas. At si tibi seriò hîc fuisset certandum, fortè consilium mutasses. Sciũt tamen amici, quàm placidè, & comiter tunc excusauerim, quòd nobis parum esses propitius. Quamuis à nobis hodie dissentiat N. quia tamen & syncerus est Christi minister, & pietatis affectu regitur, deinde homo est probus, & moderatus, nobis amicus esse non desinet. Ego illi propterea molestus non ero. Nunc tamen lecta nostra excusatione, siquidem eam in manus sumere dignatus es, te non fuisse mitigatum, non nihil miror. Seruetì verò te esse discipulum, quis vnquam somniauit? Quidnis potius mihi esset credibile, quàm eò vesaniæ te esse abreptum. Nec verò arbitror, famam tuam verbulo attactam fuisse. Quòd autem Diaconum tuum passus fueris, non tãtùm mihi & sanæ doctrinæ obloqui, sed in asserendis Serueti deliriis palàm bacchari, quis non vitio tibi verteret? Iam vt ingenuè omnia fatear, de æterna Dei prædestinatione te nõ rectè sentire, mihi dictum est. Ego etsi verebar ne quid esset, semper tamen minus esse credidi, quàm audire cum acerbissima molestia cogebar. Porrò, quum multis modis iniuriam mihi fieri putarem, non tamen sum tumultuatus: sed illas indignitates tacito mœrore deuorare malui, quàm vel amicitiæ nostræ veteris, vel coniunctionis fraternæ vinculum scindere. Atque nunc te rogo, vt mihi saltem tacere liceat, dum indignè nõ minus, quàm hostiliter vexor. Si decima tantùm ex parte scias, quàm atrocibus probris lacerer, pro tua humanitate ingemiscas miseriis, ad quas obdurui. Vndique me canes allatrãt. Hæreticus passim vocitor. Quidquid fingi calumniarum potest, in me congeritur. Denique me inuidi, & maleuoli ex grege nostro infestius oppugnant, quàm aperti hostes ex Papatu. Non tamen ita sum meritus, vel de Ecclesia Dei, vel de ipsis, vt tam iniquam mercedem rependere debeant. Auctarium vt istinc accederet, non timui. De Diacono tuo loquor, quem tua conniuentia minimè ali oportuit, quum non minus impiè contra puram religionem insurgeret,

surgeret, quàm improbè homini innoxio maledicebat. Et tamen non aliud postulo, nisi vt mihi permittas eius contumelias leniter ferre. Quanta fide & integritate Christo seruieris, quàm cordatè functus sis tuo officio, quàm constanter & labores, & certamina quib⁹ te exercuit Dominus, sustinueris, ego tibi testis sum: ac te in posterum perpetuò tui similem fore confido. Itaque nihil magis cupio, quàm saluam inter nos beneuolentiam manere, quò alacrius, & synceriore studio nos vltrò citróque iuuare pergamus. Vale eximie vir, & colende frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet ac tuos labores benedicat. Collegæ mei te plurimùm salutant. Geneuæ XV. Octob. M. D. LIIII.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. SERENISS. REGI POLONIAE S. D.

ETsi ego ante annos quinque, Serenissimè Rex, quandam librorum meorum partem vestræ Maiestati publicè dedicaueram, vt pietatis semen, quod iam tunc cordi vestro diuinitus insitum audieram, magis ac magis excitarem: nunc tamen minimè auderem homo ignobilis, priuatas tam inclyto Regi literas offerre, nisi venerandus frater noster cui hoc debeo, &, cuius vt fidelis erga M. V. obseruantia mihi nota est, ita non dubito, quin sensus vestros probè compertos habeat, me suo consilio & hortatu animasset. Quia ergo spopondit non ingratum. M. V. fore hoc meum officium: temeritatis culpam non sum amplius veritus. Iam verò quia absurdum foret, ab Euangelij Ministro in conspectum tanti Regis vacuas literas venire: illud idem argumentum, quod continet publica mea in Epistolam ad Hebræos præfatio, quia nullum vel melius, vel Regia persona dignius, vel tempori aptius occurrit, mihi sumendum putaui. Sic enim persuasus sum, pro ea, quam Filio Dei communi magistro defertis, reuerentia, ab eius seruo moneri, vobis non fore graue, aut molestum. Et certè hæc modestia decet omnes Christi discipulos, à summo vsque ad infimum, à Regibus ipsis ad plebem vsque, cœlesti eius doctrinæ liberaliter, & placida animi mansuetudine se submittere. Nam & hoc modo secundum Dauidis præceptum osculantur regnorum omnium Principem & caput terreni Reges, dum per homines, quibus docendi munus iniunxit, loquentem audire non respuunt. Cæterum, quòd meatum partium vicissim esse arbitror, operam dare studebo, ne vobis fastidio sit mea prolixitas. Ac primùm horribiles tenebras, quæ passim grassantur: errorum colluuiem, qua obruitur totus ferè mundus: abusus & corruptelas, quibus fœdata est religio, non attingam, ne in superuacua rei cognitæ tractatione M. Vestram frustra occupem. Neque enim ad rudem quempiam, & synceræ pietatis ignarum mihi habendus est sermo: sed apud Regem purioris doctrinæ luce præditum, vt nō modò à crassis vulgi superstitionibus sit ipse liber, sed etiam quàm exitialis sit labyrinthus ille, quo maior pars generis humani tenetur implicita, rectè iudicet. Nam quum gregarios quoque discipulos lucernis similes esse velit Christus, quæ in sublimi positæ fulgorem suum longè emittunt: quid à Rege exiget, quem in summo dignitatis fastigio locauit, vt aliis omnibus præluceat? Nam quò magis honorifica est solij cui præsidis, altitudo, eò difficilius est, parem gerere animum, vt locus hominis virtute ornetur: & de reddenda apud Deum ratione magis solicitè cogitandum. Quòd si obscuris hominibus timendum est, ne hoc viuificum semen torpore suffocatum degeneret, vel prorsus intereat, quid. M. Vestræ agendum est, cui non satis est, vberem ex se fructum proferre, nisi eandem sementem ad multa hominum millia propagare studeat. Memineritis ergo, præstantissime Rex, in persona vestra lucem toti Poloniæ diuinitus esse accensam, quæ sine graui culpa diutius latere nequit. Itaque hæc prima sit cura, & hoc primum studium, subiectas vobis ditiones ex fœda Papatus dissipatione ad Christi obsequium colligere. Erumpat tandem heroica ista, quæ nimis diu intus sopita iacuit virtus, & in re tam præclara, memorabile sui documentum præbeat. Neque verò me fugit, aut quàm arduæ sit molis opus, aut quàm multiplices & magnæ difficultates instent, quas suo more ingeret Satan. Sed quum hîc pro gloria Dei de Christi regno, pro sacrorum puritate, pro humani generis salute pugnetur, ea est causæ excellentia, quæ & molestias omnes absorbeat sua laude, & obstacula facilè superet. Imò quid agendum sit, ipsi veritatis hostes suo exemplo præscribant. Nam quò acrius ad eam opprimendam eniti eos videt. M. Vestra, eò turpius esset, insanum eorum ardorem non saltem cordata strenuitate æquare. Ruant igitur, quàm maximo poterunt impetu, machinas

omnes admoueant, ignea quæ Satan illis suppeditat, & virulenta iacula torqueant, tam insidiis deniq; , quàm aperto Marte grassentur, adeo ad frangendum generosum pectus, & cœlesti Spiritus Dei virtute præditum hæc omnia valere non debent, vt totidem sint potius ad piam contrarij studij, & conatus æmulationē stimuli. Huc accedit, quòd quum Deus proprium opus suum esse asserat, collapsam Ecclesiam, cuius est vnicus fundator, restituere, haud dubiè statuendum est, eum nobis laborantibus minimè defore.

Cæterum, quia vobis certamen est, non solùm cum domesticis hostibus, sed qui se religionis Antistites, custodes sacrorum & Ecclesiæ patres ac tutores esse iactant: perplexa fortè in hoc metu hærebit Vestra Maiestas, ne quid præter officij sui rationem tentet. Et certè hoc filiis Dei propositum esse debet in omni actione, ac penitus fixum, ne vocationis suæ metas transiliant. Ergo ne quis vanus terror vos impediat vel moretur, paucis quatenus timendum sit, disseram. Vt suam Hierarchian nobis assiduè obtrudunt Papistæ: ita non dubito, quin eodem apud vos clypeo se muniant. Nã, quia nos in singulis doctrinæ capitibus longè superiores vident: ad hanc miseram latebram victi confugiunt: quamuis corruptissimus sit Ecclesiæ status, non licere, tamen Laicis, eius vitia attingere. Nec subterfugio contenti, cristas erigunt: quia Petro datus est in Ecclesiam Primatus, & totus Clerus Papalis continua successione ab ipsis Apostolis huc vsque descendit: ad ipsos solos spectare ius & potestatem spiritualis regiminis. Quare hæc duo breuiter discutere operæpretium fuerit. Neque tamen de Primatu Romanæ sedis quasi ex professo hîc tractabo: quia hanc causam sic mihi egisse videor, vt iam non sine summa impudentia sibi arroget Papa, quod antea solebat: totius scilicet Ecclesię se esse caput. Nam quum Paulus ad vnitatem nos hortari volens, vnum Deum, vnam Fidem, vnum Baptismum, vnum Spiritum, vnum Dominum & vnum Ecclesiæ corpus esse docet, minimè quod ad id probandum maximi ponderis erat, omittere debuisset, vnum esse summum Pontificē, cuius auctoritas totam Ecclesiam in coniunctionis ordine retinet. Fuisset igitur hæc turpis obliuio, non monere fideles, vt sub vno capite diuinitus sibi præfecto maneant: si hoc verùm fuisset, datum in omnes Ecclesias vni homini esse Primatum. Sed alibi satis idem se ipsum explicat, dum sibi eundem inter Gentiles Apostolatum esse asserit, qui Petro datus erat inter Iudæos. Hîc certè non modò statuitur æqualitas inter duos, sed talis fit partitio, vt propriè loquendo, minimè ad nos pertineat Petri Apostolatus. Denique in illo, quem nuper citaui loco, modum regendæ Ecclesiæ à Christo sancitum definiens, non dicit Vicarium vnum ab eo creatum esse, qui absentiam eius in terris suppleret: sed Apostolos, Pastores, & Doctores fuisse institutos, qui in commune secundum mensuram gratiæ vnicuique datam laborent. Certè si vnum omnibus præesse vellet Deus, non aliqua Spiritus portione eum donaret, sed plenitudinem conferret. Cauillum autem illud, quòd Petro datæ fuerint claues, ideo in præsentia non refuto, quia plus satis alibi ostensum fuit, Papæ nihilò magis prodesse, ac si id cuiuis Apostolorum dictum foret. Quæ enim illi cognatio vel affinitas cum Petro, vt se pro hærede gerat? Nam quòd loco ius datum esse obtendit, plusquàm ineptum est. Cur enim Hierosolymæ potius non esset sedes Primatus, vbi Filius Dei sine controuersia summus Pontifex Sacerdotio functus est? Verùm hæc, vt dixi, aliunde petere satius est, vbi plenius sunt exposita, quemadmodum & illud, nihil minus Christo fuisse propositum, quàm vnum inter Apostolos principē erigere. Nam summo Pontifici, qui sub lege viguit, ideo abrogata fuit dignitas, vt nunc solus Dei Filius emineat tanquam caput, omnibus in ordinem membrorum coactis. Ac sacrilega audacia illud Apostoli dictum Papistæ ad probandum idôli sui tyrannidem detorquent, Translato Sacerdotio, necesse esse transferri legem. Neque enim illic Apostolus disputat, honorem summi Pontificis ab homine ad quemuis hominem translatum esse, sed residere in vnico Dei Filio contendit. Ita vt non alius quærendus sit successor: quia secundum ordinem Melchisedech ordinatus est Sacerdos, vt fine careat. Et nobis quidem abundè sufficere deberet vna Dei voluntas, sicuti vera est legitimæ gubernationis regula, & lex inuiolabilis. Sed accedit etiam, quòd neque possibile est, neque expedit, Vnum esse in terris totius Ecclesiæ caput: quia & hoc humanæ infirmitatis modum longè excederet, neque aptari posset ad communem vsum. Denique sola ambitio & superbia Primatum hunc, quem nobis opponunt Romanenses, fabricauit. Vetus quidem Ecclesia Patriarchias instituit, & singulis etiam Prouinciis quosdam attribuit Primatus, vt hoc concordiæ vinculo melius inter se deuincti manerent Episcopi. Quemadmodum si hodie illustrissimo Poloniæ regno vnus præesset Archiepiscopus, non qui dominaretur in reliquos, vel ius ab illis

Ephe. 4. 5.

Gal. 2. 7.

Ephe. 4. 11.

Heb. 7. 12.

Heb. 7. 15. 17.

ereptum

ereptum sibi arrogaret: sed qui ordinis causa in Synodis primum teneret locum, & sanctam inter collegas suos & fratres vnitatem foueret. Essent deinde vel prouinciales, vel vrbani Episcopi, qui peculiariter ordini conseruando intenti forent. Sicuti hoc natura dictat, Vnum ex singulis collegiis deligendum, cui præcipua cura incumbat. Sed aliud est, moderatum gerere honorem, quatenus scilicet hominis facultas se extẽdit, quàm totum orbem terrarum immenso imperio complecti. Nugatorium ergo est, quod de vno capite Romanenses garriunt: quia nec sacra Dei ordinatio est, nec veteris Ecclesiæ vsu receptũ, Christo, quem vnicum omnibus præfecit cœlestis Pater, adiungi secundum caput. Iam quamuis iure in Romanum Pontificem competeret summus honor: eo tamen se priuauit ipse, quum & à fide Apostolica defecit, & locum deseruit sibi diuinitus commissum. Nam vt primus sit inter Episcopos, ipsum esse Episcopum oportet. Porrò, quum Episcopi titulo indignum esse constet, qui officio docẽdi nõ fungitur: quid de eo sentiẽdum, qui non solùm deposito onere docẽdi, profanis põpis exultat, sed Christi doctrinã nõ minus crudeliter q̃ impiè extinguere cõatur? Si vult à Paulo aliquid mutuari Papa, sit minister Christi, & dispẽsator mysteriorum Dei. Si Petri elogiis vult se ornare, sit fidelis gregis pastor, & testis passionum Christi. Ab his verò quum sit ex professo alienus, ac ne simulet quidem se vnũ esse ex verbi Dei ministris: vltrò se à Primatu, si quo alioqui fuisset antè præditus, abdicat. Adhæc, quomodo Ecclesiarũ mater erit Roma, quæ Ecclesia nihilò magis censeri meretur, quàm Babylon? Ecclesiæ anima est doctrinæ puritas: quã Romæ esse prorsus abolitã quũ certò certius sit, sequitur illic restare duntaxat mortuũ cadauer. Deniq; nihil absurdius, quàm pro religionis Antistite coli in Christi grege, qui manifestus est veri & germani Christianismi hostis. Porrò lõgè fallitur Maiestas Vestra, si expectat, dũ ad ritè formandũ regni Polonici statũ, eius sectæ auctoritas interueniat, quã delectat vasta & horrẽda cõfusio. Regnare cũ sua caterua non potest Papa Rom. nisi oppressa Ecclesia, fœdato Dei cultu, lacerato ordine, imò tota pietate deleta. An igitur sperandũ est, vt qui Ecclesiæ exitio pascitur, remediũ sanãdis eius morbis vel afferat ipse, vel adhiberi cõsentiat? Nec verò, si pio & Christiano Principi res cõfusas in melius restituere cordi est, velvnius momẽti remoram afferre debet, Pastorum ignauia, si in munere suo cessant. Tantùm abest, vt iustè sãctos eius conatus impediat cõtumax eorũ superbia, qui Pastores falsò vocitãtur. Inane ergo terriculamentũ est, nihil in Ecclesiæ reformatione nisi ex Papę nutu, mouendũ, vel tentandũ esse. Quin potius quod exoriente primũ Euangelio experti sunt Apostoli, hodie quoq; impleri oportet: Christũ ab architectis reprobari, hoc est, qui Prę̃sulũ titulo se venditãt: quia tamen cõstitutus est in caput anguli, minimè æquũ esse, vt impiis eorũ obstaculis cedat. Supereſt nunc altera quæstio: vt legitima sit successio, à quibus ordinandi sint Pastores. Ego quia magnopere referre video, nihil in Ecclesia cõfusè geri, ne hoc modo cuiusq; libidini fræna laxentur, & nobis à Spiritu Dei disertè per os Pauli esse præscriptũ, vt decenter & cõpositè fiãt omnia, ordinariũ ministeriũ reuerenter semper colẽdum esse censeo. Sic igitur fert vera ratio, & Dei mandatũ, vt nemo se temere ingerat, nec priuatus quisq; sibi Pastoris munus vsurpet. Sed vt Pastorum iudicio electus, & gregi oblatus ipso cõsentiente approbetur. Huc accedat solẽnis manuũ impositio, quã ordinationẽ vocant. De qua sola dũ tantopere nobiscum litigãt Papistæ, satis ostẽdunt quod præcipuum erat se negligere, nempe electionẽ. Et sanè apud eos tam frigida est examinis cura, vt merus sit ludus coniunctus cum Dei ludibrio. Tantùm in ceremoniæ pompa insistunt: nec contenti vetusto illo ritu manuum impositionis, vnctione consecrant suos Sacerdotes: cuius neque in Scriptura fit mẽtio, neq; vsus in Apostolorũ Ecclesia traditus. Quũ verò eam ex fæce Iudaismi hauserint, vbicunque vigebit purior religio, cum aliis Papatus corruptelis abolenda erit. Sed alia superstitio longè deterior est, quòd suos Sacrificos non ad pascẽdi, vel docendi munus ordinant, sed vt sacrilega audacia ius & officium Christi ad se rapiant, & vsurpent, dum eos instituunt ad peragendũ Missæ sacrificium, quo fingunt Deũ placari. Quare totum Sacerdotium Papisticũ non solùm impia est veri ministerij profanatio, sed execrabilis in Christũ contumelia: vt quisquis est Sacerdos Papalis donec titulũ illũ abiecerit, Christi seruus esse nequeat. Itaq; quamuis indelebilis secundũ eos sit caracter, eradi tamen, & deleri necesse est, vt puros habeat Sacerdotes Dei Ecclesia. Altera etiã ignominiæ nota meritò piis detestabile est Papale Sacerdotium. Nam quum secundũ vetustos Canones quisquis ab hęreticis, vel schismaticis ordinationem petit, eodem se crimine implicet, non ignorat. V. Maiestas quales iam multis sęculis fuerint cornuti Vnctores. Nunc quisquis in illorum ordinem se cooptari appetit, an non obliquè in horren-

dam illam dissipationem consentit, cuius illi coram Deo & Angelis rei sunt? Nondum tamen soluta est quæstio: quia si promiscuè fas non est, quosuis ad Pastorum munus ascendere, ritè vocati & institui necesse est, qui se probare volent legitimos, & honore dignos. Hîc, fateor, optandum esset, vt valeret continua successio, vt functio ipsa quasi per manus traderetur. Sed memoria tenendum est, quod prius attigi, quum Ecclesiæ anima sit doctrinæ puritas, frustra quæ Ecclesiæ propria sunt, & ab integro eius statu dependent, apud eos homines requiri, quos constat esse professos Euangelij hostes. Quia autem Papæ tyrannide abrupta fuit vera ordinationis series, nouo subsidio nunc opus est ad Ecclesiæ instaurationem. Frustra quidem superbiunt Papistæ vinculo illo, quod ab illis ruptum esse dixi. Quid enim aliud est Papatus, quàm à Christo defectio? Qua autem fronte se Apostatæ, iactabunt successores? Remedium verò affert Deus ipse, dum idoneos & probos Doctores excitat, qui Ecclesiam in deformibus Papatus ruinis iacentem ædificent. Atque omnino extraordinarium fuit hoc munus, quod Dominus nobis iniunxit, dum opera nostra ad colligendas Ecclesias vsus est. Qui ergo ita præter spem hominum insolito modo repente apparuerunt, syncerę pietatis vindices, eorum vocatio à communi regula æstimari non debet. Cæterum, hac lege diuinitus vocati sunt, vt Ecclesiis rectè compositis, alios Pastores substituant in suum locum. Quare præstantissimè Rex, quidquid de hæreditario Sacerdotij iure garriat Papalis Clerus, ne impediant futiles istæ nugæ, quò minus cœlestibus auspiciis opus omnium maximè præclarum, & coram Deo & Angelis laudabile aggrediatur Maiestas Vestra, vt Christus vnus in sua ditione cum pura Euangelij doctrina emineat. Hæc verò & proba & vtilis esset agendi ratio: quia nunc lupi Pastorum locum occupant, & nimis violentum remedium videri posset, si Pastores sola Regis auctoritate creati vocationem aliam non haberent: vt Maiestas Vestra tantùm Doctores institueret, qui passim Euangelij semen spargerent. Esset autem hoc temporale munus, quantisper res incompositæ manerent ac suspensæ. Neque enim fieri potest, vt protinus mutetur publica Ecclesiæ gubernatio. Sed hoc exordio, quod dixi, vel præludio, commodus ad renouandam Ecclesiam transitus fieret. Denique non reformatio esset Ecclesiæ, sed quædam solùm præparatio. Rebus autem maturis, regia auctoritate & suffragiis ordinum constitui posset in posterum certior ratio de Pastoribus creandis. Cæterum, quia sanæ doctrinæ hostes piis & synceris Doctoribus ianuam præcludere summa vi tentabunt, manum illis adiutricē à Vestra Maiestate porrigi necesse foret, vt liberè plebem ab erraticis superstitionibus ad rectum pietatis cursum deducerēt. Sed quia iam longius progressum me esse video, quàm initio statueram, vt tędium Vestræ Maiestatis præueniam, finem hîc faciam scribendi. Dominus cœlestis Pater manu vnigeniti Filij sui Vestram Maiestatem dirigat, præsidio tueatur, virtute sustineat, ac Spiritu gubernet, Rex prędstantissime. Genuæ Nonis Decembris M. D. LIIII.

Io. Calvinvs pio cvidam fratri S. D.

Ex Gall. Benedictus Dominus qui tua opera tam opportunè vsus est hactenus, ad subleuanda fratrum nostrorum vincula: & qui te in sancto opere confirmauit Spiritu suo, vt nulli rei peperceris. Hoc est inquam, certissimum argumentum ad prædicandam ipsius gloriam: cùm tantum opus non alij quàm ipsi ad scribendum sit, quum & illius aggrediendi tibi auctor fuerit, & perpetuò te etiam direxerit. Tibi verò non vulgare gaudium hinc percipiendum est, cùm agnoscis quo te honore affecerit, qui te functione tam nobili & glorioſa ornauit, & manum porrexit tibi, vt tanto muneri par esse posses. Vtcunque enim miseri fratres, qui Euangelij nomine laborāt, contemptibiles sint & reiecti à mundo: scimus tamen, vt Dominus sacri peculij loco habeat: vt non aliud ipsi sacrificium sit acceptius, quàm vbi ad illos subleuandos, & opem ferendam strenuè nos impendimus. Et quum Dominus Iesus testetur agniturum se quasi erga se præstitum, quod in quemlibet ex suis collatum fuerit, quid sperandum nobis ab illo est, quum illis ipsis aderimus qui ipsius nomine laborant? Nam & illi quasi procuratores mandato Domini instructi, ad Euangelij defensionem ab ipso sistuntur. Quare ne poculum quidem aquæ frigidæ ipsis oblatum, nobis etiam deperiturum promisit. Proinde quum ita animatus fueris hactenus, ad legitimum illud sacrificium Domino offerendum, contende porrò, vt eodem animo deinceps pergas. Ne-

Matt. 10. 42

que

que verò neſcio, quid inſuſurraturus ſit tibi Satan, vt à ſancto opere te auertat. Sed vide vt Dominus ſuum in te ſupremum illud ius vt æquum eſt, ſemper habeat. Acquieſce etiam in hoc teſtimonio, quod qui operam in eo collocant, vt opitulentur Filiis Dei perſecutionē ſuſtinentibus propter Euangelium, ipſi eo nomine Coadiutores Euange- Philip.4.3.
lij appellentur. Nam quanti momenti hoc eſt, quod inſigne illud Martyrum nomen in nos tranſcribat Dominus, etiamſi perſecutio ad nos vſque non pertingat, tantùm quia ipſius Martyribus officia noſtra impendimus? Quidquid igitur ex oppoſito auditurus ſis, caue ne tam laudabili cœpto renunties, aut in medio curſu deficias. Equidem mihi ſic perſuadeo, te nullo pacto hominum de te iudicia tibi propoſuiſſe, cùm hoc primùm agere cœpiſti. Fac igitur vt te illi ſemper impendas, cui fides ad extremum vſque ſeruanda eſt. Cogita etiam quàm multi ex piis qui propter te nunc Deum glorificant, ſi te propoſiti minus tenacem agnoſcerent, grauiter offenderentur! Nam quòd ad vinctos ipſos attinet, illi de te ita ſentiunt, & in te ſunt affecti, vt ſi liberis eſſe daretur, caput ſuum pro te etiam morti obiicere non dubitent, nedum vt ſua fraude vel improbitate tibi creent periculum. Illud etiā veniat tibi in mentem, quod piis illis ita opem & auxiliū adfert, hoc ad illos confirmandos valere plurimùm, cùm præſentem erga ſe Dei manū in tuo beneficio, vti par eſt, agnoſcant. Sic inquam, creſcit ipſis in Deum fiducia, de cuius paterno erga ſe ſtudio, ipſis per te tam appoſitè conſtat. Roborare igitur, & vir eſto, cùm opus illud ſanctiſſimum non Deo tantùm & Martyribus, ſed toti etiam Eccleſiæ impendas. Vale mi frater. Deum oro, vt & ſua in te dona cumulet magis ac magis, & ad ſuam gloriam efficacia reddat, & te præſidio ſuo ſingulari complectatur. x. Auguſt.

EPISTOLA CVIVSDAM NOMINE SCRIPTA, QVI SE A Patre Religionis nomine ſubduxerat.

QVòd facti mei rationē ſcripto & abſens potius quàm præſens exhibeo, peto à *Ex Gall.*
te, obſeruāde Pater, vt me excuſatū habeas. Duo in cauſa ſunt: vnū, quòd veritus ſim, vt, in re odioſa & in ſpeciē aliena, ſatis facilē ad me audiendū te habere: alterū, quòd ſumma illa reuerētia qua te proſequor, mihi apud te quidquā iſtorū profetre hactenus non permiſerit. Nuuc verò incundā mihi hāc rationē eſſe duxi, qua vel te placarē, quatenus offenſionē de me conceptā retineres, vel ſaltem quidquid iſtud eſt, emollirē, dum oblata meliori occaſione, tibi adplenū ſatisfacerē. Dolet tibi, quòd in cultus Dei ratione quem pro vero habes, te non ſequar. Hoc ſi cōtemptu facerē, vt leues multi homines, quibus ſúſque déq; eſt omnis religio, quiq; omni affectu in cultus Dei obſeruatione vacui ſūt, nulla venia nō eſſem indigniſſim⁹. Sin verò Dei timor, & conſcientiæ teſtimonium eo me impulerunt, ſic mihi perſuadeo, vtroque illo nomine meum à te factum tolerabilius iudicatum iri. Iam ne te multis obtundā, negari hoc non poteſt, quin multi & craſſi abuſus & corruptelæ in Eccleſia locum habeant, qui Dei nomine teguntur: & bona intentio iſta omniaeluere creditur. Interea qui ſic viuunt, vt ſine Dei voluntatis auctoritate, Deo ſeſe approbatū iri ſtatuāt, illi vt vulgo dicitur, rationē ſuā ſine hoſpite ſubducūt. Siquidē fixū eſſe illud debet, Deū nō ex noſtro, ſed ex ipſius arbitrio colendū eſſe. Me verò ferendū nō eſſe, fateor ſi his de rebus ex meo ſenſu pronuntiare audeā, quaſi aliis iudicio plus valeā. Sed non hîc agitur quis melius ſapiat inter homines: illa enim regula & nota eſt, & cōmuni omniū ſenſu cōprobata, Deū præferre obedientiā 1.Sam.15.22
ſacrificiis omnib⁹. Quare vt res ſubtilius nō expēdatur, ſatis cōſtat, à Deo reiici, quidquid ipſius volūtati nō reſpōdet. Teſtimoniū autē voluntatis Domini ex vna Scriptura in qua conſignatū extat, petendū eſt. Vnde fit, vt quidquid ſeſe offeret, quod repugnet Scripturę ab eo mihi cauendū ſit, niſi ſciēs in Deū peccare velim. Hoc autem loco habere me quæ communi conſenſu tam ſancta eſſe credātur, abſurdū tibi videri poteſt. Verū hoc vnū à te mi pater poſtulo, vt cum ea ſim ætate, quę ad quiduis admittēdū magis prona iudicari ſolent, ne tamen hoc meū tantis de rebus iudiciū iuuenili leuitati adſcribas: cùm potius idoneo & omni exceptione maiore veritatis teſtimonio preſſus ac peruictus, ita ſentire cœperim. Quod enim per Dei gratiam, & legendo & audiendo aſſequi datum eſt, illi refragari tandem non potui. Quamobrem mi Pater, vbi ex illa certa ſcientia, quæ conſcientiā meā regere debet, aliquid malum eſſe mihi conſtat, illi intereſſe nefas mihi iudico: etſi mihi non parum dolet, quòd ab illis rebus abſtinere ſine tui offenſione non poſſum. Nihil enim mihi & optabilius eſt, & meo voto accōmodatius, quā vt meum tibi obſequiū præſtē, atq; approbē. Vnū me impedit, cuius à te imputationem ſupplex deprecor, quòd reluctāte cōſcientia ſi quid aggrediar, meipſum in me iudicem ferre cogar. Abſit verò à moribus meis omnis arrogantiæ, & de me ſupra alium quenquam exiſtimationis

labes. Tantùm hoc volo, quòd qui à Deo edoctus sim, quid rectum sit vel secus, illud insuperhabere iam non possim. Cúmque singulis de se apud illum ratio aliquando reddenda sit, vt aliis sua ignorantia in Dei iudicio fraudi etiam non sit, non video tamen quid à me obtendi possit, si à Dei notitia & vero ipsius cultu mihi explorato semel deflectam. Quid porrò in ipsis rerum obtineat argumentis, neque pro meo captu hîc apud te attingo, neque etiam eo tibi molestiam augere nũc quidem velim. Quòd si mihi non denegas, vt vel perstringam aliquid eius, quo summa ferè momenta verti video, sic accipe. Me cum à gratuita illa peccatorum remissione, quæ Christi Domini morte nobis parta, ac eiusdem gratiæ obsignatione, quæ sacrosancto Cœnæ Mysterio nobis exhibenda & applicanda ab ipso Christo instituta est, in sacrificium illud sua vi operatoriũ, & mortis Christi per se applicatiuũ, & illam elementi adorationẽ (quid autẽ hoc sit tacendo satis indico) oculos & mentem conuerto, planè aliter sentire non posse, quàm cùm illa è cælo sint, vt omnino constat, ista ab hominibus (ne quid grauius dicam) profecta videri. Proinde nullius esse momenti, vbi de Deo colendo, & veritate ipsius sine fermento retinenda agitur, Sed & ista fortasse minus parcè hoc loco, si mei captus & tenuitatis rationem tantùm habeas. Tãdem verò illud à te contendam, mi Pater, vt si ad me audiendum vsque propendere dignaberis, Patruum tecum admittere graue non sit, quod tibi non incommodè cessurum, mihi non temere persuadeam. Bene vale, obseruande Pater, ac tuum propter Deũ subductitium, tua beneuolentia non magis indignum agnosce.

IO. CALVINVS N. S. D.

QVum de facie tibi ignotus sim, absurdum tamẽ non videbitur, q̃ ad te scripserim, si tuos tibi liberos istius consilij auctores apud te citauero. Hoc etiã ad illud valere cupio, vt sine vllo excusationũ circuitu, te quamprimu m hîc cõpellem. Etenim hoc de te accepi, si quid ad te scriberẽ, non tantùm à te placidè admissum iri, sed neq; molestũ tibi futurũ illud perlegere, & apud te deinde meditari & expendere. Illud eã de te spẽ mihi iniecit, vt cùm pietatis semen in te subesse videam, cultura demũ adhibita, fructũ inde consecuturum suo tẽpore apud me constituerẽ. Cùm igitur ad teipsum excolendum hoc scriptũ pertineat, imprimis hoc tecum reputes velim, Nihil magis decere Christianũ hominem, q̃ vt dum abusus & corruptelas in Dei cultu (qui habetur) palpabiles notare potest, ac debet, det etiã operã, ne promiscuo cõsensu se se in illo cœno volutari sinat: inde potius discat sibi de Dei veritate inq̃rendũ esse, vt in illa tutò acquiescat. Alterũ etiam addo, vt quod de nostra doctrina subiiciam, placidè audias: breue enim faciã, vt tantò facilius agnoscas quam viam sequamur, & quò illa etiã ferat. Primùm igitur satis cõstat quamplurimos in ignorãtia & superstitione hærere, cùm ne oculos quidẽ ad lucẽ oblatã aperire sustineant: quorũ te in numero cũ habeã, apertè significo, vt ad illud demonstrandũ vel persuadendum tibi, lõgior à me exhortatio adhibẽda non sit. Atqui illud vnũ præcipuè Christianũ hominẽ facit, si in certa Dei colendi ratione sibi attendendũ statuat, ne spõte decipiatur, in re præsertim tãti momenti, vbi æterna animæ salus vertitur. Notũ est autem Christianismũ adulteratũ & corruptũ fuisse, Pastorũ Ecclesiæ tum cessatione, tũ imperitia, ambitione, auaritia. Neq; hanc degenerationẽ ad illorũ vitam & mores restringo, cùm in illa primas obtineat, ipsius Dei veritatis in mendaciũ & impostura trãsformatio: cultus Dei innumeris superstitionibus adductis cõtaminatio: ordinis Ecclesiæ extrema perturbatio: vsus Sacramentorũ cõspurcatio: vt vno verbo finiã, stupẽda & omnẽ sẽsum exuperãs inordinatio. Hoc verò si pauci animaduertũt, inde fit, quod regula Lesbia hîc pro norma tãtùm obtinet. Iã si Religioni illi Catholicę pura & nativa Dei institutio opponatur, eadẽ illic cõuenientia quæ lucis ad tenebras deprehẽdetur. Quare vt quis istis de reb⁹ verè cognoscat & sẽtiat, neq; Principis auctoritati, neq; cõsuetudinis præscriptioni, neq; suo ipsius sensui standũ est: consulendũ verbũ D. & quid illic mãdet aut vetet. Nã neq; Domin⁹ in angulo locut⁹ est, & suã voluntatẽ tũ summis tũ infimis patefactã esse voluit. Illud verò vbi à teipso obtinueris, vt patiẽtem aurẽ Deo loquenti accõmodes, illis quæ verbo nobis tradidit acquiescas, vnam salutis viam ab eo vno petendam & percipiendam tibi statuas, magnum tibi aditum ad ea quæ nostrũm quemque tenere expedit, pernoscẽda cõparaueris. Ad nostram doctrinam venio: quã pleriq; inauditam & inexploratã suo quodã præiudicio damnãt, occupati nimirũ nescio qua opinione, quæ aciẽ mentis ipsorũ hac in re prorsus obtũdat. Non attingo contumelias, & scelera etiã, quę nobis imponuntur, vt à nostris degustandis auertantur omnes. Atqui hoc vnum nobis imputari potest, quod eos omnes qui Christi nomine censentur, adhuc miserè palãtes, ad sua illa signa, Verbũ Dei nempe reuocare contendimus.

Simul

Simul etiam euincimus, controuersias omnes de Dei cultu, ex verbo ipsius esse dirimendas, vt vnusquisque teneat, quod à Deo esse constabit, quid hîc aduersarij? Ecclesiam scilicet, vt Aiacis clypeum ementiuntur, vt sub illius larua securè lateant. Nec verò alia fuit ratio Prophetarum & Apostolorum cùm res ipsis esset cum illis, qui etiam Ecclesiæ nomen, & summã in ea auctoritatem eadem mala fide vsurpabant. Quid igitur? Nouimus verò Ecclesiam illam quæ certo fundamento nititur doctrinæ Propheticæ atque Apostolicæ, cuius caput angulare & immotum Christus est & manet. Adulterina verò illa est, in qua non regnat Dei verbum. Eo posito hoc inferimus, cultum Dei ex mandato ipsius instituendum esse. Nihil hîc humanitus traditum inuectúmve ferri posse. Vnius enim Dei esse, legem figere conscientiis. Vnius ius esse, præscribere, quid ipse fieri à nobis velit. Hinc illæ querimoniæ, Vos sanctæ matris Ecclesiæ statuta pessum dedistis: quoniam post Esaiam auctore Christo testamur, frustra Deum coli mandatis hominum: item ex Iacobo, Vnum Legislatorẽ esse, penes quem sit seruare & perdere. Ac si quidquid illud est, quod Dei cultus nomine ab istis ornatur, intentius inspexeris, merum illic commentum ex hominum cerebro conflatum reperies. Iam si de fide & inuocatione agitur, quia Scriptura nos ad vnam Christi gratiam amandat, miserabilem conditionem nostram ob oculos ponit, quę certissimam condemnationem secum afferat: nos verò præeunte Scriptura, homines ad illam vnius Christi gratiæ agnitionem & prædicationem reuocamus: quod rursum statui non potest, quin momento absurdissimum illud meritorum cõmentum ad vitam æternam lucrifaciendam corruat. Hinc & illæ obnuntiationes, Vos omnem bonorum operum doctrinam & studium de medio tollitis? Scilicet illa aduersum nos calumnia stare potest, cùm omnis aduersariorum istis de rebus in suis concionibus docendi ratio plus quàm euanida sit, si ad seriam & exactam quæ ministerio nostro traditur & inculcatur sanctæ vitæ institutionem vel eminus admota conferatur! Hoc verò sic assiduè procuratur à nobis, vt tamen ne quis seipsum fallat aliqua operum suorum iactatione, sic apertè doceamus: neque posse nos quidquam boni, nisi Spiritu Dei nos dirigente: neque adeò sanctè viuentibus (cùm innumeri sint nostri defectus, nihil in nobis non caducum in sese, & nullius ad iustitiam coram Deo exhibendam momenti) fundamentum aliud non extare, quo solida iustitia nobis constet, quàm vt Christi vnius crucem ac mortẽ omnibus aliis post tergũ reiectis, ambabus manibus complectamur. Huic fidei fundamento, veram inuocationem ita cõnectimus, vt & ad Deum vnum preces nostras dirigendas esse ostendamus, cùm nos ad se compellet: & ne nostræ indignitatis conscientia ab illo nos auertat, per Christum vnum, vti apud Patrem Mediator nobis offertur, ad thronum gratiæ cum certa fiducia accurrendum nobis sit. Hinc & illæ lacrymæ, Vos in sanctos & sanctas Dei cõtumelioſi estis: vos illorum cultum & honorem sustuliſtis! Scilicet! cùm sanctorum Dei hominum memoriã eo quo Dominus nos docet loco habendo, syncero studio illam retinemus, & honore prosequimur: ferre autem non possumus vt Sancti ipsi in idôla transformati, Dei aut Christi loco habeantur! Imò etiam affirmare audemus, si quid istorum per quæ mundus insaniens suo more, creaturis semper affixus Creatorem securè despicit, si quid inquã, istorum piæ illæ & iam fœlices animæ sentiunt, totas zelo accẽdi ad Dei iudicium in sacrilegos istos suos cultores accersendum. Quòd ad sacramenta attinet, cùm illorum & vsus & scopus sit, vt nos in Dei timore, reuerentia, & misericordiæ fide confirment, dici nõ potest, quàm indignè omnia hîc etiam inuersa atque interpolata sint. Et nobis adhuc obiicitur, vbi illa suæ puritati quasi veris natalibus restituere conamur, Sacramenta à nobis exinaniri. Expendatur verò nostra omnis ratio ad vnam institutionem Domini, vt si quid ab illa discrepet, adnotetur. Exulat quidẽ hinc Missa, vt istic regnat. Sed postliminio rediit Cœna Domini, ipsa inquã Cœna Domini, vti ab ipso semel instituta est, quod neque ipsi aduersarij inficiari possunt. Tantùm suum ritum & receptum seruitiũ diuinum, quod vocant, obiiciunt pro omni defensione. Nos verò meliori iure & firmiori nitimur, mandato Domini ipsius, quod inuiolatum stare oportet vsque ad finem sæculi. Hoc faciendo inquit Paulus, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Hîc igitur nemo quidquam immutare potest, quin rebellionis crimine corã Domino teneatur. Prolixior sim, si reliqua attingã, quæ magis prætermittã. Et satis etiam nunc fuerit, te ex istis quę hîc habes gustũ aliquẽ percepisse, qui te ad vberiorẽ cognitionẽ pleniore tractatione accedẽte perducat. Vale in D. Dominus te Spiritu suo regat, à quo ipsius volũtati respondere discas, & tuę saluti ac tranquillitati consultum velit. Geneuæ.

Esa. 29. 13. Mat. 15. 8. Iac. 4. 12.

1. Cor. 11. 26.

N. j.

IO. CAL. NN. S. D.

DOlet mihi plurimùm dilectiſſ. in Domino, quòd non ſatis videam, quid conſolationis vobis nunc quidem adferre poſſim. Mihi enim iuſta eſt tacendi cauſa, vbi plus quàm ſciam, poſſimque, à me expectatur aut quęritur. Agnoſcitis nempe ex meo quodam ſcripto, cùm Deum nõ colitis, nullam vobis pacem conſcientiæ conſtare poſſe. At illud multò peius habet, quòd omnem ex illo veſtro carcere effugiendi rationem præciſam vobis ſtatuitis. Quid dicã? Miſeret me veſtræ ſortis & conſtrictionis. Sed quorſum illud? nempe vt Dominum pro vobis ſupplex orem, vt in tantis infirmitatibus vos reſpiciat, quod nobis omnibus mutuò ac perpetuò precari debemus: ac non vt has meas preces interponendo, quod à vobis malum admittitur, eleuem. Neque etiam expectatis fortaſſe, vt vobis blandiar: ſed cùm ita meam conſolationem requiritis, vt mali aliquando tollendi occaſionem omnẽ vobis negatam adiiciatis, illud me planè conſtringit, ne quid vlterius vobis reſpondere valeam. Ego verò ſi veſtræ illæ anguſtiæ veros ac feruentes gemitus ad Dominum in vobis excitarent, ſperarem exitum à Domino vobis oblatum iri. Sed quemadmodum extra ſpem in illum ſperandum eſt, ita etiam extra media ad ipſius vocationem ſequendã enitendum eſt, ne illi deſimus. Idque ita ſtatuendum eſt, vt cùm omnia ſeſe opponere videbuntur, & viæ omnes claudi atque obſtrui, nihilominus perrumpamus omnia, & nullus noſtris commodis vel rationibus in rei tantæ deliberatione detur locus. Si penes me eſſet vobis manum quouis modo porrigere, non committerem vt meum hîc officiũ à vobis meritò deſideraretur. Quum aliud non poſſim, nolite expectare, vt quod Dominus à vobis requirit, illud à me remitti poſſit. Veſtrum eſt potius, vt conſolationem accipiant corda veſtra, voſmet inter vos ad illud ipſum exhortari, quod à vobis pro impoſſibili habetur. Veniat enim in mentem quantum ſit illud malum, quo adhuc detinemini. Cúmque illud ita vt eſt, perſenſeritis, tum à Domino vires poſtulate ad luctam, etiamſi ad ſanguinem vſque decertandum ſit. Inducite porrò in animum, non eſſe præſcriptam vobis vnius diei luctam, cùm ex Satanæ vinculis euolaueritis: neque aliter omnia peractum iri cogitate, quàm ſi, vti ſemel maledictũ illud quod vobis incumbit, iugum exueritis, ita etiam in ſancta & recta conſtantia reliqua deinde vita perſtetis. Nimis enim frequentia ſunt illarum exempla, quæ bullarum inſtar momento à pietate excíderunt. Atque ita ſibi conſulunt peſſimè, qui in aere ædificant. Iam vbi ſeriò meditatæ eritis, quàm non minus arduum ſit perſeuerantiæ exemplum quàm planè neceſſarium in Domini vocatione, vt ad illud præſtandum impares nimium ſumus, illud vos excitet, vt ad Domini opem & præſidium vos conferatis. Sic enim illum abundè inſtructum comperietis ad ſuos ad cumulum ſuæ erga ipſos liberalitatis perducẽdos, vti iam ab ipſo primitias illius ſemel perceperunt. Atque hic eſt meæ ad vos exhortationis ſcopus. Dominus vobis adſit, ac veſtras illas quæ eum non latent infirmitates, ipſe corrigat, augeat in vobis dona ſui ſpiritus, animum & vires ſuppeditet ad illud quod ipſi probari edoctæ iam eſtis, vóſque adeò manu præſenti regat & protegat, vt luporum vobis inhiantium fauces inoffenſæ euitare poſſitis. Geneuæ. M. D. LIIII.

CALVINO FARELLVS S.

QVod accedet paci & ædificationi præter ſpem erit: potens eſt D. cui ſpe niti nos oportet, quamuis hîc omnia deſperata videamus: nobis flẽtibus mũdum lætari oportet. Verùm triſtitia noſtra in gaudium vertetur. Tu ſi es inter eos qui optimè apud Antiochum audiunt, gratior inde bonis: quibus vt charior in Domino ſis, perge quæ dedit D. in vſum Eccleſiæ proferre, cùm in Chriſto vite ſis, vt eas, fructúmque afferas qui maneat. N. fertur à Cæſare monita vt interimi ſe ferat excepto Interim. Chriſtus ſuo ſpiritu tandem illuminet tam parum videntes. Polono qui hac tranſiuit ad te tendens, plurimam dices ſalutem. Si huc venerit, dabo operam vt intelligat me ex animo & bene velle ob Chriſtum, cuius gratia exceptus fuit paulò durius, vt ex eius literis accepi. Sed cùm ſit Chriſti ſeruus, videat quàm fuerit lõgè mitius exceptus quàm dominus, & ſeſe apparet ad duriora. Graue eſt ab illis hęc fieri, qui dederunt nomen Euangelio, ſed grauius fuit Apoſtolum vendidiſſe ac tradidiſſe ſeruatorem. Verax eſt Deus, non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus. Vale bene. Is te ſeruet tuúmque ſemper proſperum & omnibus frugiferum reddat miniſterium, & omnium elidat conatus qui impedire quouis modo tentant, Chriſtus qui addat

addat vt sis perpetuò pergens magis & magis in gloriam Dei,& omnium ædificationẽ mente & corpore sanissimo. Collegas iube omnes saluere. Valde placuit quod per D. Tossanum respondistis. Neocomi, IIII. Calend. Martias. M. D. LIIII.

BVL. CALVINO S. D.

NOn desunt sat scio & sæpe audio qui cuperent à te, mi Caluine, domine colende & frater charissime,illud argumentum non fuisse tractatum.Sed sunt rursus qui & gratias tibi agunt pro laboribus,in quorũ numero & nos qui huic Ecclesiæ ministramus,sumus,& agnoscunt argumentum hoc necessarium esse quod tractetur hodie. Dudum D. Vrbanus Regius vnà cum omnibus Luneburgen.Ecclesiæ Ministris, edito etiam libro Germanico ostendit iure diuino & humano coerceri hæreticos,tum etiam iure ciuili,si impia non desinunt sparsere,aut blasphema in Deum sparserunt.Cur illi non irascuntur,qui in te hodie reprehendunt,quod probarẽt si certius rem expenderent.Nuper Titianus quidam Italus Anabaptista & Hebionita & Heluidianus in carcerem coniectus à tribus Rhetiæ fœderibus igni concremandus fuisset,nisi ceciniſſet palinodiam: nihilominus Curiæ virgis cæsus à Rhetio eiectus est.Quis ibi erat sæuitiæ & atrocitatis magister?Caluinus hoc nõ fecit nec suasit. Sunt etiam alij vbique viri boni qui intelligunt impios & blasphemos homines non tantùm admonendos & in carcerem concludendos, sed etiam capite esse mulctãdos.Ne ergo pigeat te suscepti laboris. Dominus sanctis conatibus & studiis nõ deerit. Scio tibi nec crudele esse ingenium nec te vllam atrocitatẽ approbare:quis nesciat etiam hîc modum adhibendum esse?At quomodo Serueto lernæ hæreseôn & pertinacissimo homini parci potuerit non video. Vale in Christo cum omnibus bonis.Orate pro nobis.Tiguri, XII. Iunij. M. D. LIIII.

P. MARTYR CALVINO S. D.

QVm vestratium qui Francfordia redeunt copia detur, vt absq; meis literis venirent pati nolui. Res nostræ pro tempore ac loco sunt satis tranquillæ. Doctori Marpachio redditę fuerũt literæquas ad eum scripseras,quid profecerint ignoro,siquidem nihil mihi de illis cõmunicauit: sed vt antea tibi significauerã, spero turbas illas breui conquieturas.Satagunt huius Ecclesiæ Ministri ac multis modis conantur,vt sacrificuli,& Missa rursus hinc eiiciantur:nec tantùm è suggestu causam egerunt fortiter, sed adierunt Senatum,eíq; simul omnes testati sunt,nisi hoc effecerit, se hinc migraturos:quòd nequeant bona cõscientia hîc vlterius ministrare, vbi tanta domi feratur & defendatur idololatria.Hanc illorũ actionẽ Senatus grauissimè tulit, & post aliquot dies ipsis duriter admodum respõdit. Id præsertim obiiciẽtes,quòd ante multos annos Wittembergẽses consiliũ dederint, cui Lutherus,Ionas,Pomeranus & horum similes manu propria subscripserunt,quo sentiunt magistratus in rebus publicis,ius nõ habere,vel potestatem vllam in Ecclesias cathedrales, & collegia.Ideóq; consultũ esse vt pios Ministros sibi procurent,qui populo Euangeliũ purè doceant in aliis templis,ab illis abstineant,nec ibi quidquam conentur reformare, cùm tamen suos ciues queant iure prohibere,ne sese idololatria contaminent. Sui autẽ consilij hanc rationem subiiciunt,quòd Ecclesiæ cathedrales,& collegia huiusmodi,nõ à Rebuspublicis verùm à Proceribus Imperij vel ab ipsis Imperatoribus institutæ ac dotatæ fuerint.Cúmq; Papæ auctoritas in ciuitatibus Euangelicis reiecta sit, putãt istarum Ecclesiarum arbitrium ad Imperatorem deuolutum:quare illi tantùm potestatẽ immutandi,& repurgandi cultus Dei quoad illas faciunt. Illo itaq; fretus consilio noster magistratus repulsam dedit ministris, vt qui putet auctores eius consilij nostris ministris lõgè doctiores.Cæterum hi respõsum hoc licet acceperint,non sunt animo fracti, neq; ab incœpto destiterunt, sed rursus instant,ac de illo consilio à doctoribus Wittbergẽsibus ante multos annos dato, satisfacere ac respondere conantur.Posteriori verò congressu lenius ac mitius à Senatu fuerunt accepti, qui tempus ad deliberandum sumpsit.Interea quid responsi dandũ sit,ignoratur.Sed ego ariolor dum Cæsar vixerit,rẽ non successuram,nec dubito nostrum Senatũ cupere quidem impietate ac idololatria ciuitatẽ liberare,sed nollent occasionẽ grauioris offensionis Cæsari præbere. Consiliis attamen cæterorũ Ministrorũ omnium in his actionibus,& Beatus & eius diaconus noluerunt se

admiſcere:imò potius diſſenſerũt, quòd ipſis ægrè fuit & populo magnæ admirationi. Quid ſit ſucceſſurũ cùm ſciuero ſignificabo. Sturmius non eſt hîc, ſed ante octo dies ex vrbe proficiſcebatur, ſpero non diu abfuturũ. Zanchus te ſalutat, & ego. Symmiſtis tuis meo nomine ſalutem dici velim. Hiſtoria Sleidani, vt ſpero, iam imprimetur. Diu te nobis diuina bonitas conſeruet incolumem. Petrus Alexander, vt ad me ſcribit, eſt breui te inuiſurus, quæſo illum æquo ac libenti animo videas. Nam licet hactenus de re ſacramentaria ſit nobis aduerſatus, attamen in præſentia Deo monſtrante totus eſt noſter, atque poteſt Eccleſiæ nonnihil prodeſſe. Rurſus vale ac me precibus apud Deum iuuato. Argentinæ, XXIIII. Septembris. 1555

SVLCERVS CALVINO S. D.

AMercatu Francofurtenſi cùm ſcribere per bibliopolas conſtituiſſem, profectione improuiſa impediebar. Laborabat Eccleſia Argentinenſis haud leui, iam periculo implicita: quòd Miniſtri exceſſuri plerique viderentur niſi idololatriæ omnimodam abrogationem obtinerent. Augebat metum noſtrum, inteſtina inter ipſos fratres diſcordia, quia duo ex illis ſe non ſolùm reliquis abiunxerant, ſed priuatim & publicè eorum qui ſunt XIIII. ſtudiis repugnabãt. Accurrimus ergo pro fraternæ coniunctionis officio, & quantùm potuimus, his inſtitimus, vt pientiſſimis Symmyſtarum conatibus fauerent, vtcunque ſe nollent periculo illigari, ſuis quibuſdam ducti rationibus. Illis verò, ſic vt zelum moderarentur, ne temere lupis proderent laniandam Eccleſiam. Benigniter ab vtriſque auditi ſumus, & eò vſque videntur profeciſſe optimi Dei ſerui, vt ſi non impetrentur quæ velimus omnia: gradum tamen vt fecerint, ad demolitionem Papatus, ſiquidem quod omnino ſperãt, capita reliqua concedantur. Verùm de euentu ſcribet proximis ad me Marpachius. Agit officium ſtrenuè Dux Chriſtophorus cum patruo Comite Georgio, cùm erga eum ipſum quem dixi Senatum Argentinenſem, tum Marchionem Badenſem vicinum nobis, qui nuper eſt illi pollicitus, ſe exactis ſacrificulis veram religionem inſtauraturum. Rogemus Dominum, vt Regni ſui pomœria dignetur miſericorditer extendere. Albertus Bauarus cum Salisburgenſe & Aichſtetenſe Epiſcopis crudeliter contra veram pietatem furit inſtituta inquiſitione, quæ etiam cum Hiſpanica certet. Nec ſecus apud Viennam Auſtriæ ſancti vexantur. Verùm & hæc impiorum molimina nouit Dominus ad Eccleſiæ incrementum nominiſque ſui gloriam conuertere. In Anglia nouos ſubinde motus excitari accipio, ſed aſtibus atque potentia regiorum opprimi partem meliorem, rerúmque potiri pro voto Hiſpanos, licet coronationem Rex nondũ ſit cõſequutus. Vale in Chriſto Ieſu, cuius gratiæ te cum tuis omnibus vnicè commendo. Baſileæ, III. Octobris. Anno M. D. LIIII.

MELANCHTHON CALVINO.

REuerende vir, & chariſſime frater, legi ſcriptum tuum, in quo refutaſti luculenter horrendas Serueti blaſphemias, ac Filio Dei gratias ago, qui fuit βραβευτὴς huius tui agonis. Tibi quoque Eccleſia & nunc & ad poſteros gratitudinem debet, & debebit. Tuo iudicio prorſus aſſentior. Affirmo etiam veſtros magiſtratus iuſtè feciſſe, quòd hominem blaſphemum, re ordine iudicata, interfecerunt. Quòd verò in proximis literis me hortaris, vt reprimam ineruditos clamores illorum, qui renouant certamen περὶ ἀρτολατρείας, ſcito quoſdam præcipuè odio mei eam diſputationem mouere, vt habeãt plauſibilem cauſam ad me opprimendum. Cum doctis & bonis viris multa colloquutus ſum de multis diſputationibus, quas hæc vna controuerſia complectitur, de diuinarum perſonarum proprietatibus, de patefactione Dei διὰ λόγου καὶ πνεύματος in vera conuerſione, ſeu cõſolatione. De his tantis rebus maximè tecum loqui cuperem, quem ſcio amantem eſſe veritatis, & non habere animum occupatum odiis, aut aliis ſtultis affectibus. Sic ait Nazanzenus ἐν φωτὶ τοῦ πατρὸς φῶς καταλαμβάνομεν τὸν υἱὸν ἐν φωτὶ τῷ πνεύματι ἁγίῳ. Etſi pauca ſunt eius Scriptoris dicta de illa agnitione Dei, quæ lucet in vera conſolatione, tamen hoc dicto delectatus ſum, quod inſerui huic Epiſtolæ, quia tibi quoque gratam fore eius mentionem arbitrabar. Hæc nihil πρὸς τὴν ἀρτολατρείαν. Non deſpero nos colloquuturos eſſe, antequam ex

hoc

hoc mortali carcere mens discedat. Etsi enim propter senectam à meta huius curriculi non procul absum, tamen quotidie noua exilia expecto. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis, & resuscitatum, custodem Ecclesiæ suæ, vt te & nos omnes gubernet. Bene vale charissime frater. Die XIIII. Octobris. M. D. LIIII.

P. Martyr Calvino S. D.

CIrca festum Paschæ literas ad te, vir clarissime, dederã, sed adolescẽti Hungaro, & quidem nobilissimo, qui nõ longè à Selestadio est interfectus: quare cùm tam mœstus interuenerit casus, ad te perferri non potuerũt, & quę tum noueram atque scribebam, cùm te aliundè iam resciuisse non dubitẽ minimè repetenda censeo. Huc verò tristissima ex Anglia sunt allata, nimirum ibi parlamentum (vt vocant) esse assensum, vt Papæ sua restituat tyrannissima. Et Philippus Rex Angliæ sit & habeatur. bonorum virorum qui abire possunt vndique fit fuga. Atque tanta est rerum perturbatio, vt nullo pacto explicari queat. Iámq; hîc sunt apud nos tres præclarissimi equites, nempe Morisinus, Chæcus, & Cuccus, non minus pietate quàm eruditione insignes, quos intra paucos dies puto venturos. Hæc ideo scribo, vt rebus illis propemodum perditis, nedum afflictis, velis precibus vnà cum tua Ecclesia subuenire. Certè iam Cantuarienſis, & reliqui Episcopi, qui vnà captiui detinentur, in extremo versantur discrimine. Nos hîc iam satis quiete agimus quo ad externa. Et iam de nostra Gallica Ecclesia liberati metu videmur, quo multi antea suspicabãtur fore, vt aliquid in doctrina & Sacramẽtorum administratione mutaretur. Id neque factum est, & vt confido, non fiet. Vtinam quorundam contentio aduersus Pastorem tolli queat. Eam tamen spero tandem quieturam, vtque iudico facilius dissimulando consopietur, quàm si vi & potentia cõtrà eatur. Et hoc quoque malũ precum indiget. Nec te postremò latere velim, me vnà cum reliquis bonis viris id vehementer dolere, quòd aduersus veritatem, ac tuum nomen, adeò inepta & falsa spargant de æterna Dei electione, atque de hæreticis extremo supplicio non afficiendis. Sed bene habet quòd in his quæ scribunt (vt audimus) nomen suum profiteri non audent. Vt audimus, dixi, quoniã huc Argentinam ne vnus quidem allatus est ex illis anonymis libris. Nos hîc quoties rogamur, cùm publicè tum priuatim, partes & veri & tuas pro virili tuemur, præsertim Zancus & ego. Quomodo verò D. Allasco sit per Daniam & Saxonicas Ecclesias malè acceptus, ex isto qui tibi meas reddet, poteris cognoscere. Vale atque pro nobis ora. Zancus te plurimùm salutat. Vicissim quæso Martinengo necnon Galeatio Marchioni & N. salutem meo nomine dixeris. IX. Maij. Argentinæ.

Ioannes Calvinvs Dilectissimis Fratribvs Orbæ, qui puram Euangelij prædicationem, & Dei cultum syncerum cum Regni Christi promotione exoptant.

Charitas Dei Patris, & Gratia Domini nostri Iesu Christi, per Spiritus sancti communicationem vobis semper adsit.

QVum præter ordinariam sanæ doctrinæ auditionem, cui etiam lectio verbi potest accedere, non dubitem, quin optimi fratres Farellus & Viretus strenuè in illud incumbant, vt vos sanctis exhortationibus ad pietatis studium accẽdant, quas etiam à vobis prompto & propenso animo excipi confidã: volui tamen dilectiss. fratres hoc ad vos literarum dare, quò meum de vobis ac rebus vestris iudicium haberetis. Et sanè non vulgari confirmatione nunc vobis opus est, ex quo turbæ illæ à Satana aduersum vos excitatæ sunt. Meum verò erga vos studium probatum iri facilè mihi persuadeo, cùm de recto affectu constiterit, vt opera mea apud vos inutilis futura non sit. Equidem non dubito, quin pro vestro illo intẽto desiderio ad purum Dei cultum inter vos solidè restituendum, magno vobis mœrori sit

ſtatus ille veſtræ vrbis, dum nempe ſuperſtitio & impietas Papiſmi, quæ Dei cultum corrupit, & nomen ſacrum blaſphemiis operit, ſedem ſuam adhuc apud vos retinent. Interea magni vobis theſauri loco eſſe debet, quòd Dominus dederit, vt vos quidem iam nihil commune cum malo habeatis. Imò vt non modò à malo abſtinere liceat, ſed etiam extet ordo aliquis Eccleſiæ inter vos, quo vos ſub Domini iugo contineatis. Magnum omnino & incomparabile Dei beneficium, ſi in illorum conditionem oculos cõieceritis, qui crudeliſſimæ ſeruitutis iugo miſerabiliter premuntur. Superest tamen illa anxietas, quòd non pauca in oculos veſtros incurrũt, quæ Dei gloriæ aduerſantur. Præſertim cùm omnia iſtic tam certò & ex voto cõparata eſſent, vt nec aliter ſtatueremus, quàm vos plenè tandẽ Antichriſti ſordibus perpurgatum ac ſemel liberatum iri: quare quòd à tanta ſpe deiici contigit, non potuit non eſſe moleſtiſſimum. Infideles verò metu illo iam vacui, non deſunt etiam occaſioni, quin & triumphum ſibi canãt, & Deo inſultent, quò vobis extremus dolor ſuper dolorem accedat. Atqui nouum videri non debet, quòd Satan qui totus in eo eſt, vt promotionem Regni Chriſti impediat, ſuas illas artes adhibeat, ad cumulum benedictionis Dei porrò mouendum: cùm niſi obſtaret Dominus, omnia ſemel diſiicere, ac veluti per auras verrere paratiſſimus ſit. Interea verò, dum à Domino conſtringitur, ſeipſum nihilominus excutit, vt damnũ det quantùm poteſt. Vobis autẽ ſingulare ſolatium illud afferre debet, quòd verè conſtet, ius & litem Domini à vobis propugnari: proinde ſpes illa vos erigat, Dominũ veritati ſuæ quę ipſi vnicè pretioſa ſit, non defuturum. Durate igitur animos ad tempus, ac non minus conſtanter in eo quod cœpiſtis pergite. Statuite vos ad illud à Domino poſitos eſſe, vt ipſe veſtram fidem & patientiam exerceat. Ac ſi nulla ſpes & ratio affulgeret efficiendi in poſterum quod intenditis: illud vos tamen ſuſtinere deberet, & animum addere, quòd vobis conſcij ſitis, ita Deo vos impendiſſe, ac veſtrum illi obſequium probari. Eſt verò quòd in recto ſtudio vos multò magis confirmet, cùm laboris veſtri fructus inſignis in hoc etiam immaturo enixu extiterit. Viget enim illa Domini promiſſio, nos operam nõ ludere, etſi aerem cædere videamur, vbi verbum illius nobis præibit. Agnoſcite igitur iſtius promiſſionis effectum, illam quæ ſeſe oſtendit gregis Domini amplificationẽ, quæ haud dubiè abominationes Antichriſti ex vrbe profligatura ſit. Quod enim hoc tẽpore dilatũ voluit Dominus, ſuo tempore confecturum ſtatuendum eſt. Hoc eſt igitur luctæ tempus & certaminis aduerſus varias tentationes: vt ſanè introductio principatus & dominationis Filij Dei inter homines, non ſine ſudore & extremo nixu procedere ſolet. Cùm verò Satan ita inflatus & furens fertur aduerſum vos, quis erit pudor, ſi vobis ipſis defueritis? Quid enim? Ille in exitium ſuum contendit, vos & pro cauſa illa ſtatis, quæ cum ſalute veſtra coniuncta eſt, & victoriam vobis paratam eſſe, ſi cordatè pergetis, certò perſuaſi eſtis. Infideles porrò qui ſua cæcitate bis miſeri, gratiam Dei quantùm in ipſis eſt, repellunt, commiſeratione digni ſunt potius, quàm vt illorum occaſione cõmoueri vos oporteat. Sic ſe prodit letalis ille morbus, quo à Satana faſcinantur, cùm ſuam vnam ſalutem tam deploratè fugiunt, & exoſam habent. Quare veſtra erga illos commiſeratio, vobis animum non imminuat, quin etiam inuitis bonum incognitũ procuretis. Hoc demum effectum dabitur, cùm nõ iam vt laceri corporis membra, vno eodémque ſpiritu & animo eundem omnes Dominum inuocabitis. Quod vt detur, neque vlli rei parcendum eſt, neque vlla hîc remiſſio excuſari poteſt: quò magis poſtulandus vobis à Deo eſt ſpiritus fortitudinis & veræ conſtantiæ, ne vnquam animum deſpõdeatis. Nec minus neceſſaria eſt pia illa & ſancta prudentia, vt cùm aduerſarij in omnes occaſiones ad vos intercipiendos intenti ſint, aduerſus illorum conatus inoffenſi perſtetis. Cùm hanc viam tenebitis, aut Dominus retundet illorum tumorem, qui ita erga vos malè ſunt animati: aut æquiores & pacatiores reddet, ne ita ferociter aduerſus ſtimulos calcitrent. Vt vt ſit, hoc agite tanquam mente deliberata, vt quod ſtadium vobis decurrendum ſtatuit Dominus, in illo vos ſtrenuè ad extremum vſque conficiendo pergatis. Illud vobis vel vnum abundè ſit, quòd approbari veſtrum laborem à Domino non dubitatis, cùm abominationibus illis bellũ ἄσπονδον indicitis, quæ ipſius cultui & honori aduerſantur. Neque verò mihi non veniunt illa in mentem, quæ in hoc Domini negotio ſeſe vobis obiectura ſunt, vt vos à conſtantia veſtra demoueant, niſi virtus vna ex alto omnia illa impedimenta in vobis exuperet, à qua etiam pendet progreſſus noſter & non fallax expectatio. Nos hîc omnes ita omnia iſta vobis à Deo bene cedere comprecamur, atque vt & ſua protectione complectatur & ſpiritualibus donis cumulet, vt magis ac

gis ac magis accensi sitis, ad vos illi in solidum adducendos. Geneuæ IIII. Martij M. D. LIIII.

VIRETVS CALVINO S. D.

IAm gratias nobiscum agite Domino omnes,& gratulemini nobis de fœlici Orbanæ causæ successu. Vicerunt nostri 18. suffragiis. Eodem ipso die iussi sunt sacrificuli cum Franciscanis & Claranis à suis sacris desistere, non sine magno totius populi Papistici & publico luctu. Is autem dies ille ipse erat, qui diem festum præcedit Germani quem pro Deo suo tutelari colunt. Laudetur Do. qui hanc nobis dedit victoriam aduersus Antichristum: atque eò glorioſiorẽ & lætiorem, quò diutius prorogata est. Rogant me fratres vt si commodè fieri possit ad proximũ Dominicum diem eò me cõferam. Tussis mea sese remisit, ac me infestare desiit. Erat enim valde infesta & frequens. Vix eò accedam ante aliam hebdomadem, tum propterea quòd iam tòtis tribus hedomadibus nullam hîc concionem habui, tum propterea quòd nescio, an adhuc satis tutum sit mihi me nimis aperto cœlo committere, donec paulò diutius vires confirmauero. Salutant te fratres omnes. Salutat te vxor & tota familia. Vale optime ac doctissime. Lausannæ 11. August. M. D. LIIII.

IO. CALVINVS D. N. S. D.

QVòd ad te apertè & liberè scribere instituì, omnem in modum à te peto, vt illud boni consulas, atque sic existimes, si quid hîc simplicius egisse visus fuero, illud non à temeritate vel audacia, sed ab vno & certo obsequij tibi secundum Deum præstandi affectu profectum esse. Vt enim meipsum nimis inutilem seruum in heri mei domo apud me sentio, ita tamen abstinere omnino non possum, quin pro gratiæ ab ipso in me collatæ modulo, aliquid ad te vsque transmittam: adeò vt non parum mihi ipse defuturus videar, nisi te quamprimum isto ad te scribendi officio adeam, atque compellem. Neque verò in eo me deficiunt satis idoneæ rationes. Vna est, cáque vna iusti per se momenti, quòd non tuæ minus quàm aliorum saluti, pro Domini vocatione qua fungor, habendam mihi rationẽ existimem. Altera, quòd cùm tuam illam celsitudinem & supereminentiam intueor, quæ ad regni Dei incrementum, vti ab illo est, ita etiam non mediocriter conferre possit, sic mihi persuadeo, à nobis qui ministerio fungimur, peculiarem quandam vestrũm curam, eo nomine habendam esse. Mea verò quòd ad te sic est ratio, vt cùm à tua illa Excellẽtia discessero, eum in te tamen Dei timorem, & serium illi obsequendi affectum agnoscam, vt ferendus omnino nõ sim, nisi ad omnem occasionem procurãdæ salutis tuæ intentum me præbeam. Quod ita me testãte mea cõscientia procul à fuco vel adulatione tibi testificari, nouit ille cui aperta sunt occulta & intima cordiũ & cogitationũ. Accepi à multis isque fide dignis de N. quẽ concionatorem habes, quòd cùm ad tẽpus & pro suo modulo, aliquid non pœnitendum præstiterit, idem nunc tibi auctor sit, quod id nullum incommodum habere dicat, vt post Missam auditam, aliqua cõmunionis species subiungatur, quæ Cœnæ Domini loco sit. Illud porrò à quadam ex tuis probari non potuisse, quòd verita sit, ne quid hîc fieret non ex Dei verbo, quòd apertè malum esse sentiret. Te autem bono illo N. auctore non tantùm erga illam vultum tuum immutasse, sed & in eam sententiam adductam, vt minimè ferendam illam mulieris & similium morositatem existimes, quæ sua importunitate scandalum infirmis sine causa adferat. Ego verò cùm istius rei tale momentum esse viderem, vt dissimulari nullo modo posset, tibi etiam ea proponi quæ longè aliter se haberent, apud me decreueram, quid ipse sentirẽ, si quid ex Dei verbo percepi, scripto tibi aperire. Cúmque in ea cogitatione defixus hærerem, commodissimè à N. mihi significatum est te hoc ipsum à me expetere, vt quid in re perplexa tibi sequendum esset, semel & seriò intelligeres. Inde igitur animus etiam creuit huius apud te fungendi officij, quo vt spero rẽ ipsam ita tibi ob oculos ponam, vt quid de ea statuendum sit, non ita difficilè colligas. Fac igitur vt cùm Dei veritas in medium prodibit, sic illam agnoscas, vt zelus iste tuus tam ab omni contumacia absit, quàm te Dei timentem & Verbi ipsius auditioni reuerenter subiectam mihi hactenus agnouisse visus sum. Et quòd ad illas occasiones quibus factum est, vt rumor iste primùm ad me peruenirẽt, noli in illis exquirendis hærere, cùm & qui illa refe-

rebant,non putarent,te à me istorum admonendam vnquam esse,ego verò centies perire malim,quàm vt vllius mortalis gratia vel occasione,Dei verbum inflexisse aut protulisse etiam dici possim.Summa causa igitur hæc vna est,quòd ferre non potuerim verbum Dei ita sepeliri,inuerti,corrumpi,deprauari in rebus tanti momenti,& ab illis ipsis quibus fidem adhibes,& quos apud non vulgari loco esse vis.Quòd igitur ad N.attinet, si tibi aperiam quid de illo mihi compertum sit,vt deinceps tibi prospicias,neque ipsius doctrinam confidentius admittas,timendum mihi non putem,ne in siniſtri affectus opinionem apud te incidam,cuius causas procul habeo. Ac si quòd meum in hominem odium notari potest,illud eo vno stetit, quòd hominem vrgere nunquam desierim, vt sese seriò ad Ecclesiæ ædificationem in veræ doctrinæ syncera professione applicaret. Qui verò verbum Dei mala mente, malo animo contaminellat, & veritatem ipsius extinguere conetur, non si meo mihi parente coniunctior sit, parcat illi oculus meus, quin vt instrumentum Satanæ accipiam.Istius porrò hîc fuit semper scopus,quantùm ex certa experientia percepi,vt quantuluncunque intelligentiæ Scripturæ à Domino accepisset,illud totum ad quæstum & ambitionem cõferret.Sic igitur & quod verum esse sciebat,non reticuit,vbi illinc aliquod emolumentum captauit,& vbi vel minimum molestiæ subolfecit,non minus strenuè recantauit.Illa conscientia præditus,cùm sibi coram hominibus alicuius nominis,vel bene nummatis concionem habendam præcepit,& qui apud ipsum,vt Deo gloriam daret,instarent, ita illis quidem satisfacere studuit, vt simul nõ gratuitam à se locatam operam satis indicaret. Cùm verò aliud theatrum succederet,noster homo ad palinodiã appositè instructus sibi perinde consuluit. Quare de illo iudicari aliter non potest,quàm de eo cui verbum Dei sit pro fabula:& qui persona quadam parasyti indutus in theatrum prodeat,vt sese his vel illis venditet.Priuatos mores non attingo,qui vtinam concionatoris nomini minus malè responderent.Alienum est,scio,ab homine Christiano,alteri detrahere. Hoc si quærerem, nimis idoneas occasiones prætermisi.Sed illud me vrget,quod clamat Dominus, ne lupos toleremus, sub Pastorum larua gregem ipsum dispersuros: quòd iubet istorũ improbitatem retegi,qui præsentissimæ sint pestes ad ipsius familiam & inficiendam,& enecandam. Et tamen si mihi hominem ipsum appellare integrum fuisset,illũ potius quàm te primùm nunc officij admonendum duxissem, cùm satis cogitem quàm irreconciliabile istorum mihi odium conciliẽ. Nulla enim hoc tẽpore mihi acerbior est contẽtio,quàm cum istiusmodi,qui sub Euangelij nomine principũ animos fermẽto suo illaqueant, atque illos suis artibus & dolis semper quasi ex nebulis suspensos tenent,neque vnquam ad veram lucis fruitionem adduci sustinent.Quid igitur facerem cum illis, quos Dei timore ita vacuos noui,vt & ipsius iudicij nomen ipsis futurum sit pro cantione vel nænia? Quod vnum supereſt igitur ne ignoti deinceps fallant, & plus damni dent, depingendos mihi apud illos statuo,qui ad ipsorum technas magis sunt expositi. Hæc via mihi consultior visa est,vt quibus maximè timendum est,opportunè quoad possum non desim.Istũ porrò semel in viam reducere conatus sum,vt ad suæ prauitatis agnitionem hominem adegerim. Atqui ille nihilò minus in eo perstabat,vt se non reiecturum aut ab eo recessurũ diceret,quod impium esse ipsi constabat.Semel tamen cùm in meum quendam tractactum incidissem,seriò & non sine grauibus imprecationibus protestatus est, cùm Missæ abominationem planè exploratam haberet, illi se nunquam interfuturum. Scilicet iuranti credidissem, quem non minus futilem quàm gracculum garrientem iudicarem. En quæ meæ huius ad teipsam admonitionis causam planè necessariam: nam & apud istum operam lusissem,& tibi certius cõsulere aliter quod sentirem, nõ potui.Sed quod de illo testificatus sum,fac non satis esse mihi compertum,vt tuipsa periculum facias. Si enim penitus inspexeris sic colliges,hominẽ in tractando Dei verbo hoc vnum sibi propositum habere,vt ita gratiam apud te ineat, vt & inde beneficia & eiusmodi lucra captet,& in nullius offensionem vnquam incurrat. Nunc omisso homine,rem ipsam aggrediar.Hoc est igitur illius consilium:quòd Missa non ita abominanda sit, quin & ipsi illam facere,& aliis qui fideles sint,Missæ interesse liceat: quibus verò hoc agere religio sit,illos perturbare Ecclesiam,esse infirmis scandalo,quorum præcipuam causam apud nos esse voluerit Dominus.Quòd ad illud attinet, quid Missa valeat,vix scio operæpretium ne facturus sim,si quid ad illud apud te præsertim regeram. Sic enim mihi persuadeo illam à te non alio quàm horrendi sacrilegij loco haberi, si quid aliud eo nomine censendum sit. Verendum igitur ne ridiculus apud te sim, si illud probare contendam,

de quo

de quo te non dubitare non magis ipse dubitem. Breuitas etiam epistolæ vix ea complecti posset, quæ iustum volumen caperet. Quare vt obiter aliquid attingam, vt minus adhuc perplexa hæreas, sic habe. Missa est sacrificium ab hominibus institutum, pro redemptione viuorũ & mortuorum, vt certo loco Canon Missæ perhibet. Missa igitur execranda est blasphemia, qua passio Domini conuellitur, atque vis ipsius euanida & inanis prorsus redditur. Cùm enim dicimus fideles effuso Christi cruore redemptos, peccatorũ remissionem, iustitiam, vitæ æternæ spem adeptos esse, hoc non aliter accipi potest, quàm quatenus bonus Redemptor noster Patri seipsum offerens, atque victimam immolandã sistens, semetipsum illo ipso actu obtulit in sacrificium æternum, quo nobis constat purgatio & emundatio ab iniquitatibus nostris, ac proinde nostra in gratiam apud Patrem cœlestem receptio, cum Regni etiam cœlestis speranda participatione, vti pluribus ostendit disertè & manifestè eumcit Apostolus ad Hebræos à 7. ad 11. Quò pertinet hæc illius appositissima exhortatio, quam ex doctrina de efficacia vnius Sacerdotij & sacrificij Christi in æternum colligit. Quum habeamus, inquit, per Christi carnem, viam illam & recentem ac viuam, accedamus corde puro ad Dominum. Nã si vna Christi mors vnicum illud sacrificium non complectitur, quod peractum semel, perpetuã causam habeat, vt vis illius æterna sit, inducatur nempe & pro nullo habeatur. Respondent sacrificuli præstigiatores, se non offerre nouum sacrificium, sed ipsissimum Christi sacrificium. Sic magis blasphemiis sese inuoluunt. Quis enim prodibit ad offerendum sacrificium Christi præter Christum ipsum idoneus? Quid verò Apostolus de vnico illo sacrificio incomparabili? Si inquit, vt per Christum peccata aboleantur, vnicum illius sacrificiũ non sufficit, sed iterum illud offerẽdum sit, iterum etiam sit ipsi moriendũ. Quare duorum alterum hîc statuẽdum est, vt aut horrenda Missę blasphemia apertè execranda habeatur, aut si retinetur, vt crux Christi (quod absit) pedibus conculcetur. Quàm bellè verò Missæ conueniat cum Cœna Domini, ipsa Cœnę à Domino institutio me tacente tibi suggeret. Cumulus autem abominationis, ipsa quę ibi primas tenet elementi adoratio est. Hoc enim nullum colorem habet. Quæ cũ ita se habeant, qua fronte ille affirmare audeat Missam esse quid medium, & non ita intolerabile, nisi conuictus fateatur tot horrenda in Deum peccata, ipsámque abominationem quæ illic caput attollit, res perinde etiam esse leuis alicuius momenti? Quid enim quis obtendat, quominus tam horrendæ impietatis societate teneatur, qui illam se supra verbum Dei reuereri, & magis impensè obseruare conuictus sit. Quàm verò illud D. placeat testatur ipse apud Eze. 20. cap. 39. vers. Agite, inquit, & merum idôlorum cultum profitemini gentium ritu, neque sanctum nomen meum cum vestris idôlis permiscete. Sic enim ipsi cogitabant conciliandam esse obedientiam legis Dei, cùm vanissimis gentium superstitionibus, quas sibi asciscendo, à Dei lege sese prorsus auertebant. Hoc alibi cõfirmat, vbi ait, illos se perditurum qui iurarent per nomen suum vt Dei veri, ac nihilominus alios simul Deos sibi affingerent. Neque valet illa responsio, præcipuè à Deo mentem requiri, vt illa pura sit, quidquid externo gestu quis præ se ferat. Nempe hoc refutat Dominus, cùm testatur eodẽ illo corpore se glorificari velle, pro quo non minus quàm pro anima seipsum impenderit: sic oris confessionem requirit: sic nullam nostri partem non sibi consecrari iubet. Hoc verò locum habere non potest, quin illis omnino vale dicamus, quæ à se reprobari non minus apertè testatus sit. Hîc verò ne sermonem magis intendam, quod Epistola non ferret, reliqua facilè erit petere ex tractatu à me edito, Quid pio homini cum Papisticis superstitionibus commune esse possit, vtque se illic gerere debeat. Illic te reperturam cõfido, quò tibi plenius satisfactum agnoscas. Superest altera quæstio, an dicendum sit tubari infirmorum conscientias, Si quis fidelis à Missa penitus & omnimodo abhorreat: ille hoc asserit. Ego verò videre non possum, quomodo hoc illi exciderit quod tam securè prætergreditur, éstq; præcipui momenti in hac quæstione. Primùm enim illud est in Dei cultu, & irrefixum stare oportet, quidquid Dominus iubet aut vetat verbo suo, ab eo obseruando ne latum vnguem discedere fas esse, quamcũque in partem hoc alij interpretentur. Iam res quasdam non eo loco esse concedo, sed quæ mediæ sint, quòd ad ipsum vsum vel abstentionẽ: eúmque illæ quasi nostro delectui relictæ sint, videndum quid captus proximorum ferat, ne nostra libertate ad illorum infirmitatem iis in rebus nõ temperata, periculosè offendãtur. Ac nominatim Apostolus Rom. 15. v er. 2. scopum euitãdæ proximi offensionis statuit, vt illum in bonum ædificemus. Ex quo sequitur nihil nocentius à nobis ad proximum peruenire posse, quàm quod non ad ipsius ædificationem, sed ad destructionẽ per-

Heb. 9. 24. 25. 26.

Sopho. 1. 5.

tineat. In Epistola verò ad Cor. 1. 8. & 10. cap. disertius etiam hoc exequitur vt ostendat, sic ius nostrum & illius apud nos sensum ad fratrum & proximorum captum temperandum esse, ne plus audendi quàm sibi licere consci sibi sint, exemplum à nobis ducant, quod non aliud est quàm exitium proximo quātùm in nobis sit accersere. Iam ad rem. Fac interesse Missæ aliquem ex iis qui pij habentur, & cui Missæ impietas explorata sit, tantùm vt ignorātiæ aliorum adstantium fortasse sese, vt loquuntur, accommodet. An non verò qui illic adstant cum sua ad Missam deuotione, dum nostra præsentia illā nobis quoque probari non temere colligunt, in malum à nobis confirmantur? quàm grande scelus à Paulo illud pronuntiandum existimamus, (quidquid de illius magnitudine nostra peruicacia subducat) quum rerum illarum vsum attingens, quæ per se fidelibus promiscuæ esse poterant, tam destrictè tamen monet, vt nobis non addicti, proximorum præcipua causa sit, propter conscientiam inquit non tuam sed alterius, quæ vel offendetur & in malo confirmabitur, vel quasi fractis repagulis exemplo tuo in exitium ille abripietur. Vide igitur imprimis, ne isto offendiculi & scandali nomine tibi imponatur. Vt enim grauissimum illud est offendiculi genus, vbi nostro exemplo frater in præceps mittitur, ac corruit qui erigendus erat nostra moderatione: ita etiam si omnia scandala in vtramuis partem cuitare cogitamus, vnum compendium illud est, facessat Christus à nobis. Etenim ille perpetuus est offendiculi lapis, ad quē hominum maxima pars impingit. Et in populo Iudaico perinde hoc olim extitit, cùm ad illos primùm missus sit Dominus. Imò Deus ipse iam antè offendiculo illi suæ genti maxima ex parte fuerat. Iterū igitur regulā quā suprà posui repeto, quod quidquid iubet aut vetat verbo suo Dominus, ab eo ne latum vnguem discedere fas esse vel cum totius mundi offensione. Cúmque Christus impiis sit semper offendiculo, non est expectandum, vt iidem minus offendantur, cùm nos Euangelium profiteri animaduerterint. Quòd verò ad illa attinet quæ quod ad vsum media sunt, vt à nobis vsurpari omittive possint integra conscientia, in illorum vsu videndum, ne nihil non fratribus concedamus, vt libertas illa nostra charitatis legi perpetuò inseruiat. Et tamen ista infirmorum susceptio seu tolerātia eò referri debet, vt ipsi sensim ad ea quæ recta sunt, promoucātur, & ad Deum propius accedant. Nam si exemplo nostro ipsorum conscientia quasi vim patitur, nos illorum exitio causam damus. Et quòd ad illos attinet, qui nunc aliquo pietatis gustu imbuti sunt, cùm paucissimi sint quibus Missa iam in idololatriæ suspicionem saltem non veniat: nostro tamen illo exemplo ducuntur vt ab illa non abstineant, cùm iam assistendi scrupulus conscientiam pungens reuellitur. Illud verò deterrimum est scandali genus, quo infirmæ conscientiæ & à spe sanationis non remotæ, transuersæ nostro exemplo ab omni sensu pietatis, ad nostri facti pernicioſum argumentum semel abripiuntur. Audio postremò bonum nostrum N. scandali istius de Missa adeunda grauitatem eleuare velle Germanicarum Ecclesiarum exemplo, quæ inquit liberum cuique faciunt Missas adire vel non adire. Cedo verò auctorem istius impostura & contumeliæ aduersus tot Dei Ecclesias? Res aperta est, si vel minimum inquiri iusseris. Ego verò tibi confirmo, hoc ita receptum esse, non tantùm apud omnes quæ istic sunt Ecclesias, sed & apud vnumquemque ex fidelibus, Missam abominationem esse non ferendam. Et Capito ipse qui moderationis studiosior habitus est, scripsit librum ea de re ad Regem Angliæ non ita pridem, quo docet Principum esse in illud incumbere imprimis, vt munus suum præstent, Vt execrandam illam idololatriam semel è medio tollant. Neque vllus extat hodie alicuius in Ecclesia nominis, qui non perinde sentiat. Cùm igitur Dominus te dignatus sit cognitione nominis sui, téque Euangelij sui veritate illuminauerit, fac vt cœlestem illam vocationem agnoscas. Neq; enim alia de causa è nostris illis tenebris ad lucem suam admirabilem transtulit, quàm vt illi vni irretorto oculo adhæreamus: demúsque operam vt magis ac magis eruditi, continuum profectum in ipsius sapientia meditemur, vti illius rudimenta iam ab ipso accepimus. Imprimis verò cauendum, ne spiritum ipsius extinguamus: vti illis accidit, qui & claudunt oculos, & aures obstruunt, illiúsque rei vnam ignorationem affectant, quam Dominus omnibus patefactā voluit. Absit verò à nobis tantum scelus, ne ingratitudinem illam & contemptum seueriſſimè tādem vindicet. Quin potius eò vnicè studium applicemus, vt in optimi Magistri schola assiduè proficiendo, tandem ipsius doctrinæ scopum apud illum consequamur. Illud verò tum dabitur, cùm ex corporeo istius molis ergastulo ad illū emigrabimus, vt perpetua hæc nostra cum Dauide schola sit, Doce me Domine facere voluntatem tuam.

Psal. 143. 10.

Atque

Atque vbi illo affectu & zelo ducemur, non est dubitandum, quin ita ab ipso dirigendi simus, vt nihil in via nos sit remoraturum. Ad nostros verò defectus & ignorantiam subleuandam non deerit ipsius gratia, quæ maiorem lucem afferat, quatenus ipse nouit quid expediat. Summum est vt teneamus, qui legitimi sint nostræ vocationis fructus, Nimirum vt Dei verbo cor nostrum & mens etiam trãsformentur, vt gloria Domini in nobis elucescat, quæ in integritate, innocentia, sanctitate consistit. Vbi ista non extant, vanum est Euãgelij nomen & inanis illius professio. Quod igitur facere cœpisti, ita deinceps persequere, vt opus Dei prouectius in te agnosci possit. Iterum verò huius meæ liberę & syncerę admonitionis veniam deprecor. De scandalis si quid amplius desideras, vt certam viam inter anfractus istos teneas, dabo operam, vt plenius etiam à me in posterum satisfiat. Ad eam rem pertinet, quam ad te mitto, epistola. Si vacabit legere, appositam vt spero, iudicabis. Scripsi etiam libellum de scandalis qui sua breuitate, vt spero, ad te consolandum vsui esse poterit, cùm doctrinam ipsam satis copiosè illic me complexum esse existimem. Dominus te respiciat in ista tua infirmitate, & Spiritus sui virtutem tantò efficacius exerat, quę te non minus in domo ipsius conspicuã reddat, quàm in præsentis vitæ conditione supra multorum sortem communẽ euectam voluit. Geneuæ M. D. LIIII.

CALVINVS N. S. D.

QVm ex eo tempore quo Domino placuit probare fidẽ tuã, nihil de te acceperim, nisi ex communi fama, non habeo nunc quidem N. quod ad te scribã: neque tamẽ deesse volui tam opportunæ occcasioni. Dolet verò quòd non ita pridem aliquis ex tuis hac præteriit me inconsulto, per quem ad te tutò poteram literas dare. Non videbam cui satis fiderem ex quo tibi illæ molestiæ infligtæ sunt. Et quamuis de afflictionum tuarum exitu perplexus hærerem, vt idoneum ad te scribendi argumentum nondum suppetetet: laborabam tamen eo nomine, maximè quòd non haberem ad manum per quem scriberem. Nunc etiam quia nõ ita mihi constat de tuo statu, illud tãtùm perstringã, facilè me existimare tibi fuisse de via recta deflectendum, vt hominibus morem gereres. Est enim triste illud indicium, quòd qui antè tibi tam acerbè instabant, vt te à Dei cultu auerterent, tibi nũc in otio agere per illos liceat. Ita enim res habet. Diabolus nẽpe ista occasione tibias inflauit, vt coacti fuerimus capite deiecto ingemiscere, ab ampliori disquisitione abstinẽdo. Quod reliquũ est, N. cùm Dominus ille & clementiss. parens nunquam non paratus sit ad nos in gratiam recipiendos, cùm lapsis porrigat manum, ne casus nostri letales euadant, peto à te vt animum colligas: neque si hostis semel aduersum te prævaluit per infirmitatem tuam, solidã tamen victoriam reportet: sentiat potius quos Dominus restituit, duplò confirmatiores redditos ad illius excipiendos insultus. Cùm igitur cogitaueris ita solere Dominum suos humiliare, vt tamẽ confusos nunquã reddat, illud te ad spem certam eriget, qua te longè cordatius geras in posterum. Noui enim eosdem impetus qui te deiecerunt, tibi de nouo imminere. Sed expende, quęso, quantum illi debeas qui & te tã charè redemit, & te quotidie ad cælestem hereditatem compellat. Absit vt pro tanto hæro cuiquã rei pareamus, maximè si exitum ipsum intueamur, qui nostras afflictiones & probra manet, quæ illius nomine subeunda sunt nobis. Ille igitur inuocandus cum certa illa cõfidentia, vnum illum abundè esse nobis, qui nostris infirmitatibus medeatur. Singulares illæ promissiones meditãdæ, quæ nos ad beatam spem cælestis gloriæ attollant, & vel ipso earũ gustu nobis satis est, ad nos à mundo planè abducendos, vt illũ pedibus iam calcare audeamus. Vt verò omnino demonstres, quàm non emortuus sit affectus in te seruiendi gloriæ Dei, cura N. vt non solùm in te ipsa exemplum edas vti par est, sed etiam ita familiam tuam constituas, vt maledicentium ora prorsus obturentur. Dominus te pręsidio suo tueatur & manu potenti fulciat, augeat in te sua dona, atque ad suã vnius gloriam illa in te promoueat. Idus Febr.

IOAN. CALVINVS VINCTO CVIDAM S. D.

Charitas Dei Patris, Gratia D. N. Iesu Christi tibi semper adsit per Spiritus sancti communicationem.

QVum planè de facie nobis ignotus sis Dilectiss. frater, quòd tamen ex quorundam nostrorum sermone accepimus, te istic laborare propter verbum Dei, abundè nobis illud nomẽ esse existimauimus, quod verè Dei filios declarat, vt nostro hoc ad te scripto testaremur, quæ nostra sit tecum in eiusdem causæ assertione coniunctio, quòd ad te consolandum, & in sancto il-

lo proposito confirmandum non parum momenti habiturum speramus. Primùm igitur hoc apud te perpendas hortamur, ex quàm horrenda abysso te Dominus eduxerit: & quo te honore affecerit, dum testem filij sui designauit, cui tam obstinatè per ignorātiæ tempus reluctatus sis. Repete igitur memoria tot in te Domini beneficia. Atque vt cùm quæ te nunc constringunt vincula meritò peccatis tependi possent, in illud nomen Testimonij Veritatis transcripta sint, vt inde eluceſcat Christi gloria & Euāgelij quoque efficacia propagetur. Si te grauitas præsentium afflictionum vrget, oppone quod est ad earum leuationem præsentissimum. Nimirum cùm Dominus illis etiam adfuturum se receperit, qui propter delicta sua pœnis addicti, ipsum interea inuocauerint, quantò minus tibi defuturam ipsius manum, cùm pro ipsius nomine labores? Appositum & illud erit, si expēdas, vbi ita duriter haberis ab hostibus veritatis, quàm nomen ipsum Domini & Christi Regnum non vnius tantùm hominis vita, sed omnibus etiam creaturis est pretiosius. Accedit & illa singularis commēdatio dignitatis verè incomparabilis, cùm Dominus indit nobis stigmata illa Filij sui dilecti, quæ vtcūque coram mundo probrosa sint, coram Deo tamen & Angelis ipsius nullis non Regum diadematis ac purpuris antecellūt. Interea verò vt ad ista seriò meditanda te compares, non aliter de te iudicamus, quàm vt cùm homo sis, humani à te alienum quid quam non sit. Fieri enim non posse, quin acerbissimas in carne punctiones sentias. Atqui cùm audimus simul quàm hactenus adfuerit tibi Dominus, quámque sua in te dona in dies adaugeat, non est quòd dubites, quin suum in te opus cumulatū præstet: ipsáq, adeò virtus Spiritus quam hucvsque expertus es, eandem tibi constantiam spondet etiam in posterum: & productio illa afflictionum, non dissimilem gratiæ Domini erga te prosequutionem habitura est, vt in legitima constantia perseueres. Summa in eo posita est, vt te totum verbo Domini resignādo, exitū ab ipso qualem ipsi visum erit, æquo & pacato animo expectes. Quēadmodum enim comparatos esse nos oportet, ad glorificandum morte nostra nomen ipsius, ita etiam nos illi viuere ac languere ad tempus non minus conuenit, vt illius nos esse in solidum reipsa constet. Hoc autem ideo tibi proponimus, quia te à longo tempore detineri audimus. De exitu nondum liquet. Hinc occasione arrepta caro illa tui semper similis te ad defectionem impelleret, nisi continuò summum illum Dominum opponeres, & veluti oculis tuis subiiceres, à cuius nutu pēdēt vniuersa, & in cuius manu sunt tempora & opportunitates: quique omnia dispensat in commodum suorum, prout ipse nouit quid possimus. Interea verò singulare gaudiū allaturum est toti Ecclesię hoc constantiæ tuæ testimonium: cùm nulla vberior exultandi materia piis offerri possit, quàm vbi intelligunt, ita magnificè prædicari nomen Domini, per inuictam Martyrum ipsius fortitudinem, vt quæ etiam aduersus omnes impiorum furores ad extremum vsque insultet. Sed neque insigne illud gaudij argumentum angustis huius mundi spatiis continetur, cùm ad Angelos ipsos bona illius pars etiam redūdet. Piis quidem hîc inde fructus peculiaris constat, quòd eò confirmatiores redduntur, & fœlicibus illis exemplis nonmediocriter accenduntur. Cùm ex oppositio inconstantia & vecordia quam infœlices quidam & verè miseri, in veritatis notæ abnegatione produnt, multorum qui adhuc infirmi sunt, fidem concutit atque subuertit. Quòd ad nos attinet, qui ista extra telorum iactum nunc quidem positi ad te scribimus, perinde nos animatos esse oportet atque si in procinctu staremus: neque enim longè à communi incēdio absumus, neque scit nostrum quisquā, quatenus. Quare hoc vnum coniunctis animis cogitādum nobis est, vt oculis in cœlum erectis, atque illic continuò hærētibus ad metam properemus. Dominus tibi manum illam suam potentem porrigat magis ac magis, vt ad victoriam propositam per interiectum certamen contendas: te etiam dirigat suo Spiritu, complectatur præsidio, ac verè paternum & solicitum de te studium ita tibi patefaciat, vt seriò ac solidè in ipso vno acquiescas. XII. Decebr. M. D. LIIII.

CAL. MELANCHTHONI S.

Iteræ tuæ, clarissime vir, non hoc solùm nomine mihi gratæ fuerunt, quia mihi charum est, quidquid abs te proficiscitur: deinde quia ex illis intelligo, fixum adhuc in animo tuo manere amorem illum, quo me ab initio cōplexus es. Sed maximè, quòd illic luculento elogio meum in expugnanda Serueti impietate studium commendas: vnde etiam coniicio, te simplici

mearum

mearum admonitionum libertate non fuisse offensum. Hoc defuit, quòd pleniores esse optassem. Neq; tamen importunius vrgeo: sed quoad pace tua licet, etiam atq; etiam te rogatũ velim, vt tecum de quibus scripsi, tacitus saltem expẽdas. Sic enim te operã daturũ cõfido, vt de gratuita piorũ electione syncerior quàm antehac docẽdi forma inter nos mutuò conueniat. περὶ τῆς ἀρτολατρείας pridem interior animi tui sensus mihi cognitus est, quẽ etiam nõ dissimulas in tuis literis. Sed mihi displicet tua ista nimia tarditas, qua non tantùm fouetur, sed etiã in dies augetur eorum dementia, quos tam petulãter rue-re vides in totius Ecclesiæ perniciem. Atq; vt tibi non ita facile sit, tales bestias frẽnare: quod tamen vanũ esse arbitror, si modò auderes: scis tamẽ à spe successus officia nostra minimè pendere, quin præstare nos etiã in summa desperatione oporteat, quod Deus exigit. Nec verò illa mihi excusatio satisfacit, maleuolos qui te oppressum cupiunt, hinc captare plausibilem materiam. Quid enim facturi sunt serui Christi, nisi spreta inuidia, contemptis siniſtris rumoribus, posthabito etiam discriminum metu, quæcunque obsta cula ingerit Satan, victrice constantia superent? Certè quantumuis in te insaniant, nihil tibi durius ab illis impendet, quàm vt migrare istinc cogaris. Quod tibi meo iudicio cõplures ob causas sponte optandum foret. Verùm vt timenda sint extrema quæque, tibi semel statuere necesse est, quid Christo debeas, ne ingenuã veritatis professionẽ suppri mens, ad eam opprimendã quasi tacitũ patrocinium improbis hominibus accõmodes. Ego vt eorũ tumultus cõpescerẽ, summam doctrinæ nostrę rursus breui cõpendio complexus sum. Subscripserũt omnes Helueticæ Ecclesiæ. Tigurini etiã mirificè probarunt. Nunc iudiciũ tuũ auidissimè expecto: quid etiam reliqui vestrates vel sentiãt, vel loquãtur, scire vehementer expeto. Quòd si tumultuari nõ desinãt, qui tam hostiliter nos traducunt, nos operã dabimus, vt nostros clamores totus mundus exaudiat. Vale clarissime vir, & mihi semper imprimis obseruãde. Dominus te Spiritu suo gubernet, præsidio tueatur, ac virtute sustineat, nósque simul contineat in sancto consensu, donec in cœleste suum Regnum colligat. III. Nonas Martij. M. D. LV.

CALVINVS GADIO.

LIteras tuas, optime frater, tertio demum mẽse, postquam datæ fuerant, accepi: ne mireris serius respõsum à me venire, quàm optabas. Breuius autem vt in festinatione tibi rescribo: quia Bernã proficiscẽs iam ad iter accingor. In dando quod petis consilio nõnihil sum perplexus. Cuperẽ optimo viro, qui se expedire cupit à tyrãnide Antichristi, manũ porrigere. Et certè pium eius studium ab omnibus Christi seruis iuuari par est. Sed videndũ, quid Dominus nobis permittat: quia nostrum nõ est, quidquã ex eius placitis laxare. Porrò, in quæstione, quã mihi proponis, duo scrupuli occurrũt: liceátne Christiano homini rescissionẽ testamẽti à Papa petere: deinde, an sub hac lege petere liceat, vt bonus vir spõte donarij loco annuũ prouẽtũ alicui Ecclesię assignet? Atq; in hoc secũdo magis laboro. Etsi enim tantũ auctoritatis Papæ deferre absurdũ est, vt sua indulgentia nos ab aliquo vinculo soluat, deterius tamẽ videtur, idôlis offerre partẽ aliquã reditus, vt maior pars salua maneat. Itaq; nõ video, quomodo pio homini fas esse possit, Papã hac in re implorare, & quidem sub illa forma. Alia ratio magis esset tolerabilis, si cũ Collegio, cui bonorũ successio legata est, transigeret. Quod nõ puto fore difficile, si modò tertiæ partis iacturam nõ refugiat. Nã Canonici, vel quicũq; sint, nõ ægrè cedẽt dubio iure, præsenti lucro adducti. Si viro bono graue est, tertiam reditus sui partem quasi abiicere, cogitet satius esse perdere totũ prouẽtum, etiã si centuplo maior esset, quàm aliquid illicitũ tentare. Etsi autem prouentũ illum Canonici in sacrilegia cõuertent, quia tamen respectu boni viri non est superstitiosa oblatio, sed pretiũ, quo se ab astrictione redimet, hoc pactionis genus offensa carere existimo. Nõ enim dicet in cultus peruersos se dicare prouentum illum, vt cõscientiã liberet: sed hæc erit trãsigẽdi ratio, quòd cùm trecẽtos aureos Canonicis obligatos nunc possideat, centũ illis cõcedat, vt ducẽti liberi maneãt. Si verò necessaria erit Papæ auctoritas, vt ratus sit cõtractus, eã petere Canonici suo nomine poterũt. Hac autẽ cõfirmatione in suum cõmodum vtetur pius vir: quia nõ de spirituali iure hîc agetur, sed tãtùm de trãquilla fundi possessione. Quòd si cõmoda nõ erit hæc ratio, vendat ipse Canonicis totum fundum, vel ex eorum cõsensu cuilibet obuio, ita vt illis tertia pars in prædã cedat. Mallẽ aliter, hoc est, minore eius dãno. Sed dabit veniã, si non audeo vltrã

progredi. Præstat enim quouis modo cum Canonicis paciſci, modò id fiat politicè ad ſoluendum aſtrictionis vinculũ,quàm religionis prætextu,aſſem vnum offerre. Quòd ſi placidè ſe pius vir bonorum parte exuet,vberior ei fluet Dei benedictio,quàm vt moleſtum illi eſſe debeat,minus latũ fundum quàm antehac tenere. Tu verò mi frater, cùm probè ſis ad obeundum munus tuum animatus, nullis ſtimulis indiges. Antequã operã tuã addiceres Eccleſiæ, nõ ignotæ tibi erãt difficultates,& moleſtiæ,quibus cum nunc tibi luctandum eſt.Nunc tantùm rogãdus eſt Deus,vt infractã cõſtantiã,nouáſq; ſubinde vires ſuppeditet,vt per omne genus obſtacula in ſtadio tuo pergas vſque ad metam. Vale optime frater,& mihi chariſſime.Dominus tibi ſemper adſit, ſanctis laboribus deſ proſperum ſucceſſum,téque Spiritu ſuo regat.Saluta meo nomine pios fratres,qui iſtic ſunt. III. Nonas Martij. M. D. LV.

CALVINVS ANGLIS FRANCFORD. S. D.

HOc verò me grauiter excruciat, & valde abſurdũ eſt,inter fratres ob eandem fidem à patria exules ac profugos diſſidium oriri:& quidẽ hac de cauſa,quæ vel ſola debuerat in hac veſtra diſperſione quaſi ſacrum vinculum, vos ſimul deuinctos tenere. Quid enim vobis in hac triſti & miſera clade potius agendum erat,quàm vt à patriæ viſceribus auulſi, Eccleſiam vobis adoptaretis, quæ animis & linguis coniunctos,materno gremio exciperet, ac foueret? Nunc verò de precãdi forma,& ceremoniis quaſi in otio & delitiis litem à quibuſdam moueri,ídque obſtare,quominus in vnum Eccleſiæ corpus iſtic coaleſcatis,nimis, meo iudicio,intempeſtiuum eſt. Neque tamen eorum conſtantiam reprehendo, qui vt pro ctum formandæ Eccleſiæ ſtudium moratur, & impedit, meritò damno. Equidem vt in rebus mediis, vt ſunt externi ritus,facilem me ac flexibilem præbeo : ita non ſemper vtile eſſe iudico, ſtultæ eorum moroſitati qui nihil de conſuetudine ſua remittunt,obſequi. In Anglicana liturgia, qualem deſcribitis, multas video fuiſſe tolerabiles ineptias.His duobus verbis exprimo, non fuiſſe eam puritatem, quæ optanda fuerat : quæ tamẽ primo ſtatim die corrigi nõ poterãt vitia,cùm nulla ſubeſſet manifeſta impietas, ferenda ad tempus fuiſſe.Sic ergo à talibus rudimentis incipere licuit,vt doctos tamen probóſque & graues Chriſti Miniſtros vltrà eniti, & aliquid limatius ac purius quærere,conſentaneum foret. Si hactenus in Anglia viguiſſet ſyncera religio, aliquid in melius correctum, multáque detracta eſſe oportuit. Nunc cùm euerſis illis principiis, alibi inſtituenda vobis ſit Eccleſia,& liberum ſit, formam, quæ ad vſum & ædificationem Eccleſiæ maximè apta videbitur, de integro componere : quid ſibi velint neſcio, quos fæcis Papiſticæ reliquiæ tantopere delectant. Amant ea quibus aſſueti ſunt.Hoc primò & nugatorium, & puerile eſt: deinde multum intereſt hæc noua inſtitutio à mutatione.Ego verò ſi quorundam infirmitas ad ſummum gradum non conſcendat, vt vos vltra modum rigidos eſſe nolim : ita rurſus alios monitos eſſe cupio, ne ſibi in ſua inſcitia nimis placeant: deinde ne ſua peruicacia ſancti ædificij curſum retardent. Tertiò,ne ſtulta eos æmulatio abripiat. Nam quæ illis rixandi cauſa, niſi quia pudet melioribus cedere? Sed ego fruſtra ad eos ſermonem conuerto, qui fortè non tantùm mihi tribuunt, vt conſilium à tali auctore profectum admittere dignentur. Si metuunt miniſtrum in Anglia rumorem,quaſi ab ea quæ illis exilij cauſa fuit, religione deſciuerint, longè falluntur.Potius enim fideles,qui illic reſidui ſunt, hæc magis ingenua, ſyncerá-que profeſſio expendere coget,in quàm profundam abyſſum ceciderint.Nam eos grauius ſuum præcipitium vulnerabit, vbi vos vltra medium curſum, vnde retracti ſunt, progredi viderint. Valete integerrimi fratres,& fideles Chriſti ſerui.Dominus vos tueri ac regere pergat.Geneuæ, XV. Calendas Februarij. M. D. LV.

CALVINVS CNOXO ET GREGALIBVS S. D.

ITeris veſtris,eximij viri,& mihi verè colendi fratres,ſerius fortè quàm ſpes & opinio veſtra ferebat,reſpõdeo. Sed quũ ſciatis vias à latrunculis aliquã diu fuiſſe obſeſſas, vt nulli ferè nũtij hinc ad vos cõmearẽt: facilis erit apud vos huius moræ excuſatio. De contẽtione illa, quæ inter vos parũ fœliciter mota fuerat, liberè optimo fratri noſtro Thomæ Sampſoni expoſui, quod ex quo-

ex quorũdã literis didicerã. Conquesti enim apud me amici quidã fuerunt, vos ita prę-cisè ceremonias Anglicas vrgere, vt satis cõstaret, vos plus æquò esse patrię addictos. Rationes quidẽ fateor audiebam in medium à vobis proferri, quæ à recepta forma discedere non sinerent, sed earum facilis erat promptáq; refutatio. Sicuti autem eos qui à vobis dissentiebant, hortatus sum, vt se qua possent moderatione inflecterent, ita mihi displicuit, nihil vicissim à parte vestra concedi vel remitti. Quia verò nullius mihi nomen perscriptũ fuerat, me interponere ausus nõ sum, ne in temeritatis notã incurreret mea fiducia. Nunc vos in ipsa disceptatione fuisse magis humanos ac tractabiles, & totũ negotium placidè fuisse compositum, gaudeo. Certè luminaria, cruces, & eius farinæ nugas ex superstitione manasse, nemo, vt arbitror, sano iudicio præditus negabit. Vnde cõstituo, qui eas in libera optione retinent, nimis cupidè ex fæce haurire. Nec video, quorsum attineat Ecclesiam friuolis & inutilibus ceremoniis, ne proprio nomine noxias appellem, onerari, vbi puri & simplicis ordinis libertas nobis permittitur. Sed me cohibeo, ne de re, vt ex vobis audio, bene transacta nouum certamen mouere videar. Hoc quidem non dissimulo, nec piè, nec fraternè, meo iudicio, actum fuisse cum N. si clandestino quorundam instinctu in crimen vocatus est. Præstabat enim manere in patria, quàm iniustæ sæuitiæ facem in longinquas regiones afferre, quæ nolentes quoque inflammet. Cęterum quoniam delicta, quorum memoriam perpetua obliuione sepultam cupio, vel leuiter attingere piget, tantùm vos hortabor, venerandi fratres, vt si quorundam animos sentitis iure exulceratos esse, eorum offensioni placandæ operam detis. Cùm audirem partem aliquam velle istinc migrare, admonui diligenter, vt par erat, si non omnibus commodum esset eodem habitare in loco, ne locorum distantia, fraternum consensum dissiparet. Verebar enim, ne qua ex priori contentione occulta maneret simultas. Ac mihi nihil erit gratius, quàm hoc metu liberari. Nam si qui fortè ad nos concederent, mihi tristis esset vel solaocculti inter vos dissidij suspicio. Ergo quod de reconciliata gratia scribitis, firmum stabiléque esse magnopere cupio: vt si contigerit partem aliò migrare, locis tamen dissiti sanctam amicitiam colatis. Nam vt non longius serpat discordia, iam plus satis peccatum fuit. Vestræ tamen prudẽtiæ & æquitatis erit, vt beneuolentia retineantur, quidquid alienationis erit residuum, sedulò purgare. Valete fratres obseruandi. Dominus vos præsidio suo tueatur, Spiritu suo regat, benedictione prosequatur, & exilij tristitiam mitiget. Collegæ mei vos amanter salutant. Geneuæ, pridie Idus Iunij. M. D. LV.

CAL. SPITEKO POL.

Illustri ac magnifico Domino, D. Spiteko Iordan à Zakliczin & in Melstin hæredi Casterlano Sandeczensi, Regni Poloniæ supremo thesaurario.

VVum in hoc fortunæ honorísque splendore præcipuum tibi decus statuas, illustris ac magnifice Domine, inter synceros Dei cultores censeri: idque tuis literis, quas mihi venerandus frater noster N. ad se scriptis ostendit, abunde sis testatus: imò priuatim quoque asperseris iucundam amoris erga nos tui mentionem: mihi superuacua esse videtur excusatio, quòd fide ac humanitate tua fretus, datam abs te scribẽdi fiduciam mihi sumo. Itaq; certò persuasus, non ingratum tibi fore hoc officium, tui quoq; hortandi partes liberè suscipiam. Neq; enim eum te hominem esse existimo, quẽ delectent inanes vel blanditiis refertæ literæ, quales ad captandam gratiam à ventosis hominibus scribi solent: sed à Christi seruo magis cupis & expectas, quod pietatis tuæ progressus iuuet. Egregias ergo istas virtutes, quibus te excellere audio, non alium in finem laudare mihi propositum est, nisi vt assiduè in melius eniti pergas. Si in Polonia ritè ex voto nostro compositus foret Regni Christi status, quanquam tibi facilius esset in tranquillo stadio rectum cursum tenere: res tamen altior est, nos approbare synceros Dei cultores, quàm vt cẽtesima officij parte fungantur, qui strenuè laborando alios omnes superant. Nunc rebus confusis, vbi obeunda sunt multa certamina, resistendum fortiter hominum potentium odiis, negligendi sinistri rumores, multi insultus sustinendi, luctandum cum multis obstaculis, tentanda etiam discrimina, quàm tibi vtile sit, tum ad feruorem subinde incitari, tum ad constantiam animari, referre necesse non est: quia ipse plus satis experieris, Iam verò

cùm in ista dignitate magnum tibi onus sit impositum: non tamen cedit Deus iuri suo, neque desinit, quò te in altiore honoris gradu locauit, eò magis fidem tuam obstrictam sibi tenere. Nam quò plus apud quemque deposuit, eò etiam plus exigere æquum est. Ergo cùm te non hominem ex medio vulgo, sed vnum ex primariis inter paucos delegerit, quem ex densis ignorantiæ tenebris liberatum, cœlesti Euangelij doctrina illustraret: si hoc inæstimabile beneficium suo pretio æstimas, hac lege tibi collatum esse memineris, vt aliis præluceas. Et certè vides quàm multorum in te coniecti sint oculi, vt eos tuũ exemplum vel moretur, vel extimulet: ac simul cogites, si tuæ desidię mediocris esse non potest iactura, culpam quoque non minorem fore. Hæc verò præclara bene agẽdi occasio & facultas, quòd Regia Maiestas adeò non aduersabitur sanctis tuis studiis, vt potius manum porrigere sit parata, nisi animum tibi addat, excusationem adimet. Neque enim vsque ad sanguinem tibi certandum est: sicuti multi in Gallia nostra fideles, quos omnia adiumenta deficiunt, quotidie pro fidei suæ confessione capita in sacrificium offerre coguntur. Quando longè mitius tecum agi vides, animosius ac magis strenuè exequi conuenit, quod tibi est ad manum, vt te Regi sereniſſimo in repurgandis Papatus sordibus fidum comitem ac ministrum exhibeas. Atque vtinam reipsa ostendere liceret, quo animo hæc scribo. Sed quia vereor, ne tuæ in asserenda Christi gloria fortitudini diffidere videar, meipsum cohibeo. Hoc restat, vt pro beneuolentiæ comitatísque testimonio, quod in tuis ad N. literis perspexi, vicissim mea tibi obsequia, méque adeò totum, quãtulus sum, deferam. Deum interea precabor vt te diu seruet incolumem, Spiritu suo regat, præsidióq; tueatur. Vale, magnifice & insignis Domine. Geneuæ, Idibus Septembris. M. D. LV.

CAL. D. RADZIVVIL. POL.

Illustrißimo Principi, D. Nicolao Radzivvil Duci in Olitra & Nießius, Palatino Vilnẽsi, Magni Ducatus Lithuaniæ supremo Marsalco, & Archicancellario Domino apprimè obseruando.

QVòd te illustrissime Princeps, in hoc tam excelso honoris gradu positũ homo ignobilis, & nullius ferè in mundo pretij literis meis compello: quãuis audacter id à me fieri non ignorem: quod tamen mihi per te licere non humanitate solùm tua, sed maximè pietate fretus confido, longo verborum circuitu non petam vt mihi concedas. Nam vt obscura sit mea conditio: quia tamen vnum me agnoscis ex Christi seruis, pro tua in Magistrum ipsum reuerentia patebit aliquis mihi, vt spero, ad tuam Amplitudinem accessus. Iam verò studium meum quod sanctis tuis votis consentit, sic probatum iri confido, vt sine alia commendatione, satis mihi apud te gratiæ conciliet. Cùm vbiq; florere cupiam Regnum Christi: nunc tamen me Polonia meritò quadã peculiari cura solicitat. Nam ex quo illic emergere cœpit lux purioris doctrinæ, lætũ hoc initium cum spe melioris progressus desiderium simul accendit. Porrò si tantùm auctoritate polleres, vt facis, ad promouẽdum veræ pietatis statum: mihi iusta hortanti tũi incitandíq; ratio esset, ne tua officia Domino subducens, præclaræ eius vocationi deesses. Sed cùm probè iam ad tuẽdam pietatem animatus sis: imò heroica animi magnitudine ostẽdas quàm seriò ac fideliter illius absentũ susceptũ sit patrociniũ: meritò hęc tua virtus & ad gratias tibi agẽdas me animat, & materiã mihi suppeditat amplioris fiduciæ. Quare nõ te simpliciter obtestor, vt similis tui esse pergas: sed etiã vt tecũ certãdo, ad victoriã omniũ præstantissimã contẽdas. Multis experimentis nõ dubito, te quotidie fieri certiorẽ, quàm nõ superuacua sit hæc mea admonitio. Vides proculdubio, quàm immensæ sit molis opus, cœleste Dei regnũ in terra cõstituere. Vides rursum quàm multis obstaculis conetur Satan impedire ac morari, imò quàm multis subinde machinis vel clàm labefactare tẽtet, vel palàm euertere, quidquid in hoc sacro ædificio inchoatũ fuerit. Vides deniq; quàm frigidè curetur ista causa, quæ non modò primatum in nostris curis tenere, sed omnes sensus occupare debuerat. Hoc postremum vitium inde nascetur, quòd omnes ferè, dum gratuitam operam se Christo nauare putant, aliò se magis conuertunt, vnde vel spes lucri vel laboris merces ac pretiũ ostenditur. Tuæ verò prudentiæ est, illustrissime Princeps, primùm cogitare, nihil te præstare Deo, quod non iure vt sibi debitũ reposcat: nec solùm quia totus es in ære ipsius, sed quòd eò te sibi magis deuinxit, quò in altiorem extulit dignitatis gradum: deinde præmiũ tibi ab eo nõ vulgare proponi cùm dicit, qui mihi honorem detulerint,

eos ego

eos ego viciſſim honore proſequar. Ergo vt incolumem & diuturnum domus tuæ ſtatũ conſeruet, quoad poteris ad illuſtrandum eius regnum enitere. Quãquam autem Sereniſſimum Regem intelligo ſatis eſſe voluntarium: vt tamen vides in rebus perplexis nõ adeò properare: hoc tibi oneris diuinitus impoſitum eſſe memineris, vt non comes ſolũ & adiutor ſis eius Maieſtati, ſed etiam cunctantem ſtimules, atque etiam vbi ita flagitabit neceſſitas, præcurras. Neque enim iniquè feret, opinor, ad quam adſpirat metam, aliorum feruore incitari. Vale illuſtriſſime Princeps, mihíque vera obſeruantia colende. Dominus te regat Spiritu ſuo, virtute ſuſtineat, tuámque dignitatem diu ſeruet incolumem. Geneuæ, Idibus Februarij. M. D. LV.

Ioannes Caluinus tuæ Amplitudinis ſtudioſiſſimus.

CALVINVS MARTYRI S. D.

QVod de arcana, quæ nobis cum Chriſto eſt, communicatione me ſcripturum pollicitus fueram, minus ſolidè præſtabo, quàm ſperaſti: quia tametſi magni momenti res eſt, paucis tamen verbis inter nos commodè poſſe definiri arbitror. Quòd Filius Dei carnem noſtrã induit, vt frater noſter fieret, eiuſdem naturę particeps, de illa communicatione dicere ſuperſedeo. Nã de ea tantùm agendum eſt, quæ à cœleſti eius virtute manat, & nobis vitam inſpirat, & facit vt in vnum cum ipſo corpus coaleſcamus. Dico autem, ſimul ac fide Chriſtum recipimus, qualiter ſe in Euangelio offert, verè nos fieri eius membra, & vitam ab eo non ſecus atque à capite in nos defluere. Neque enim aliter nos Deo mortis ſuæ ſacrificio reconciliat, niſi quia noſter eſt, ac nos vnũ cum ipſo. Sic illum Pauli locum interpretor, vbi fideles in eius κοινωνίαν vocatos eſſe dicit, 1. Corinth. 1. 9. Neque verò nomẽ conſortij, vel ſocietatis mentem eius ſatis exprimere videtur: ſed mihi ſacram illam vnitatem deſignat, qua Filius Dei nos in corpus ſuum inſerit, vt nobiſcum ſua omnia communicet. Ita à carne eius & ſanguine vitam haurimus, vt non immeritò vocentur noſtra alimenta. Quomodo id fiat, intelligentiæ meæ modulo longè altius eſſe fateor. Itaque hoc myſterium magis ſuſpicio, quàm comprehendere laborem, niſi quòd diuina Spiritus virtute vitam è cœlis in terram tranſfundi agnoſco: quia nec per ſe viuifica eſſet caro Chriſti, nec vis eius ad nos vſque niſi immenſa Spiritus operatione perueniret. Ergo Spiritus eſt qui facit, vt in nobis habitet Chriſtus, nos ſuſtineat atque vegetet, omniáque capitis officia impleat. Craſſis interea commẽtis de ſubſtantiæ commixtione aditum præcludo: quia mihi ſatis eſt, dum in cœleſti gloria manet Chriſti corpus, vitam ab eo ad nos defluere, non ſecus ac radix ſuccum ad ramos tranſmittit. Quanquam autem veteres, ac Hilarium præſertim & Cyrillum longius quàm par ſit prouectos fuiſſe video: tamen eorum hyperbolas non admodum inſector: niſi quòd ingenuè ſemper me opponam, ſi errori patrocinium quæratur. Dum enim contendunt, Chriſtum Patri ὁμοούσιον eſſe, quia ſcriptum ſit, Ego & Pater vnum ſumus, dum retorquent Arriani quod mox additum eſt, vt ſint ipſi quoque vnum nobiſcum, illi in ſuã inſcitia deprehẽſi ad miſeram latebram ſuffugiunt, nos quoq; eiuſdem cum Chriſto eſſe eſſentiæ. Hoc autem confeſſo, multis ab ſurdis inuolui neceſſe fuit. Sed modò ne eorum auctoritatem nobis obtendant noui iſti fuſores, mihi ſatis erit non ſubſcribere, ne vltrò eos in arenam protraham. Iam venio ad ſecundam communicationem, quæ illius prioris mihi fructus eſt ac effectus. Nam poſtquam Chriſtus interiore Spiritus virtute ſibi nos deuinxit atque vniuit in corpus ſuum, ſecundam Spiritus virtutem exerit, donis ſuis nos locupletãdo. Quòd ergo ſpe & patientia fortes ſumus, quòd ſobriè & temperanter nos continemus à mundi illecebris, quòd ad domandos carnis affectus ſtrenuè incumbimus, quòd viget in nobis iuſtitiæ & pietatis ſtudium, quòd ad preces ſumus intenti, quòd nos futuræ vitæ meditatio ſurſum rapit, id ex ſecunda iſta communicatione manare dico, dum Chriſtus, ne otioſus in nobis habitet, vim Spiritus ſui in manifeſtis donis profert. Nec verò abſurdum eſt, Chriſtũ, vbi in eius corpus coaluimus, Spiritum ſuum nobis communicare, cuius arcana operatione noſter prius effectus eſt: quando vtraſque ei partes Scriptura ſæpe aſſignat. Etſi autem in hanc communionem primo vocationis ſuæ die veniunt fideles: quatenus tamen in illis augeſcit Chriſti vita, quotidie ſe illis fruẽdum offert. Hæc eſt communicatio, quam in ſacra Cœna percipiunt. Apud alium quempiam, qui mihi docendus eſſet, fuſius proſequerer, quæ breuiter apud te hoc tantùm conſilio perſtrin-

go, vt nos idem prorſus ſentire videas. De te, niſi quid noui acciderit, huc accerſendo verbum amplius facere non audemus. Et certè ego vt hac in re timidus ſum, nunquam adduci potui, vt tibi migrãdi auctor eſſem, niſi miſſione impetrata. Fructum verò ex tuo labore prouenire cupio, qui nobis abſentiæ tuæ deſiderium leniat. Eccleſiolæ verò Gallicanæ clades me non parum angit. N. quidem proſpectum ſtudebimus, vbi venerit. Sed collapſæ Eccleſiæ reſtitutio imprimis curanda eſt, ad quam rem ſi neruos intendas, multum, vt ſpero, proderis. Tu igitur in malo hoc ſanãdo, vt facis enitere: qua in re, D. Sturmium & Sleidanum fidos tibi adiutores fore arbitror. De ſtatu rerum noſtrarum commodius referet hic frater & Symmyſta meus, quàm literis complecti queam. Quare ne bis idẽ, hac narratione abſtineo. Vale ornatiſſime vir, & mihi in Domino ſemper obſeruande. Saluta diligenter amicos D. Sturmium, Zankum & reliquos. Nunc antequam literas obſigno, admonitus ſum N. literis, magna ex parte ſedatas eius aduentu eſſe turbas. Vtinam ad eum iuuandum vſui eſſe poſſet mea opera. Verùm ſi Eccleſiæ ſuffragiis electus fuerit, ſua moderatione tranquillam ſtatim Eccleſiam, niſi fallor, reddet. Dominus te ſemper tueatur, Spiritu ſuo regat, & benedictione proſequatur. Geneuæ, VIII. Auguſti. M. D. LV.

REVERENDO VIRO ERVDITIONE ET VIRTVTE PRAESTANTI D. Iohanni Caluino fratri ſuo chariſſimo S. D.

REuerende vir & clariſſime frater. Scio te pro tua excellenti prudentia ex ſcriptis aduerſariorum tuorũ iudicare, quales ſint eorum naturæ, & quod intueantur theatrum. Ideo nihil de eis ſcribam. Tantùm oro Filium Dei, vt ipſe ſuæ laceræ Eccleſiæ medeatur, velut Samaritanus ille ſaucio viatori. Audio nunc τὸν ὑπερήφανον καὶ τὸν ἀλεκτρύωνα ἐν ὄχθῃ ἴσρου ποταμου, magnum volumen σηλητεύκτικὸν contra me cudere: quòd ſi edetur, decreui reſpondere ſimpliciter & ſine ambiguitate. Eúmque per laborem debere me Deo & Eccleſiæ iudico. Nec in hac ſenecta pertimeſco exilia & alia pericula. Bene & fœliciter vale. Die XII. Maij.

Philippus.

CALVINVS MELANCHTHONI.

REctè quidem & prudenter admones, ornatiſſime vir, id ſibi vnũ noſtros antagoniſtas proponere, vt ſe theatro venditent. Quanquã autem ſua opinio longè eos, vt ſpero, & credibile eſt, fruſtrabitur: tamen vt totius mũdi plauſum referant, eò nos maiore ſtudio ad cœleſtem ἀγωνοθέτην, ſub cuius oculis certamus, intentos eſſe decet. Quid? An ſacer Angelorum conſeſſus, qui & ſuo fauore nos excitant & viam ſtrenuè agendi præmonſtrant ſuo exemplo, pigreſcere vel cunctãter pedes mouere ſinet? Quid totus ſanctorum patrum chorus? an nullos addet ſtimulos? Quid porrò Dei Eccleſia quæ in mundo verſatur? cùm eam ſcimus & votis nobiſcum pugnare, & exemplo noſtro animari, an nihil apud nos valebunt eius ſuffragia? Meum verò ſit hoc theatrum, cuius approbatione contentus, quamuis me totus mundus exſibilet, animo nunquam deficiam: tantùm abeſt, vt inſulſis clamatoribus inuideam, ſi muſtacea gloriola in obſcuro angulo ad breue tempus fruãtur. Quid plauſibile ſit mundo vel odioſum, me non latet. Sed mihi nihil pluris eſt, quàm præſcriptam à magiſtro normam ſequi. Nec dubito quin hæc ingenuitas piis & ſanis gratior tandem futura ſit, quàm flexibilis & mollis docendi ratio, quæ inanẽ metum præ ſe ferat. Quod te Deo & Eccleſiæ debere agnoſcis, obſecro te vt quamprimum ſoluas. Neq; in hanc rẽ inſiſto, quòd partem inuidiæ in te exonerans, tantundẽ me leuatum iri confidam. Quin potius, ſi liceat, quidquid in te oneris iam incũbit, pro meo in te amore atque obſeruantia, paratus forem in meos humeros ſuſcipere: ſed tuum eſt expendere, vt ego monitor non accedã, niſi dubitatione pios homines qui te reſpiciunt, maturè liberes, te vix vnquam ſoluẽdo fore. Adde etiã quòd niſi ſerum hoc & veſpertinũ gallicinium te expergefaciat, pigrum meritò omnes clamabunt. Vale præſtantiſſime vir, & mihi ex animo venerande. Chriſtus fidelis ſuorum cuſtos tibi ſemper adſit, te regat & tueatur, Amen. D. Camerarium, & ſi qui præterea iſtic ſunt amici, meo nomine ſaluta. Geneuæ, x. Calend. Septembr. M. D. LV.

CAL

CALVINVS BVLINGERO S. D.

QVòd tuis literis rogasti, vt proximi tumultus historiã apertius tibi,& plenius exponerẽ,eò libẽtius facio, q; nostra valde interest,rem istic & apud vicinos probè cognosci.Sinistros enim rumores de nobis spargi plus satis notum est, idq; eorum artificio,qui suo cõmodo nos passim exosos reddere cupiũt. Itaque gratum nostris officium præstabis, si summam eorum quæ scripturus sum,curaueris apud Clarissimum Senatum vestrum recitandam. Quinetiam,si tibi graue non erit, hanc epistolæ meæ partem fratribus nostris Schaffusianæ Ecclesiæ Ministris descriptam mitti cupio, vt ipsi quoque apud suos vrbem hanc falsa infamia liberent. Res omnino sic habet.Duo fuerunt in Senatu improbi homines,atque audaces vsque ad summam impudentiam. Ambo etiam inopes,& famelici. Alter Perrinus vocatus, alter Vandelius.Prior,quum Capitaneus esset vrbis, colluuiem improborum, proposita scelerum impunitate,sibi conciliauerat. Nam si quid nequiter,proteruè,dissolutè gestum fuerat, ne vigerent legum pœnæ, patrocinium suscipere mox paratus erat. Alter verò fidus erat in his omnibus adiutor. Partem Senatus blãditiis illectam tenebant. Quosdam sordidos, & qui gradum suum nisi eorum fauore retinere non poterant, timore perculsos cogebãt in suum obsequium. Cognati,propinquitatis gratia deuincti, assentiebantur. Itaque in minore Senatu eousque inualuerat eorum potentia, vt libidini resistere vix quisquam auderet.Certè iudicia pluribus annis fuerunt in eorum arbitrio: & nundinatio minimè obscura erat. Hoc non modò Ciuitas videbat,sed apud vicinos,& exteros,eorum culpa, pessimè audiebamus. Neque tacebant permulti: quia sæpe atrocibus probris vexati, & lacerati fuerunt. Si quis cõtemptior,eorum flagitia detexerat, illis in promptu erat vltio. Quidquid ab æqualibus dictum erat,facilè vorabant. Interim tamen multi iam contraxerant callum seruitutis.Omnia edicta in chartis mortua iacebant. Nullus denique legum metus,vel pudor,si modò illi fauerent.Nam & Iudices cum Vrbis Præfecto non nisi eorũ voto quotannis creabantur: eóque tandem progressa est petulantia, vt populus ipse, postquàm suffragiis suis quisquilias nescio quas,imò turpissimas sordes elegerat, suũ dedecus horreret. Hoc quidem proximo anno fatebantur omnes, si hostibus vrbis permissa fuisset electio, non potuisse maiore cum ludibrio nihili homines ad honorem vocare. Iam quum antea si quid peccaret minor Senatus,vitiis & corruptelis medicinam afferre solerent Ducenti, multos illuc coniecerant ex fæce,partim clamosos iuuenes, & turbulẽtos, partim turpis & dissolutæ vitæ. Et ne copia eos deficeret, posthabita numeri ratione, in turbam intruserant,quoscunque sibi putabant fore appositos. Denique tam confusa fuit licentia,vt in Curiam irrumperent quidam, ne ab ipsis quidem lecti. Illa fuit factio, quæ vnum Ecclesiæ iudicium sibi obstare videns,quò minus effrẽnis impunitas vitiis omnibus exposita esset,ne quid disciplinæ residuum maneret,de Excommunicatione nobis certamen mouit: nec destitit sursum ac deorsum omnia versare, donec magna contentione obtinuimus, vt consilium saltem ab Ecclesiis Helueticis peterent. Quia autem respõsum vestrum improbos spe,& voto deiecit, paulò quietior deinde status fuit: sic tamen vt intenti subinde ad nouas occasiones,excusso pudore,vincula omnia abrumpere tentarent. Cæterum, quum nobis molestum esset, assiduè fluctuari, tandem ausi sumus eos lacessere,vt certi aliquid decernerent. Qua in re mirabiliter eos frustratus est Dominus.Nam in illa promiscua colluuie,suffragiis fuimus superiores. Sequuta sunt paulò pòst creãdis Syndicis comitia,vbi inopinata conuersio apparuit. Hîc verò improbi palàm furere: quia se videbant in ordinem coactos. Itaque petulanter cœperunt multa tentare ad labefactandum præsentem statum. Nostris semper satis fuit,compescere sine tumultu eorum conatus,vel saltem frangere. Sed quia minimè obscurum erat,illos sine modo inhiare nouandis rebus,Senatus optimum remedium eorum libidini opponere statuit. Ex hospitibus Gallis,qui hîc diu habitauerant,& quorum nota erat probitas, quosdam adoptauit in ciuium ordinem, fortè ad quinquaginta vsque. Senserunt improbi, quantò munitior hoc præsidio futura esset bonorum manus. Itaque omnem lapidem sibi mouendum duxerũt, vt consilium hoc euerterent. Res inter eos per compita passim & in cauponis,& clàm in priuatis ædibus agitata fuit. Quum traxissent quosdam in suam sententiam, non modò fremitu, sed apertis minis insurgere cœperunt.Subornatus fuit Vrbis Præfectus,qui cum magna,sed turpi & pudenda caterua in Curiam ascendens, denũtiauit Senatui periculũ, si pergeret. Magna pars ex nautis, piscatoribus,cupediariis,& cocis, similíque nobilitate

conflata erat. Multi Inquilini permixti. Quasi nõ nisi his vindicibus ius suũ Ciuitas tueri posset. Senatus grauiter respondit se nihil noui aggressum: sed quod antiquissimo vsu semper in vrbe receptũ fuisset. Indignũ verò esse, nunc & vetustũ vrbis morẽ conuelli, & arceri à ciuium ordine, qui honestè longum tempus in vrbe transegerant: & sibi denique eripi potestatem ab vltima memoria per manus traditam. Quia autem nihil violento imperio Senatus agendum censebat, apertæ conspirationi veniam in præsentia dedit. Tantùm obiurgatus fuit Præfectus, quòd proteruius hominibus operam in causa tam iniusta locasset. Simul tamen factum fuit decretum de vocandis Ducentis: ad quos vbi ventum est, sancita fuit Senatus minoris auctoritas: & permissum, vt posthac suo arbitrio ex Gallis hospitibus ciues deligerent. Sed antequam hoc postremum statuerent Ducenti, repente lõgius erupit eorum furor, qui ad extrema quæque, vt in rebus desperatis, se proiicere in animum induxerant. Nam tumultu nocturno propè ad summã cladem adducta fuit Ciuitas. Pridie quàm id accideret, multis nebulonibus datum fuerat gratuitum prandium. Duces alibi epulabantur: ex quibus alter, quem nominaui, Vandellius sumptũ prandij sustinuit. Perrinus verò, cœnæ. Volitabant interea nuntij: multę siniſtræ notæ obseruabantur: vt non frustra boni sibi metuerent. Moris autem est, postquam dispositæ sunt in portis excubiæ, Præfectũ vigilũ circumire, & dispicere stationes. Hoc munus singuli Senatores vicibus obeunt. Quũ media in vrbe starẽt vigiles noctis eius, clamorem non procul audiunt. Nam è regione post tabernas mercatorias quidam lapide percussus clamabat se occisum. Accurrunt igitur pro officio. Contrà insurgunt duo fratres germani, ex sodalibus Perrini & Vandellij, homines quidem infimæ sortis, cupediarij scilicet: sed qui in eadem mensa gratis cœnauerant. Rem ex composito agi deinde patuit, quòd duo soli plures armatos aggredi ausi fuerant. Atque hoc ambo cõfessi sunt & iudicibus, & pluribus aliis, & mihi priuatim. Tametsi autem cùm ad supplicium traherentur, negarunt signo dato se tumultum mouisse, sic tamen multis indiciis conuicti erant, vt sua impudentia nihil profecerint. Hoc quidem minimè negarunt, se eodem die inter prãdium & cœnam Perrino animi gratia in propinquam villam egressо fuisse comites: interea eundum de quingentis hominibus armatis ad vrbis custodiam aliunde vocandis habitum fuisse sermonem. Cùm in merenda renouaretur eius rei mẽtio, Perrinum opificum aduentu repressum, Germanicè, Suik, Suik, silentium indixisse. Quia autem villa illa extra fines Geneuensis ditionis sita est, dixisse, paratum illic fore Asylum & hospitium, si quis in vrbe capitale facinus patrasset. Crescente tumultu vnus ex Syndicis, qui non procul aberat, cum suo Scipione, quod est insigne Magistratus, & luminibus accensis, prodiit. Tanta autem semper in hoc populo fuit sacri illius baculi reuerentia, vt eius conspectu non modò sedatæ fuerint maximæ turbæ, sed cùm ad cædes ventum foret, vis cohibita fuerit. Vnus ex fratribus illis, exerto gladio, obuius Syndico incurrit. Syndicus insigni potestatis fretus manum iniecit, vt in carcerem duceret. Aduolãt complures ex factione. Quidquid luminis erat, extinguitur. Negant illi se passuros bonum sodalem in carcerem duci. Adest confestim Perrinus. Ac initiò pacificandi studium simulãs, Syndicalem baculum arripit, Syndico in aurẽ susurrans, Meus est, non tuus. Ille quanquã pusillę staturæ homo, non tamen cedere, sed contrà animosè, & fortiter obniti. Passim interea per omnes vrbis vicos clamor erat sublatus, & ferè momento peruaserat, Gallos in armis esse, ac vrbem insidiis proditam: domũ Senatoris, qui nocte illa Præfectus vigilum erat, refertam esse hominibus armatis. Emissarij quos sibi fauere nouerant, eos tumultuosè accersere. Perrinus cùm minimè dubitaret cateruam suam iam satis validam esse, vociferari cœpit, Noster est Syndicalis baculus: eum enim teneo. Ad hanc vocem nullum consensus signum datum est: & tamen vndique cinctus erat coniuratis: vt facilè appareat arcano Dei instinctu retentos fuisse. Pudore ergo cõfusus, & simul territus, paululum se recepit. Sed in alterum Syndicum affinem suum incidens, baculum vi violenter extorsit. Ille quiritari vim sibi esse factam, ius vrbis esse violatum. Quia autem armorum potentia longè vincebãt improbi, nemo ad Syndici querimoniam digitum sustulit, vt subsidio veniret. Sed pessimos quosque rursum quædam religio tenuit, vt nullus eorum Perrino succineret. Ita metu coactus, baculum clàm reddidit. Erant iam in armis plurimi nebulones. Vna vox vbique sonabat, Trucidandos esse Gallos, & vrbem ab ipsis proditam esse. Dominus autem pro miseris suis exulibus incredibiles excubias agens, partim sopore eos perfudit, vt inter horrendos strepitus suauiter in lectis dormirent: partim continuit, vt minis & periculi terrore non fuerint perculsi.

cùlsi. Nemo certè domo egressus est. Atque hoc vno Dei miraculo fractus fuit impiorum impetus, qnòd nullus ad conflictum se obtulit. Statuerant enim, vt postea facilè innotuit, si qui aggressi essent, se defendere: occisis quibusdam, grassari in alios: quasi à nobis exorta esset seditio. Nec verò tantùm hospitibus minitabantur, sed quidam etiam clamabant patronos esse occidendos, & pœnas de Senatu sumendas esse. Atque hîc vide Senatus nostri clementiam. Nam licet deprehensi fuerint tam nefariæ vocis auctores, ac cõuicti, non modò pepercit eorum vitæ, sed etiam à mediocri castigatione abstinuit, vt ne virgis quidem cæsi fuerint. Syndici dum Senatum cogi iubent, per vrbem cursitare. Sed improbi suis copiis freti, non modò eludere eorum imperium, & spernere, sed etiam conuitiis obstrepere, vt spes esset remedij exigua. Hoc tamẽ præter spem diuinitus effectum est, vt paulatim resideret tempestas. Postridie decretum est, vt quæstio haberetur de vi publica. Syndici triduo in testibus rogandis consumpto, ne quis diceret se falsò premi, Ducentos vocant. Dum recitantur testimonia, inter alios iudices sedebant ipsi quoque cõiurati. Vt quemque vel culpæ obnoxium, vel sinistra suspicione grauari apparuit, tandem iussi sunt egredi ex Curia: quia integri ad dicendam sententiam esse non poterant. Sed Perrinus detectum scelus videns, cum tribus aliis fuga elapsus est. Maior Senatus, rei indignitate iniustam iracundiam accensus, decernit seuerè vlciscendum esse conspirationis scelus: & Minorem Senatum, penes quem sunt iudicia, ad pœnas strenuè exigendas hortatur. Citãtur à primo Apparitore fugitiui, deinde à præcone publico, vt fieri solet: quod per quindecim dies præcinente tuba factum est. Illi missis chirographis, testari, se nisi data fide publica, minimè venturos. Atqui absurdissimum fuisset, quos ex vinculis reos causam dicere oportuerat, tanquam beneficiarios legibus solui. Prę scripta igitur die, quinque damnati sunt. Sed antequam iudices pronuntiarent, coram toto populo recitata sunt crimina, quorum conuictos teneri necesse fuit, qui se vocati in ius, non purgabant. Accessit postea eorum confessio, de quibus sumptum est supplicium, & qui adhuc in carcere tenentur. Vnde constat magis esse noxios, & sceleratos, quàm vt effugium vllum pateat. Et tamẽ vt sunt per fictæ frontis, odiosos rumores spargere non desinũt: se falsa inuidia fuisse oppressos, quòd ciuium causam contra Gallos, & Senatum Gallis deditum, tutati sint. Quasi verò Ducenti, quorum præiudicio confossi sunt, non sint ex ciuibus. Quasi collecto exercitu expulsi fuerint. Quasi plebs, si intelligeret libertatis suæ patronos crudeliter opprimi, tantam iniuriam passura esset. Quin potius eorum discessu compositæ sunt omnes turbæ: discussa fuit quam induxerant, caligo: leges reuiguerunt: reddita fuit vrbi tranquillitas. Viderunt certè qui illorum rogatu ad deprecandum venerant, non diuersis studiis vrbem scissam esse, nec vllis contentionibus flagrare: sed placido omnium consensu probari decretam in illos pœnam. Vt summa impudẽtia præditi sunt, non modò extenuant admissum facinus, sed futilibus cauillis crimen in se de nihilo conflatum fuisse iactant. Quæ tamen diluere non difficilè est. Probabile esse negant, quum sub manu haberent magnam turbam, temere ipsos sine valido præsidio ad arma prorupisse. Quasi verò rarum sit, vel infrequens exemplum, improbos amentia cæcos & præcipites ferri. Certè quidquid obtendant, manifesta rabies vnum ex cohorte impulit, vt ictu lapidis hominem deiiceret, vnde exortus est clamor. Eadem quoq; duorum fratrum cæcitas, dum gladiis nudatis in vigiles armatos impetum fecerunt. Iam verò Syndicorum imperia, quibus non parere semper capitale fuit, petulanter, & cum ludibrio spernere, non solùm repentini furoris, sed conceptæ prius audaciæ, diúque inter ipsos conceptæ signum est minimè ambiguum. Clamor adhæc inter ipsos omnes consonus, de vrbe à Gallis prodita, vnde nisi ex coniuratione? Nisi enim ex compacto hanc tesseram sibi mutuò dedissent, quî fieri potuit, vt statim in locis longè inter se distantibus, vox illa de nihilo conficta cõgrueret? Nam & illius, quem dixi, Vandellij vxor, quoscunque suæ factionis fore sperabat, ostiatim acciuit, Gallos proditionis incusans. Verùm hoc est scilicet, quod confessus est quidam Perrini assecla, & quo nemo illi magis familiaris erat, nempe duos illos seditionis principes quatuor antè, vel paucis diebus sic inter se loquutos: Quid cessamus, breui ignauiæ nostræ pœnas daturi? Iam triennium est, ex quo in cædem nostram conspirarunt hostes. (Porrò, mihi in illo catalogo primum locum dabant.) Ergo anteuertamus necesse est. Speciosus autem nunc oblatus est color. Dicemus è Republica non esse, tam multos ciuitate donari. Nihil impetrabimus nec in minore Senatu, nec apud Ducentos. Ad populũ prouocabimus. Aduolabit multitudo, etiam inuitis Syndicis. Partis nostræ homines subornabimus, vt tumultum concitent. In tollendis hostibus nihil erit negotij. Tantummo-

do audendum est: quia de victoria securi sumus. Hoc ille Perrino intimus, & ferè individua eius vmbra quater repetiuit. Negent se iure damnatos esse, quibus in medio populi conuetu, & loco sancto, duos ex Syndicis, quosdam Senatores, ex ciuibus optimos quosque omnes innoxios trucidare propositum fuit. De me taceo, quem sibi gratis inimicum sumpserunt. Nam quòd me cædem moliri, obtendere ipsos non puduit, putidius est, quàm vt excusatione indigeat. Et tamen nondum iudicio Vandellium persequutus est Senatus. Sed eum mala conscientia vrbe expulit: vt facilè appareat, in maximo tumultu moderationem, qualis in rebus tranquillis seruari solet, fuisse retentam: nec callidè vel festinâter quidquam actum esse contra improbos. Quin potius tu si adsis, Senatum nostrum lentè progredi, ac remisse dicas. Sed in hanc partem satius est peccari, ne quis præposterè, vt in iracundiæ feruore accidit, sæuitum esse queratur. Faxit Dominus, vt tantæ liberationis memoria nos assidè ad gratitudinem stimulet, sempérque in officio contineat. Cùm has literas dictare inciperem, non putabam ab Othomano nostro perlatum iri. Nam etsi iam de suo itinere verba fecerat, quia tamẽ incertus erat, an rectà istuc venturus foret, alio potius nuntio statueram vti. Nunc opportunè accidit, quòd non parum gaudeo, vt si quid propter breuitatem erit obscurius, sermone plenius conformet atque explicet. Quòd me ad patientiam bis hortatus es, ego verò tot indignitates placidè tulisse mihi videor, & quasi vorasse, vt dum stomachum cohibeo, animus mihi quoque defuerit. Vtinam saltem meo silentio ac dissimulatione placassem, qui odio mei in omnes bonos furere non desinunt. Sed quanquam inde magis accenditur, quæ pridem nimis grassata est rabies: mihi tamen fixum est nihil mouere. N. prouinciam obtigisse gaudeo, in qua se vtiliter exerceat. Det modò ei Dominus fideliter ea defungi. Eum cum N. saluere cupio. Symmystis etiam tuis omnibus, vxori & familiæ plurimam meo nomine salutem dices. Vale, ornatissime vir, & semper obseruande frater. Dominus te Spiritu suo regere & benedictione prosequi pergat. Geneuæ, XV. Iunij. M. D. LV.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS VIRETO S. D.

MItto ad vos literas Stephani nostri, ex quibus intelligetis, quantumuis insaniat Satan, Christum tamen sub cruce regnare. De ludimagistro quod postulat, curæ nobis esse debet. Si quis erit apud vos idoneus, qui alacriter onus suscipiat, mittite. Nihil enim hîc tẽtare volui. Cameraco nihil allatum est, post literas à fratribus scriptas, quas vobis legendas mitto. Vbi legeritis statim mihi reddendas curate: quia apud me hactenus continui, atq; id fratrum meorum permissu. Quàm atrociter me tota factio laceret, non ignoro: ac quotidie ex meo sensu experior, quantùm à bonis naturis aliena sit tyrannica crudelitas, quã vetus poeta descripsit his verbis, Oderint dum metuant. Atqui, si optio daretur, mallem omnium esse contemptissimus. Sed quia Deo aliter placet, feramus. Aderit tandem suis. Interim optima est bonæ conscientiæ fultura. Hodie Bertellerius aliorum more factionem suam purgare conatus est: ipse tamen confessus est se dignum tali supplicio. Pluribus coràm omnia referam. Hoc enim excepto, visus est aliqua resipiscentia tangi. Valete optimi fratres. Dominus vobis adsit, vos gubernet ac tueatur. Geneuæ IX. Septembris. M. D. LV.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. FARELLO S. D.

EGo verò mi Farelle, etsi gloriari meritò in his probris licet, quæ in me congerunt virulentæ ac petulantes linguæ, quando nihil in me infamant nisi quod Deo & Angelis probari scio: cuperem tamen in recessu aliquo latere, si fortè mitigaretur istorum furor, quem mea præsentia accendere videtur. Non de quisquiliis loquor, quas pridem floccifacere, vt merentur, didici. Sed à gigantibus cœlum, odio mei, assiduè turbari, non absre mihi dolet. Feramus tamen, quando scimus non fortuitò accidere, vt tantis procellis iactemur.

Wesphalus

Wesphalus etiam librum in me truculentum edidit, cui nescio an respondere expediat. Rogant amici quidam: vbi perlegero, Dominus consilium suggeret. Tu verò, quasi libros momento gignerem simul ac parerem, velles à me plures exire commẽtarios, quàm scribendis sufficiat longæ vitæ cursus in summo otio. Mihi verò quantulum vacui temporis restare putas? Vtinam alij has vices obeant potius. Philippo acerrimus ero hortator: sed quàm lentus sit, non ignoras. Vale optime & integerrime frater. Dominus tibi semper adsit, te protegat ac sustentet. Fratres & amici te plurimùm salutant, atque in his Beza nõster qui nunc mecum est. Geneuæ, x. Octob. M. D. LV.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS PIPERINO S. D.

EQuidem dum passim tam atrociter me proscindi audio, non ita sum ferreus, mi Piperine, quin dolore pungar. Sed hoc mihi saltem non leue solatium est, te & complures alios Christi seruos, & pios Dei cultores meis iniuriis condolescere. Quanquam mallem si fieri posset, solus tacitè vorare quidquid in me probrorum congeritur: ne qua inde pars molestiæ in fratres meos redundaret. Itaque hæc quoque ratio inter alias facit, vt silentio calumnias præteream, quas alioqui diluere nullo negotio promptum esset, & quas à me excutere cuperem. Cur enim mei purgandi studio probos homines obtunderem? Si maior necessitas vrgeret, petita venia, defensionem proponerem. Sed futilior est probrorum, quibus me improbi aspergunt, vanitas, quàm vt solicita refutatione opus habeat. Ipsi quoque auctores me ambitionis notarent, ac si de tuenda mea existimatione nimis essem anxius. Exemplum est in illa ingenti quam commemoras pecuniæ summa. Sciunt omnes quàm frugaliter viuam domi meæ: vident in vestium splendore nullum sumptum fieri: palàm apparet, fratrem meum vnicum nec valde esse locupletem, nec meis opibus adeptum esse quidquid habet. Vbinam ergo defossus iaceret thesaurus ille? Atqui me pauperibus furatum esse iactant. Hoc etiam improbissimi de nihilo fictum esse fateri cogentur. Si quid pauperibus erogant pij homines, nullum nummum attingo. Mortuus est apud me ante octo annos vir quidam nobilis, qui apud me supra duo coronatorum millia sine chirographo deposuerat. Vbi mortis esse periculum intellexi, quum meo arbitrio permittere vellet, negaui me id suscepturum oneris. Curaui etiam vt Argentinam mitti iuberet octingentos, subleuandę exulum inopiæ. Meo hortatu delegit homines minimè suspectos, qui reliquam summam distribuerent. Mihi quum legare vellet quod alij non spreuissent, recusaui: sed video quid vrat meos aduersarios. Quia enim ex suo me ingenio metiuntur, non dubitant quin vndique accumulem, vbi tam opportuna suppetit facultas. Verùm, si viuus non effugio nomen diuitis, ab hac nota mors tãdem me vindicabit. Cæterum, nullus mihi esset scribendi finis, si ad meditandam apologiam animum adiecero. Multa istic si iactantur, scito vix centesimam esse eorum partẽ, quibus assiduè obtũdor. Ergo nihil superest, nisi vt paratus ad reddendam rationem, nihilominus os præbeam colaphis. Pergamus mi Christophore, per infamiã & bonam famã, neq; sinistris rumoribus frangi nos sinamus. Quanquam si tu fontẽ tenеas, mecũ facilè agnosces patientia vincendũ esse. Nemini enim verbum facere in mentẽ veniret, nisi quisquilię hominum viderent se Proceribus officiũ præstare, ac paratam sibi esse maledicentiæ mercedẽ, subitóque euanescerent mendacia, nisi ab iísdem illis in quorum gratiã conficta sunt, fouerentur. Quia epistolam cogor abrumpere, finem hîc faciam. Vale optime, & mihi amicissime frater. Dominus tibi semper adsit, te Spiritu suo gubernet, laboréque tuos benedicat. Geneuę, XVIII. Octobris M. D. LV.

Ioannes Caluinus tuus.

AD SERENISSIMVM REGEM POLONIAE.

ETsi non miror, præstantissime Rex, nec dubito quo tempore Maiestas Vestra conuentum ordinum regni sui agebat, in tanta negotiorum mole, summis & variis curis fuisse distractam, vt ne perlegendæ quidem meæ cohortationi otium suppeteret: tamen ex quo plus otij datum fuit, confido aliquid vacui & soluti temporis sumpsisse, vt meus labor tandem non fuerit inutilis. Nam ex literis quas M. V. mittere dignata est, intelligo, meam sedulitatem gratam fuisse: nec fastidio vel contemptu reiectum fuisse meum illud scriptum, in quo breuiter ostẽdere conatus fue-

ram quænam verâ esset reformandæ Ecclesiæ ratio,& quisnam commodissimus ingressus.Imò quia M.V.illud se humaniter excepisse,& libenter se inspexisse testatur, & vbi liberius ǫtium contigerit,sibi in animo esse attentius singulas eius partes meditari,plus inde fiducię ad iterandum scribendi officium offerri mihi visum est.Itaq; si nunc rursus M. Vestram cohortari audeo,nō videtur esse cur de venia petēda laborē,ac ne longior quidem excusatio necessaria est.Nō sum equidē nescius,vel immemor quantùm à Celsitudine in qua magnum Regem Deus locauit, distet humilis mea & abiecta conditio: sed quia probè tenet M.V.quid valeat illud cœleste edictū,quo iubentur omnes Reges
Psal.2.12. terræ Filium Dei osculari,nec ignorat externo osculi ritu notari fidei obsequium,quod reuerenter sanctas admonitiones à Christi ore & Spiritu profectas amplectitur, mihi videtur eximi omnis metus & dubitatio.Ego igitur,quē summus Rex Euangelij sui præconem & Ecclesiæ suæ Ministrum constituit,eius nomine M. V.appello,cùm iam in Polonia ex funestis tenebris Papatus emergere cœperit vera religio,cùm multi pij & cordati homines,abiectis impiis superstitionibus,ad purū Dei cultum vltrò aspirent, vt curam hanc aliis omnibus præferat. Et certè quantò æterna Dei gloria vmbratilem & caducum huius mundi statum præcellit,ita ad tuendam vel asserendam pietatis doctrinā, posthabitis aliis omnibus,præcipua nostra studia conferre decet.Quod hactenus Polonia Papatus corruptelis fœdata,& vitiato peruersóque Dei cultu,post humana figmenta vagata est:quòd deniq; sub errorum colluuie demersa, cœlestis lucis aspectu caruit, triste ac miserum fuit spectaculum. Nunc verò cùm illa communi amentia & stupore, quo percussus fuit totus orbis,eam Dominus liberare incipiat, summos quosque & infimos à suo torpore expergefieri necesse est. An igitur Regibus cessandum, quos ideo in sublime Deus extulit,vt inde gentibus vniuersis præluceant? Iam verò quanti nobis esse debeat syncera religio,per quam Christo inter nos tribunal erigitur, quanti etiam legitimus Dei cultus, in quo symbolum præsentiæ eius, viuáque imago relucet, M. V. me tacēte satis intelligit. Et sanè nisi ad nos hac in parte animandos,vel vnum Dauidis exemplum sufficit,minimè excusabilis est nostra segnities.Cùm enim tunc non nisi sub obscuris figuris in terrestri Sanctuario Deum colerent Patres, refertur tamen solenne quod concepit iusiurandum,quòd non daturus esset somnum oculis suis, nec palpebris
Psal.2.3.4.5. dormitationem,nec igressurus postes domus suæ,donec inuenisset locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.Si Regem illum pia solicitudo legalis cultus quiescere passa nō est, quin noctes & dies ad quęrendam arcæ fœderis stationē nō minus anxiè quàm assiduè intentus foret, quantò magis nunc Christiani Regis studium ad se rapere debet spiritualis Dei cultus, omnésq; eius conatus acrius accendere,ad obeundum hoc tam honorificum & præclarum munus,vt Christus emineat? Accedit etiā quòd Dauid quāuis extruendi templi honore priuatus esset,non tamen cessauit toto vitæ suæ cursu lapi-
1.Cron. 22. 94. des,materiam,argētum & aurum congerere, quò successor Solomo copiis omnibus instructus,statim sine mora ad opus se alacrius accingeret.Quò animosius Christianū Regem vires omnes suas ad restituēdum Dei templum colligere ac summopere eniti decet,ne diutius inter deformes ruinas,cultus Dei obsoletus iaceat. Etsi autem nunquam desunt obstacula,quæ pium hoc studium morentur,longè tamen M.Vestræ expeditior est ratio,quàm olim piis Regibus Ezechiæ & Iosiæ,quibus arduum,& durum cum populi contumacia certamen fuit,cùm hodie Polonica nobilitas magna ex parte,promptū & alacre ad suscipiendam Christi fidem obsequium offerat. Quo adiumento sic expergefieri cordatum Regem decet,vt non minus strenuè manū ipse vicissim porrigat.Nec verò hîc blanditiis dandę sunt aures,quibus Satan per homines profanos letale frigus aspergens,ignauo sopore multorum sensus perfundit.Quin potius excusso omni torpore,manibus & pedibus in tam præclaro opere insistendum est,ac præsertim vbi apparet agendi maturitas:ne si oblata diuinitus occasio negligitur, frustra deinde stādum sit ad clausam ianuam.Interea assiduis votis precabimur, vt Dominus pro sua incredibili potētia opus quod cœpit,fœliciter absoluat, M. Vestram heroico spiritu instruat,& in statu prospero incolumē tueatur. Geneuæ,pridie natalis Domini, quem cupio sicuti summo imperio à Patre donatus est,ita reuerenter in Palatium vestrum excipi, vt iure suo ab omnibus colatur. M. D. LV.

Tuæ Maiestatis studiosissimus
Ioannes Caluinus.

ILLVSTRI

ILLVSTRI VIRO AC EXIMIIS VIRTVTIBVS PRAESTANTISSIMO D. Ioanni Comiti Tarnouio Caſtellano Cracouienſi, exercituum Regni Poloniæ ſupremo Duci.

VIde quantùm mihi fiduciæ præbeat virtutis tuæ fama, Illuſtriſſime Domine, quam apud me non vulgaribus elogiis celebrauit fidus & idoneus teſtis N. nempe vt homo tibi fortè incognitus non modò literis meis te compellare, ſed de re quoque omnium maxima familiariter apud te diſſerere, & ad ſubeũdas oneris huius de quo agitur, partes cohortari audeã. Pridem de regno Poloniæ ad puram & genuinam Chriſti fidem reuocãdo mediocris ſpes affulſerat. Etſi autem obliquis Satanæ artibus iniectæ ſunt multiplices remoræ, nunc demum ianuam filio ſuo Deus aperuit, ex qua vos omnes ad eum reuerenter excipiẽdum inuitat. Et multi quidem, vt audio cupidè obuiam accurrunt, & quæ debent pietatis officia cœleſti regi offerunt: vt in ordine nobilium non minus ad recipiendam doctrinæ puritatem vigeat ſancta conſpiratio, quàm Chriſti hoſtes ad impediendum Euangelij curſum peruicaciter inter ſe coniurant. Te verò præſtantiſſimè vir, qui ſumma auctoritate polles, & in quem non minus Regis quàm aliorum coniecti ſunt oculi, aliis ſtrenuè feſtinantibus, vel quieſcere, vel tardius progredi minimè conſentaneum eſt. Nec verò Deus alia lege in hunc dignitatis gradum te extulit, niſi vt è ſublimi vexillum aliis mõſtres, ex cuius cõſpectu creſcat omnibus ſtudij alacritas. Iam quum prudentia & conſilio non minus excellas, quàm honore, minimè deceret tot præclaros anteſignanos, qui in certamẽ liberè & intrepidè progreſſi ſunt, à Duce ſuo deſtitui. Etſi enim non ignoro præcipuas eſſe ſereniſſimi Regis partes, quia tamen ſponte iam ad rectè agendum propenſus, vbi te certum adiutorem & comitem nactus erit, multò cõfidentius vt ſpero, neruos ſuos intendet, meritò hoc abs te Chriſtus exigere videtur, vt tot generoſis ſuis militibus Ducem te oſtendas. Ac iam quidem eouſque progreſſus es, vt de ſyncero animi tui affectu exempta ſit omnis dubitatio. Tantùm vereor ne cunctando, nimis longum tempus effluat. Et certè hactenus in tarditate plus ſatis culpæ fuit. Nunc verò ad ingenuam, & apertam doctrinæ ſuæ profeſſionem & Regem ipſum, & Proceres omnes ſonora voce inclamat idem ille, qui Euangelio ſuo ianuam aperit. Quare tibi præſtantiſſimè vir, in mentem veniat illa Prophetæ admonitio, Tempore beneplaciti audiui te, & die ſalutis adiuui te, quæ omnes Dei filios ad viſitationis ſuæ tempus ſedulò amplexandum ſolicitat, ne gratia ſemel oblata, ſi per ignauiam negligatur, tandem pereat. Quia ſæpe accidere ſolet, vt læta exordia dum fœlicem exitum promittunt, ſegnitiem multis adducant, prudenter cauendum eſt, ne quis ad ſuffocandam hanc lucem quæ emergere cœpit, obrepat torpor. Modum quidem mihi tenendum eſſe non ignoro, ne acrius vrgendo pietati tuæ diffidere videar: ſed rurſum tam præſtantia operis, quàm difficultas, ad ſtimulos addendos me cogit, ne quid in te deſiderent fideles Chriſti ſerui, quod tantæ exiſtimationis viro dignum ſit. Summa tamen huc redit, quum vnicus nobis viuendi finis eſſe debeat, vt purè Deum colamus, poſthabitis omnib⁹ curis hoc maximè agendum eſſe, vt ſuperſtitionibus euerſis emineat vera religio. Iam verò quàm fœdis corruptelis propemodum extincta fuerit ſub Papatu, vix vllis verbis exprimi poteſt, nec ſine ſummo horrore cogitari. Imò quum nihil aliud ſit totus Papatus, quàm ſacrilega & innumeris ludibriis referta nominis Dei profanatio, ſi in repurgandis iſtis ſordibus frigemus vbi ſuppetit facultas, minimè coram Deo eiúſque Angelis excuſabilis erit noſtra ceſſatio. Adhæc, quum veritatis confeſſio gratiſſimum Deo ſit & ſuauiſſimi odoris ſacrificium, infracta quoque eius tuendæ conſtantia inter ſumma pietatis officia meritò numeretur, nullum certè eſt officij genus, in quo & ſummam tuam virtutem exeras, & te exerceas maiori cum laude. Rurſum quum videas ipſe coràm quàm animoſè Chriſti hoſtes pro ſua tyrannide certent, & ſimul quàm furioſè oppugnent quam Filius Dei ſanguine ſuo aſſeruit doctrinam, mirum niſi te eorum improbitas ad piam æmulationem accendat: vt ſcilicet pro vindicanda Dei gloria nihilò ſegnius contendas, quàm illi in opprimenda laborant. Si verò tuam prudentiam non fugit, quàm honorifico titulo dignatus ſit Spiritus ſanctus, quos vocauit primitias Achaiæ, tibi certè danda opera eſt, ne hodie inter patronos renaſcentis in Polonia Euangelij vel poſtremus ſis, vel medius. Adde quòd nulla in re certius tuæ erga ſereniſſimum Regem fidei documentum edere potes. Etſi enim tranquillo ille Regni ſtatu potitur, vt tamen hæc fœlicitas diuturna maneat, non alia ratione melius obtinebit, quàm ſtabilito Chriſti Regno. Nam etſi

Deus, quò se generis humani custodem ostendat, politicum ordinem etiam inter profanos homines pessum ire non patitur, multis tamen exemplis apparet, nusquam residere solidam eius benedictionem, nisi vbi pura colitur Religio. Ac quum Euangelium inæstimabiles æternæ vitæ thæsauros nobis aperiat, hæc secundæ gratiæ non pœnitenda est accessio, quòd Deus Regna & Principatus, quibus præsidet, in suum præsidiũ fidémque recipit. Itaque ex quibus locis profligata est Papatus impietas, vt succederet integra pietatis restitutio, illic leges & iudicia florere, maiorem vigere reuerentiam Magistratuum, populos sub placida modestia contineri passim videmus. Quò minus tolerabilis est eorum improbitas, qui doctrinæ formam quam tradimus, proterue infamant, ac si dissipatio esset politici ordinis, quem nullo meliore adminiculo fulciri, experientia vbique clamat. Pluribus coràm tecum aget frater noster, & commodius, quàm ferat epistolæ ratio. Vale præstantissime vir & illustris Domine. Christus, qui te præclaris dotibus ornauit, mentem tuam, omnésque sensus in legitimum eorum vsum dirigat, quò sacrum eius nomen per te illustretur, sustineat te sua virtute, & omni benedictionis genere prosequatur vsque in finem. Geneuæ, IIII. Calendas Ianuarij M. D. LV.

Ad Magnificvm Dominvm Nicolavm Miskovvoski à Mirovv, Castellanum Woniycensem.

QVum istuc profectionem institueret optimus vir N. qui tuam apud me pietatem non vulgaribus elogiis celebrauit, committere nolui, vt sine meis literis ad te veniret, quæ saltem amoris erga te mei & obseruantiæ testes forent. Nam vt te vehementius ad præstandum quod Deo Patri, eiúsque Filio officium debes, exhorter, opus esse non videtur, quando vitam tuam aliis regulæ instar esse audio. Quare nihil aliud restat, nisi vt tui similis esse ad extremum vsque pergas. Vides præstantissime vir, quàm indignè multi sacrum Dei nomen obtendant, qui futili tantùm iactantia Euangeliũ in ore habentes, maiori diffluunt vitiorum licentia, quàm miseri Papistæ, quos sub aliquo disciplinæ iugo superstitio retinet. Quòd autem erroribus Papatus valere iussis, ita magna pars hominum profanescit, hinc accidere certum est, quòd & paucis curæ est vera Religio, & omnibus ferè ingenitum, carni suę delitias facere. Te verò ex eorum esse numero, in quorum cordibus puram Euangelij doctrinam viuas egisse radices, qui inde nascuntur fructus ostendunt, tum ex animo tibi gratulor, tum permultos extare similes magnopere cupio, vel saltem quos tuũ exemplum ad imitationem accendat. Sed quia nihil tibi afferent meæ literæ quod non vberius & luculentius suppeditent lucubrationes in publicum editæ, in quarum lectione libenter te exerces, non est cur te longius detineam. Nam & hoc, vt initio præfatus sum, mihi præcipuum scribendi consilium fuit, vt scires præclaras tuas virtutes, quæ Polonis in exemplum prælucent, procul etiam notas esse, & quo merentur in pretio haberi. Vale nobilissime vir, & mihi plurimùm obseruande. Dominus donis suis te augere pergat ad illustrãdam nominis sui gloriam, téque Spiritu suo semper gubernet. Geneuæ, IIII. Calendas Ianuarij M. D. LV.

Ad Generosvm Dominvm Stanislavm Carninski Iuan hæredem in Alexandrovvicze Equitem Polonum.

EX tuis ad optimum fratrem nostrum N. literis, quas mihi recitauit, perspicere facilè licuit, ornatissimè vir, quàm verè te Christo addixeris. Nam illæ non modò serium pietatis affectum vbique spirant, sed etiam clarè ostendunt, tibi nihil maiori esse curæ ac studio, quã vt legitimo Dei cultu in suum ordinem restituto, pura & integra religio in Polonia floreat. In hoc sancto instituto vt constanter pergas, pluribus verbis te hortari superuacuum fortè esset. Si tamen vltrò currenti calcar adderem, speraui hoc meum studium nec inutile, nec tibi molestum fore. Vide ergo generose vir, quando stadium hoc tam fœliciter ingressus es, ne qua te difficultas terreat, vel moretur, ne mundi strepitus animum tuum debiliter, ne te fatiget temporis longitudo. Bene autem est, quòd Filius Dei non otiosus certaminis nostri spectator in cœlo sedet, sed inuictum etiam suppeditat robur, quod par sit ad sustinendam laboris molem. De vestro cum Valdensibus consensu optima quæque spero: nõ modò quia

dò quia sanctam vnitatem, in quam coalescunt Christi membra, Deus semper benedicere solitus est, sed quòd inter hæc rudimenta, fratrum Valdensium peritiam, quam longo vsu Dominus exercuit, non vulgari adiumento vobis fore spero. Quare sedulò à vobis omnibus danda opera est, vt hæc pia conspiratio magis ac magis sanciatur. Te verò vt priuatim horter ad suscipiendum hoc negocium, occasio mihi ex tuis literis oblata est. Vale nobilissime vir, & mihi ex animo colende. Dominus te diu seruet incolumem, Spiritu suo regat & suum nomen per te illustret. Geneuæ, 1111. Calendas Ianuar. M. D. LV.

Ioannes Caluinus tuus.

MAGNIFICO DOMINO STANISLAO LASSOCZKI Subcamerario Terræ Lankzciensis.

EGo verò tibi eximiè vir ex animo gratulor, quòd rebus adhuc istic dubiis, omni simulatione deposita liberè professus sis, te vnũ esse ex eorum numero, quibus nihil potius est, quàm obedienter sequi quò nos Filius Dei vocat. Hæc synceritas omnes Dei filios, vbi de legitimo agitur eius cultu, apprime decet, vt non vacillent ad quamlibet auram flexibiles, neque aliunde pendeant, sed fundati sint in firma illa rupe, quæ nec ventos vllos, nec tempestates, vel procellas extimescit. Tenenda enim est illa promissio, qua Esaias fideles ad fortitudinem animat, Dominum exercituum sanctificate, ipse quoque erit pauor vester & arx inexpugnabilis. Nam hunc ipse sibi honorem meritò vult haberi, vt eius virtute confisi, quod præcipit & mandat, sine mora amplectamur. Tu verò, ornatissimè vir, re ipsa testatus es de fugiendis superstitionibus non obscurum tibi esse eius præceptum, qui sacrilegio Papalis Missæ valere iusso, sacræ Cœnæ actionem quam instituit Christus ac sanciuit, palàm in vsum reuocare ausus es: ac si erecto vexillo, ex misera Papatus dissipatione reliquias colligeres ad fidei vnitatem. Euge ergo, generose Christi miles, & quod semel ingressus es stadium, ad metam vsque percurre, nec vllis obstaculis cedas, nec aliorum torpore remittas animum, nec vllis difficultatibus fatigeris, donec Christus, qui noster est in hoc certamine Agonothetes, æterna gloriæ palma te dignetur. Idem verò è cœlo infractas ad perseuerandum vires suggeret. Vt homo ignotus literis te compellarem, factum est fratris nostri N. hortatu: has tamen partes libenter suscepi, vt intelligeres esse etiam in longinquis regionibus: qui licet coràm suppetias non ferant, votis & precibus, iuuare te contendunt. Vale magnificè Domine. Dominus te Spiritu suo regere pergat, sanctósque tuos conatus benedicat. Geneuæ, 1111. Calendas Ianuarij M. D. LV. Esa. 8. 13.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. GARNERIO.

QVanquam ex tuis literis iam propè nobis certum erat, te propediem affore, facit tamen hæc conditio præter spem repente oblata, vt consilium profectionis te mutasse non mirer. Nam vt eius captandæ nunquam tibi fuissem auctor, ita cur tam commodè ac tempestiuè oblatam aspernari debueris, non video. Est enim honestum munus, in quo te vtiliter exerceas. Neque in reprehensionem cadit mutatio, quæ voluntaria non est. Tibi sponte nunquam deserenda fuit statio. Nunc quando violenter ab ea deiectus es, quominus operam tuam priuatim adolescentibus illis docendis impendas, nulla ratio impedit. Aula, quandiu te Ecclesia tenebat obstrictum, non fuit appetenda: nunc verò alia est libertas. Quominus itaque à publico munere solutus, prouinciam & sanctam, & à qua sperandus est fructus, suscipias, minimè dissuadeo. Nec Farellum & Viretum aliud sensuros existimo: quanquam si aliud consilium dederint, nolo mihi obtemperes. Verùm, si rectè diuino, non erunt tam austeri, vt te reuocent. Vale integerrime frater. Dominus te consilij Spiritu regat, virtute sustentet, benedictione sua foueat. Amen. Saluta vxorem & amicos. Geneuæ, VIII. Augusti. M. D. LV.

Ioannes Caluinus tuus.

BVL. CALVINO S. D.

LIteras tuas, honorande Domine & frater, ad me peculiariter scriptas, tum eas quas communes esse voluisti vnà cum defensione tua accepi iam iam, ideóque nondum exhibui fratribus, cras exhibiturus. Nihil tamen dubito illos omnia libenter lecturos non sine gratulatione & gratiarũ actione. Cõmodè verò literas & libellos aliis destinatos Ecclesiis coniunxisti. Nam illa ipsa hora qua redduntur, commodè transmittere potui Curiam in Rhetiam, Sangallum & Schaffusium. Singulis meas adiũxi literas, quib⁹ ipsis sanctum opus cõmendo. Spero illos breui tibi gratias acturos. Et quando eo ipso die tabellio Bernam profecturus erat, huic quoque meas tradidi, quibus D. Hallero exposui quid facto opus putem, maximè si bilioſi cõtentionis finem ducere velint. Nostrates cũ Locarnẽsibus cõcordes per omnia, legatos ad se missos vti prioribus tibi indicaram, ita dimiserunt, vt ne pilũ quidem de sua cesserint sententia, copioséq; illis exposuerint, cur non possint per omnia consentire in sequestrium cũ ipsis sententiam: prẽterea miserũt legatos in omnia oppida sua, in omnes Comitatus & Præfecturas, habitis quoque in vrbe & agro maximis cœtibus, exposuerũt omnibus quid actum sit in causa Locarnensi, cur consentire noluerint, quid periculi sit. Et quod mirũ est cõcordes veluti ex vno ore omnes, magnis interim à se itineribus distãtes, vt nemo quisquam de syncretismo vel suspicari possit, responderunt: Placere sibi ex animo, quod stabiles in vera Religione permaneant, neque socios religionis ad defectionem solicitari sustineant, oraréque vt sic pergant: se enim & facultates, & sanguinem, & vitam spõte, & liberaliter deposituros, si quis vi velit ad impia & cum vera Religione pugnantia adigere. Interea adsunt duo legati à Locarnen. missi. Doctor quidam medicus, & nobilis quidam. Referunt in Senatu Cal. Ian. cõuocatos in cœtum fideles, & his ex charta recitata esse sequestrium capita, additã amicã abhortationẽ à Locumtenẽte (nam Prẽfectus noster iussus est se non immiscere huic negotio) & Scriba vt in viam redeant. Indicatum præterea legatos breui venturos qui totum absoluant negotium. Cæterum patresfamiliàs circiter 80. destinasse solum vertere vnà cũ suis familiis, nisi clementiora audierint à legatis venturis à 7. Rebuspu. vel vndecim, ideóq; ipsos iam missos legatos parãdis hospitiis. Quando verò cõmodissima foret migrantib⁹ vallis Tellina Rhetis subiecta, orabãt Amplis. Senatũ, literas ad Rhetos scriberet, quib⁹ ipsis peteret hospitiũ. Senatus hac postulatione & expositione prorsus cõmõtus, cõsolatus est legatos, aperuítq; vrbẽ & agrũ suũ. Quia verò illi se Rhetiã incolere malle significabãt, & ideo literas ad Rhetos cõmẽdatitias postulabãt, Senatus duos illis adiunxit ex Senatu viros auctoritate & senio reuerendos, & Rhetis acceptos. Hi vnà cum legatis Curiam profecti sunt, paraturi fidelibus hospitia. Dominus bene vertat. Ego toto hoc anno de omnibus quæ facta sunt, fideles Locarnenses frequentibus literis diligenter admonui, & adhuc consolari non cesso. Dominus adsit illis & roboret Spiritu suo, eorũque misereatur. Angliam recepisse Papam & Papatum non nescis. Vsus est diabolus in illa recuperanda duobus eximiis organis: in regno quidẽ Vintonienſi episcopo, extra regnũ Reginaldo Polo Cardinali, qui iam & Primas Regni & Archiepiscop⁹ Cãtuarienſis creatus est. Receptus est solenni põpa Londini ad S. Crucẽ in ẽde Paulina. Proiecerũt se ad eius pedes Magnates, & absolutionẽ benedictionémq; Apostolicã supplices postularunt à bestia, cõfitentes se xv. annis à Catholica Romanaq; Ecclesia abscissos, per vepreta hæreticorũ aberrauisse. Orationẽ habuit in cæco illo cœtu Vintonienſis, qui & ipsam reuocauit orationẽ, quam olim sub rege Henrico de obedientia edidit. Cardinalis cùm venisset ad Reginã Mariam, destitueretúrq; salutandi formula tanta reparatione digna, placuit vti verbis Angeli, Aue Maria gratia plena, Dominus tecum. O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca. Veni, Veni D. Iesu, & vindica contumeliam tuam, & assere gloriã tuã. Fratres nostri episcopi & Nobiles adhuc incarcerati tenẽtur, breui fortè tradendi iudicio spirituali quod iam reparatur, mox brachio sæculari. In vincula cõiiciuntur quotidie innumeri. Inhibetur sub pœna capitis, ne cui exuli feratur auxiliũ. Iactat Vintonienſis effecturum se, vt exules omnibus eiecti locis, cogantur tandẽ fame perire, adeóque proprios vngues rodere. Qui apud nos versantur Angli, valde tristantur, sed consolamur ipsos. Orandus est sedulò Dominus, vt afflictæ suæ Ecclesiæ dexter & propitius adsit. Vale. Salutant te & tuos symmystas nostri symmystæ omnes. D. Iesus seruet te nobis diu incolumem. Iterũ vale D. honorande & frater in Christo chariſſime. Tiguri, XVIII. Ianuarij M. D. LV.

CALVI-

CAL. BVLINGERO S. D.

QVia in hoc præclaro humanitatis officio, quod ampliſſ. Senatus veſter profugis & miſeris fratribus præſtitit, relucet ſingulare pietatis ſpecimen: quãuis praua mundi ingratitudine ſepeliatur, nunquam tamen coram Deo excidet eius memoria. Mihi quidẽ dubium nõ eſt, quin rara quædam Dei benedictio ciuitatem veſtram maneat. Quòd etiam laborantibus & perplexis neque tuum conſilium, neque aſſidua hortandi conſolandique ſedulitas vnquam defuit, quia noſtras omnium vices obiiſti, ego pro mea parte, ingentes tibi ago gratias. Vale ornatiſſime vir, & mihi ſemper obſeruande frater. Symmyſtis & familiæ tuæ plurimam ſalutem. Dominus vos omnes regere ac tueri pergat. Geneuæ, III. Nonas Febr. M. D. LV.

FARELVS CALVINO.

DEus ſatis habes vnde in horas crucifigaris & domi & foris, vt opus non ſit me tibi grauiorem addere crucem. Habes quàm iuſtiſſimas querendi rationes. Ex multis pauca attigiſti in tuis literis. Quid enim dici poteſt de iis qui vltrò in Chriſtum inſurgunt, vt eum prorſus perdãt, vt iniquiſſimum, & Satanam iuſtificent, vt ſanctiſſimũ? Non heri cœptũ eſt, ſed mox vbi tu nobis datus fuiſti à D. perſeueratũ eſt magnis animis, vt progreſſus in omni iniquitate fuerint quã maximi. Sed gratias ago D. quòd nullus fauor potuiſſet efficere ea, quæ videre nos facit Chriſtus noſter & efficit in hac tam graui & intolerabili moleſtia, vt plura multò ſint pro nobis & nobis accedant, quàm contra nos aut à nobis deficiant. Fiunt multa indignè & proſcindimur, ſed latent nos plura, & ea quibus D. commendamur. Tangi expedit mala & argui, ſed in bonis & bene merendo, Chriſtum nobis debemus proponere quàm patiens eſt, quàm eſt ſtudioſus, vt de malè merentibus quàm optimè mereatur, non ſeruili animo, ſed plus quàm heroico, qui malis non frangitur. Voluit Chriſtus in te inſigne edere cùm turba tot hoſtium conueniſſet, vt cædibus omnia impleret, non dubitaſti te non modò rideudum, roſtris fœdandum, ſed conculcandum, lacerandum, perdendum, omnium gladiis confodiendum vltrò obiicere. Fauit Dominus tibi & quod ſtrenuè cœpit triumphans quàm fœliciſſimè abſoluit. Non tam impedita ſunt quæ abs te peto, nec tam indigna, ſi rationem conſulas, etſi videtur indigniſſima, ſed malo coràm agere, ſi D. dederit. Tantũ peto vt gratias agens D. ſuper ingenti miſericordia & bonitate, qua te cinxit vndique, commendes hoſtes D. feras omnia æquiori animo, queraris tantùm apud D. qui medeatur, apud eos qui peccant, vt cõuertantur. Et ſi qui velint & poſſint vnà hoſtes admonere, paucos audias, qui aliorum mala narrent, paucioribus credas. Vides in Paulo quem tu notiorem orbi omnibus feciſti, quid is tribuat toti cœtui propter interdum paucos valde. Sed quis eſt qui me non rideat hæc ad te ſcribentem, ſi intellexerit? An non meritò ſus Mineruam dicar? Sed noſtro hoc condona amori. Et interea audi in quibus verſemur. Ego litem habeo cum plebano Creſcentino. Peto vt ſibi conſulat & plebi, & quod me tangit ſepeliatur, me id non curare. Ille agnoſcit aliqua de quibus veniam petit, alia negat, mihi probandum eſt. Guilelmus Hobraquius, quem ſemel prohibuerũt Laudecomenſes arreptis Bibliis ſacris & deiectis in terram, litem quoque habet cum iis, qui contumeliis eum affecerũt. Scripſit aliqua de Miſſa, vnde nitatur quidã Heluetios, qui Miſſam habent, ciere, vt agant quemadmodum contra Michaelem. Interea bonus vir pergit fœlicius, quàm hactenus. Concionẽs habet liberas & vſum Sacramentorum. Præterea Ioannes Drogius paſtor Beuacenſis cuius vxor in lepram incidit, quamuis Synodo interfuerit, & ſubſcripſerit non ſolui coniugium lepra, & ita omnium calculis fuerit concluſum, præfectò & omnibus approbantibus ordinibus: tamẽ quia Germanis aliter videtur, licet fuerit cum vxore, & filium habuerit ex ea, nõdum eſt alter annus exactus, vult nihilominus alteram ducere. Miſera vxor vocata fuerat me inſcio, ſed à collega cum aliquot cõuocatis, vt ſuum daret aſſenſum, ſed noluit coràm comparere. Vrgetur à viro. Petit cùm parum ſuperſit vitæ, expectet. Si nolit, videat an ex verbo D. poſſit. Si D. id præbet, eam non improbare. Vides vt habet cum vxore. Nuper dicebat fratribus, Watteuillanum ex fratribus petere, vt ea daremus per quę iudicamus non licere per lepram, ſano aliam ducere ſanam vxorem. Illic vidi non rectè agi, ſed obliquè nos impeti. Omnes mihi reclamanti hãc pronunciam iniunxerunt. Pernegaui me facturum. Sed noſti noſtrorum ingenia, quò plus renuo, magis vrgent. Et ne aliis anſam prebeam omnium ſententiis refragandi, coactus annui, ſi daretur alios rogare cùm non putem me idoneum ad id præſtandum. Quamuis

olfaciam collegam consilij auctorem: hæreo tamen an ansa captetur committendi nos cum Germanis. Quidquid tandem sit, tuum opto consilium. Vellem si posset fieri, vt rationibus tum Buceri, tum aliorum fieret satis. Nam quòd dicitur Paulum alias afferre diuortij rationes quàm eam, quę vna à Christo adducta sit, vbi de desertore agit, mihi alium scopum habere videtur: & quid habet commune infidelis discedens, cum fideli quæ manere optat? Tu non modò nobis prospicies, verùm etiam aliis. Vellẽ pectus Germanis tam firmum in perferenda in coniugibus lepra, quã est laudandũ in peste toleranda. Quòd ad Magistratum attinet, non probarim tantùm illi deferendum, vt indulgentior in eos quibus præest, annuat ob duritiem cordis, vt seiuncti & auulsi ab iis quibus per D. sunt coniuncti, mœchẽtur cum aliis, quibus non possunt iungi sine adulterio. Christus faxit, vt sacrosancta hæc coniunctio pura, sine omni macula seruetur. D. Martinus nondum rediit à nuptiis Georgij. Vtinam aliquid efficiat, quod quantùm coniicere licet, non apparet. Tossanus callidè quod agit & egit non cogitauit vnquam: coactus à Principe & iussus, innocens, purus, calumniis impetitur. Electi cùm ferri non possent, dimissi clementer propter ministerium, cùm receperint pacem Ecclesiarum illarum se non inter turbaturos, nec quieturos, nec cessant omnia agere secus quàm promiserint. Triumphat iam seriò Tossanus & innocentes omnium sunt nocentissimi. Dabit tandem Christus finem tot & tantis malis. Ego in ista causa supra omnes tradūcor, & quamuis bona mihi respondeat cõscientia, & gestiam hæc mihi propter Christum contingere: tamen meæ mihi conscius imprudentiæ & carnis, quæ spiritui semper aduersatur, tam infirmus, tam procul ab iis quę adesse debent, cum Apostolo ingemisco, & veniam peto in hoc gaudio & expectata mercede, quã dat & dabit, qui pro nobis mortuus est. Cõmendo tibi miseros quos Satanas vrget in te. Bene preceris illis, & quantùm fieri potest, bonorum memineris & malorũ obliuiscaris. Vide quis veneris, & quotus, & nunc vbi sis, vt pergas semper strenuè magis, & vide
Gen. 32. 10. quid Iacobus ille dicat ita stipatus rediens. Quid illa ad istam gratiam, vt meritò ferre debeas furores Satanæ, imò ridere? Finem non faciam tecum agens indignè, mihi arrogans quod non licet. Pueris vt datur ineptire, quid iam bis puero nõ dabitur aliquid, qui nunquam sapiens fuit? Vale igitur, & omnes vorato molestias propter Christum. Opto collegas saluos non præterito Gallasio, Budæo, Normandio, Fratre Trierio, omnibus. Collega & reliqui fratres te saluum optant. Neocomi, VII. Septembris M. D. LV.

Tuus totus Farellus

PHILIPPVS BVLINGERO S. D.

REuerende vir & chariss. frater, cùm allata essent exempla tui scripti περὶ Δικαιοσύνης statim emi & legi, ac lætatus sum consensu vestrarum ac nostrarum Ecclesiarum. Postea tuas literas, & librum à te missum accepi. Tibi igitur & pro beneuolentia erga me tua, & pro munere gratias ago. Legi etiã quæ de Seueti blasphemiis respondistis, & pietatem ac iudicia vestra probo. Iudico etiam Senatum Geneuensem rectè feciss e, quòd hominem pertinacem & non omissurum blasphemias sustulit. Ac miratus sum esse, qui seueritatem illam improbent. Mitto decaminitantur mihi, se ὑπὲρ ἀρτολατρείας contra me scripturos esse, si quid edent, nominatim contra me, decreui Deo iuuante respondere, etiamsi hoc certamen omitti malim. Pios & doctos de re tanta placidè colloqui vtilius esset. Oro autem Filium Dei, vt nos omnes gubernet, sanet Ecclesiæ vulnera. Bene & fœliciter vale, chariss ime frater. Die XX. Augusti. Salutem opto vobis omnibus.

BVL. CALVINO S. D.

ACcipe chariss ime mi frater & D. colendiss ime, exempla epistolarum harum. Putaui in his esse, quæ te omnino scire conueniat. Ideo per generum meum describi curaui. Copiosiores literas adferet D. Thomas Lenerus Anglus, cui heri tibi ferendas tradidi. Opportunè nunc aderat Dominus Crispinus noster, cui has dare volui. Vale. Tiguri, vltima Septemb. M. D. LV.

IOAN-

Ioanni Clavburgo Senatori Francofortensi.

ETsi literis tuis, ornatissime vir, renouatus mihi dolor fuit, quem ex optimi & præstantissimi hominis D. Adolphi morte conceperam: fieri tamen non potuit, quin mihi ob rarum erga me amorem, quem omni ex parte spirãt, suaues essent ac gratissimæ. Ereptus ille nobis fuit, si ex nostro desiderio iudicium facere liceret, parum tempestiuè: sed quia Dei arbitrio stãdum est, peracto vitæ legitimo cursu in beatã stationem, vbi nos quietus expectet, suo tempore receptus est. Quòd vester ille concionator ex libro Iesu Filij Sirach desumptum eius personæ aptauit, diuinitus abreptũ esse, ne malitia cor eius mutaret: Fateor certè Deũ optimè cõsulere eorũ saluti, quos ex tot tantísq; corruptelis, quæ passim grassantur hodie in toto mũdo, eripit. Sed quòd summa laude in cognato tuo dignum fuit vertere in vitium, maligni fuit prauíq; ingenij. Omitto ingratitudinem, quòd hominẽ cui viuo blandiri coactus esset, multis scilicet beneficiis obstrictus, mortuũ arrodere nõ erubuit. Sed quid facias cũ istorũ peruicacia, quibus hæreticũ est, quidquid vel tantillum ab eorum figmẽtis discrepat? Quomodo hominibus parcerent, qui syncerã pietatis doctrinã non minus proteruo fastu conculcãt, quàm truculenta morositate respuunt? Cæterũ vt tibi, eximie vir, pro tua moderatione placida hęc indignitas fuit deuorãda, sic te priuatę iniuriæ dolor admonet, ad cohibendam istã intemperiẽ maturè adhibenda esse remedia. Ego tẽpestiuam, vt putaui, occasionẽ nactus, Amplissimũ Senatum per literas rogaui, vt intestinis istis dissidiis occurreret. Etsi autẽ aduentus ad vos meus nõ esset fortè inutilis, & eum linguæ nostræ homines optarent, quia tamẽ me ingerere absurdum erat, verecũdè testatus sum, mihi non graue nec molestum fore iter, si qui ex vestris concionatoribus doctrina mea offensi, placidum colloquium admittant. Suppetũt enim rationes, quibus eos placare, quo ad in me erit, & quoad patietur veritatis defensio, conabor. Tu verò præstãtiss. vir, pro tua prudentia, quid factu vtile sit, statues, totúmq; negocium moderaberis. Linguæ nostræ homines, sicuti iam feci, ad colendam inter se pacẽ hortari non desinam: si qui etiam duræ ceruicis erũt, eos monere, ne se peruersis dissidiis lacerent. Nam inter tuas virtutes hãc iure suspicio, quod antehac multa vitia toleraueris, quæ à gente nostra alienare tuum animũ poterant: si ad perseuerandum tibi animos addere opus esset, has partes minimè detrectarem. Sed dum mecum reputo quid agas, téque sponte occurrere mihi video, paternámq; solicitudinem testari, ne quid accidat aliter quã vellemus, pudore impedior ne quid te rogẽ. Tantùm rogãdus est Christus, vt semper ad hæc tædia deuoranda, inuicta animi fortitudine cõstantiáque fulciat, & alibi piis suis exulibus similes excitet patronos. Quòd ad me priuatim spectat, mihi mirè gratum fuit, adhuc antiquæ nostræ consuetudinis apud te memoriam vigere. Ego vt tuæ erga me beneuolentiæ vicissim respondeam, quibuscunque potero officiis studebo. Vale præstantiss. vir, & mihi imprimis honorande. Dominus te semper tuatur cum sancta familia, tibíque benedicat. Geneuæ, pridie Calendas Martij M. D. LVI.

Ministris Ecclesiae Francfvrtensis.

ETsi literis meis gratiam apud vos non modò nulla interior necessitudo, sed ne mediocris quidem notitia conciliat, venerandi & dilecti fratres, fraterna tamen cõiunctio, quæ iure ministerij communis inter nos mutuò vigere debet, satis ad scribendum fiduciæ dare visa est, vt minimè dubitem apertam mihi fore ianuam, vt comiter vestra & qua optandum est, mansuetudine excipiar. Nuper quum sub Amplissimi Senatus vestri nomine mea in tres Euangelistas harmonia edita est, quominus vobis scripserim, quid præter pudorẽ obstiterit, nescio. Vix enim vnquam nisi necessitate coactus, ad ignotos scribere soleo. Ignotos autem voco, ne quem vestrũm offendat verbi asperitas, quibuscum familiaris vsus non intercedit. Certè contemptu vel negligentia minimè fuisse præteritos, sanctè vobis affirmo. Vbi autem reuersi sunt ex nundinis librarij, miratus sum fateor, Ioachimi cuiusdam Westphali nõ minus insulsum quàm virulentum librum, quo meam de Sacramẽtis doctrinã oppugnat, istic editum esse. Nam mihi persuaseram, optimum inter nos cõsensum esse: aut si docendi ratio non prorsus eadẽ foret, tantũ non esse discrepãtiæ, quod vsq; in odiosam contentionẽ erumperet: ac fieri quidẽ potest, vt inscius vobis exierit liber ille, quẽ certè vestris suffragiis fuisse probatũ nõ arbitror. Neq; verò hoc expostulãdi causa cõmemoro: sed qa simul allat⁹ est rumor, quibusdã è collegio vestro minus placere, quæ de Sacramẽtis trado, anteuertere visum est, ne quid

diſſidij ſilentio meo vel diſſimulatione fouerem. Certè vt non libenter me obtrudo, ita ſi quiſpiam veſtrũ mea doctrina offenditur, nulla ad eũ placandũ ſatisfactionis ratio à me negligetur. Quòd ſi ad offenſiones tollendas vtilis mea ad vos profectio eſſe videbitur, quamuis longũ & incõmodum eſſet iter, nihil tamẽ moleſtiæ recuſo. Nam cũ hoc ſtudiũ ſanctæ inter nos cõcordiæ mihi debere videor: tũ verò quia Ampliſſimus Senatus ſumma humanitate oblatã ſibi dicatámq; Harmoniã amplexus eſt, literiſq; teſtat⁹, ſibi gratũ munus fuiſſe ac iucundum, ita me ſibi deuinxit, vt hoc ſuo merito à me officiũ exigere videatur. Neq; tã mea cauſa laboro, quã vt peregrinos fratres quibus hoſpitiũ D. in vrbe veſtra conceſſit, ſyncera dilectione amplectamini. Audio enim, neſcio quid litiũ & vexationis metuere quod eorum quietẽ perturbet. Porrò quum ſciatis partẽ vi & tyrãnide hoſtium Chriſti patria expulſam ad vos migraſſe, partẽ verò, vt vobiſcũ purã Chriſti fidẽ profiteretur, volũtario ſe exilio multaſſe, quantũ aliis miſera ſua cõditio, aliis prõpta ad ſequẽdũ Chriſtũ alacritas gratiã conciliare debeat, apud vos diſſerere ſuperuacuũ foret. Imò ſi qua in ipſis deſideretis, vt fortè eos ſuis vitiis laborare credibile eſt, venia tamẽ & facilitate ſcitis ferẽdos eſſe. Potius verò quàm vt in certamẽ erũpat, ſi qua hactenus occulta fuit ſimultas, quaſcunque mihi partes imponere voletis, ſuſcipere paratus ſum. Certè ad pacificationẽ vtriſque fidus ſemper ero & hortator & adiutor. Valete chariſs. & ex animo verè colendi fratres. Dominus vos Spiritu prudentiæ, fortitudinis, & mãſuetudinis gubernet, laboréſque veſtros benedicat. Amen. Geneuæ, v i. Nonas Martij M. D. L V I.

VALERANDO POLLANO.

Si liber fuiſſet Olbracus, neque ipſe qua eſt pietate, cũ Eccleſiæ veſtræ incommodo hucvſque morã traxiſſet, neque etiã ad eum ſtimulandũ defuiſſet aſſidua noſtra ſedulitas. Sed quia bona ſpes erat, poſſe tandẽ dimitti, & neminẽ reperiebamus tã idoneũ, coacti ſumus vos lõgius tenere ſuſpenſos. Spero eius aduentũ multis modis fore vtilem. Eſt enim probè in Scripturis exercitatus, ſuppetit nõ vulgaris docẽdi dexteritas, ſyncerè & ex animo ſeſe Chriſto addixit: cordatus eſt non minus quàm ad moderationẽ propenſus. Accedit etiã & prudentia & maturitas quæ nõ ſolùm homini auctoritatẽ cõciliet, ſed plurimũ valeat ad ſedãdas turbas. Itaq; nec gratia nec ambitione vt ſpero, flectetur, quin Eccleſię ædificationẽ fideliter procuret. Sed vereor ne Eccleſiæ veſtræ morbus curatu ſit perquàm difficilis. Nã incurabilẽ dicere non audeo: nec malè ante tẽpus ominati libet. Nunquã certè de exitu infauſtæ huius cõcertationis fui magis anxius. Nã q, cõmunibus literis ſcribitis tranquillũ eſſe ſtatum, cũ vulgari rumore nõ cõuenit. Video equidẽ nimia pertinacia quibuſdã propoſitũ eſſe digladiari vel ad vltimã vſq; Eccleſię cladẽ: ſed vnde implacabile tui odiũ cõtraxerint, neſcio. Si pauci eſſent nõ mirarer, & cenſerẽ ſpernẽdos eſſe. Nunc quũ multos eſſe audiã, & ex illis quoſdã nõ alioqui improbos, hoc me nõ leuiter cõturbat: fateor quidẽ in hac cauſa nõ vno modo eos peccare, neque ab illa ſententia dimouear, ipſos proprio iudicio tribuere pluſquã oportet, moroſitate impelli, & aliis vitiis laborare: ſed quia tam grauiũ offenſionũ cauſæ mihi nõ ſatis cognitæ ſunt, hîc perplexus hæreo. Itaq; D. Clauburgo ſcripſi, poſtquã tẽtata fuerint omnia remedia, ſi magnæ Eccleſiæ parti te nõ placere intelligas, cedendũ potius eſſe, q̃ vt te ac tuũ miniſteriũ cõtinuis probris exponas, quotidie excogitẽtur noua crimina, & exitiali diſſidio Eccleſia laceretur. Nollẽ hoc vel prauæ factioni paucorũ hominũ, vel in tumultu cõcedi, quia res peſſimi exẽpli foret, importunis clamorib⁹ quaſi violẽter deiici Paſtorẽ. Verùm ſi ita alienatos eſſe videas magnæ partis animos, vt operã tuã reſpuãt, & doctrinã minus reuerẽter amplexẽtur, expẽde ipſe, an nõ expediat Eccleſię iudiciũ ſemel potius ſubire, vt ſi faſtidio es, te abſq; ſiniſtra nota dimittat, quã apud inuitos gradũ tenẽs, acerba ægritudine & aſſiduis moleſtiis cõfici. Et hoc parcè apud D. Clauburgũ attigi, quẽ & tibi penitus eſſe amicũ ſcio, & cauſæ tuæ patrocinari quoad poteſt. Nec verò tã citò deliberandũ cẽſeo, donec vltima neceſſitas id extorqueat. Nã fortè Olbraci aduẽtu fiet aliqua mutatio in melius. Imò fortè diſcuſſis nebulis orietur ſerenitas. Tu interea vide, ne animi plus ſatis iã exulcerati noua aliqua offẽſione pũgantur. Nec verò ignoras, vbi ſemel efferbuit cõtentio, præſertim vbi progreſſu vires collegit, prauas ſuſpiciones regnare, & omnia ferè in calumniã trahi. Alios N. porrò nouũ bellũ vobis mouiſſe doleo: ſed ita ſcilicet opportunitates ſuas captat Satã. Miror etiã quũ apud me nuper pacẽ & fraternã beneuolẽtiã colere in animo ſibi eſſe teſtati ſunt, repẽte ad tantã atrocitatẽ ſine cauſa impulſos fuiſſe. Hoc etiam magis abſurdum quum blanditi fuerint tanquã homini de Eccleſia bene merito, nunc regnũ vel tyrannidẽ odioſè obiicere. Cuperem ſanè depoſitis lautitiis,

eos

eos succedere in regnum, cui nunc inuident. Sed putidior est calumnia, quàm vt mihi existimem longa defensione opus esse. De causa ipsa scripsi ad Dominũ Clauburgum: quo animo acceperit, tu me certiorem facies. Apud illos priuatim nihil proficerem. Nam istis ferè hominibus hoc esse propositum video, vt voluntario stupore se oblectent. De muliere quam perfidè maritus deseruit, sic breuiter accipe. Sicuti ad permittenda diuortia nos faciles esse non conuenit, temperandum esse rigorem, ne quis vbi extra culpam compertus fuerit, iure suo cum animæ exitio fraudetur. Itaque si certò constet castè eam honestéque vixisse, ac functam esse probę vxoris officio: maritum verò fracta est violata coniugij fide, cum scorto in locum incognitum abiisse, causa legitimè cognita, nubendi libertatem quam Dominus permittit, ab hominibus negari fas non esse arbitror. Vale charissime frater. Vxorem tuam meo nomine plurimùm saluta. Dominus vos gubernet suo Spiritu, virtute tueatur, vobisque benedicat. XXIIII. Iunij M. D. LVI.

Io. Calvinvs N. S. D.

SI tibi minus prolixè respondeo, quàm rerum de quibus ad me scripsisti, ferebat copia & varietas, epistolæ brevitati temporis angustiam obtendere non licet: satis enim superque ad scribendum fuit ocij, si modò vsus forem. Quòd me moneri cupis, si quid in te desiderem, & tibi rursum anxiè caues, ne delatoribus aurem præbeam, quid mihi agẽdum sit nescio. Nisi enim me fallit opinio, superuacua suspicione laborans, quibusuis monitionibus ianuam præcludis. Ego verò mi frater, syncerè tibi asserо, non fuisse periculum à quibus tibi metuis. Verùm vt hũc vel illum repudies testem, vix vnquam efficies quin duo in te notentur vitia: ostentatio & immodicus satagendi feruor. Quare si extinguere cupis hominum sermones danda opera est, primùm vt purgatus omni ambitione animus ad veram modestiam spiret: deinde ne qua in vultu & verbis appareant fastus & confidentiæ signa. Hoc tibi non ex vnius amici mei sensu, vt tu suspicatus es, sed ex communi multorum iudicio familiariter denuntio: apud quos doleo minori in pretio esse tuas virtutes, quas istis maculis infici putant. Iam verò vt alteram notam effugias, quia inualuit opinio multorúmque animos occupat, aliena negocia te non solùm amplecti, sed cupidè accersere, reipsa ostendes nihil tibi esse optabilius, quàm intra officij tui metas incedere. Cogit nos sæpe hominum importunitas longius progredi quàm vellemus (atque hoc ego nimium experior) nec verò fieri aliter potest, quin multis turbinibus inuoluat. Sed æqui iudices non tribuunt vitio molestias, ad quas me inuitum trahi constat. Nec verò mirum tibi videri debet, si querantur boni quidam, te imperiosè magis quàm iuste confessionem exigere à fidei probatæ hominibus. Si quis eandem tibi legem imponat, negas te ducturum pro iniuria. Vt ita sit, quòd tamen mihi nondum persuades, ego mihi aliter sentire permitto. Nam vt alia taceam, hoc inter Ecclesias mutuum ius vigere debet, vt in probando grege altera alterius iudicio acquiescat. Et certè si tuo loco essem, non sine rubore auditem qui ad examen nouum vocarentur, probatos iam fuisse in eo loco vbi syncera pietas colitur. Hæc ego familiariter apud te: neque enim me alibi exagitare audies. Cæterum ea tacere quæ vulgò sparguntur, ingenuum non esset. Non dico apud nos vulgari: quia pauciſſimi sunt qui te nouerunt: & studemus vestro exemplo nostros potius stimulare in melius, quàm præbere vel exigui offendiculi materiam. Sed quid conterranei & quidem in patria de te sentiant & loquantur, tibi incognitum esse nolo, nisi fortè iam aliunde resciueris. Neque etiam dissimulabo quod pridem à multis animaduersum fuit: cùm fratrem nostrum N. sæpe Diaconum tuum vocares, nomen illud nescio quid inanis iactantiæ spirasse. Plurima eiusdem generis eodem consilio omitto nunc, quo hactenus vel vnum attingere distuleram, parcere tibi cupiens, ne rectè agendi alacritas minueretur: & simul quia fore sperabam, vt sponte melior quædam maturitas hos nævos deleret. Quòd recipiendos non putas qui ab aliis Ecclesiis sine testimonio ad nos veniunt, facilè tibi assentior: quia & veteri vsu inter pios receptum est, idque flagitat sæculi nostri malitia. Summam quoque prudentiam & æquitatem adhibendam esse concedo, ne quid de fratribus & symmystis in malam partem statim credatur. Sed modum tenendum censeo, ne syncretismus noster, quem tantopere commendas, ad fouenda vitia spectet. Neque satis

assequor interea, quorsum toties repetas ne temere nõ solùm de te, sed etiam de aliis quid credam: fateor me esse minus circunspectum quàm deceret, sed cur me leuitatis insimules, nescio. Adde quòd non minus precisè dictas quid sentire debeam, quàm si tuo vnius arbitrio standum foret. Nam de rebus incognitis sententiam proferens, me aliter sentire vetas. In Anglorum controuersia moderationem tenui, cuius me non pœnitet: si N. nostro succensuerim, mihi constat optima ratio, quam sanis iudicibus haud dubiè probabo. Et tamen illam indignationem syncerus erga eum veréque fraternus amor expressit mihi, quia ipsum sibi nocuisse non secus dolebam, quàm si in me recideret calamitas. Ac nunc quantopere me excruciet infœlix quem semper timui euentus, verbis explicare nihil attinet. Hæc mea libertas sic animum tuum pungat velim, vt tamen non dubites quidquid scripsi, à verò amore profectum esse. Vtinam sermone potius coràm daretur quàm literis: sed multi claui trabales huic me loco nimis affixum tenent. Cæterum non aliud mihi propositum asperè scribendi fuit, nisi vt integra fama Domino solidè seruias M. D. LVI.

CALVINVS PETRO FABRO S. D.

ETsi literæ tuæ duplici nomine gratæ mihi suauésque fuerunt, quòd in illis ingenij dexteritas, & elegantioris doctrinæ nitor emicat: deinde quòd tuæ erga me obseruantiæ testes esse voluisti: plus tamen illis apud me gratiæ addidit, quòd tuæ in Deum pietatis signum ac pignus esse interpretor. Etsi enim qui liberalibus doctrinis sunt exculti, me fortè amant, quia ab illis existimant non prorsus alienum esse: scio tamen ea me inuidia flagrare apud totum ferè mundum, quæ multos à mea amicitia absterreat. Itaque reuerentiam quam communi Magistro defers, causam esse non dubito, quæ tuum mihi animum conciliat, téque ad scribendum impulit. Hoc verò pietatis semen vt sedulò fouere atque etiam excolere studeas, & assiduo progressu ad frugem vsque perducere, pluribus de causis hortari te cogor. Video ætatem tuam: video corruptionem totius nostri sæculi: video quot te circunstent mundi illecebræ, quæ totidem sunt ad te inescandum hami: video denique innumeras Satanæ insidias, quibus cauendis nemo vnquam satis erit intentus. Dominus te iam fortè virili spiritu ornauit. Sed quum lubrica semper & flexibilis sit iuuentus, remedio isto, quod omnibus tuis æqualibus præscripsit Dauid, opus tibi esse
Psa.109.9. cogita, nempe vt Dei sermonem custodias. Quantus verò scelerum labyrinthus hodie mundum inuoluat, & quanta impietatis colluuies vbique exundet, verbis explicare nihil attinet. Te verò ne falsis blanditiis mundus deliniat, non frustra metuo. Nam vt reliqua taceam, me patris tui exemplum huius periculi plus satis admonet. Quum mihi ingenij sui mansuetudinem & candorem (quæ duæ sunt raræ virtutes) probasset, longè alia mihi de eo pollicitus fueram, quàm quæ boni omnes se comperisse narrant. Hoc si homini maturæ iam prudentiæ, & ad optima quæque longa iam peritia assuefacto accidere potuit, quid tibi periculi imminet, nisi attentissimè caueas? Qua in re opinionem meam fefellerit, si rogas, vno verbo accipito, quia mundi blanditiis irretitus, sese Christo subduxit. Eius itaque memoria ad te acrius stimulandum, me non immeritò excitat. Sed quia longius progredi non patitur vel temporis angustia, vel epistolæ modus, tantùm velim hunc tibi scopum toto vitæ cursu proponas, quando nobis in regem à Patre datus est Christus, & pro omnibus mortuus est ac resurrexit, vt omnes ei viuant ac moriantur, te in eius obsequium prorsus addicas: quando vnicus etiam nobis datus est Magister, vt cœlesti eius sapientiæ studia tua consecres. Nam vt te liberalibus doctrinis excultum esse gaudeo, ita tuum est videre, nisi eas in legitimum finem & vsum referas, totum peruerti naturæ ordinem: quidquid etiam splendoris & opulentiæ te manet, non inuideo, modò ab eorum illecebris non secus atque exitialibus venenis tibi caueas. Vale frater mihi charissime. Dominus te Spiritu suo ad extremum regat, præsidio tueatur, omni genere benedictionis locupletet. Idibus Aprilis M. D. LVI.

CLARISSI-

CLARISSIMO VIRO D. IOANNI CLAVVBVRGO SENIORI Patritio & Senatori Francfordienſi, D. apprimè obſeruando.

QVum tot moleſtias ſuſceperis pro paranda linguæ noſtræ Eccleſiola, quæ iſtic ſub fide & patrocinio tuo eſt, tótque tædia deuoraueris Clariſſi. vir & magnifice Domine, nunc te fructum laborum non percipere qualis optandus erat, & qualem ego ſperaui, vehementer doleo. Hæc tibi propoſita erat merces, videre ſanctum inter eos conſenſum, qui ſe prius mutuis diſcordiis lacerauerãt. Videre pace florentem Eccleſiam, quam inteſtinæ cõtentiones centies perdidiſſent, niſi eam Dominus mirabiliter ſeruaſſet. Nunc quòd odiis adhuc certatur, quòd ſuſurri & obtrectationes non ceſſant, noua denique virulentia erumpit, nec finis eſt turbarum, ſicuti quàm graue acerbúmq; tibi ſit ſpectaculũ, reputo, ita me non minus offendit eorum inhumanitas, qui ſe tibi morigeros præbere debuerant, quàm angit & diſcruciat funeſti exitus timor. Et tamen vt nihil diſſimulem, vereor etiam ne certi quidam illi victoria inflati, aduerſę partis animos iam plus ſatis ad contentionẽ procliues, magis exaſperẽt. Vt nihil apud te diſſimulẽ, in ſententia abs te lata, cuius miſſum eſt ad me exẽplar, caput vnum vellem fuiſſe omiſſum, quod tibi ab vno illo ſuggeſtum non dubito. Neq; enim vltrò tibi in mentẽ veniſſet vetus miniſterium eius, acſi adhuc integrũ ſtatum in Anglia teneret, in perpetua eiuſdem iuris poſſeſſione apud vos locare. Nihil fortè eſt quod magis ab initio ad creanda diſſidia valuerit, vel ſaltẽ ad gignendas ſimultates, deinde magis certamina accẽderit quàm iſta æmulatio, quòd maior pars putabat ſe gradu æquali deiici, & cõtumelioſè à cõmuni ſocietate excludi, ſi Eccleſia quæ apud vos hoſpitium inuenerat, leges ab vna parte acciperet. Vtilius ergo fuiſſet, verbum illud taceri, & illum demum ſtatuere Paſtorẽ, ex quo gregis diſperſi rogatu locũ in vrbe veſtra impetrauerat, & exercuerat munus Paſtoris. Quàm peruicaciter omnia ſua tueri contendat Auguſtinus, video: ſed eorum quoque ratio habẽda fuit, quos ſpes erat fore magis flexibiles. Hoc obiter attingere placuit, non q; iudicium tuum improbẽ, ſed tamen vt pro tua prudentia apud te expẽdas, ſitne de nihilo conceptus timor qui me non parũ ſolicitat. Hũc enim vides non modo peruicacibus vel moroſis, ſed nonnullis fortè probis & ſimplicibus vel exoſum eſſe vel minus gratum: quia ſe inæqualiter gerat, nec ſemper eundem teneat modum. Quãquam autem iniquis odiis grauatur, magnam tamẽ Eccleſiæ partem ab eo alienatã eſſe ſcio, quæ niſi reconcilietur, impendet triſtis diſſipatio, nec aliud video remedium, niſi vt eos mansuefaciat, ſicuti ſe facturum mihi pollicitus eſt, multi autem facere negant. Tu verò præſtantiſſime vir, in re præſenti melius cernis, quomodo res habeat. Quòd ſi tandẽ implacabilis erit offenſio, hominem aliò traduci præſtaret, quàm ſuis eſſe contemptui, aſſiduis calumniis eſſe expoſitum, non ſine officij quo fungitur probro & dedecore. Hoc quidẽ improbis nunquam dandum putarem, vt eorum proteruiæ cederet Paſtor: quia & res eſſet noxij exempli, & nimia iſta facilitas augeret eorum furorem vel audaciam. Verùm ſi maior pars eccleſiæ, Miniſtri pertęſa vix eum audire ſuſtinet, vt demus cæcum eſſe faſtidiũ, cuius nulla appareat ratio, tentatis omnibus remediis ſupereſt hoc extremum quod nuper attigi. Vtinam tamen paulatim miteſcant animi, vt eum retinere cupiant, quem ſic nunc faſtidiunt.

Quòd veſtris concionatoribus, Ornatiſſime vir & mihi obſeruande, literas curaſti per Magnificum veſtrum Conſulem reddendas, prudenter abs te factum eſt. Quòd etiam ab itinere ſuperſedendum putas, conſilium tuum probo & amplector. Nec verò mihi in animo fuit vltrà vrgere, modò conſtaret mutuæ inter nos pacis fouendæ non defuiſſe ſtudium: ac ſi qua emergat contentio, imputandum eſſe eorum culpæ quibus oblata conditio non placuerit. Et humaniter quidem teſtati ſunt ſe fore tranquillos. Quamuis autem non diſſimulent, in doctrina ſe à me diſcrepare, ſe tamẽ daturos operam promittunt, ne certaminibus turbentur Eccleſiæ. Cùm verò illi me fidelem Chriſti ſeruum agnoſcãt, & de Eccleſia bene meritum, valde miratus ſum, cùm nuper contenderent, domi potius & à fœminis baptizandos eſſe infantes, quàm vt è vita migrẽt abſque Baptiſmo, me odioſè in crimen traxiſſe. Si tantùm reprehendiſſent quod doceo, ferendum erat: ſed dum Gallos iactant meo exemplo leges aliis velle imponere, atque addunt etiam me hîc tyrannidem exercere, hoc fraternæ beneuolentiæ quam mihi per literas ſunt polliciti, minimè reſpondet. Ac de tyrannide quidem quàm putida ſit calumnia, iudicium collegis & fra-

tribus meis defero, qui certè nunquam conquesti sunt se imperio meo premi. Sæpe autem mecum expostulant quòd nimis sim timidus, nec satis liberè, vbi opus est, auctoritate quam probarent omnes, vtar. Vtinam viderent quàm duris legibus munus docendi obeam, & interea quàm nihil mihi arrogem, certè vltrò eos suæ leuitatis puderet. Etsi autem hac modestia improborum hominum morsus non effugio, mihi tamen sufficit non modò conscientię, sed rei ipsius & claræ experientiæ testimonium, quo abundè refellitur, quidquid procul maleuoli obstrepunt. Velim tamen ab ipsis scire, quibus tam procul molesta est mea potestas, quid in me tyrannicum deprehenderint. An quia me ad rationẽ reddendam obtuli, iter longum & difficile paratus fui suscipere in eorum gratiam, & quum nemo vnquam verbulo me salutasset, eos anteuerti, ideo regnum appetere visus sum? Certè nimis stomachosi sunt, si tam amicas conditiones respuere non contenti, insuper exacerbantur. Neque tamen efficiet eorum inhumanitas vt me vnquam suscepti officij pœniteat. Sed mihi dolet tam inconsideratè ipsos ruere in fratrem innoxium, vt ne ab atroci quidem iniuria abstineant. Quòd ad rem ipsam spectat, non ignoro quàm altè infixa sit multorum cordibus hæc persuasio, qui sine Baptismo discedũt ex mundo infantes, eos à spe salutis excludi. Sed quàm leui prætextu inualuerit hic error, simul expendere conuenit. Citatur celebre illud Christi dictum, Nisi quis renatus fuerit aqua & Spiritu, non intrabit in regnum Dei. Sed nego primùm, Spiritus regenerationi illic coniungi externum aquæ Baptismum, quia potius res eadem bis dicitur, & nomen Spiritus expositiuè additum est. Absurdum enim fuisset, quum Christus Nicodemum spoliare vellet carnis suæ ingenio, vt deposita superbia ad veram humilitatem instar pueri se demitteret, à Baptismo incipere. Cæterum vt concedam de Baptismo verba fieri, non tamen præcisè vrgetur necessitas, sed vitę nouitati externum signum additur tanquam accessio, ac si dictũ esset, non patêre ingressum in regnum Dei absque vitæ nouitate, cuius symbolum est Baptismus. Certè Lutherus cuius nomen isti vbique obtendunt, scitè notauit, quum dicit Christus apud Marcum, Quisquis crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, non repetere secundo membro, Quisquis non fuerit baptizatus, condemnabitur. Nam si absque Baptismo nulla est salus, latronem qui in regnum Dei admissus est absque Baptismo, necesse erit inde retrahi. Atq; vt melius tollatur omnis dubitatio, semper tenẽdũ hoc principiũ est, nõ cõferri Baptismũ infantib⁹ vt filij Dei fiant & hęredes: sed quia iã eo loco & gradu cẽsentur apud Deum, adoptionis gratiã Baptismo obsignari in eorũ carne. Alioqui rectè eos à Baptismo arcerent Anabaptistæ. Nisi enim in eos cõpetat externi signi veritas, mera profanatio erit, in signi ipsius participationem eos vocare. Porrò si quis Baptismum illis neget, in promptu nobis est responsio, iam esse ex grege Christi & ex Dei familia, quoniã fœdus salutis, quod Deus cum fidelibus pacisci tur, filiis etiam commune est sicuti etiam
Gen.17.7. verba sonant, Ero Deus tuus & seminis tui post te. Nisi præcederet hæc promissio, qua Deus liberos fidelium nondum natos adoptat, perperam illis Baptismum conferri certũ est. Iam quæro, an Dei verbum suapte virtute ad salutem sufficiat, an verò aliunde mutuetur subsidium, quo suppleatur defectus, vel infirmitas iuuetur? Si promissio hæc per se non creditur efficax, non modò virtus Dei, sed etiam gratia & veritas externo signo alligabitur. Ita isti homines dum ornare Baptismũ contendunt, grauẽ Deo ignominiam irrogant. Iam verò quid tot locis fiet, vbi Christus sola fide contentus est? Negabunt fidem à Baptismo separari. Fateor quidem, vbi eius recipiendi datur opportunitas. Verum si quẽ vbi Christi Euãgelium fuerit amplexus, subita mors rapiat, an ideo addicent exitio, quia externa lotione caret? An non veteres historiæ exempla quædam martyrum suppeditant, qui prius tracti fuerunt ad supplicium à tyrannis, quàm se ad Baptismum obtulissent? Et propter aquæ defectum nihil sancto martyri proderit Christi sanguis, qui pro Euangelij fide, in qua posita est omnium communis salus, sanguinem fundere non dubitat? Certè modestiores fuerunt Papistæ, qui saltem in hac necessitate, baptisma sanguinis aquę lotioni subrogant. In summa nisi omnia religionis principia euertere libet, fateri necesse erit, non esse fundatam in Baptismo infantis salutem, sed Baptismo tãtùm obsignari. Vnde sequitur, non præcisè nec simpliciter esse necessarium. Atque vt demus quod peruersè isti postulant, vbi instat mortis periculum, baptizandos esse infantes, erit tamen administrandus ex Christi institutione, & mandato. Iam ostendant vbi Christus priuatis hominibus præceperit baptizare. Certè nemo in Ecclesia honorem sibi vsurpat: & Christus teste Apostolo aliis omnibus præscripsit, ne se ad publicum munus ingerant. Speciale est
Mat.28.19. Christi mandatum ad Apostolos, Ite, prædicate, baptizate. Quisquis idem suo arbitrio tentabit,

tentabit, temeritatis damnabitur. Quid ergo de mulieribus dicendum, quibus ne loqui quidem in cœtu publico conceditur? Atque hæc pluribus fortè quàm opus fuit, vel quàm ferebat epistolę ratio, a pud te clarissime vir, disserui. Quãquam si vberior tractatio & plenior te oblectauerit, appẽdix quæ addita fuit libello contra Interim, tibi suggeret, quæ voto tuo satisfaciant. Vale nobilis & mihi venerande Domine. Christus te incolumem cum familia conseruet, virtute sustineat, Spiritu gubernet, omníque benedictione locupletet. Genevæ, XXIIII. Iunij. M. D. LVI.

Io. Cal. Richardo Vallevillio Pastori Ecclesiæ Gallicanæ Francofurti S. D.

QVàm acerbum tibi doloris vulnus inflixerit mors optimæ vxoris, ex meo ipsius sensu existimo. Memini enim quàm mihi difficilè ante septem annos fuerit, similem luctũ vincere. Sed quia probè nosti, quæ ad temperãdum immodicum mœrorem idonea sint remedia, nihil supereſt aliud, nisi vt te ad eorum vsum reuocem. Inter alia, hoc tibi non mediocre solatium est, quod tamen ad doloris irritamentum caro arripit, te cum ea vixisse vxore, ad cuius contubernium libenter redeas, dum è mundo erit migrandum. Deinde à vitæ socia tibi ostensum fuisse piè moriendi exemplum. Si mihi priuatus quispiam hortandus esset, secum expẽdere iuberem, quid fictori suo debeat. Nam Deum suo iure perperam fraudamus, nisi eius arbitrio viuat ac moriatur quisque nostrũm. Tuum verò est simul reputare, quam sustineas personam in Ecclesia Dei. Sed quia præcipuum cõsolationis argumentum nobis in eo situm est, admirabili Dei prouidentia nobis in salutem verti quæ aduersa putamus, neque separari nos in mundo, nisi vt semel colligamur in cœleste eius regnum, hîc pro tua pietate acquiesces. Quia feruorem contentionum in Ecclesia vestra vtcunq; sedatum esse audio, dabis operam, ne obscuræ simultates in animis resideant. Momento id fieri non potest, scio. Ergo paulatim lenire animos exacerbatos studeas, donec penitus offensiones diluantur. Vale optime & charissime frater. Dominus tuæ viduitatis tristitiam Spiritus sui gratia leniat, te gubernet suo Spiritu, ac benedicat labores tuos. M. D. LVI.

1549

Io. Cal. D. Martino Schalingio Ratisb. Ecclesiæ Pastori.

LIteræ tuæ eximie vir & frater ex animo mihi colende, serius quàm optandum foret, mihi fuerunt redditæ, quum iam ad nundinas profecti essent omnes nostri mercatores: etsi præter spem oblata est noua scribendi opportunitas, nisi quòd tumultuariè respondere cogor, quia iam in procinctu erat nuntius, antequam de eius discessu admonitus fuerim. Alia certamina quibus à proteruis ingeniis scindi turbaríque Ecclesiam meritò deploras, nunc omitto. Dissensio quæ nos hodie quoque exercet, inter pios alioqui & sanctos viros commota, malis principiis, & nihilò fœliciore progressu nos plus satis admonet, quãtopere expetenda sit inter nos pax & concordia. Atque vtinam quem tibi animum esse intelligo, idem aliis fuisset. Nam si quid adhuc restaret dissidij, saltem absque odio & acerbitate intra suos fines consisteret. Dolendum quidem est, quum nos pauci numero idem profiteamur Euangeliũ, sacræ Cœnæ occasione, quam præcipuũ inter nos vnitatis vinculum esse decebat, in varias sententias distrahi. Sed hoc longè atrocius, non minus hostiliter confligere, quàm si nihil esset nobis cum Christo commune. Maior enim eorum pars qui à nobis dissident, nescio quo instinctu percita, non minus intemperãter in nos ebullit, quàm si prorsus diuersa esset Religio. Quum initiò tanta esset discrepantia, Lutherum, vt erat vehementi ingenio, paulò acrius efferbuisse non miror. Nunc quando de præcipuis capitibus cõuenit, quem in finẽ D. Sacramenta nobis instituerit, quisnam legitimus sit eorum vsus, quæ efficacia, quæ dignitas, quæ inde ad nos vtilitas perueniat: quidquid adhuc residuum est cõtrouersiæ, moderatius tractari poterat. Ego verò quum totis quindecim annis optima fide conatus essem, quantùm patiebatur ingenua veritatis confessio, meum docendi genus ad sedandas discordias accommodare, traxit me in

odiosum certamen Westphali vestri importunitas. Et tamen quidquid extorsit amarulentiæ, diligenter continui, ne alios cum eo inuolueret: sempérq; dabo operam, ne mea culpa scindantur vel distrahantur Ecclesiæ: nec quisquam à me lædetur, nisi qui ex professo bellum indixerit. Imò quamuis Snepphius & nescio quis somniator petulãter me lacessiuerint, silere malui, quàm de nihilo turbas mouere. Nam quòd à paucis intelligi scribis, quid Ecclesiæ vestræ sentiant, certè si absurda quæ in multorum scriptis occurrunt, colligere & exagitare libeat, non vnam esse omnium sententiam ostendere difficile non esset. Hoc quidem vos omnes vno consensu asserere video, quicunque ad sacrammensam accedunt, siue impij sint, siue fideles, substantialiter comedere Christi carnem, & sanguinem bibere. Quin fideles carne & sanguine Christi verè & substantialiter in Cœna alantur, non nego, si tantùm definiatur modus arcana Spiritus virtute fieri, vt vim suam caro & sanguis Christi in nos trãsfundant. Cur me longius trahere velis, non video: cur verò non aliam communicationem admittam, optima ratione impedior: quia & carnem Christi à nobis deglutiri, & cum carne nostra corruptibili misceri, nimis crassum commentum foret. Si tantum mysterium carnis sensu æstimandum esse neges, fateor: nec verò aliud respuo, nisi quod Christi gloriæ non esse consentaneum fides ipsa dictat. Adde quòd non poterit Christi corpus hoc substantiali modo comedi, nisi fingamus esse immensum, quod non minus à tota Scripturæ doctrina, quàm à veteris Ecclesiæ testimoniis abhorret. Quòd enim quidam vestrũ dispensationis nomen obtẽdunt, vt persuadeãt corpus Christi simul fuisse in cruce mortale, & glorioſum in cœlis, inscitia labũtur, neque vnquã assequuti sunt quid vetustis Ecclesię doctoribus esset dispẽsatio. Tu quoq; eximie vir, pace tua dixerim, dũ nos cõfundere putas, quid nobis in Cœna detur, & ad quid detur, aliquãtũ falleris. Pluribus enim locis disertè asserо, bona Christi nõ esse nostra, donec ipse noster sit. Et satis mihi distinctè loquutus videor in mea institutione, vbi materiam Cœnæ vel substantiam voco ipsum Christũ crucifixum: virtutem, effectum, vel fructũ esse docco, quidquid ex eius morte consequimur, vt inde est gratuita reconciliatio, vitæ nouitas, & beatitudo cœlestis. Nomen verò efficaciæ in hunc finem vsurpo, non vt confundam quæ distingui debent, sed vt transfusionem substantiæ excludam. Dico igitur nos efficaciter substantia carnis & sanguinis Christi pasci, quia mirabili, & incõprehensibili Spiritus sui virtute efficit Christus, vt vnum simus cum ipso: viuifica sit nobis sua caro: vita denique sua in animas nostras penetret. Iam in secundo capite miror, vos non consideratius attendere ad tot absurda, quibus implicitum est hoc commentum, dignos simul & indignos promiscuè carnem Christi edere. Sicuti enim vestra de substantiali edendi modo opinio, Christi carnem à sanguine separat, ita hæc communis manducatio, corpus eius à spiritu diuulsum, vita & omni virtute priuat. Qualis verò receptio hæc erit, vt in ventre impij lateat mortuum Christi corpus? Quod obiicitur communiter omnibus dici, hoc est corpus meum, nullo negotio refellitur: nihil enim obstat, quominus verè omnibus seipsum exhibeat Christus, neque tamen alij eum recipiãt, nisi qui sunt capaces. Hanc me doctrinæ formã, nõ pertinacia retinere, sed quia Scripturæ auctoritate obstrictus teneor, Deus mihi optimus est testis. Suffragatur & veteris Ecclesiæ consensus: in quo probando, quia mihi longius insistere nõ est propositum, nobis vnus ille Augustini locus sufficiat. Quum alij discipuli comederẽt panem Dominũ, Iudam non nisi panem Domini comedisse. Ego itaque si quis alius, veram & synceram consentionem expeto, quam modo Deus ipse suo verbo sanciat. Nec verò Augustanam confessionem repudio, cui pridem volens ac libens subscripsi, sicuti eam auctor ipse interpretatus est. Atque vtinam Principes, vt decebat, maior dissipationis nostræ cura tangeret, vt conuentu piorum doctorum habito, studerent Ecclesias colligere: sed quibus flabellis ad odiũ nostri incitentur, minimè dubium est. Hoc tibi coram Deo volui testatum, vt scires religione & Dei metu ad amplexandum quod profiteor doctrinæ genus, adductum, non posse inde auelli. In quo tamen asserendo (quoad per vestros homines licebit) placidè me geram, vt ante Westphali intemperiem me fecisse satis notum est. Te vicissim hortabor, ornatissime vir, vt re tota probè expẽsa, quod rectum est amplecti non dubites. Vale. Dominus te Spiritu suo gubernet semper, præsidio suo tueatur, laboréque tuos benedicat in Ecclesiæ suæ ædificationem. Geneuæ, VIII. Calendas Aprilis. M. D. LVII.

Homil. in Io. 19.

Calvinus subscribit Augustino ut eo, de se in propria manu ipsius meta interpretato. Vide folio 251 de eadem confessione Augustana Calvinii.

CAL.

CAL. GEORGIO COMITI WIRTEBERGENSI ET MONSBELGARDENSI.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine, Quãdo Veſtræ Celſitudini morem gerere ſummopere cupio, quòd non dignitati magis & generis excellentiæ, quàm veſtris præclaris virtutibus raraq; imprimis pietati debere me exiſtimo, vtinam teſtandæ huius obſeruantiæ probandique officij aliquando lætior occaſio mihi ſe offerat. Sed quia nunc de Matthæo Gribaldo vobis ſciſcitari placuit, breuiter quomodo ſe hîc geſſerit, exponã. Ac primùm in hac vrbe ita verſatus eſt, vt nunquã vel Senatui noſtro operam ſuam addixerit, vel obſtrictus etiam fuerit fide data: ſed habitus ſemper fuerit inter hoſpites atq; exteros. Atq; vt ferè quotannis ſolebat huc venire, fortè hîc erat quo tempore in carcerem coniectus eſt Seruetus. Ac tunc diſſimulans ſibi cum impiis illius erroribus quidquam eſſe commune, tantùm obliquos ſermones ſerebat, non eſſe de falſis dogmatibus exigẽdas pœnas, quia libera cuique eſſet fides. Poſtea tamen aperuit, quod initiò tegebat, ſe ideo conqueri de Senatus noſtri ſeueritate, quia impunè ſibi permitti cuperet impia ſua deliria vomere. Ac tunc quidẽ colloquiũ meũ petiit, fateor: quod ideo negaui, quia antè expertus fueram quale eſſet hominis ingenium. Nec melior occurrebat ratio, quàm vt idonei adhiberentur teſtes noſtris ſermonibus, quod ipſe fugitabat. Ita tunc diſceſſit. Paulò pòſt cùm reuerſus eſſet, ſignificaui per familiarẽ amicum, liberũ ei fore ſi vellet, mecum fraternè conferre, modò id fieret corã Symmyſtis meis ac tribus Eccleſiaſticis Senioribus. Denuntiaui etiã, ne quid periculi aut fraudis metueret. Aſſenſus eſt, ac venit quò vocatus erat. Sed ingreſſus in locũ vbi cõſidebamus, quia primo ingreſſu manum ei porrigere nolui, tumultuoſè mox diſceſſit: & tamen humaniter, imò etiam blandis verbis excuſaui mihi id non licere, donec inter nos de fidei principiis conueniret. Rem enim magis ſeriam agi, quàm vt fallacibus ceremoniis ludendum foret. Poſtquam vidimus hominem amicè non poſſe placari, dedimus operam, vt vocatus in Curiam, de ſua fide reſponderet. Vbi non modò tergiuerſatus eſt, ſed palàm oſtendit ſe nolle quid ſentiret, illic profiteri. Paulò pòſt tamẽ elapſæ ſunt ei voces, ex quibus colligere promptum fuit, quàm prauis erroribus eſſet implicitus. Cùm ad modeſtiam hortarer, ventoſa ſua oſtentatione palàm fecit, nihil eſſe audacius inſcitia. Itaque in tanta peruicacia, nihil profuit pia & vtilis admonitio. Interea hunc clypeum oppoſuit, nimij & iniuſti eſſe rigoris, quia in doctrina fidei à nobis diſſentiret, non ferri in vrbe. Quæ eius obiectio vt par erat, refutata fuit. Senatus hominem exterum vlterius vrgendum non cenſuit. Et nobis etiam ſatis fuit curare, ne impietatis ſuæ virus poſtea hîc ſpargeret. Hoc meum teſtimonium quid fidei mereatur, iudicabit Veſtra Celſitudo. Certè ab odio proficiſci non poteſt, quòd nullum vnquam inter nos fuiſſe, Gribaldus quoque ipſe fatebitur. Cæterum quamuis multa deliria ſimul miſceat, ſpecimen vnum proferre viſum eſt: ex quo facilè intelliget Veſtra Celſitudo minus aſperè me hactenus de homine loquutum eſſe, quàm ferebat deteſtabilis eius impietas, imò etiam poſtulabat. Neque enim de meo vel alterius cuiuſpiam relatu hîc agitur: ſed quia doctrinæ genus quod in eo damnamus, manu ſua ſcriptum prodidit, inde iudicet Veſtra Celſitudo, ferendus ne ſit profanus homo, qui tam peruerſè Dei eſſentiam lacerat, & Chriſtum fingit nouitium Deum à Patre diuerſum, & cui non eadem ſit cum Patre eſſentia. Sed quia mihi nunc propoſitũ non eſt eius ſacrilegia refutare, ne tædio ſit epiſtolæ meæ prolixitas, putaui non poſſe me ex animi veſtri ſententia melius officio defungi, quàm ſi confeſſionẽ manu eius ſcriptã & ſubſcriptã, in qua ſe Italis fratribus purgare conatus eſt, Celſitudini Veſtræ mitterem. Vnde illuſtriſſimus Princeps nepos veſter ſatis ſupérq; cognoſcet, quàm profanè & ſceleratè hic miſer præcipuũ fidei noſtræ caput conuellat ac peruertat. Valete illuſtriſſime Princeps, mihíque plurimùm ſuſpiciende Domine. Patrem cœleſtem ſuppliciter precabor, vt vos cum illuſtriſſima coniuge ſuſtentet, tueatur, omníque bonorum genere locupletet. Geneuæ, v I. Nonas Maij. M. D. LVII.

CAL. MATTHIAE PFARERO S.

QVum mihi ſcripſiſſet doctor Othomanus te Conſulem eſſe rurſus electum, vir ornatiſſime, ſtatueram pro mea in te obſeruantia tibi gratulari, & quò eſſes ad munus obeundum alacrior, vota mea precéſque addere. Nunc igitur dum oblata mihi fuit noua ſcribendi occaſio, eam libenter ar-

ripui. Frater enim meus, qui frumenti petendi causa isthuc profectus erat, mihi retulit, se ita fuisse humaniter acceptum, vt facilè prospiceret, nomen meum commendationis loco apud te fuisse. Pro hoc amoris testimonio nisi gratias agerem, me inhumanum fore putaui. Hinc etiam mihi creuit scribendi fiducia, quia mihi dubium non fuit, quin tibi gratæ essent meæ literæ. Etsi autem sponte ad officium propensus vllis stimulis non indiges: si tamen pro vetere nostra amicitia ardorẽ, quo præditus es, magis excitare liberè audeam, nõ molesta, vt spero, tibi erit hæc sedulitas. Ac primò quidem, dum cõiectos in te, ac tuum Consulatũ bonorum omniũ oculos vides, ac plus spei de hoc anno, quàm de aliis quinque proximis, cõcipere, hæc te expectatio sanctiore vinculo obstrictum tenet, ne tua cessatione euentus ipsos frustretur. Sed altera cogitatio studia tua, piósque conatus acrius excitare debet, quòd tibi admirabili Dei consilio præclara nunc oblata est opportunitas repurgandæ à sordibus Papatus vestræ vrbis: vbi quum per annos triginta vidisses veram pietatem, syncerúmque Dei cultum florere, triste hauddubiè acerbúmque spectaculum hausisti oculis, ex quo impiis superstitionibus fœdata est. Hoc verò iam tibi inæstimabile solatium erit, si moriens relinquas tua opera à superstitionibus purgatam: imò si nunc senex Dei cultum, in quo erigendo fideliter olim & strenuè laborasti, restituas. Alterum à te peto etiam vt tuo patrocinio miseros exules tuendos recipias, & per sacrum Christi nomen obtestor. Nam vt inter nos colatur hospitalitas, postulat misera temporum conditio. Vale præstantissime vir. Dominus tibi semper adsit, te Spiritu inuictæ fortitudinis, & sanctæ prudentiæ gubernet, Magistratum tuum benedicat. Amen. Geneuæ, XIX. Maij. M. D. LVII.

Ioannes Caluinus verè tuus.

CALVINVS DOCTORI IACOBO ANDRAEAE S.

LIteræ tuæ hoc saltem nomine mihi non parum gratæ fuerunt, eximie vir & ex animo colende frater, quòd inter infaustas tristésque dimicationes, quibus inuitus exerceor, eodem te semper erga me esse animo testantur. Vtinam passus fuisset Westphalus, qua cœperam moderatione sedãdis contẽrionibus dare operam. Eius tamẽ furorem nunc superarunt vicini quidam Saxones: ac palàm iactant, non aliam sibi fuisse excandescendi causam, nisi quòd blandius quàm vellent, eos compellauerim. Nunc quando mihi mansuetudinem excussit eorum petulantia, coactus sum asperius cum ipsis agere. Neq; tamen impediet hæc vehementia, si quibus cordi erit pacificatio, quò minus sedatus accedã. Et sanè quò magis exarsit incendiũ, eò maiore studio ad illud restinguẽdũ accurrere decet eos omnes, quibus hactenus datum fuit quiescere. Librum tuum, quia linguæ Germanicæ sum ignarus, cuidam amico legendum dedi, qui mihi summam referret. Quãtùm intelligo, absque acerbitate, aut cuiusquam contumelia, quod oppugno defendis. Etsi autem tuam moderationem exosculor, & laudo: mihi tamẽ non parum dolet, plus esse in sententiis nostris dissidij, quàm putaueram. Cæterum, modò ne ad hostile vsque odium erumpat dissensio, quod adhuc occultum est, tandem patefaciet Dominus. Quid de promiscua manducatione sentiam, clarè antehac exposueram, & in hoc postremo opere sæpius repeto. Tantúmque abest, vt tuis argumentis dimouear, vt mirer tibi non venisse in mentem, impios Christum respuendo magis quàm recipiendo, sibi accersere interitum. Quòd si tamen aliquid à me desideras, vbi rationes meas paulisper expenderis, quid in mea doctrina improbes, fac me certiorem. Exitum conuentus Wormaciensis non alium fore diuino, nisi vt Papistæ tempus extrahendo, Principes synceræ religionis patronos, veteri more eludant. Vale ornatissime vir, & mihi obseruande frater. D. Brentio salutem plurimam opto. Dominus te Spiritu suo regere, virtute fulcire, & benedictionibus augere pergat. Geneuæ, Calendis Augusti. M. D. LVII.

CALVINVS BARTHOLOMAEO HAGENIO.

QVòd doctor Iacobus Andræas libro suo rationem aliquam consensus quæsiuit, nec modò lenire exasperatos animos, sed etiam quod erat asperius in doctrina, mollire conatus est, etsi eius studium laudo: fructum tamen huius operæ non tam vberem spero, quàm initiò putaueram. Miratus enim

sum

sum, non minus à nobis quàm ex professis hostibus quemlibet diffidere: cuius rei nullum hactenus signum dederat. Sic ex boni viri relatu intelligi, excepta amarulentia prorsus idem doctrinæ genus ab eo defendi, quod nobis obtendunt Saxones; nos verò toto animo reiicere cogimur. Itaque non immeritò te retineri agnosco, quominus eius iudicio subscribas. Nec verò est quòd te ab hac ingenuitate, & constantia deterreat vllus metus. Neque seruis Christi vel durum vel insolens videri debet, si pro defensione puræ sanæque doctrinæ subeunda sint multorum odia. Apud vos cæca magis pertinacia, quàm errore certatur. Vtinam ne accederet voluntaria quoque cæcitas in quibusdam, quos fastus nihil dispicere patitur. Si qua tamen spes erit pacificationis, libentissimè quocunque vocatus fuero, accurram: si repudior, non leue mihi solatium erit, quum mihi probè conscius sim, bonam causam me agere, quæsiisse tamen quod optimum erat sedandis turbis remedium.

PHILIPPO MELANCHTHONI S.

VÎ factum sit vt toto iam triennio nihil ad meas literas responderis, nescio: quia tamen ex tam longo silentio coniicere meritò licebat non adeò tibi fuisse gratas, atque etiam meum studium abs te repudiari, nihil nunc scribere ausus essem, nisi ab hoc optimo sene certior factus essem eodem te semper erga me esse animo: quod alioqui creditu difficile erat. Nunc collecta noua fiducia, quia te hoc mense Wormaciæ fore confido, quò literæ meæ & tutius & maturius ad te peruenient, occasionem hanc prætermittere nolui. Tantùm cuperem mihi lætius offerri argumentum. Et tamen si partem veteris erga me amoris retines, hoc quidquid est molestiæ facilè vorabis, quòd curas & dolores meos familiariter in sinum tuum exonero. Vicinos tuos tanta in me intemperie bacchari, non dubito quin pro modestia tua & humanitate valde tibi displiceat, imò cùm nõ hominẽ vnũ, sed pios omnes, nec priuatã vnius doctrinã, sed cõmunem fidẽ oppugnent, tibi causæ societas nõ vulgarem mœrorẽ afferre debet. Cæterum, quãdo semel in hanc arenam protracto, liberum non est pedem inde citò retrahere, truculentas verò bestias humano more tractare absurdũ fuisset, dabis vehemẽtiæ meæ veniã quæ in tãta indignitate à me cohiberi nõ potuit. Si quid te priuatim offẽdet, nõ longa excusatione opus fore arbitror. Quia subinde fallendis imperitis fucum ex tuo nomine videbam facere aduersarios, ne viderer in re tam clara tergiuersari (quod minimè ingenuum erat) fidem tuo testimonio sæpius deferre non dubitaui. Hac in re culpam de qua me purgare operæpretium sit, adeò non agnosco, vt iure optimo conqueri de tua cunctatione liceat: etsi à turbulentis certaminibus abhorres, scis tamen quid suo exemplo Paulus omnibus Christi seruis præscribat. Certè maior tibi, quàm in eo spectata fuit, moderationis laus non est appetenda. Cùm ergo ille summa lenitate præditus, per seditiones intrepidè transierit, nec eadem nobis molesta sit hodie conditio. Ac tibi omnino iam videndum est quidem maturè, ne tibi apud posteros dedecori sit nimia taciturnitas. Quòd si, dum suis telis vndique te confodiant hippocentauri isti, expectas, timendum rursus ne parum opportuna censeatur confessio, quam tanta necessitas extorserit. Quid si mors occupet? Nonne vt tibi decedat omnis auctoritas, fidésque abrogetur, seruiliter timidum fuisse clamabunt? quam infamiam vt abs te extergere festines, non es pluribus verbis monendus. Si pacificandi ratio quæritur, vna spes erat in colloquio, quod te quidem expetere non dubito: tantùm cuperẽ animosius flagitari. Nam cùm videas Principes non modò cessare, sed etiã aliò à suis doctoribus retrahi, colligis haud dubiè clausos esse aditus omnes, nisi aliis instar fræni, aliis vice stimuli sit tua auctoritas. Nuper audiui, quod minimè speraue tam, Ducem Wirtebergensem sponte iam huc propẽsum esse: imò si ea fuisset, quę esse debebat humanitas, oblata erat quam semper optauimus occasio: sed quia multorum animis insidet praua suspicio, magis alienatos esse à nobis animos Principum, quàm vt placidè audiamur, congressus omnes formidant. Addunt etiam illud, non nisi præfractos homines te vno excepto venturos, qui imperiosè præscribant ne à suis placitis discedatur. Neque tamen eorum qui sic loquuntur tanta est morositas, quin libenter venturi sint si vocentur: hoc nunc in te onus recumbere existima, vt tua oratione persuasi Principes, nostros ad colloquium inuitẽt: vel Argentorati, vel Tubingæ, vel Hildelbergæ, vel etiam Francfurti commodus esset locus: tantùm si hoc impetres, vt ad placidam

disceptationem vtraque pars descendere parata sit, meliorem fore spero exitum, quàm diuinent multi suspicioſi homines. Quòd si te hoc negotio infecto iterum in Saxoniam recipis, vereor ne serò te pœniteat, exitialibus istis turbis non allatum fuisse tua opera remedium. Ac nunc memineris non tam votis hîc tibi esse agendum quàm strenua solicitudine, vt ad satagendum paulò feruentius quàm mores tui ferant intentus sis. Iam verò si non tam flexibiles erunt Principes, non tamen negligendum erit, quod anno superiore amicis quibusdam scripsisti, te operam daturum, vt cum piis, integris, & moderatis hominibus ipse conuenires. Ex eorum numero si me vnum esse censes, quæcunque aliunde vrgeat necessitas, hoc tamen in præcipuis votis est mihi, antequam Dominus in Regnum suum cœleste nos colligat, quò alacrius ad mortem properem, iucundissimo tuo conspectu semel adhuc in terra frui, & mala quibus mederi non possumus, apud te deplorando aliquid leuationis sentire. Vale, præstantissime vir, & mihi ex animo semper obseruande. Dominus te semper suo Spiritu gubernet, præsidio tueatur, & ad hanc actionem te sancta prudentia, inuictáque fortitudine instruat, tuósque pios conatus benedicat. III. Nonas Augusti. M. D. LVII.

Dominis Polonis Evangelivm Profitentibvs et Ecclesiarum Ministris Ioannes Caluinus. S. D.

QVum de statu vestro verba facerem apud Collegas meos, & inter alia referrem, iam de sacra Christi Cœna exortum esse aliquid diffidij inter vos, rogarunt me, vt de communi omnium sententia hoc vobis scriberem. Quàm noxia sit pestis dissensio, pluribus verbis differere superuacuum foret: nam & optimè nouistis non modò in fidei vnitate, sed etiam fraterno consensu sitam esse Ecclesiæ salutem: & dum ad vos oppugnandos vires studiáque sua coniungit hostium factio, quàm solicitè sancta conspiratio vobis fouenda sit, experientia ipsa docet. Et hoc artificio hauddubiè molitur Satan Euangelij cursum vel abrumpere, vel remorari. Neque verò nos latet magis pretiosam esse synceram fidei doctrinam, quàm vt redimendę pacis gratia, minimum ab illa deflectere nobis fas sit: sed quātùm probabili coniectura assequimur, non tam in cōtrouersiam vocatur ipsa doctrina, quàm moderatio quæritur, quæ minimū pariat offendiculi. Pars, vt audimus, Augustanam confessionem complectitur. Alij Valdensium doctrinam mordicus retinent. Sunt qui desiderant puram & dilucidam mysterij explicationem. Et de Augustana quidem confessione non videtur iusta esse ratio, cur inter se litigēt serui Christi, modò de genuino sensu conueniat. Valdenses etiam cupimus vobis semper coniunctissimos manere. Sed non videmus cur magis arrideat cuiquā Augustana cōfessio, quàm eius auctori. Atqui profiteri non dubitat clarissimus ille vir, tradēdam esse posteris plenam & liquidam huius doctrinæ lucem. Et sanè quò minus omnes ad tollendam ambiguitatem consentiant, nihil aliud obstabit, quàm crucis metus. Quia de hoc capite doctrinæ infœliciter nostro sæculo pugnatum fuit, nōnulli dum pro ingenij sui mansuetudine turbas fugitant, leuiter & obscurè attingi vellent, quod perspicuè in Ecclesia docendum est. Sed longè falluntur, dum hoc remedio componi sedarique posse certamina existimant. Neque tamen hæc erit ab Augustana confessione discessio, si clarior fidei vestræ expositio accedat, sicuti vos diuortium cum Valdensibus facere minimè vellemus, quibuscum fraterna coniunctio ad extremum vsque colenda sit. Tantùm cupimus vltrò citróque alios aliis accedere, & communibus studiis quæratur sacrum Vnitatis vinculum. Nec certè putamus adeò morosos esse bonos illos fratres, quin libenter recipiant, quæ aliunde allata fuerit, explicationem: si modò in vsum Ecclesiæ commoda aptáque esse videbitur. Legimus locum illum vbi suam de sacra Christi Cœna sententiam exponunt. Breuiter, & ferè concisè asserunt, panem & vinum esse verum Christi corpus & sanguinem. Statim ad confessionem transeunt, quæ nostro iudicio doctrinam obscurat vel inuoluit magis quàm illustret. Queruntur iniustis se calumniis grauari, imò traduci ludibriis & subsannationibus: sed primos sibi aduersarios statuere videntur, quicunque certius definiri postulant, quomodo panis sit corpus. Tantùm dico, quum non satis disertè vel enucleatè de hoc mysterio loquuti sint Valdenses, fastidiū à Christiana modestia procul remotum fore, si ab ipsis omnis interpretatio respuitur. Formulam verò confessionis

amplc-

amplecti,qua fine diſcrimine,in vnum faſciculum damnationis omnes inuoluit,qui præciſè non fatentur panem eſſe preſentiſſimè Chriſti corpus (hîc recitamus eorum verba) an fas ſit Chriſtiano homini, videritis:nos certè non putamus.Etſi verò noſtrum non eſt, quidquam vobis præſcribere, quæ tamen veſtra eſt moderatio & humanitas, ſi vobis ingenuè oſtendimus quid cenſeamus factu optimum,æqui bonique vt ſperamus, conſuletis hãc noſtram fiduciam. Quando pro veſtra prudentia exitiale fore malum perſpicitis, ſi in contentionem erumpat diſſenſio,non eſtis prolixius monendi, vt ſibi quiſque temperet. Verùm ſimul adhibenda eſt diuerſa cautio, ne ſi gratificandi cauſa, ambiguum neſcio quid & perplexum receperitis,hinc inde ex cæcis vel obſcuris ſimultatibus deinde emergat deterius certamẽ. Quid autem obſtat quò minus in cõſentionem piam,ſanctam ac dilucidam coaleſcatis ſimul omnes? Neque enim hoc modo violabitur confeſſio Auguſtana:& Valdenſes,ſi rectè ſentiunt,commodè nulla ſua iactura diluent offenſionem, quæ ex bre uibus & obſcuris eorum verbis alioqui concipi poſſet: quæ opportunitas meritò illis eſt optanda. Primò itaque vbi clarè fuerit expoſita myſterij vis & efficacia, luculenta etiam definitio tradita fuerit de vera carnis & ſanguinis participatione, qua conſtet Chriſtum non ludere inanibus figuris, nec quidquam fallaciter promittere, ſed præſtare re ipſa quod per externa ſymbola teſtatur,ſaltem addenda eſſet exceptio, quòd caro Chriſti nobis datur in cibum,& ſanguis in potũm, arcana & incomprehenſibili Spiritus ſancti virtute hoc fieri, nec ideo fingendam eſſe immenſitatem,quæ palàm naturæ humanæ repugnat.Nos certè libenter recipimus,panem & vinum non modò eſſe ſymbola vel arras,ſed certa teſtimonia quibus coniuncta eſt vera rerum exhibitio: ita fatemur panem eſſe corpus Chriſti,& vinum ſanguinem,quia hæc ſymbola nobis porrigendo Chriſtus verè animas noſtras carne ſua ſanguinéque paſcit. Libenter etiam ferimus dum ſpiritualis vocatur hæc communicatio,interpretationem adiungi:hac voce non debere intelligi imaginarium neſcio quid,ac ſi cogitatione tãtùm eſſemus Chriſti participes, ſed potius intelligi cœleſtem virtutem, quæ craſſa terrenæ preſentiæ figmenta excludat, nihil autem minuat de ipſa veritate.Sed vbi clarè expoſitum fuerit, per ſymbola panis & vini proponi nobis & re vera offerri Chriſti carnem & ſanguinem & ſpirituale alimentum, abſurdis deliriis, quibus faſcinata eſt maior pars mundi, obuiam ire expedit atque adeo neceſſe eſt.Itaque ne fingatur immenſum eſſe Chriſti corpus, & eſſe vbique quaſi naturam exuiſſet, explicãdus eſt communicationis modus.Quòd ſcilicet Chriſtus ſecundum corpus ſuum in cœlo manens, admirabili Spiritus ſui virtute ad nos deſcendit,& ſimul nos ad ſe ſurſum attollit. Nam hoc nodo expedito, ſimul carnalis & ſuperſtitioſa adoratio ſoluetur.Porrò niſi vnum ex præcipuis fidei noſtræ articulis ſponte nobis perire voluimus,retinenda eſt humanæ naturæ in Chriſto veritas. Niſi enim illud fixum maneat, reſurrexiſſe Chriſtum vt nos ſibi conformet,vbi erit ſpes reſurrectionis?Et quòd præpoſteri quidam homines terrena ſigna cum ſubſtantia vel re ſpirituali confundunt, non omittenda eſſet diſtinctio,ſine qua ex ſingulis Sacramentis totidem idôla ſibi fabricat mũdus. Quamuis ergo panis non figuratiuum modò (vt loquuntur) ſed exhibitiuum quoque ſignum ſit: ſciendum tamen metonymicè vocari corpus ſecũdum communem analogiã, quæ in Scripturis ſacris paſſim occurrit inter ſigna & res ſignatas. Atque hæc moderatio indignè hac calumnia grauatur, ac ſi fidei iugum excutiat ex hominum cordib⁹,vel extraneum aliquod gloſſema aſſuat Chriſti verbis: quoniam non alio documento probari certius poteſt fidei obſequium: quãdo in toto cœleſtis doctrinæ tenore harmonia quæritur,quæ omnem repugnantiæ ſpeciem diſcutiat. Nec minus futilis eſt obiectio,dum falſis commentis occurritur (quale illud eſt de immẽſo Chriſti corpore) rationem humanã præferri Dei verbo:quia neque ingenij noſtri captu metimur myſterium hoc incomprehenſibile,neque quæſtionem mouemus de potentia Dei,neque vocamus in dubiũ Chriſti promiſſiones,nec repudiamus,quod à ſenſu carnis noſtræ abhorret: ſed huius myſterij intelligentiam ex communi Scripturæ vſu petimus.Quia etiam altera quæſtio hodie agitatur,an promiſcuè increduli cum fidelibus percipiant Chriſti corpus & ſanguinem, vtilis eſſet expoſitio,offerri communiter omnibus: & quamuis oblata gratia nõ omnes fruantur, nihil tamen de Sacramenti efficacia decedere,& Chriſtum nihilominus manere veracem:ſed quamuis ex parte ipſius,panis ſit omnibus corpus Chriſti,non omnes tamẽ tam præclari doni capaces eſſe.Nec verò excidit,quod paulò antè præfati ſumus, noſtrum non eſſe formulam vobis dictare, quæ vos obſtringat: ſicut tamen viſa eſt vtilis hæc admonitio,ita vobis gratam fore ſperauimus. Si qua alia in re noſtram erga vos

beneuolentiam licebit testari, officia nostra vobis semper parata fore promittimus. Valete clarissimi Domini & generosissimi viri fratrésque plurimùm obseruandi. Dominus vos regere pergat prudentiæ Spiritu, & inuicta virtute sustinere, donísque suis vos in dies locupletet, quò Regnum Filij eius apud vos magis ac magis propagetur. Genuæ, IX. Calendas Nouembris. M. D. LVII.

VINCTO TAVRINI PROPTER EVANGELIVM.

ETsi tristis nobis fuit vinculorum tuorum nuntius, optime frater, grauius tamen nos vulnerasset, nisi Deus qui solet ex tenebris lucem elicere, mœrorem temperasset aliquo gaudio. Est enim cur nobis gratulemur, quòd tam fructuosa in ipso carcere iam opera tua esse cœpit, vt magis quàm si liber fuisses ac solutus, Christi Euangelium illustraueris. Itaque meritò animum tibi addere debet illa Pauli gloriatio, quãuis te captiuum teneant hostes, sermonẽ Dei
1. Tim. 2 9. non esse alligatum: nec modò apertam esse ianuam auditoribus, qui semen illud viuificum ex ore tuo exceptum longius spargant, sed fructum coram oculis tuis emergere. Quòd si te in angustias restringi contingat, erit tamen hoc laboris tui pretium non vulgaris solatij loco. Nam si fidei confessio coram gente tortuosa & peruersa gratum Deo sacrificium est, quantò suauius spirabit odor in multorum salutem diffusus? Cæterum, vides frater ad quam militiam vocatus sis: idque tibi sedulò reputandum est. Quum e-
Mat. 10. 32. nim à priuatis quibuslibet suo Euangelio testimonium exigat Christus, sanctiori iure te obstrictum tenet, quem publicũ creauit eius doctrinæ præconem, quæ nunc in tua persona oppugnatur. Ergo ab eodẽ qui te hoc honore dignatus est, testem te productũ esse memineris, vt quod ore antea docuisti, proprio sanguine, si opus fuerit, obsignes. Interea fidum vitæ tuæ custodem fore ne dubita: & quando mortem sanctorum pretiosam sibi fore pollicitus est, qualiscunque erit euentus, tibi sufficiat hæc compensatio, nunc Filium Dei per te agere triumphum, vt te in æternæ gloriæ societatem colligat. Pluribus tecum nõ agam, quia te in eius fide & patrocinio recumbere mihi persuadeo, cui dum morimur, & viuimus, moriendo sumus beatiores, quàm terreni profaníque homines viuendo. Vale optime & charissime frater. Salutant te Collegæ mei. Dominus tibi semper adsit, prudẽtia Spiritus sui te gubernet, inuicta fortitudine sustineat, prǫsidióq; tueatur. XVII. Decembris. M. D. LVII.

Ioannes tuus quem nosti.

CALVINVS BIGOTIO S. D.

QVum tam familiari vitæ vsu atque etiam cõtubernio mihi olim fueris deuinctus, nunquam fore putassem, mi Petre, vt mihi difficilis ac perplexa esset ad te scribendi ratio. Sed quia mundi illecebris implicitus præter spem meam, & magno meo dolore te à nobis subduxeras, ac si via mihi periculosa foret, à scribendi consuetudine abstinui. Citius fortè quàm oportuit: sed quia verebar, si literas non postulanti obtruderem, ne tibi ludibrio sedulitas mea esset, nolui saltem properare, donec signum aliquod melius dares. Amorem interea, quo te ac fratrem tuum semel complexus fuerã, quamuis externis officiis non testarer, animo fouebam, sicuti nondum excidit, vel excussus est. Iam verò fratrum tuorũ aduentu, quo noua occasio videri oblata poterat, ideo restrictior factus sum, quòd vos suo exemplo comites non traxissent, quum duces fore sperassem. Certè tam insperata mutatione non modò perculsus sum, sed ferè obstupui: quum tibi manum porrigerent, & migrationis adiutores forent ac socij, qui tibi prius erant obstaculo, & à quibus solis te retineri sæpe conquestus es, nido tamen affixum suauiter quiescere. Verùm vt querimoniis vtrinq; valere iussis, placidè tecum agam, quid sibi, mi Petre, vult hæc mollities, ac ignauia, vel quo prætextu excusabitur? Non est hîc mihi texenda disputatio de fugiendis superstitionibus, quarũ odio & detestatione relinquenda potius erat vita, quàm vt te amore patriæ in illis sic pollueres. Te satis ac super, me tacente, conuictum tenet conscientia, vix vllum effluere diem, quo non abs te Deus legitimo suo cultu, honoréque fraudetur. Imò simulatio ista, qua impiorũ gratiam foues, quid aliud est quàm obliqua defectio à confessione, quæ præcipui sacrificij loco ab omnibus Dei filiis exigitur?

Atqui

Atqui centies mori præstaret, quàm ita vindictam Dei quotidie prouocare. Quòd verò pluſquam ſeruiliter timidus, quãtùm in te eſt, lumen in corde tuo pridẽ diuinitus accenſum ſuffocas, vide ne quidquid reſiduũ eſt vſque ad minimas quaſq; ſcintillas extinguat idem Deus, ſi torpori tuo ad finem vſque indulges. Potius aliquando expergiſcere, ne prætereat tempus illud acceptabile, quo Deum quæri iubet Propheta dum inueniri poteſt. Me quidem non modò tuæ tarditatis pudet ad piget, ſed terret illa ſeuera Chriſti denuntiatio, vbi clauſa fuerit ianua, frũſtra pulſaturos, qui occaſionem neglexerint. Aſperior ſum quàm vellem: ſed vt tibi Deus parcat, parcere ipſe nõ audeo. Saltem quod à ſyncera fraterni amoris ſolicitudine profectum eſſe agnoſces, non adeo moroſus eris, vt repudies. Vale eximie vir. Dominus te Spiritu prudentiæ & rectitudinis gubernet, inſtruat ſancta conſtantia, virtute ſua tueatur. IIII. Calendas Ianuarij M. D. LVII. Eſa. 49. 8.

Io. Calvinvs N. s. d.

ME verò anguſtiæ tuæ anxium habent. Sed quidquid difficultatum opponat Satan, eniti nos tamen contrà infracto animo decet. Nec verò deſinendum eſt, donec emerſerimus. Quãdo nos ad ſe Dominus inuitat, eundũ eſt. Si per ſolitudinem & vaſta loca iter eſt nobis, ne propterea fatigemur. Nam cùm ideo nobis manum porrexerit, vt in cœlum vſque attollat: dabit proculdubio, vt omnia mundi huius obſtacula ſuperem⁹. Tantùm ne torpore animi noſtri flaccefcant. Si ea quæ tibi adiutrix eſſe debuerat, aduerſariam ſe præbet: nihilò illi magis quàm carni, indulgendum. Et ſanè multa ſunt quæ te in contrariam partem ſolicitent, ne praui eius ſuaſionibus acquieſcas. Miſerum eſt inter continuos motus æſtuare: quod tibi vſu venire non dubito. Atque vt periculi nihil inſtet: eò tamen progreſſus es, vnde pedem referre erit turpiſſimum. Deinde cogitare debes, non te vnum eſſe ex vulgo, vt priuatim tibi pecces. Tot enim in te cõiecti ſunt oculi, vt grauiſſimè exemplo noceas. Et quam interea pacem cum tua conſcientia habere potes? Non eſt neceſſe enumerare, quæ te iſtic retineant. Sed non tanti eſſe omnia agnoſcis, vt tam indigna mercede redimantur. Bellũ enim te cum Deo ſuſcipere non ignoras, vt pacem habeas cum hominibus. Hoc verò omnium peſſimum, quòd in hoc labyrintho adeo nullus errãdi finis apparet, vt te indies magis inuoluas. Nam de exitu nulla iam fieri mentio dicitur. Vide obſecro, ne vxori, & ſub eius prætextu, tibi delicias faciens, iram in te ſummi iudicis prouoces. Nihil dico, niſi quod mihi audire & expediret, & optabile foret, ſi tuo loco eſſem. In illa enim procelloſa caligine, ſæpius hominem antè opprimere mors ſolet, quàm ſentiatur. Itaque melius ex ſereno loco tua pericula cernere mihi videor. Neque verò migrationem vrgeo, quaſi nuſquam, niſi apud nos, ſaluus eſſe nequeas. Tantùm vereor, ne accenſus in te pij zeli ignis vel ſopiatur, vel euaneſcat. Hæc ſolicitudo non ex conſtantiæ tuæ diffidentia, ſed ex ſingulari erga te amore naſcitur. Vale ornatiſſime vir & honorande in Domino frater. Dominus Ieſus te Spiritu conſilij & fortitudinis inſtruat. Amen.

Io. Calvinvs N. s. d.

NVnquam de te cogitare poſſum, quod ſubinde tamen facere ſoleo, quin pro meo erga te amore, & communi inter nos pietatis ſenſu magnopere tibi cõdoleam. Neque enim mihi dubium eſt, quin tu inter opes ac delicias quæ tibi affluunt, dies noctéſque anxius ſuſpires. Quanquam hoc longè præſtat, quàm ſi in tã periculoſa ſtatione ſecurus quieſceres. Proinde ſic te in moleſtiſſimis iſtis curis, quæ te angunt ac cruciant, ſolari cupio: vt eas tibi penitus eximere, neque audeam, neque velim. Quò magis ſortem tuam diſplicere tibi neceſſe eſt: in qua nihil reperis melius, quàm grauem acerbúmque miſeriæ tuę ſenſum. Adeóque tibi expedit acriter vellicari, vt nihil magis timendum ſit, quàm ne lentæ punctiones tibi callum obducant. Quoties ergo te ſolicitat & vrit conſcientia, memineris tuas eſſe partes, ſtimulos iſtos acuere potius quàm retundere: ſcintillas accẽdere potius quàm ſuffocare. Aliter plurimi: qui vt omnem triſtitiæ materiam procul abigant, non modò faceſſere iubent ſalubres Dei monitiones: ſed mortiferam & Dei & ſui obliuionem inducere ſibi conantur. Tibi verò, quemadmodum iam dixi, multò vtilius, aſſidua inquietudine vexari, quàm ſub

tali támque exitiali veterno ſopitum iacere. Cæterum malis tuis ita affici te oportet, vt ſeriò adſpires ad remedium. Video quantæ tibi difficultates obſtent. Sed amanti nihil arduum. Deinde ſi ex animo laqueos iſtos exuere cupies, quibus nunc implicitus teneris, habes qui eos vel expediat, vel abrumpat. Si emergere appetes ex luto, in quo defixus hæres, habes qui tibi manum è cœlo porrigat. Dominus certè viam inueniet: modò ne eius auxilio tu deſis. Satis & ſuper hactenus deliberando fluctuatus es. In re tam certa maturè ſtatuẽdum, quid facto ſit opus: & quod ſtatueris, ſtrenuè & celeriter exequẽdum. Paucos videmus, qui ſponte ac præſenti animo, quæcunque occurrunt obſtacula, ſuperent. Verùm ſi pauci nos ad imitationem virtutis ſuæ inuitant: terreant nos eorum exempla, qui tarditatis nimiæ pœnas dederunt. Quanquam vt nullus ſit hominum reſpectus, vna cœleſtis magiſtri auctoritas ſufficere nobis debet. Itaq; hanc tibi ſolam obiicio: ſicuti eam, vbi animum tuum excitaueris, tibi confido tanti fore, vt amplius nihil requiras. Et nunc quid reſtat, niſi vt vincat ille, cui nos omnes in obſequium, abſque certamine, addici conuenit? Vale dilectiſſime frater. XXXI. Ianu. M. D. LVII.

CALVINVS N. OFFICIALI S. D.

NE mireris, eximie vir, quòd hominem mihi tãtùm ex fama notum, literis meis perinde familiariter aggredior, ac ſi maior inter nos conſuetudo mihi aditum patefaceret. De officio meo breuiter hoc præfari cogor, quia non ſemper vltrò accedunt, qui tamen ſunt ex Chriſti grege, pleroſque eſſe procul quærendos, atque vt ſubterfugiant, inuitandos eſſe. Ego verò adeò in excuſanda fiducia anxiè non laboro, vt mihi perſuadeam officium meum tibi & gratum fore, & vtile. Certè minimè vereor, ne tibi quem reuerenter cœleſtis magiſtri doctrinam excipere audio, ludibrio ſit mea ſedulitas: dum te non malè quidem animatum, ſed in profundiore luto hærentem incitare ſtudeo, vt paulò alacrius ad metam contendas. Aſperius fortè quod dicturus ſum, tibi videbitur: ſed tamen & dictu vtile, & veriſſimum eſſe agnoſces, ſi in te pauliſper deſcendens, non maius eſſe ignis & aquæ diſſidium, quàm locus ille quem tenes, à legitima vocatione procul alienus eſt. Quanquã nõ tam longa vel accurata diſputatione te vincendum, quàm acribus ſtimulis pungendum eſſe arbitror, vt tibi ſeriò diſpliceas ſub illa barbara Papatus tyrannide, qua premuntur communiter alij omnes. Quàm difficile ſit purum atque integrum Deo obſequium præſtare, quiſque pro ſe experitur. Tua verò peculiaris eſt ratio, qui iniuſtæ illius & ſacrilegæ dominationis ſatelles eſſe cogeris ac miniſter. Diſciplinæ quidem præeſſe honorificũ eſt: ſed vide quàm ſtrenuè in purgandis flagitiis labores, quæ pueris quoque ipſis nota ſunt. Tuum eſt vt debrietate aliiſque vitiis taceam, ſcortandi licentiam in clero cohibere: nunc tecum reputa, quàm in hac craſſa quæ omnibus nota eſt, obſcœnitate, tolerabilis ſit tua diſſimulatio. Atque vt ſeueriſſimus ſis hac in parte cenſor, nempe hoc erit operæ tuæ pretium, vt idôlis maneat integer cultus, vt ſua ſacrilegia exerceant veſtri ſacerdotes. Præcipuam enim iuriſdictionis tuæ partem in hoc ſitam eſſe non negabis, vt ſalua ſit & intacta Papatus religio, quam ſcis innumeris corruptelis ſcatere. Vna eſt culpæ tuæ leuatio, quòd filiis Dei parcis, ne tyrannicè ad ſuperſtitiones per te cogantur. Sed quantumuis tibi humaniter temperes, inuitas tamẽ ad peccandum, quos violenter non trahis. Excipies, tibi id non eſſe in animo. Sed quid tergiuerſando proficies, quum res ipſa palàm clamitet, quoties tribunal conſcendis, ſignum erigi tuẽdis pollutionibus, quæ totum Dei cultum peruertunt? Atque vt optimè te geras, ſimulas tamen nihil te velle Satanæ derogare. Fallor enim ſi vltrà progrederis, quàm vt falſo prætextu elabi ſinas ex laqueis, quos tamen tendunt aucupes tui, ad omnes animas æterno exitio implicandas. Atqui tuũ potius erat palàm abigere, quod adeò non præſtas, vt ſilentio tuo prodantur, ne quid grauius dicam. Vt dicam vno verbo, etiamſi re ipſa Chriſto tuum obſequium offerre conaris, titulus ipſe Antichriſti vexilli ferum eſſe docet. Ad tam exitiale fœdúmque exemplum res ipſa accedit: quia ſi furtim neſcio quid boni admiſces, nunquam tamẽ è tribunali ſurgis, quin multa officia præſtiteris impię dominationi, cui mancipatus es. Reliqua iuriſdictio in cauſis ciuilibus conſumitur: vbi vtcunque ſummam æquitatem colere ſtudeas, fines tamẽ à Domino præfixos euertis, dum ſub fallaci regiminis Eccleſiaſtici prætextu, alienam prouinciam vſurpas. Sed ne ego tibi moleſtus ſim, tecum potius loquere, & ſine blanditiis reputa, ſitne ſancta Dei vocatio, hæc adulterina præclaræ functionis

larua,

larua,quæ & Dei nomen profanat, & multis labyrinthis est implicita. Quòd si viuendi ratio Deo non probatur, quibuscunque virtutibus excellas, nihil tamen miserius quàm extra metas semper vagari. Aliam petendæ veniæ excusationem non affero,nisi quòd liberè scribendum fuit vel tacendum. Vale ornatissime vir & mihi honorande. Dominus te Spiritu prudentiæ,æquitatis & fortitudinis gubernet.

Cal. Acanthio.

SI in castiganda tua segnitie paulò sim acrior quàm vellem, non est quòd de asperitate mea queraris:quin potius te ipsum accusa, qui me coegisti. Scis quid pridem fueris pollicitus,quum vrgerem, ne diutius in illis fæcibus maneres.Quia persuasus eram,te hominem esse bonæ fidei, non modò credidi facturum,sed quodammodo sponsorem me interposui. Ab eo tempore sustinui multas obliquas exprobrationes,quarum tædio duriores aliquãdo nuntios tibi misi: Nunc quoque me vndique appellant: nec habeo quid respondeam,nisi ad fidem soluendam mox accurras. Et quando tãdem,frater mihi ex animo dilecte,tergiuersandi modum facies? Hactenus certè & Christum iusto obsequio, & eius Ecclesiam opera tua indignè fraudasti. Negabis te interea fuisse otiosum. Agnosco tuum laborẽ alicubi profuisse. Verùm quidsi hæc tua sedulitas,qualiscunque sit,neque bonis probatur,& communem seruorum Christi cursum impedit,ac moratur? Certè quidquid excipias,solus tibi metus hac in parte consiliatius est, quem meritò suspectum habere debes. Proinde fieri non potest, quin omnibus cordatis & synceris,qui ingenuè Christo nomen dederunt,displiceat hæc tua astutia. Quanquam in deterius rapiunt multi clandestinos tuos circuitus,dum suspicantur diuersum aliquid spargere,quod puram fidei vnitatem scindat.Reclamo quidem, neque vnquam assentiar, tibi quidquam nobiscũ esse diffidij,nisi palàm ostenderis:quod nunquam fore confido. Sed tuũ est videre,ne infirmos, quibus te Deus obstrinxit,nimia securitate conturbes.Iam biennium ferè præteriit,quum te hortatus sum,vt te ad eos cœtus aggregares, in quibus scis Deũ purè inuocari. Nõ solùm tempus extraxisti: sed ex tuo silentio coniicere licuit,meam illam admonitionem abs te fuisse spretam. Nunc verò non rogabo tantùm,vel hortabor:sed obsecrabo,atque etiam si opus est,adiurabo,ne moris nectendis diutius suspensa teneas bonorum desideria.Si nihil impetro, maturè iam tecum reputa,quale te iudicium apud cœleste tribunal maneat,coram quo breui nos sisti oportet.Nam etsi tibi adhuc ætas est vegeta: quia tamen maturitas ad senium vergit, festinandum est,ne te ex inopinato nox occupet.

Cal. Macario s. d.

FRater mi,dulcissime frater,si metu omni & solicitudine vacuus te nunc & collegas ad obeunda,quæ impendent certamina impellerem,meritò frigeret apud vos, imò putida esset fortis illa garrulitas. Nunc verò dum vestro periculo anxius ipse ac trepidus ad fiduciam & constantiam vos exhortor,epistola hæc quæ viua erit cordis mei imago, omnésq; intimos eius affectus repræsentabit,vos non secus afficiet,vt spero,quàm si coràm omnium curarum socius adessem. Et certè si ad extrema veniendum sit, cuperem vobiscũ in morte potius coniungi, quàm superstes tantam Ecclesiæ calamitatem lugere. Cæterum quidquid accidat,satis ex cœlestis magistri præscripto, me tacente, scitis centies potius moriendum, quàm stationem, cui estis addicti,timidè deseratis.Seditionis ignominiam, qua non modò vos sugillare,sed sacrum Christi Euangelium aspergere conantur improbi, ego etiam exhorreo. Verùm vbi vobis probè conscij estis,iniquè vos hac falsa inuidia grauari, hoc innocentiæ vestræ testimonio fretos calumniam hanc æquo & sedato animo ferre conuenit, quam ne ipse quidem Filius Dei potuit effugere. Bene est quòd vobis quiescentibus hostium maledicentiam refellet,quæ ex tenebris mox emerget veritas. Nam simul ac triduo volitauerit rumor,sponte concidet:ac auctores ipsi pudore obmutescent. Certè vt omnium mendaciorum pater & artifex diabolus tota mole ad vos odio & infamia obruendos incumbat, non tamen eò vsque proficiet, quin hoc præclaro & memorabili conflictu nomen suum illustret Deus,& ex caligine eliciat plenum gloriæ suæ fulgorem.Nulla vnquam ad Regis aures peruenerat libera& ingenua confessio.Si vltima primis respondeant (quod speran-

dum est)centies,crede mihi, pallescet rubicundus leo.Si in grege multa,erit trepidatio, ne vos conturbet,sed placidè non minus quàm strenuè occurrite dissipationi.Fortè aliquid relaxationis breui præter spem dabitur. Quòd si durius vestram patientiam exerceri cõtigerit,quoniam ita cœlestiPatri decretum est,fixum tamen maneat,fidelem esse,qui vltra modum suos tentari non sinet.

CLARISSIMO VIRO VIRTVTE ET ERVDITIONE PRAESTANTI,
Ioanni Caluino,fratri ac Symmystæ obseruando,
Ecclesiæ Genevensis Pastori

Gratia & Pax per Iesum Christum.

CLarissime vir ac frater in Domino plurimùm obseruãde, vbi viderunt Wesalienses concionatores de nostra controuersia factum esse compromissum in sententiam Philippi, ac suas suggestiones non magni fieri, aduocarunt quosdam è Frisia qui sua auctoritate Senatum monerent.Quod non infœliciter eis successit.Per eos enim effectum est,vt Senatum facti compromissi pœniteret. Quare statim missus est Wittembergam Thomas vnus ex concionatoribus,qui Philippo Senatus sententiam indicaret. Vix Coloniam peruenerat tabellarius quem ad te misi,cùm Thomas rediit Wittemberga. Nihil ad meas literas respõdit Philippus.Rescripserat quidem Domino Huberto Langueto, sed nostri literas suppresserunt,vt nobis omnium ignaris facilius imponerent,& nostri exilij culpam à se remouerent.Acceptis literis à Philippo,me & Trihernum Anglum virum doctum vocarunt in Senatum.Nos autem,ne iuxta morem suum actionem nostram calumniarentur, ex nostris Ecclesiis aliquot nobis adiunximus,qui essent loco testium.Non recitarunt integras literas Philippi,sed tres tantùm versiculos ex iis decerptos, nimirum vnum de Cœna Domini,alterum de Baptismo, tertiũ de cerimoniis.Iis auditis permissum est nobis secedere deliberandi causa.Inter deliberandum visum est omnibus approbandam esse sententiam Philippi, quod & à nobis factum est. Nihil enim in ea continebatur,quod Ecclesiarum nostrarum doctrinæ aduersaretur.Audita nostra responsione,iusserunt nos iterum secedere,vt ipsi inter se deliberarent.Reuersis nobis dixit Consul: cùm satis cõstet ex vestra confessione,vos omnino dissentire à nobis in articulo de Cœna Domini, nec Philippi,nec cuiusquam hominis auctoritatem in ea re moramur:imò miramur vos tam præfractè & pertinaciter audere dissentire à tot sanctis & eruditis viris. Quare nisi velitis credere,fateri,& syngrapha testari illa duo axiomata vera esse, videlicet in Cœna Domini verum corpus Christi in pane contineri,Item nos illud corpus non tantùm mente,sed etiam ore sumere,iubemus vt omnes intra Calendas Martias hinc migretis. Audita sententia petiimus, vt saltem temporis spatium, quod nobis ad componendas res nostras concedebatur,ad Calendas Maias prorogaretur,cùm non sit facilè tot miseris hominibus intra illud tempus migrare: cùm præsertim toto Februario adhuc sæuiat hyems in illis regionibus,& difficulter nauigetur aduerso Rheno.Respondit Cõsul esse quòd illis ageremus gratias pro tanta erga nos humanitate,cùm si vellent vti iure suo, nos bonis omnibus exuere,& præterea à nobis pœnas exigere possent. Vbi resciuerunt concionatores huiusmodi sententiã in nos latam esse,cœperunt ex suggestu debacchari,& miris calumniis nos onerare,vt populum aduersus nos concitarẽt, & præcipuè quidam Hermanus primus auctor huius Tragœdiæ,cuius maior ne sit insciti a an impudẽtia, non satis scio.Nam semel pro cõcione ausus est dicere, nos nullã fidem verbis Christi habere,ac esse sceleratos Sacramentorum contaminatores, qui instar luporũ in gregem Domini irrepserimus,vt veras eius oues deuoraremus,ac virus in Anglia haustum in eas euomeremus. Non periit illi sua opera, nam media luce à quodam ictus fui lapide. Alius me vesperi domum redeuntem pugno in pectore percussit. Nec defuerũt qui stricto gladio quosdam ex nostris inuaderent, inclamantes eos esse sceleratos sacramẽtarios:& certè nisi sibi fuga consuluissent,periculũ illis erat de vita. Talis fuit exitus nostræ cõtentionis,potius quàm disceptationis Wesalienſis, de qua sanè longè aliã spem conceperam.Dum sic Wesaliæ accipimur,in hac Ecclesiæ Francofordiensi ingraueſcebant contentiones,quę eousq; progressæ sunt,vt parum abfuerit,quin aliquoties in ipso templo ad manus ventum sit. Ingemiscebãt pij,nec se petulãti audaciæ aduersariorum audebant

audebant opponere,cùm viderent eos hoc agere, vt grauem aliquem tumultum excitarent quo posset Ecclesia euerti.Optimus vir Dominus Gulelmus quantùm in se erat, ruentes res sustinebat:sed aduersarij multis calumniis effecerant,vt is apud N.non tantùm haberet fidei,quantùm perturbatus Ecclesię status postulabat.Interea hîc resciscũt nos esse dimissos Wesalia.Deliberant de me aduocando.Hoc significant Clavvburgo, qui probat cõsilium,& iubet omnes lites in meum vsque aduentum sopiri. Mittitur ad me vnus ex diaconis,qui circa bruman Wesaliam venit cum literis ab Ecclesia, quibus obnixè à me petebatur,vt statim itineri me cõmitterem. Conuocaui ferè omnes ex nostra Ecclesia,ostendi illis literas,& dixi me nihil nisi ex eorum consilio facturum. Suaserunt omnes ne in tam præsenti periculo Francofordiensi Ecclesiæ deessem. Constitui res meas,quanta potui celeritate:& licet essent sæuissimæ tempestates, huius Ecclesiæ precibus obsequutus sum.Calendis huius mensis huc veni. Quatriduo pòst rediit à vobis tabellarius cum tuis ad me literis, in quibus beneuolentiám ne tuam, prudens consilium, an indefessum studium iuuandi Ecclesias magis sum amplexatus, dicere non possum. Ingentem certè consolationem ex iis percepi, cùm viderem me habere quod calumniatoribus opponerem: & præterea liberari illa anxietate deligendi loci, in qua re nihil prorsus nisi ex tuo consilio facere constitueram. Itaque ago tibi ingentes gratias,& te obtestor, cum tanto affectu hanc Ecclesiam (malitia eorum quos minimè decebat penè letaliter vulneratam) sanandam susceperis, ne eidem suæ valetudini Dei beneficio vtcunq; restitutæ,consilio,exhortatione,ac sanctis precibus adesse te pigeat. Idem etiam tota ipsa Ecclesia efflagitat. Vix dici potest quàm impedita hîc omnia inuenerim:quò magis est nobis prędicandum Dei opus inter nos,quòd intra paucos dies res multò in meliorem statum præter spem humanam restituta sunt: sublatæ verò occasiones mali,quantùm Dominus & videre, & posse, & præstare cõcessit.Perendie(Deo iuuante)aliquot mensibus intermissam Cœnam Domini celebrabimus.Angustia temporis cogit nos festinantius quàm cuperemus agere. Wesaliam enim mihi properandum est,vt quantùm in me est miseris illis reliquiis consulam.Nam non ita multùm supereſt ex tempore illis concesso ad res suas componendas.Wesalia erit mihi eundum A.siquidem hoc à me flagitat Ecclesia. Vix potero huc redire ante mercatum. Vale Clarissime vir,& obseruande frater,peto vt ignoscas mearum literarum prolixitati. Deus conseruet te,ac totam vestram Ecclesiam,cuius precibus afflictum hunc gregem commẽdamus.Francofordiæ,quarto Calendas Februarias. M. D. LVII.

Tibi addictissimus Franciscus Perrucellus.

VTENHONIVS CALVINO S. D.

QVm iam scribendis ad amicos passim literis operam darem, Caluine mihi obseruandissime,nolui cõmittere quin te nunc certiorẽ facerem de successu rerum Magnifici Domini Ioannis à Lasco in Polonia. Cui sanè non omnino infœliciter cessit hactenus (gratia Deo Optimo Maximo) tametsi nõ sine incredibili reluctatione Satanæ, qui sibi suóque regno ab eo(quæ eius admirãda hîc multis nominibus est auctoritas) non parũ metuit.Ac proinde omnes conatus,omniáq; studia,per suos stipendiarios hactenus congessit vt eum perderet, aut saltem Regno pelleret. Cùm enim ante duos, plus minus, menses, Episcopi nostri (qui omnes apud Regem Warssouiæ in Regni comitiis erant) subolfecissent D. Ioannem à Lasco huc aduenisse,mox conuenerunt apud Archiepiscopum Gnesnensem,vnà cum Lipomano Veronensi Episcopo Legato hîc Pontificio,semotis arbitris (vt vocant) secularibus. Vbi totum diem consultarunt inter se,quid hîc facto opus esset, vt Dominum à Lasco omnium cõmodissime Regno eiicerent:èrc enim eorum hoc esse. Nam ipsum si maneat eorum carnificem fore (quod ipsum dixisse Cracouiensem Episcopum, affirmauit Nicodemus quidam) ac proinde tempestiuo opus fore remedio. Postridie verò Regem adeunt,primò Lipomanus:deinde etiam reliqui Episcopi turmatim omnes. Se compertum habere Ioannem à Lasco aduenisse, velléque Regem adire, vt cum ipso colloquatur. Quare supplicare se,ne eum ad colloquium admittat, eò quòd maximus esset hęreticus(qui nusquam gentium ferretur,ideóque nunc in patriam reuersum esse)

ac talis hîc olim pronunciatus esset. Quibus respõdit Rex, qui adhuc est pusillanimior. Verum quidem est, ipsum olim à vobis in vestris synodis hæreticum fuisse pronunciatum: sed non item à Regio, Regníque Senatu. Ioannémque à Lasco ac suos asseuerare & probare velle se non hæreticos, sed catholicos esse. Non video itaque qua ratione hîc vobis condescendam. Tum verò aiebant Episcopi, Regem hoc omnino facere debere, si modò vellet rectè consulere trãquillitati Regni. Non enim dubium esse quin multæ turbę hîc oborituræ essent, si hîc ferretur Ioannes à Lasco. Rex verò (dum illi nullum finem neque modum hîc facerent) iussit vt silerent. Iniquam enim & contra ius regni eorum esse postulationem. Quum verò illi iam viderent se primo illo ariete nihil effecisse, mille mendacia ab eo die impudentissimè excogitarunt, quibus Dominũ à Lasco passim & præsertim apud Regem ipsum grauarunt. Inter cætera asseuerantes ipsum D. à Lasco venisse in Poloniam, vt arma sumeret cõtra Regem: vtque impleret hîc omnia turbis & seditionibus: eum obequitare Episcopatum Cracouiensem centum aut ducẽtis equitibus, passimque iam sub ipsum eius aduentum demoliri in templis omnia pro suo arbitrio, & id genus alia multa: quæ omnia adeò constanter referebant, firmitérque asseuerabant, vt Rex cœperit aliquãdiu sinisterius quippiam suspicari de Domino à Lasco, eique infensior esse, donec ipse cum Procere quodam, affine Domini à Lasco de hoc ipso expostulasset. Ille enim dixit Regi, ea omnia nihil esse quàm meras calumnias, multò impudentissimè excogitatas, & confictas ab ipsius aduersariis. Hócque Regem sibi persuadere debere: sese in veritatis stabilimentũ hîc fidem ac etiamnum vitam suam pignoris loco interponere velle. Ad cuius demum verba regius animus cœpit mitescere. Aítq; illi Rex, Tu scis eiusmodi turbas ac motus magnorum regnorum excidij occasionem plerũque fuisse. Quare dic D. à Lasco vt ipsi inter vos (qui sanguine & affinitate iuncti estis) Religionis negotiũ agatis, videbis & ipse breui me maiorem Dei quàm hominum rationẽ habiturum esse. Quod vt det Deus Optimus Maximus ad incremẽtum regni sui etiam atque etiam, obnixéque oramus. Porrò comitia illa nuper Warssouiæ habita non omnino adhuc ex animi nostri successerunt sententia: adeò furiosè sese opponit Satan propagationi Regni Christi Domini. Illa autem propter bellum istud Liuonicum, ad quod se nunc accingit Rex, veluti abrupta fuerunt, vt tractatio de Religione ac Reformatione Ecclesiarũ reiecta fuit in proxima Comitia, quibus nõdũ dictus est dies. Interim Nobilitas tota summa vtitur libertate, in quos nulla cadit Episcoporũ inquisitio: qui etiam sibi ac suis Euangelicos concionatores alere possunt. Et sperãdum est tandem, nos hîc aliquando fœliciores progressus habituros esse, nisi nos nostra ingratitudine iram Dei in nos prouocemus. Turca non ita pridem habuit suum Legatum apud Ioannem 11. Regem Vngariæ, dum comitiis illis regni celebrandis impediretur, misítque ei vexillum quoddam Turcicum, suo ipsius intersignio insignitum, iubens vt copias suas omnes quas cùm ex Polonis, tum ex Vngaris, colligere possit, sub eo vexillo Viennam versus, proximo verè educeret aduersus Ferdinandum. Quid verò Ioannes responderit aut facturus sit, adhuc ignoramus. Sed veremur ne Turcæ addictior siet quàm par sit, sicuti ipse nuper non obscurè declarauit, ad iussum Turcæ mittendo ei quendam insignem capitaneum (quem detinebat) qui à Ferdinandi partibus fideliter semper steterat. Deus interim misereatur nostri ac Viẽnæ, quæ hactenus firmum aduersus Turcarum furorem & potentiam Christianis fuit propugnaculum. Vale mi Domine Caluine, mihi perpetuò colendissime in Christo Domino, cui ego te tuúmque ministerium commendo ex animo. Salutat te peramanter Dominus à Lasco, cui per otium nõ licuit nunc scribere. Saluta mihi D. à Sancto Andrea, Raymundum, D. Io. Budæum ac reliquos fratres in Domino. Cracouiæ, XIX. Febr. M. D. LVII.

Tuus vt suus multóque addictissimus Ioannes Vtenhonius.

Ita nunc obruor curis ac negotiis, mi Caluine, vt nihil possim scribere. Hinc hostes, hinc falsi fratres nos adoriuntur, vt nõ sit quies vlla. Sed & pios multos habemus, sit Deo gratia, qui nobis sunt & adiumento & consolationi. Vtenhonius noster nouit omnia. Itaq; quę is scripsit, à me scripta esse cogitabis. Vale. Saluere officiosissimè iubeo fratres in Domino omnes.

Ioannes à Lasco manu propria.

Riche-

RICHERIVS N. S. D.

Gratia & Pax à Deo per Iesum Christum.

NOlui oblatam occasionem præterire, frater, quin tuam humanitatem de rebus nostris certiorẽ facerẽ: imprimis notum tibi esse velim beneficium, quod à Domino hactenus accepimus, vt eiusdem bonitati digneris nobiscum gratias referre. Id vtiq; est quemadmodum optamus. Quãdoquidem omnium nostrûm talẽ pro sua bonitate habuit curam, vt per tam varia terrarum & maris discrimina, omnes nos ad portum sanos & incolumes perduxerit. Satan quidem vt est sui similis diuersis nos in itinere exposuit periculis: sed vt filij (etsi hoc nomine indigni) experti sumus semper tanti Patris manum auxiliatricẽ: quam etiam benignè exporrigit in dies magis ac magis erga nos. Altero die postquã appulimus Villagagno, voluit verbum Dei publicè prædicari: deinde subsequẽti hebdomada sacrosanctã Christi Cœnã administrari expetiuit, quã & ipse cum aliquot è suis domesticis religiosè adiit, reddita primùm suę fidei ratione cũ magna Ecclesiæ quæ aderat ædificatione. Quid cõmodius nostro instituto cõtingere poterat? Quid demum votis omnibus nostrũ respõdisset opportunius, quàm vt his tesseris apud nos vera appareret Ecclesia? Talibus beneficiis dignatus est nos prosequi benignus ille summus Pater. Regio hæc autẽ, quòd sit inculta raróq; habitatore, nil ferè profert quòd nostrates vel gustare vellẽt. Miliũ quidẽ, ficus sylvestres, & quasdã radices quibus farinã ad viaticum cõficiunt, suis gignit incolis. Panẽ verò nõ habet, nec vinum aut quid vino proximum profert. Imò nec fructũ aliquẽ (quẽ nouerim) quo quãdoq; vsi fuerimus. Nihilominus tamẽ nobis bene est, & recte valemus, imò vt me exẽpli vice proferã, vegetior sum solito: sed & id omnibus aliis commune est. Beneficium aeri ascriberet physicus, qui adeò temperatus sit vt nostro respondeat Maio. Sed ne tãta summo illi Maximo & Optimo numini irrogetur iniuria, dicam quod sentio. Hoc modo paternum suum affectum nobis aperit bonus ille cœlestis Pater, qui hîc in tam barbaro & agresti solo suum nobis ministrat fauorem, adeò vt experiamur viaticum hominis pẽdere non è pane, sed è verbo Dei, cuius fauor hic nobis est omnium deliciarum loco. Vnum est quod nos non mediocriter vrget & angit, populi scilicet barbaries quæ tanta est vt maior esse non possit. Non affero, quòd sint anthropophagi, quod tamen illis adeò vulgare est vt nil magis: sed doleo crassam mentis ipsorum hebetudinem, quæ mediis in tenebris tamen est palpabilis. De virtute Patris quãuis ethica, nihil norunt prorsus, bonum à malo non secernunt, deinque vitia quæ natura in cæteris gentibus naturaliter arguit, loco virtutis habent: saltem vitiorum turpitudinem non agnoscunt, adeò vt hac in re à brutis parum differant. Cæterum quod omnium pernicioſissimum est, latet eos an sit Deus, tantùm abest vt legem eius obseruent, vel potentiam & bonitatem eius mirentur: quo fit vt prorsus sit nobis adempta spes luctifaciendi eos Christo: quod vt omnium est grauissimum, ita inter cætera maximè ægreferimus. Audio quidẽ qui mox obiiciet eos tabulam rasam esse, quæ facilè suis possit depingi coloribus, quòd natiuo huiusmodi colorum splendori nihil habeat contrarium. Sed norit ille quantùm impediat idiomatum diuersitas. Adde quòd desunt nobis interpretes, qui Domino sint fideles. Proposueramus quidem illorum ministerio & industria vti: scilicet reperimus illos ipsissima esse Satanæ membra, quibus nihil magis inuisum quàm sanctum Christi Euangelium. Proinde hac in re nobis operæpretium est sistere gradum patientérque expectare, donec adolescentuli, quos Dominus à Villagagnone barbaris huius patriæ tradidit erudiendos, norint naturalem ipsorum distinguere linguam. Ad hoc enim illi apud eos degunt & versantur. Faxit Deus vt sit hoc illis citra aliquod animarum suarum periculum. Nam vbi hoc munere nos donarit Altissimus, speramus hanc Idumeam futuram Christo possessionem. Interim expectamus frequentiorem populum, cuius cõuersatione & formetur hæc natio barbara, & nostra Ecclesia suum accipiat incrementum. Abundaremus vtique omni bonorum copia, si hîc frequens adesset populus. Nam quòd tenuis & modica nostra sit annona, id efficit rarus habitator, & somnolentus agricola. Sed iis omnibus prospiciet Altissimus. Nos verò nostratum omnium Ecclesiarum precibus commendari obnixè cupimus. Ex Gallia Antartica. Pridie Aprilis. M. D. LVII.

Tuus P. Richerius.

Io. Calvinvs N.N. s. d.

Ex gall. ACcepi,fratres dilectissimi,nouas & pergraues molestias vobis exhiberi ab hostibus veritatis,vt totus in eo est Satan,dum Filij Dei Regnũ promoueri, ac piorum numerũ augeri animaduertit,vt nullũ nõ lapidem ad ipsos deiiciendos moueat.Quòd autẽ Dominus interdũ laxat habenas impiis,vt nobis noceant,mirum videri nõ debet.Æquissimum est nempe ita probari fidem nostrã, nósq; verè testari quo in pretio nobis illa sit,dum afflictionibus in nos propter salutis doctrinã sæuientibus,immoti tamen omnibus peractis stamus.Quòd autem innata infirmitas nos hîc quoq; cõstringit, tantò maturius ad illius præsidiũ accuramus, quem posse & velle nostra causa dubitare nõ possumus.Vt autẽ impetus illi aduersariorum, dum in nos impingunt, nõ mediocrẽ ad ipsos sustinendos fortitudinẽ & robur requirunt,ita etiã illorum artes,& doli singulari quadã cautione nobis sunt euitandi.Durum est multis,quòd in vitæ & facultatũ discrimen vocentur pietatis nomine : sed illud longè deterius,vbi obliquis rationibus,& cuniculis à spe in Deũ,& timore abducẽdi lactantur.Et hoc illud est rete,quod à bicorni illo Episcopo nunc vobis iectũ est, dũ trimestre spatium ad remittendũ Euangelio nuntiũ indulget.Sic infirmæ animæ in exitiũ pertrahuntur. Attendite vobis igitur, atq; ab istiusmodi cogitatione nõ secus atque à certissima suggestione Satanæ abhorrete.Cui enim hoc vel leuissimè in mentem venire potest,renuntiãdús ne sit & abnegãdus sibi,à quo tam charo redemptus,in ipsius ius & seruitium omnino transierit.Neq; verò vlli flãmarum etiã æstus & veluti inundationes, quæ corporibus minãtur tantùm,quòd vnum possunt, quidquam sunt ad illam animarum pestilentem inhalationem,quæ in æternum exitiũ tandẽ adductura sit.Quare cùm illos veritatis hostes nihil nõ moliri animaduertitis,vt vos à via abducant, agnoscite simul illo artificio vobis retecto,Dominũ receptui suis canere. Ergo vbi seriò res agitur, præstate vos Christi milites,ac cõstanti fide Satanæ insultando , vniuersas ipsius aduersum vos instructas machinas dissicite:à mundo quoq; vos subducite , à quo non minor pernicies vobis etiã imminet.Illud denique cogitate,sic esse voluntatẽ Domini,vt præsentis examinis occasione retecti,tantò fœlicius sub ipsius præsidium accurrendo quiescatis,modò etiã in illo abscõdito Altissimi firmi & immoti perstetis:& quæ ad vos alliciendos ostentat Satan per nequitiæ suæ instrumenta , illa semel vobis vt infames scopulos præteruehenda statuatis. Valete dilectissimi fratres. Dominus sua dona in vobis cumulet,vt quæ instant aduersa,eluctemini, vos regat suo Spiritu, vt in recta via ad extremum vsque pergatis.Breuior autem fui,cùm N.fratrem nostrum pluribus ista complexurum pro Dei in ipsum gratia confisus sum. M. D. LVII.

Io. Calvinvs N.N. s. d.

Charitas Dei Patris & Gratia Domini nostri Iesu Christi vobis semper adsit per Spiritus sancti communicationem.

Ex gall. NOn dubito,dilectissimi fratres,quin illud plerisque vestrûm in mẽtem venturum sit,me alienissimo tempore hoc ad vos scribendi munus aggressum esse,cùm ita passim feruet impiorum crudelitas, vt vel ad minimã olei guttã immanius exarsurã timẽdum sit. Atqui longè falluntur, qui in eo vno timore defixi,his de rebus ita sentiunt. Ego verò hoc illud tempus esse vobis cõfirmo, quo veri exhortationũ stimuli figendi sunt,quiomnes seriò excitent, animósque reuocent ad bellum hoc Domini strenuè militandum. Persecutiones nimirum ab impiis luctæ Christianorum sunt, quibus fidei & constantiæ suæ documentum edãt. Nunc igitur ad arma currendum est,quæ nimirum vno Dei verbi nomine aptissimè cõtinentur.Quò verò suæ quisque infirmitatis sibi conscius est magis, eò sese maturius ad Domini armamentarium cõferat. Atque hîc sese detegit pudenda illorum indignitas, qui suis malis adeò securè indormiunt. Qui quum sese omniũ debiles maximè ostẽdãt, & ad folij cadẽtis strepitũ cõsternẽtur,iidẽ omnium maximè à singulari remedio quod offert ipsis Dominus abhorrent. Vos verò dilectiss.fratres agnoscite omnino,quàm opportunũ sit istud erga vos meũ studiũ,dum flãmã persecutionũ exęstuat,pręsentémque piis intentant omnia mortem. Nam & hîc mos erat olim apud sanctos illos martyres,

vt quò

vt quò desperatiorem tyrannorum rabiem aduersus Christi nomen in ipsorum supplici-
ciis insectandum experiebantur, eò magis laborarent ad sese mutuò excitandos, & sanctis admonitionibus conglutinandos: sic etiam Dominus ipse proposito discipulis turbulento illo statu rerum omnium, cuius nunc faciem intuemur, Vos interea, inquit, exultate, & attollite capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. Hoc si apud nos ipsos nõ ita nunc assequimur, enitamur saltem aduersus nostram illam deiectionẽ, quæ beatæ illius exultationis sensum à nobis percipi non sinit. Nam vestra me pericula non ita fugiunt, vt præcipiti aliquo zelo cõmittam, quòd furentibus aduersariis occasionem vllã præbeat: Sed tamẽ ratio quædã hîc est adhibenda, vt qui noua confirmatione indigent, illi re tam necessaria non destituãtur. Vos ipsi iudicate, annon iam vestrum plurimos occupet incredulitas, quæ afflictos humi tenet, quasi Deus iam nullus sit. Hinc illi colligãt quæ mihi necessitas incumbat, vt quacunq; ratione ad cor ipsos redire cõpellã, ne Dei in ipsis gratia penitus extinguatur. Sanè nihil hoc noui est, si vt oues in mediis luporum faucibus, nunc multò magis exacerbatos aduersum vos osores veritatis sustinetis. Non est hoc etiã vnius loci. Cogitate nimirũ eadem quoque afflictiones à vestra quę in mundo est, fraternitate impleri. Nũc igitur reipsa testemur, an frustra in Domini schola edocti fuerimus. Certũ esse enim debet illi vni & viuere & mori, qui pro nobis semel ipse est mortuus. Neq; suo nomini respondet fides nostra, dũ victoria aduersus mũdum appellatur, si in vmbra tãtùm, & extra telorũ iactũ lacertos intẽdimus: sed tum demum cũ illa probè instructi, Satanã ipsum cũ suis omnibus machinis despicimus atq; pedibus cõterimus. Ipsa etiã Euangelij doctrina non eò spectat, vt quis de illa in otio sermonem habeat, sed vt ipsa seriò imbuti, nihili fieri mundũ à nobis & quæ in mundo sunt, præ cœlestis Regni gloria ostẽdamus. Proinde qui ita percelluntur ad nomẽ persecutionum atque instantes motus, vt exanimes ferè cõcidant, perquã tenuiter in Dei schola profecerunt. Sanè quòd timore corripimur, humanũ est, & à nobis alienũ esse non potest. Cúmque ipse Dominus hoc in nobis toleret, absit vt Domino erga alios duriores ipsius serui simus. Et qui se ita cõmotos sentiunt, animum ne despondeãt, quasi ad defectionẽ vsq; elapsi essent. Illud modò quod summũ est properemus omnes, vt fomẽtis omnibus infirmitatis nostrę vale dicendo, ab illa ipsa sensim enatemus, auctore & ductore Domini Spiritu. Nihil enim est à Christianorum nomine magis alienũ, quàm si Filio Dei exercitum lustrante, ac suos in præliũ missuro, ita demum trepidi & metu quasi extincti deprehendimur, vt iã ex illo numero vt disertores expungendi simus. Obluctãdum igitur carni vt spiritus perduelli: atq; vt condonet nobis Dominus, ipsi nobis ne cõdonemus, sed rigidi iudices aduersum nos ipsos sedeamus. Addat sibi quisq; etiã stimulos, pro suæ tarditatis cõscientia: & qui nos ad officiũ tam malè cõparatos agnoscimus, exoptemus & boni cõsulamus, aliunde etiam ad officium excitari: agnoscamus & illud Dei opus erga nos, quòd suis occasionibus aurẽ nobis vellicat, & somnolentos pungit ad viuũ, vti nostram tarditatẽ sibi medicandam esse vnus nouit optimè. Porrò si quid est in iis quæ piis Martyribus cõtingũt, quod nos omniũ maximè percellat, acerbitas suppliciorum est, quibus illi exquisitissimis addicuntur. Et sanè terribilis quædã rerum facies illic existit, quæ non satis cõstantes cõcutiat. Hoc verò vbi vel in oculos incurrit, vel in mẽtẽ venit, subeat & illa præsentissima cogitatio, de inuicta illorũ cõstãtia, animíq; fortitudine, qua suos illos Dominus tũ minimè omniũ destituere solet. Quidquid enim excogitẽt osores veritatis, vt seruos Dei de gradu deiiciant, illa Spiritus Dei virtus quæ ipsis inditur, omnem pœnarum horrorem superuincit. Stet illic nempe Satan armatus, sesẽq; totũ excutiat, vt fidelibus pudorem incutiat, ad defectionem cogat, à salute auertat, eò deniq; numerosa illa furoris sui instrumenta conferat, ac nullũ crudelitatis genus intentatũ relinquat. Atqui in mediis illis cruciatibus quibus serui Dei secũdum carnẽ excarnificantur, illa perpetua & cõstans nominis Christi confessio, quæ in ipsis tum longè ardentior sese ostendit, apertè clamat, potentiorẽ longè esse, qui ita tum suos fulcit atq; cõfirmat, dum ex horribili illo cõgressũ victrices tamẽ absumptis corporibus animas, cum inuictę veritatis trophæo propugnatori cœlesti sistunt. Quid igitur? illa nempe aduersariorum immanitas, quæ vel ipsis frendentibus Martyrum cõstantiæ cedere cogitur, plus valebit ad nos deiiciendos, quàm ad excitandos virtus illa ex alto, qua Dominus in suis & luctatur, & vincit, & triumphat? Et vos agnoscitis manum Domini pro suis sese exerentem, vt in illa non acquiescatis? Ac fides Martyrum in media morte caput attollet, vt mortis illorum occasio fidem extinguat in vobis? Quare dilectissimi fratres, dum

Lucæ 21.28

1.Io.5.4.

ſuos illos furores in ſeruos Dei tyranni deſpumant, vos ipſi mentis oculos ad intuendam Dei opem & auxilium intendite: ac quum magnos illos athletas ab ipſo nunquam deſeri compertum habueritis, colligite animum, & in lucta illa aduerſus carnem & ſanguinem eouſque progredi contendite, illámque vobis fiduciam comparate, vt beatos eſſe nos ſentiatis ſiue in vita, ſiue in morte, qui modò Chriſti ſumus. Atqui nihilominus iuſti illi crudeliſſimè accipiuntur ab impijs, quorum ſcelera dum inulta ſinit Dominus, tantò magis eorum in nos furor exardeſcit. Sic eſt nempe Domini voluntas, vt cùm hîc nobis durandum ſit, & ſubeundum quod ipſe imponit, noſtram vt Eccleſiæ ipſius ſortem agnoſcamus. Nam & Eccleſia Domini nouali comparatur, per quod vltrò citróque protractis ſulcis totum tandem in glebas comminuitur: ſic inquam vt eſt in Pſal. 129. Eccleſiam Domini tergo obiecto impiorũ ſæuitiæ quaſi vomere perducto exarari oportet. Ac ſi nobis illud durum eſt & contra animi ſententiam, ſatis ſit verò, quòd Dominus ita nos quidem exponit morti, vt eandem ſimul in vitæ & ſalutis occaſionem nobis conuertat. Imò ſi rem ipſam vt eſt, expendimus, optabilius nobis illud erit, cùm pro ipſius nomine conſtanter aliquid ferre dabitur, quàm ſi veritatis profeſſion ẽ remota afflictione teneremur. Neque enim percipimus tam bene quæ ſit Spiritus Domini vis, nobis in portu nauigantibus, atque vbi in altum afflictionum delati, ſpei remigio tamen ſalui & erecti conſiſtimus. Facit autem noſtra cæcitas vt illud minus liquidò percipiamus, quod Dominus tamen cuius oculi certius multò intuentur, ita vti expedire nouit, reipſa etiam proſpicit. Dubitandum igitur non eſt, quin ad ſuorum ſalutem Dominus dirigat, quòd ipſos ſuo modo exerceri ſinit: nobis verò ſtatuendum, non aliud magis exoptandum nobis eſſe, quàm quod vnus ille pro ſuo arbitrio de nobis ſemel ſtatuerit. Quòd niſi primaria illa ratio, ſic eſſe volũtatem Dei, veram in nobis acquieſcẽtiam vt ita loquar, ſola iam parit: ipſi demum & aliæ accedant, quæ nos etiam ad officij rationem agnoſcendam amplectendámque conſtringant. Nam & fides noſtra cùm auro vel argento ſit pretioſior, non minus ſerium examen ſubeat oportet: & mortificatio noſtra quæ vocationis noſtræ ſcopus eſt, ſenſim ita in nobis progreditur: & affectus innati à rebus præſentibus auelluntur: & tot cupiditates prauæ nobis etiam incompertæ corriguntur: ſic tandem perpetuus ille noſter & natiuus tumor, quem nunquam bene exuimus, appoſitè omnino retunditur. Sic præterea admonemur quàm incomparabile ſit pretium verbi Dei, cùm vbi gratis & ſine ſudore obtruditur, vileſcere nobis ſoleat. Omnium porrò ſummum illud eſt, quòd per afflictiones Euangelij, conformes efficimur imaginis Filij Dei, cùm æquius nihil ſit, quàm extare iſtiuſmodi inter caput & membra conuenientiam. Ex quibus manifeſtè efficitur, adeò noſtras pro veritatis teſtimonio afflictiones non eſſe derelictionis à Deo argumenta, vt tum potius in ſalutem noſtram omnibus modis promouendam illa à Domino diſponi conſtare nobis oporteat. Quod verò ſenſus noſter contrarium prorſus dictat, illud eò fit, quia natura hîc nidum figere geſtimus, Regni Dei & rerum verè noſtrarum obliti. Et ſanè cùm in cœlo demum nos triumphus maneat, ad bellum accinctos eſſe oportet, quãdiu in terra verſamur. Ergo vbi vobis ſeriò iſtis de rebus cogitãdum eſt, nolite dubitare quin Dominus ipſe vos quãtùm opus erit, confirmaturus ſit, vti idoneis exemplis non obſcurè teſtatus eſt. Nouit enim temperare ipſas tentationes ad illud virium, quod ad eaſdem excipiendas nobis ipſe collaturus ſit. Docet etiam Scriptura nominatim, nullam in nos fore tyrannorum poteſtatem, niſi quantùm Dominus ipſe permiſerit. Ipſum verò quidquam illis permiſſurum in nos quin primã noſtri rationẽ habeat, indubium eſſe debet: de exitu ergo ipſe etiam proſpiciet. Nempe illud nos exanimat, quod in infirmitatis noſtræ ſenſu defixi hæremus. Quin igitur oculos tandem leuamus ad cœleſte illud auxilium, quod neque temere ab ipſo expectare, neque fruſtra implorare poſſimus. Meritò igitur abeſſe à nobis ſentimus, quem ſeſe nobis offerentem adire negligimus. Imò verò eouſque etiã ſpes noſtra porrigenda eſt, vt poſt ſtatutum à Domino examen de Eccleſia ſua habitum, Dominum ipſum tyrannorum impotentiam coerciturum expectemus, vt vel inuitiſſimi Eccleſiam tamen reſpirare ſinant. Hoc dum fiat à Domino, poſſideamus in patientia noſtra animas noſtras: ſic tamen vt extaturam illam promiſſionem quæ ſubiicitur Pſal. illo 129, nouerimus, Præcidit Dominus funes illos aratorios, quibus trahæ & tribulæ in nos tamdiu protractæ fuerant. Et Pſal. 125. Virga iniquitatis non incumbet perpetuò hæreditati iuſtorũ, ne iuſti malis fracti ad malum ipſi declinent. Vtvt ſit igitur, ſic illa quæ in fratribus ſeſe exerit conſtantia, affici vos oportet, vt illius exemplo confirmati in eadem

dem fide perſtetis. Atque vt martyrum cineres proditum eſt ſemen eſſe Eccleſiæ, non minus etiam illorum ſanguis roris inſtar ſit oportet, quo perfuſi creſcatis, & ad ſanctum vitæ exitum vos cõparetis. Et qui apud Dominum adeò pretioſus reputatur, apud vos ſterilis eſſe non debet. Sic teſtatur Apoſtolus ſua vincula non parum valuiſſe ad Euangelij promotionem, & certa illa ſpe ſeſe erigit, quòd morte ſua Chriſtum non minus quàm vita glorificandum ſtatuat. Phil. 1. Nec immeritò ſanè, quando, qui pro Euangelio laborant, ſiſtuntur illic à Domino vt iuris ipſius aſſertores, idque non quod idonei ſimus, aut ipſe noſtra procuratione opus habeat, ſed quatenus inſigni illo honore nos dignari ipſi viſum eſt, noſtrum quoque laborem fructu apud Eccleſiam carere non ſinit. Quare deteſtãda eſt prorſus illa perditorũ & hypocritarũ hominũ blaſphemia, qua ſanctis tot martyribus obſtrepere audent, quaſi inuicta illorum conſtantia ad mortem ſubeundam & pietatis profeſſio neſcio quid ſcandali afferrent. Scilicet iſti audiendi, quibus Chriſtus nihil ſapit omnino, imò qui Chriſti loco idôlum comminiſcuntur, dum ſcandalum illic affingunt, vbi amplectenda nobis eſt certiſſima obſignatio fidei noſtræ, cuius beneficio ipſa Euangelij veritas in nobis quaſi rata firmáque reddatur magis ac magis. Atqui dum eos non pudet, illa Dei ſeruos temeritatis nota aſpergere, qui ſeſe ad mortem offerunt pro Chriſti iure propugnando, ſuo tandem ſummo cum opprobrio ſentient, quantò Deo ſit acceptior illa quàm ſuggillant temeritas, ſua illa mundana ſapientia aut merè diabolica verſutia, qua vt ſe quouis periculo eximant, certam ſibi Dei veritatem adulterare, adeóque eiurare non detrectant. Horrendum planè, quod qui ſe Chriſtianos appellant, ſtatim atque Chriſtus ipſis cum ſua cruce occurrit, ita hebetes & demẽtati inueniãtur, vt ipſum auerſentur, & ab omni affectus aut notitiæ etiam ſpecie ſeponant. Vos autem veſtrorum illorum fratrum ſanguinem, qui in teſtimonium veritatis effuſus eſt, & Dei gloriæ ſacer ac dicatus manet, ſancta cum reuerentia apud vos ipſos agnoſcite. Tum verò exemplum illic oblatum vobis ſtatuite, ad quod inſequẽdum piæ illæ animæ vos iam ex portu compellant. Hoc ſi vti par eſt minus ab affectu comparatos mouet, quòd ab officio præſtando tantùm abſitis, videte, vt & quod deeſt vobis, requiratis apud Dominum, & veſtræ illi vitioſitati quæ ab officio vos adhuc reuocat, ſeriò ingemiſcite. Illud enim eſt omnium peſſimum, quum in ſuo metu quis ſibi blanditur. Et fides ipſa diutius ſopita eſſe non poteſt, quin tandem etiam planè ſuffocetur. Sic res cedit nempe perſonatis illis qui tantùm ſapiunt, vt & cum Deo ludant ad tempus, vt cum ſua illa ſimulatione horrendum in modum excidant à cognitione Euangelij, ac ſi de eo ne per ſomnum quidem vnquam cogitaſſent. Quandiu verò grex Domini, ita à lupis diſſipatus & tantùm non diſcerptus iacebit, vos qui illius oues eſtis, ad ipſum ſummũ paſtorem accurrite, ac vobis & veſtræ infirmitati gratiam & veniam orate. Orate etiã vt ipſe exerat potentẽ manũ aut ad ipſoſmet aduerſarios in ouile ſuum traducẽdos, aut vt immanes belluas profliget, obturet ora ſanguinantia, vngulas feroces atterat, ac ſemel impotentem illorum rabiem compreſſam teneat. Orate & vt Dominus ipſe ſuam illam ad dexteram Patris ſeſſionem digniſſima occaſione illuſtret, dum & Maieſtatis ſuæ gloriam & ſuorum ſalutem aſſeret. Sic nempe certa vobis à Domino leuatio malorum expectanda eſt, quum lachrymæ & preces ſeriò vos illi humiliatos ſiſtent. Abſit enim à vobis quòd nonnullis accidit, contra perſecutores frendere, dum ab illo præſidio ſeſe auertunt, ad quod vnum ſumma vis perſecutionum nos compellit. Vtinam verò mihi per Dominum liceret, propius vobis manum porrigere quouis modo. Quod quando non datur, meas demum preces ad Dominum interpono ac ſupplex rogo, vt qui vos omnes ſemel Domino Ieſu Chriſto cuſtodiendos tradidit, reipſa patefaciat, quàm certo loco ſalus veſtra conſtituta ſit illo vos protegẽte, vt ipſius quoque arbitrio vos deducendos velitis & permittatis: vtque veſtri, ac omnium qui affliguntur miſertus, ex impiorum faucibus vos eripiat: ad ſummum, vt qui vos ad participandã veritatis ſuæ cognitionem vocauit primùm, ita in vobis cumulatam in dies præſtet, vt eiuſdem fructus in vobis extet ad perpetuam ipſius gloriam, Amen.

Io. Calvinvs N. s. d.

Etſi Dilectiſſima in Domino, non ea in te extiterit conſtantia & animi fortitudo vbi oportuit, quæ debuerat, & quæ à nobis ſpe cõcepta erat, vti à te Dominus requirebat, videndum eſt tamen vt & iſtius tui lapſus ſeriò pertẽdeat, & tamen animum non deſpondeas, vt deficias magis. Sanè cùm nullus color à te poſſit ad tam apertũ malum eleuandum adduci, cauendum eſt inter-

ea,ne Satan pro suo ingenio ad desperationem te impellat,vt à Deo prorsus alienet.Quare ipsius machinæ nobis retegendæ sunt,vt & ipsis eamus obuiam. Modus autem ille expeditus erit, si ad peccata illa iam admissa cumulum deinde non addideris. Coram iudicibus non fuit à te responsum vt oportuit.Marito vt satisfaceres, nimium cõcessisti. Si ita deflectere pergis, periculũ est ne quidquid in te cõtulit zeli & synceri affect⁹ Dominus, emoriatur. Nõ est verò mediocre malum,cum infideli profiteris te ipsum Domino anteferre paratã esse.Quare cùm ex eo quòd nõ bene apud te cõstitutum habueris Deum syncerè & simpliciter ducẽ sequi,ita tibi excideris,sic ingemisce tanto casui,vt te etiam in illo erigas,qui potens est te quoque aduersus omne genus tentationes victricem reddere.Optandum est quidem,vt virum quouis modo lucrifacias:atque vt Christi iugum detrectet,nulla ratio tamen finit,vt te ab illo auertas.Vt verò illi ita obsequaris, vt hoc cum sacrilegio coniunctum sit:vt te cum illo reconcilies,vt cum Deo diuortium facias: vt maledictam pacem foueas cum illo,cœlestem aduersum te iudicem prouoces: ac in coniugij terreni & momentanei gratiam,sacrum illud ac perpetuũ vinculum quo cum Christo Dei Filio Seruatore nostro coniuncti sumus,abrumpas: an verò vel centies potius adeunda mors non esset,tibi iudicandum relinquo. Quòd si eousque Deum semel tentares, habet Satan horribiles laqueos,ad illos circuncipiendos, qui se ita perditum eunt.Vide igitur,vt cùm te Dominus hactenus retinuerit, & retineat adhuc, ne tibi vlterius indulgeas.Hoc autem pro solicito in te meo studio prædico, etsi nõ diffido, quin Pater misericordiarum quod in te cœpit,impleat.Sed nostro periculo tandẽ notos esse nobis & cautos reddi oportet, nisi quod absit,donum Dei temere negligimus in nostrã perniciem.Quatenus autem marito morem gerere debeas,non est expeditum mihi cõsilium offerre,cùm multa incidere possint, quæ mihi perspecta non sunt. Tantùm à te contendam,ne semel labyrinthum ingrediaris,ex quo nunquam exitus sperãdus sit:sed in eo fixa maneas,quòd Deo sit obediendum.Tu autem illum inuoca, cuius vnius ope contra quosuis insultus qui te cunque manent,firma statura sis: simul etiam precare vt Spiritu prudentiæ & cõsilij te instruat, vt te quibusuis difficultatibus expediat. Ego verò illum etiam tuo nomine orabo,vt reipsa ostẽdat te in ipsius præsidium & Spiritus sancti directionem & tutelam ab ipso receptam esse. x.Aprilis. M. D. LVIII.

CALVINVS ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. PHILIPPO Lantgrauio Hessiæ, &c.

ILlustrissime Princeps ac Domine, Etsi mihi satis conscius sum meæ tenuitatis:quia tamen persuasus sum me à V. C.vnum ex fidelibus Christi seruis censeri,& eandem beneuolentiam quam olim expertus sum, manere adhuc confido:non opus habet hæc mea commendatio longa excusatione, ac si plusquam par sit mihi arrogem: quia in tãta necessitate crudelis esset mea segnities vel cessatio.Nec verò antehac quum ad V.C.profecti sunt duo isti fratres mei,alia de causa abstinui à scribẽdo,nisi quia verebar, ne mea sedulitas vt superuacua, ita & molesta foret:quum V.C.ad præstandum officium vltrò satis propensam nouis stimulis vrgendo,aliquod diffidẽtiæ signum daturum mihi viderer. Nunc vt tertia profectio ab ipsis suscipitur,noua me ratio,vt meas preces adiungerem eorum postulationi, impulit,ne qua scilicet vobis suspicio obrepat,toties idem repetendo,eos intempestiuè satagere.Nam probabile est eosdem rumores qui per alias aulas vagati sunt, ad V. quoque C. delatos esse,nihil iam deprecatione opus esse apud Regem, quia sponte liberos dimitti iusserit, quicunque ob Euãgelij testimonium in carcerem conjecti erant.Et verum quidem est,ex magna turba septem tantùm fuisse exustos:sed longè fallitur qui putat modum sæuitiæ ideo fuisse impositum,quasi mansuefacti fuerint hostes, vel saturati innoxio sanguine.Tantùm inuicta Martyrum constãtia ad breue tempus eorum rabiẽ vel fregit,vel cohibuit.Nam quũ postremò pueros duos rapuissent ad supplicium, quos credibile erat ob teneram ætatem minus animosos& constantes fore,atque hoc modo tentassent aliquo defectionis exemplo infamiam & dedecus aspergere synceræ fidei, vbi sua spes eos frustrata est,deflectere cœperunt ad noua cõsilia. Examinatis omnibus quos viderunt ad mortem obeundã paratiores esse,& quibus in mundi opibus, vel splẽdida cognatione nihil erat subsidij,in speluncas abdiderunt, vt prima quaque occasione illinc ad mortem trahantur, cui iam se adiudicatos esse non dubitant: & res etiam

vulgò

vulgò nota est. Hi autem plures sunt triginta, tam viri, quam mulieres. Alij in cœnobia distributi sunt, quibus monachi essent velut quotidiani tortores. Quòd autē ex illo numero clam elapsi sunt multi, non clementia vel humanitate contigit, sed quòd monachis gratum fuit, quasi pestibus sua claustra purgari, ne serperet longius contagio. Interim tamen quantùm displicuerit hæc media ratio Cardinali, qui solus in aula regnat, ex atrocibus Regis minis, & conuitiis apparuit, ac si curia Parisiensis non satis viriliter, aut strenuè ageret. Tandem suppliciter per legatum suum petiit ab Antichristo Romano, vt inquisitioni præficeret tres Cardinales, quibus permissa est effrenis perdendi & mactandi licentia. Nouum etiam edictum promulgauit ipse, quo datur episcopis summa vitæ necisque potestas: nec Regiis iudicib⁹ aliud relinquitur, quàm vt sint illorū carnifices. Hinc omnibus nobis tacentibus, C. V. facilè pro sua singulari prudētia colliget quid futurum sit, nisi maturè obuiam eatur. Pro sua autem pietate studebit haud dubiè, omni cunctatione abrupta, leuare miseros fratres, quorum suspiria & gemitus meritò pias omnes mentes vulnerare, & ad opem ferendam assiduè stimulare debēt. Nec enim de solis captiuis agitur, sed de trecentis millibus, quos singulis momentis noui terrores exagitāt. Adhuc quidem nō Parisiis modò, sed in aliis Galliæ vrbibus ad preces & alia pietatis exercitia conueniūt nonnulli fideles. Verùm quum impendeat certum mortis discrimen, quominus vitæ suæ parcunt, eò digniores sunt, quibus ferantur suppetię, si qua ratio suppetat. Dominus V. C. Illustriss. princeps tueatur, omni bonorum genere exornet, Spiritúque inuictæ fortitudinis confirmet in finem vsque. Geneuæ, v I. Calend. Martias M. D. LVIII.

Io. Cal. D. Michaeli Dillero.

IEctis quas ad optimum fratrem nostrum Bezam scripsisti literis, præstantissimè vir, mixtum, vt par erat, dolore gaudium accepi. Nam quòd de fratribus nostris, qui ob Euangelij testimonium tenentur in Gallia captiui, tantopere solicitus es, quia inde colligo quàm sedulò causam eorum acturus sis apud Illustrissimū Principem, non parum lætor te nunc diuinitus oblatum esse fidum & cordatum adiutorē huic negotio. Interea cor meum grauiter vulnerauit eorum perfidia, qui nefarium quæstum facere non dubitant ex Martyrum sanguine. Ac eius quidem iam ante mensem non leuis mihi suspicio obrepserat: nunc verò non sine acerbissimo mœrore palàm cognoui, miseros fratres in Aula quoque vestra scelerate esse proditos. Quum hac transiret impius ille delator, qui persuasit Illustrissimo Principi legatione non esse opus, tale quiddam obliquè apud me attigit. Sed quum singulis propè verbis eius mendacia refellere promptum esset, speraui meis responsis nonnihil fuisse mutatum, vt saltem ad fingendum minus audax foret. Sed vt video, prorsus obdurauerat. Quia mihi ante annum nota fuerat eius futilitas, putaui initiò inconsideratè eum garrire de rebus incognitis. Tandem in sermonis progressu animaduertere licuit proditoriè ipsum agere: improbior tamen fuit quàm putaueram. Certè quòd quinque tantùm dixit fuisse exustos, abiecto pudore sciens & volens fefellit. Nam quo tempore in Aula erat, duo adolescentes, quorum alter annum decimumsextum vix ingressus erat, penè in eius conspectu rapti sunt ad supplicium. Si qua pietatis gutta præditus fuisset, hoc nescire turpe fuit. Quòd autem à me admonitus, & conuictus, eadem mendacia obtrudere non destitit, minimè tolerabilis impudentiæ est. Cohibita quidem hostium sæuitia fuit, quòd tam alieno tempore Germanos Principes offendere, non esse vtile putabant. Neque tamen ita Rex placatus fuit, quin sæpius mollitiem exprobrauerit Curiæ Parisiensi, quòd tam segniter exequeretur quod mandatum erat, de promiscua omnium cæde. Omnes enim optabat prius esse extinctos, quàm ad deprecandum venirent Principum lagati. Et quanquam multi ex iudicibus plus satis ardebant ad fundendum sanguinem, terruit tamen eos constantia quatuor virorum, nobilis vnius fœminæ & puerorum, à quibus initium fecerunt. Nam quum singulos blanditiis pellicere tentassent ad fidem abnegandam, viderunt eos alacriter ad mortem pergere. Hinc factum est, vt non ausi fuerint properare, sed quos videbant robustiores, & magis intrepidos tetris carceribus addixerint, vnde pro sua commoditate eos ad mortem trahant, simul ac libuerit. Certè pij fratres non dubitant de sua vita iam esse transactum: & vulgò notum est, haberi pro damnatis. Alios monachis in custodiam dederunt, vt paulatim langueface-

rent ipsorum fidem: imò vt sacrilegis superstitionibus se polluentes Christum abnegarent. Itaque piis hæc durior fuit conditio, quàm si in profundo carcere iacuissent. Et tamen maior pars ex claustris illis aufugit monachorum conniuentia, vel quòd molestum erat gratis eos alere, vel quòd sibi à contagione metuerent. Nemo quidem iudicum permissu hactenus exiit, nisi cum turpi defectionis nota, vt satius fuerit rectà eos ad ignem trahi. Nec est quòd miremur dilatum fuisse supplicium, quum astutè hostes ad breue tempus declinata inuidia aliam opportunitatem captauerint, quæ nisi maturè illis eripitur, laxabunt fræna suæ truculentiæ. Vnius etiam rei monendus es, quicunque damnãtur, paulò antè supplicium grauissimis tormentis cruciari, vt socios prodant. Ita in singulis mortibus centenæ quæruntur. Nunc quid te, eximie vir, vel rogem, vel horter, vt totum huic causæ te impendas, quum ipse anteuerteris, & voluntarius Bezæ nostro fueris hortator, ne fratres indignè à mercenariis delatoribus proditos desereret. Huic igitur tam piæ solicitudini vota mea adiunxisse satis est. Vtinam mihi liberum fuisset coràm gratias agere. Imò satagere etiam pro miseris fratribus, quorum gratia ne vitæ quidem parcerem. Sed quia iter meum, quasi aliud molirer, sinistris quorundam sermonibus fuisset obnoxium, non ausus sum pedem mouere. Bene autem habet, quòd duo in vnius vicem succedunt, qui mihi sunt veluti duę animæ, & summa dexteritate peragent, quod ego pro mea virili conarer. Vale ornatissime vir, & frater mihi obseruande. Dominus semper tibi adsit, te gubernet, laboresque tuos benedicat. Geneuæ, VIII. Calendas Martij. M. D. LVIII.

Io. Calvinvs D. Othoni Henrico Principi Electori s.

ILlustrissime Princeps ac Præstantissime Domine, quum antehac ad Vestram Celsitudinem profecti sunt optimi fratres mei, Theodorus Beza & Ioannes Budæus: quamuis meo rogatu iter illud susciperent, vt causa illa piis omnibus communis erat, me verò inter alios patronum pro ratione mei offic j. postulabat, non ausus tamen sum quod maximè optassem, quidquam commendationis illis dare: quia verebar ne superbum videri posset, hominem Celsitudini Vestræ adhuc incognitum scribendi licentiam sibi sumere, ac si qua auctoritate vel gratia polleret. Sed iustior quàm vellem mihi oblata est excusatio: quia scilicet quod tunc facere vetuit pudor, nunc cogit & extorquet necessitas. Ex eorum quos dixi relatu, cognoui Celsitudinem Vestram ad miseros fratres iuuãdos & leuandos magis propensam esse, quàm vt meo vel cuiusquam hortatu excitari opus sit. Sed vbi exposuerint, quomodo nunc res habeant in Gallia, plenámque & liquidam narrationis fidem fecerint: non modò sanctum eorum studium in hac secunda expeditione laudabit V.C. sed mihi facilè concedet, vt adiutor ipse quoque accedam. Quum tam liberaliter & vno cõsensu nec minus syncero hauddubiè cordis affectu vos, Illustrissimi Principes, afflictos fratres vobis fore curæ polliciti essetis, mirati sumus, & illi etiam nobiscum, vnde iniecta esset mora legationi, quæ iam decreta fuerat. Putauimus tamen vos interea minimè cunctatos esse, sed aliam rationem, quæ nobis esset incognita, vobis autem visa esset melior & vtilior, sequutos fuisse. Neque enim modestiæ nostræ fuit, & eius quam vobis deferimus obseruantiæ, aliter sentire, quàm in his turbulentis temporibus sic vos mutasse consilium, vt tamen consultum esset miseris fratribus. Dum ita hæremus suspensi, probabilis coniectura animos nostros pupugit, vanis rumoribus, vel, vt liberius dicam, malitiosis quorundam artibus vos fuisse deceptos. Tandem non modò suspicati sumus, sed apertè vidimus, quosdam famelicos & conductitios homines lucri captandi causa sparsisse falsas blanditias, quæ vestram alacritatem tardarent. Ignoscat V.C. si ingenuè rem totã aperio. Nam quod relatum fuit, carceres nunc esse vacuos, vanissimum esse comperient legati vestri, si illuc venerint. Verum quidẽ est magnam partem fuisse distributam in liberas custodias, vnde quidam aufugerunt. Sed hoc vel puellis vel adolescentibus datum est, vel aliis quos propter familiæ splendorem cognati postularunt in cœnobia transferri. Quicunque verò se constantius gesserunt, quamuis ad vitæ vsque discrimen aliqui eorum ægrotauerint, adhuc in fœtidis caueis tenentur inclusi, illícque & pedorem, & frigus, & asperrimas quasque contumelias perferunt.

Si de

Si de numero interroget V. C. plures esse quàm triginta, oculatus testis de cuius fide non dubito, nuper mihi scripsit. Ac nemo eorum est, qui non se morti addictum certò cognoscat. Sicuti vulgò notum est obiurgatos fuisse iudices curiæ Parisiensis, quod nimis torperent, vel remissi essent. Ac si detur optio fidelibus illis Christi seruis, gratior esset mortis celeritas, quàm adeo miseræ vitæ prorogatio. Pedemontani & reliqui Alpini fratres non multò mitius tractantur, nisi quòd difficiles aditus eos tuentur. Citati nullam vim opponunt, sed tantùm excusant, quia sacro & insolubili pietatis vinculo Deus eos simul coniunxit, seorsim causam non dicturos. Verùm vt rabiosa est hostium crudelitas, si quis deprehendi potest, rapitur in carcerem: vt hodie Taurini vnus verbi minister compedibus adstrictus est, quum per duos menses catenis ligatus fuerit. Curia quoque Gratiopolitana cuiusdam vallis incolas duriter vexat. Omnes certè inter assiduos metus trepidant. Regem verò non esse mitigatum, ex edictis nuper promulgatis palàm est. Quia minus seueri erant iudices, quos tamen atrocibus minis ad sæuitiam cogebat, rogatu eius præfecti sunt ab Antichristo Romano tres Cardinales, qui suo arbitrio iurisdictionem hanc, vel potius ex sua libidine, per suos satellites exerceant. Rex etiam episcopis & eorum ministris altero edicto summam licentiam mactandi restituit. Quia penes eos potestas erit vitæ & necis: Iudices autem totius regni, quibus adempta est cognitio, illorum erunt carnifices. Quàm fœdis contumeliis proscindat Rex puram Euangelij doctrinam ex edictis perspiciet V. C. Nam quòd Sacramẽtarios videtur petere, merũ esse fucum experiẽtia clamitat. Nec dubium est, quin aulici artifices ad fallendos Germanos Principes captiosè nomen hoc suggerant, quod putant multis esse odiosum. Ego autem sanctè coram Deo & Angelis affirmo, Sacramentarios illic haberi, quicunque non fatentur Christum in Missa Papali quotidie immolari. Ergo quibus nefandum illud Missæ sacrilegium displicet, falsa ignominia aspergitur, ac si sacram Christi Cœnam abrogarent. Neque tamen dissimulo Gallos fratres idem sentire quod publicè doceo, sicuti Ecclesiæ nostræ catechismo vtuntur. Nec verò hac de causa C. V. patrocinio spoliari merentur, quando & Christum veraciter in sua Cœna præstare, quod figurat, agnoscunt, & clarè fatentur non aliter animas nostras in Cœna pasci Christi carne & sanguine, quàm pane & vino ad corpus alendum pascimur. Si de modo communicationis non prorsus conueniat, an deserendi sunt in vltimo discrimine, qui arcana Spiritus virtute Christum nobis verè communicari credunt, quamuis cœlum & terram carne sua non impleat? Quid enim aliud quærendum est, quàm vt coalescamus in corpus Christi? Quòd si aliter fieri non posse credimus, quàm si vbique sit secundum carnis naturam, certè eius potentiæ derogatur. Atque vtinam hæc infœlix disceptatio vestris auspiciis, prudentia, auctoritate aliquando sedari queat. Interim verò Christi martyres lanienæ expositos omni auxilio destitui, neque pium neque humanum esse V. C. cognoscit. Cæterum, nihil minus propositum est Euangelij hostibus, quàm discernere alios ab aliis, quum promiscuè Sacramentarios iudicent, quicunque vnicum Christi sacrificium sufficere in æternam salutem fatentur: quia ipsorum nihil interest, quid de carnis & sanguinis Christi communicatione credatur, modò quæstus illis ex nefando Missæ sacrilegio integer maneat. Deinde, quum relapsos & pertinaces simili pœnæ adiudicet edictum, minimè obscurum est destinari ad cædem, quicunque à syncera & ingenua Christi confessione non discedent. Nunc mihi non aliud restare video, nisi vt totius Gallicæ Ecclesiæ nomine suppliciter C. V. fidem implorẽ, vt non modò regẽ ipsum deprecari non grauetur, sed alios quoque Illustrissimos Principes sibi adiungat, vt Rex intelligat seriò vos omnes in hanc curam incumbere. Modum aliquem præscribere neque meum est, neque eorum quis literas meas perferent. Quod tamen maximè optandum esset, facere nequeo quin C. V. exponam, vt admonita secum expendat, annon hæc optima sit commendatio: Regi semel palàm facere, quodnam doctrinæ genus impugnet. Quod si testandæ fidei consilium placuerit, parata erit in manibus fratrum meorum Bezæ & Budæi confessio, cui subscribent ad vnum omnes, qui hodie in Gallia pro hæreticis vexantur. Verùm ne tædio sit mea prolixitas, finem facio. Dominus V. C. Princeps Illustrissime perpetuò tueatur, omni benedictionum genere locupletet, Spiritu prudentiæ & inuictæ fortitudinis in finem vsque regere pergat. Geneuæ, VIII. Calendas Mart. M. D. LVIII.

Io. Cal. D. gossnino Zenelo s.

LIcebat tibi & reliquis, quum hîc essetis, ex me scisciari si qua vos dubitatio angeret. Paucis autem verbis coràm fortè melius vobis satisfeciſſem, quàm nunc longiore scripto. Nec verò mihi nunc commodum est prolixè ad vos scribere, quin etiam pauca hæc vix dictare permisit lateris dolor, qui me toto iam mense propè inutilem reddidit. Fide, quam fratri nostro Martino dedistis vos coram Deo & Angelis eius, quum sciatis esse obstrictos meritò soliciti estis, ne à vobis vlla in parte violetur: ac in ea sanctè colenda vobis omnino perseuerandum: quia simul ac tantillum à recto proposito deflexeritis, nullus erit licentiæ modus: vt multas semper illecebras reperit carnis sensus, quibus nos deliniat. Nunc videndum quousque pateat quod polliciti estis. Martinum quidem nihil aliud stipulatum fuisse statuo, nisi vt abstineretis ab omnibus inquinamentis, quæ cum syncera pietatis & fidei professione pugnant. Porrò si quis templum idôlis dicatum ingreditur, non ideo protinus sordium aliquid contrahit: sicuti quum Paulus Athenis falsorum Deorũ aras lustraret, non se polluit aspectu illo. Sed hîc spectanda est consilij ratio: quia si Papistis gratificari propositum est, impia est & minimè excusabilis simulatio. Quibus per templum Papale trãsire religio fuit, facilè ignosco: quamuis plus æquò timidi fuerint. Ad legem verò tam austeram neque me neque alios auderem astringere, quia mihi sufficit abesse omnes superstitionis species: & simul dari operam, ne quem iustè & meritò offendat nostra libertas. Hæc principia modò teneamus, non video cur nimis anxiè fingamus nobis scrupulos, qui cursum nostrum in plana via morẽtur. Quòd ad conciones spectat, duo mala cauenda sunt, ne vbi plenis buccis veram pietatis doctrinam proscindunt illi rabulæ, silentium nostrum speciem consensus præbeat: deinde ne superstitiosis precibus communicemus. Si quem ergo mera curiositas ad audiendas blasphemias trahat, multum abest ab eo zeli feruore, quem Deus à filiis suis exigit. Quomodo enim verè & ex animo dicet, Zelus domus tuæ comedit me & opprobria exprobrantiũ tibi ceciderunt super me, si volens & sciens aurẽ accõmodat sacrilegis doctrinis? Imò eas cupidè venatur? Si autẽ hoc modo colorẽ simulationis accersit declinãdæ inuidię causa, hæc certè obliqua est pietatis abnegatio. Quisquis impias cõciones audire se iactat ne videatur Dei contẽptor, fucũ obtendit, quo licet se & alios deludat, nõ tamẽ oblinet Dei oculos. Qui verò eas se audire excusat, vt commodè instituat suos, videat iterum atq; iterũ, ne quid aliud tegat animo. Nam cùm omnes ad fugiendam crucem nimis propensi sint, qui sibi vltrò blãdiuntur, intenti sunt ad captandos prętextus: sensus autem carnis ad eos excogitandos plus æquò ingeniosus est. Ergo nisi melior alia ratio, vel necessitas cogat, longè tutius est ab ingressu templi abstinere, dum illic ex professo corrumpitur & adulteratur Dei veritas. Et certè vix fieri potest, quin animi simul ac aures labis aliquid contrahant, vbi sponte audientia datur Satanæ mendaciis. Quòd ad reprehensiones attinet, quamuis optandum sit, eas inter nos magis vigere, & se quisque ad hoc officium errantibus præstandum strenuè animare debeat: certam tamen ac perpetuam legem figere non audeo, vt quidquid displicet, statim & sine exceptione reprehendatur. Hoc quidem nobis omnibus præstandum esse non dubito, vt appareat nos molestè ferre, quidquid Dei gloriæ & verbo repugnat: deinde si detur occasio, studium nostrum clarius testari oportet: præsertim si qua spes est profectus, minimè negligenda est: imò si grauius contingat violari sacrum Dei nomen, minimè timenda est importunitas. Et hac ratione nihil hodie melius est, quàm parcè frequentare sodalitia in quibus pugnandum est, nisi velimus perfida segnitie prodere gloriam Dei. Certè vbi apertè probro afficitur Deus, vel syncera Religio, vel vbi indignè non absque contumelia arripitur eius nomen, quamuis assensum non simulemus: pudendum tamen torporem esse sua cuique conscientia dictat, nisi palàm ostendimus nobis curæ esse Dei cultum & gloriam. Non præscribo vt primo statim verbo pius vir ad obiurgationem prorumpat: sed vbi delicta alia aliis addita feruntur, tam supina remissio extra noxam non est. Quòd ad mẽsæ benedictionem, precésq; priuatas spectat, quisquis retecto capite eas audit, non obscurè declarat illis se subscribere. Ergo si qua miscetur corruptela vel superstitio, tali professione sese contaminat. Si alios aspicimus se cruce signare, vel nugas suas agitare, aliquantum diuersa est ratio: & tamen hinc monemur non esse adeunda loca, vbi occurrunt innumeræ superstitiones, quarum aspectu sequuti

Paulum

Paulum nos incalescere conuenit: certè si qua in nobis est pietatis gutta, saltem tacitos gemitus expriment: qui verò tacitus gemet quæ videre cogitur, longissimè subducere se cupiet, si liberum sit. Ad nuptias qui accedit, modò à saltationibus, tripudiis, aliisque lasciuiis se contineat, non erit fortè ob solum aspectum damnandus: semper tamen danda opera est, vt modestia nostra pudorem aliis incutiat, sitque grauis quædã cohibendæ lasciuiæ censura. Idem & de alea iudicium facere conuenit. Nã quum lusu illo pecuniam malè dilapidare non liceat, nihilò etiam minus lucrũ facere. Qui sibi ab hac contagione non temperat, prorsus excusatione caret. Nec me latet quàm vobis difficile sit hanc integritatem colere: sed mei arbitrij non est, vel tãtillum laxare ex Dei præceptis. Et quia fieri nullo modo potest, quin multorum animi in vos exacerbentur, donec ad subeundas offensas parati eritis, claudicare necesse erit ad dextram vel sinistram. Non disputo quàm perplexa res sit, alienari à cognatis & amicis: tantùm simpliciter ostendere mihi propositum est, quid vetet Deus, aut iubeat. Si te filij sui in Baptismo fideiussorem aduocet quispiam, inhumanum videbitur negare: & ille repulsam passus, quasi accepta graui iniuria excandescet. Atqui infantem fœtidis illis nugis, quæ legitimum & genuinum Christi Baptismum non sine ludibrio conspurcant, offerre quî liceat, nemo vt opinor, ostendet: quãdoquidem fideiussor sacrificio astipulans, impia societate se inquinat. Quoties ergo nos huc vel illuc impellere tentant homines, vnde arceamur verbo Dei, amicitiis omnibus renuntiandum potius est, quàm talibus obsequiis redimenda totius mundi gratia. Denique modò placidè, adhibita etiam prudentia, & quæsita opportunitate testemur nobis Deum pluris esse quàm homines, quomodo hoc accipiant veritatis hostes, non est in nobis situm: sed qualiscunque erit euentus, satis sit studium nostrum Deo probari, & gratum esse. Ex hoc breui respõso colligerevt spero, licebit, qualiter vos gerere deceat. Ecclesia N. inter hostium terrores statum suum retinet. Martinus noster in stadio suo constanter pergit, nec fatigatur. Et quanquam minacibus edictis fulminant hostes in Gallia, sæuiam quoque suam despumant: passim tamen crescit vigor & alacritas. Vale eximie vir & frater integerrime cùm reliquis amicis, quibus has fore cõmunes spero. Dominus vos omnes tueatur, Spiritu suo gubernet, inuictáque fortitudine sustineat. Geneuæ, pridie Idus Martias M. D. LVIII.

Ioannes Caluinus tuus subscripsi: quia epistolam dictare coegit lateris dolor.

MARTYR CALVINO S. D.

ACcepi, Vir Clarissime, superioribus diebus istas literas Vienna, vt eas ad te mitterem, quod antea non feci, quia commodum tabellarium priùs non habui. Nunc verò partim ista occasione data scribo, partim quoniam videtur iam esse diu ex quo te non salutaui: quod officium etsi aliquantulum distuli, nihilominus intermori non patiar. Atque ad hanc meam voluntatem aliud accedit, nempe superioribus diebus me summa voluptate perlegisse, quam edidisti lucubrationẽ, pro tuenda æterna & saluifica Dei Optimi Maximi prædestinatione. Proinde cùm ea lectione fuerim admodũ recreatus, par & æquũ existimaui gratias tibi agere: nec dubito labori tuo quoad electos ac prædestinatos ad æternam vitam à Deo, ad cuius gloriam susceptus fuit, iustum vberémque fructum concessum iri. Ego quoque in istã eandẽ sententiam permulta collegerã in commẽtario meo epistolæ ad Romanos, quẽ ante aliquot menses imprimendũ Petro Pernæ Basileam miserã: qui tamen liber iis nundinis absolui nõ potuit. Quod idcirco nunc significo, quò tibi fidẽ faciã, ex animo & iusta de causa, me tuo scripto nõ vulgariter gauisum esse. Nos hîc noui nihil ferè habemus, quod ipse nescias. Inauguratio noui Imperatoris, forma & ratione insolita & hactenꝰ inaudita, omnibus admirationẽ incredibilẽ peperit. Hac enim (vt loquũtur) coronatione, Antichristi Romani auctoritas videtur deiecta, plus quàm hactenus vnquã fuerit: & quo pacto Electores Archiepiscopi adduci potuerint, vt eiusmodi cõsenserint inaugurationi, nullus propemodũ intelligit. Sed quidquid sit, expectabimus opera Dei. Huc venerũt duo Viẽna, quorum alter est concionator: alter verò Comes, ætate quidẽ inuenis, at in literis admodũ exercitatus, & Religionis amãtiss. Nouo Imperatori erat à cõsiliis. Cęterũ agit modò cũ Maximiliano Rege Bohemiæ, cõtẽplatur Ecclesias Euãgelicas, nititúrq; ostẽdere Lutheranos & nos de re Sacramẽtaria idẽ sẽtire, verũ hucvsq; id nõ potuit ad liquidũ nõnullis proba-

re. Tubyngam & Heyldebergam proficiſcitur. Hæc ad Philippum in Saxoniam, quem ait ſe compertiſſimum habere, coactum eſſe iam ad ſcribendum, ac teſtandum quidnã de re Sacramentaria ſtatuat. Vtinam illi Deus eam conſtantiã largiatur, quæ illius eruditionẽ & pietatẽ decet. Vterque verò iſtorũ affirmat Regem Maximilianũ totum ad Euãgelicã Religionẽ eſſe propenſum, & Viennenſem Eccleſiã cupere omnino reformatã. Hæc habui quæ ſcriberẽ, vir clariſſime, ac mihi multis nominibus plurimùm obſeruande. Precor Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt Eccleſiæ ſuæ te quàm diutiſſimè incolumem ſeruet. Tyguri, x x i. Aprilis. Rogo vt ſymmyſtas meo nomine ſaluere iubeas.

Tuus in Domino Petrus Martyr.

CALVINVS MARTYRI S. D.

BInas his paucis diebus abs te literas accepi, Clariſs. vir. Ex prioribus intelligere gratum fuit, tuo iudicio probari breue ſcriptum, quo æternam Dei prouidentiam contra impuras rabulæ calumnias defendere volui. Cauſæ quæ tibi mecum eſt communis, ſciebam te ex animo fauere. Etſi verò ſatis agnoſco non actam fuiſſe qua par erat dexteritate & induſtria: imò quum inuitus ad eam acceſſerim, faſtidium quo tenebar, magno fuiſſe obſtaculo ſcio: mihi abundè ſufficit, mea culpa nihil iacturæ paſſam eſſe. Hoc tamen longè mihi gratius, iã ſub prelo eſſe tuos commẽtarios, in quibus harum rerum fuſa & dilucida explicatio tradetur. Quando tandem in Geneſin quoque, & in Prophetas aliquid exibit? Cur nõ hîc es, vt tibi de manibus vi extorqueantur, quæ nimis diu premis? N. noſter parua quidem in re expertus eſt, quantùm teſtimonio tuo & commendationi deferrem: per me tamen non ſtetit, quominus me ad maiora officia prumpto & parato vteretur. His diebus in Eccleſia Italica aliquid fuit turbarum. Gribaldus ſemina quædam ſuorum errorum ſparſerat, quorum ſumma huc redit: vnicum Deum eſſe, qui Pater eſt Chriſti, vt Monarchia ſit penes ſolum Patrem, Chriſtus verò ſecundarius, & quaſi primogenitus inter multos deos. Hoc non animaduertebant ſimplices, qui tamen falſis principiis impliciti pertinaciter tuendo quod nunquam intellexerant, iam cœperant repudiare quæ nihil controuerſiæ habent inter pios. Iam adhuc ſuperſtite optimo fratre noſtro Martinengo, pullulabant hęc diſſidia. Itaque moriens ſumma vehementia & me & collegas hortatus fuerat, vt cauendo huic malo, & ſanando intenti eſſemus. Me verò præſertim nomine ter & quater appellans, Qui mihi & gregi, dicebat, hactenus fuiſti Pater, nunc Paſtore ſuo orbatũ gregem in tuam fidem & curam ſuſcipe: & quò notiores tibi ſunt morbi, à quibus ſummum diſcrimen impendet, adhibendis maturè remediis ſedulò aduigila. Poſt eius mortem Lactantio & mihi multum fuit negocij in pacandis turbulentis hominibus, qui dubitandi prætextu ſuis deliriis alios imbuebant. Quum omnia putarem compoſita, repente apparuit, clandeſtinis illorum artibus plures eſſe corruptos. Cuius mali ſanandi non alia fuit ratio, quàm vt omnes certæ confeſſionis formulæ ſubſcriberent: qua propoſita liberum ſingulis fuit contrà afferre ſi quid eos angeret: ſcrupulos omnes ita diſcuſſi, & nodos expediui, vt certò confidam nunc in ſanctam vnitatem rurſus Eccleſiam coaluiſſe. Horum te volui facere certiorem, vt ſi quis ad vos vſque rumor perferatur, ne ſolicitus ſis, quaſi dubio adhuc euentu. Vale ornatiſſime vir, & mihi venerande frater. Dominus te ſibi & Eccleſiæ ſuæ diu incolumem ſeruet, Spiritu ſuo gubernet ac benedicat. Geneuæ, x x i i. Maij M. D. L V I I I.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS FARELLO S. D.

QVomodo Rochæus noſter poſtridie quàm captus fuerat liberatus ſit à Rege Nauarræ, fuſius recitare non vacat. Cognitum fuit, temere fuiſſe arreptum, & coniecturis magis quàm teſtimoniis grauatum. Ita piorum impulſu auſus eſt homo puſilli animi eum repoſcere, ac ſi vnus eſſet ex domeſticis. Ipſe etiam carcerem adiit, vt captiuum eximeret. Hic nuntius per ſe lætus vti nos exhilarat, ita nos angit altera ex parte, quòd nouas tragœdias paulò pòſt eſſe exortas credibile eſt: quia omnibus Regis officiariis mãdatum fuerat, vt Deum panaceum in pompa ſolen-

pa ſolenni comitarentur: quod non omnes videbuntur facturi. Quamuis in eiuſmodi hominibus inſolubilis quidam laqueus à mundo deprehenditur. Pauciſſimi cum Abrahamo in Deum ſimpliciter reſpiciunt. Multi cum Lotho, vt Sodomam relinquant, queruntur ſe non poſſe ſeruari in monte. Sed quò rarior eſt cordatorum numerus ex eo genere, eò illuſtrior eſt Dei manus, quæ duplici pelle quodammodo iſtos exuere dignatur: natiuo affectu nempe, tum aduentitio, ex fulgore ſuæ dignitatis. Sed progreſſus ſum vlterius, ne vacua planè exiret epiſtola. Vale optime & integerrime frater cum reliquis ſymmyſtis. Dominus vos omnes gubernet, tueatur, benedicat vſque in finem. Geneuæ, XVIII. Iunij M. D. LVIII.

Ioannes Caluinus tuus.

Io. Calvinvs Henrycho s. d.

ANte duos menſes ſcripſerat Franciſcus noſter, ſibi inter magnas & arduas difficultates hoc non vulgari fuiſſe ſolatio, quòd fideli tua opera commodè & opportunè adiutus foret. Idem nobis iterum confirmans paucis abhinc diebus, magnopere & ingenuam in te ſynceritatem & perſeuerantiam laudauit. Etſi autem nihil narrabat, niſi quod præſtandum fuit Chriſti ſeruo: quia tamen vbi periculoſa eſt vel damnoſa integritas, rara apparent eius exempla: ex animo, vt par erat, lætati ſimus, te opprobrium crucis Chriſti mundi lautitiis præferre, quæ multos ita inebriant, vt Euangelij ſimplicitas, quaſi inſipida, ſit illis faſtidio. Quòd ſi eorum aſtutiam eſſes imitatus, qui nimis ad fouendam ſuam quietē ſunt prouidi: erat ſpecioſus color, cur te à fratre noſtro diſiungeres. Hoc enim prætextu ſolent, qui priuatæ ſecuritati conſulere volunt, ab omni odio & moleſtia procul ſe ſubducere, quia nihil vtilius ſit, quàm medio quodam & fexiloquo docēdi genere mulcere populi aures. Quo maiori laude dignus es, qui molliter & extra omne certamen cùm docere poſſes, poſthabita priuata vtilitate, ad dandam fratri noſtro ſocietatis dextram vltrò fuiſti propēſus. Et certè videmus hoc tandem cōſequi verſutos illos artifices, qui pietatis doctrinā ad ſuū commodum inflectunt, vt diſcipuli eorū ſemper diſcendo nunquam perueniant ad veritatis ſcientiam. Porrò quamuis iam minus æquos ac propitios experiaris, qui antehac fauore te proſequuti ſunt, non eſt tamē cur ſynceræ confeſſionis te pœniteat. Neque enim ignoras, hac lege nos ſeruire Chriſto, vt non modò cum profeſſis hoſtibus gerendum ſit bellum, ſed multis etiam domeſticorum calumniis ſimus obnoxij. Frement multi, alii apertè clamabunt, te ad libertatem quæ apud vos tolerabilis non ſit, inconſideratè progreſſum eſſe. Tibi non modò has voces ſpernere neceſſe erit, ſed delicias quibus indulgent, ſeuerè illis excutere, vt intelligant claudicationem qua pugnas omnes declinant, exoſam eſſe Deo. Pergendo quâ cœpiſti (quod facturum certò confidimus) tandem ſenties puram coram Deo & Angelis conſcientiam, centum theatris lōgè præſtare: eiúſque pacem, totius mundi plauſu magis eſſe expetendam. Adde quòd pij Dei cultores tibi iam metitò gratulantur, atque vberem ex hac ſancta tua alacritate fructum ſibi promittunt. Tibi optimus frater noſter Franciſcus, quē & nos experti ſumus verè Chriſto eſſe addictum, & tu eximiis ad ædificandam Eccleſiā dotibus pollere vides, fidelis ac ſtrenuus erit adiutor. Audimus reuerſum eſſe concionatorem aulicum, qui vtinam ne ſuo more. Vtcunque verò ſe gerat, minimè cōſentaneum eſſet ab homine flexibili, & ad quaſlibet auras nutare ſolito, Chriſti ſeruos pēdere. Tu pro tua moderatione, & prudentia, hauddubiè ſtudebis eum tibi adiungere, ne rectum curſum impediat vel moretur. Sin metus & nimia cauendi ſolicitudo, vel etiam peruerſa æmulatio hominem in diuerſas partes rapiat, contra hæc quoque obſtacula fortiter eniti neceſſe erit. Vale eximie vir, & integerrime frater. Dominus te Spiritu ſuo regere, virtute fulcire & tueri, ſtudiiſque tuis & piis laboribus benedicere pergat. XXI. Iunij M. D. LVIII.

Io. Calvinvs N. s. d.

NVitus ſcribo, mi frater, quòd non libenter audiui diſſidium eſſe ortum inter vos leui de cauſa, quod magnas offenſiones pariat. Tu fortè excipies, & iuſtam fuiſſe cauſam, neque tam graues fuiſſe motus, vt fama hucvſque peruenire debuerit. Vtrumque vt tibi breuiter expediam: quamuis initiò diſceptatio maximè ſeria videri potuerit, & quàm priuato arbitrio finire vix lice-

ret, patuit tamen ipso progressu, hominem vnum inconsiderato sermone mouisse inutiles turbas: alterum ne in crimen traheretur, nimis feruidè tumultuatum esse. Quòd si publicam auctoritatem intercedere oportuit, atque hoc flagitabat causæ grauitas, scire velim quo iure abs te & senioribꝰ suscepta fuerit cognitio. Si respõdeas, nondum maturum fuisse tempus, donec melius patefacta esset veritas, saltem lætari oportuit odioso hoc molestóque onere leuatum te esse. Quid enim latius vel magis optandum, quàm vt arbitris totam molem sustinentibus, ipse securus quiescerem? Ergo quòd te metu & cura exemerãt, beneficij loco ducendum fuit: tantùm abest vt æquum fuerit excandescere, ac si tibi facta esset iniuria. Negas fas fuisse, litem apud vos pendentem ad arbitros deuolui. Quid si duo litigantes, nullo interposito arbitrio inter se vltrò fuissent reconciliati, an illa voluntaria in gratiam reditio tibi displiceret? Si te suspectum fuisse iudicas, quia non fueris adhibitus, vide ne tuis coniecturis plus æquo tribuas. Atque vt sinistro aliquo præiudicio iniustè fuisse grauatum & læsum concedam, an priuata iniuria in suggestũ vsque prorumpere debuit? Neque dissimulandum est, tibi hoc ab æquis & moderatis auditoribus vitio verti, quòd permulta vel leuicula, vel quæ supprimi esset vtilius, ad populum vulgare, & immodica vehementia exagitare soleas. Certè in hoc negocio cur tantopere excandescerem, si omnia melius expenderis, causam fortè non reperies. Cur verò arbitros odiosè apud plebem traduxeris, non video. Adde quòd in collegam tuum hominem placidum, & modestũ, & de Ecclesia bene meritum violenter insurgere, neque humanũ fuit, neque tua persona dignum. Ac si tibi cordi est Ecclesiæ ædificatio, potius danda opera fuit, vt integra maneret eius auctoritas. Quid de aliis dicam? quorum si nulla apud te ratio habetur, Ecclesiam vestram ornamentis non pœnitendis spolias. Quum igitur & tua priuatim & totius Ecclesiæ magnopere interfit, tibi amicos esse & quidem coniunctissimos, qui hactenus fidelem operam præstiterunt, & animati sunt ad pergendum: si meo consilio obtemperas deposita contentione, pacificationi te acquiescere ostendes. Memini te aliquando mihi dicere, si lapsus errore esses, nihil tibi gratius esse quàm moneri. Qua fiducia te liberius hortari nõ dubitaui, vt vehementiam quę modum excedere visa est, maturè frenes ac temperes. Si quid remedij ad placandos animos à me afferri posse existimas, non deero partibus meis. Vale frater mi colende, cum vxore & amicis, quibus salutem multam precor. Dominus vos omnes tueatur, gubernet, benedicat. Vtinam breui de vestra concordia nuntium audiam, qui me exhilaret. Geneuæ, xx. Iunij M. D. LVIII.

Io. Calvinvs D. Otthoni Selio s. d.

ETsi mihi Gaspar noster, quẽ ego idoneũ & fidum testem esse duco, te satis ad synceræ pietatis studium sponte animatum esse retulit, vt meæ exhortationis stimulis minimè indigeas: quia tamen te quotidie experiri non dubito, eximie vir, quàm variis modis conetur Satan cordatissimos quosque Christi seruos à recto cursu auertere, vel vbi id non potest, quot obstaculis eorum celeritatem retardet ac moretur, hæc mea sedulitas, quamuis superuacua te minimè offendet, si currenti calcar addere visum est. Nam quia persuasus sum probari tibi, quos pro Ecclesia Christi suscipio labores, méque hoc nomine fraternè abs te diligi, saltem grata tibi erit hæc cura, quæ me ad ferenda subsidia impellit. Porrò non tantùm vt te priuatim Deo addicam hortari propositum est, sed vt ciuibus tuis ad purum cultum adducendis strenuè incumbas. Vides qua contumacia & quo feruore cæci veritatis hostes in perniciem suam ruendo, alij alios mutuò impellant. Quare saltem eorum exemplo crescere nobis debet animus ad promouendum Christi regnum, quia turpe est tanto conatu eos pugnare aduersus Deum, nos verò in tam præclara causa vel sedere ignauos, vel cunctãter lentéque progredi. Difficile quidem & arduum tibi certamẽ paratum esse scio, si te apertũ Papatus hostem profitearis: sed videndum est sub cuius ducis vexillo milites, ne vel lassitudine frangaris, vel molestiis succumbas, vel terreãris vllo discrimine, vel præ desperatione concidas. Exordia regni Christi, vbique nostro sæculo ferè humilia contempтáque fuerunt: itaque derisa fuit à profanis hominibus eorum simplicitas, qui tantam molem aggredi auderent, perinde ac si vellent lunam è cœlo detrahere. Atqui fœlici successu patuit Deum opus suum non negligere, neque spem eorum frustrari, qui

inestima-

ineſtimabili eius virtute freti contra terrena omnia impedimenta nituntur, & contendunt. Et ſanè vtcunque vtatur hominum opera, non fruſtra tamen hoc ſibi proprium vendicat, Eccleſiam mirabiliter erigere, & erectam ad extremum tueri. Memineris quò maiori auctoritate polles in vrbe veſtra, plus tibi impoſitũ eſſe oneris à Deo, cuius manu in hoc gradu locatus es, vt minus excuſabilis ſit tua ceſſatio, quàm priuati cuiuſlibet vel obſcuri hominis. Sed quia ſpero quas ad ornatiſſimum virum Dominum Petrum Syrkium literas ſcripſi, pro veſtra coniunctione tibi fore communes, pluribus ſuperſedeo, tãtùm ſupplex precor cœleſtem Patrem, vt te regat ſancta prudẽtia, ſuſtineat inuicta virtute, ſua manu protegat, pióſque tuos labores benedicat. Geneuæ, IIII. Calendas Septembris M. D. LVIII.

Io. Calvinvs D. Petro Syrkio s. d.

QVòd tibi nulla humana neceſſitudine coniunctus, Vir Clariſſime, familiariter ad te ſcribo, neque tu vllam excuſationem deſideras, & Gaſpar noſter, qui fiduciam ſcribẽdi dedit, ſuggeſſit idem materiam. Cognoui ex eius ſermone, non modò te vnum eſſe ex ſynceris Dei cultoribus, ſed etiam propagando Chriſti regno fidelem ac ſeriam operam dare. Sed ex turbido vel ſaltem nondum rectè compoſito vrbis veſtræ ſtatu, qualem mihi depinxit, facilè coniicio, & duros certaminum impetus tibi eſſe ſuſtinendos, & cum multis illecebris luctandum, quæ ad impediendum pietatis curſum non minori obſtaculo eſſe ſolent, quàm apertæ pugnæ. Ergo non minor tibi danda opera, vt intentus ſis cauendis inſidiis, quàm ad fortiter bellandum armatus, ſicuti non abs re admonet Paulus fideles, vt à dextris & ſiniſtris probè muniti ſint contra omnes hoſtis incurſus. 2. Cor. 6. 7. Nomen Chriſto dare non potes, quin excidas à multorum gratia, quos retinere amicos vtile & iucũdum eſſet: multarum commoditatum iacturam facias: fortè etiam minuatur popularis fauor: minę & terrores ab altera parte inſtabũt. Nam & totus Papalis clerus qui opibus & potentia excellit apud vos, imò tranquillum imperium tenet, acerrimè ad turbanda omnia conſpirabit, & multos ſecum trahet aſſeclas. Tibi cum aliis iurgari, aliorum probra refellere, aliorum inſidiis occurrere, neceſſe erit. Multa tædia deuorãda, multæ ferẽdæ iniquitates, moleſtiæ ingentes ſuſtinendæ. Fortè etiam longius procedet eorum væſania, qui cœlum terræ miſcere non dubitabunt potius, quàm aditum concedant ſanæ doctrinæ. Verùm ſi te pugnare Chriſti auſpiciis reputes, non modò ſolatium hoc ſufficiet ad leuandas omnes acerbitates, ſed inuictũ tibi robur ſuggeret, quo ad frangendos inſultus quoſlibet obdureſcas. Dura conditio piorum, niſi & cauſæ dignitas præualeret, & Agonotheta noſter Chriſtus, non tantùm ſuo conſpectu nos animaret ad certandum, ſed victoriam de manu, vt aiunt, in manum nobis porrigeret. Iam quem in locum te produxerit, non ignoras, quando & gradum obtines, ex quo te alios incitare conuenit: & eo vſque Spiritus cœleſtis impulſu progreſſus es, vt retrocedere turpe ſit ac nefas. Ergo non vocatio tantùm, quæ te ſatis arcto vinculo obſtringit, ſed principia hæc, in quibus ſe ducem oſtendit Deus, animum tibi addant. Statueram longè prolixius tecum agere: ſed cùm morbus hactenus impediſſet, ſequuta ſunt negocia, quæ abrumpere cogunt vix inchoatas literas. Vale igitur præſtantiſſime vir, & mihi ex animo obſeruande. Dominus tibi adſit, te gubernet Spiritu prudentiæ & fortitudinis, præſidio ſuo tueatur, & tuos ſanctos conatus benedicat. Geneuæ, IIII. Calendas Septembris M. D. LVIII.

Calvinvs N. Abbati s. d.

AVdieram ſæpius, eximie vir, quum vnus eſſes ex multis, qui ſynceram pietatis doctrinam quæ nobis à Deo tradita eſt, pro defenſione Romani Papatus oppugnant, maiore tamen quàm alios vehementia in nos excandeſcere. Et priuatim quoque in me aſperius inuehi. Neque verò mirabar, quum & ſuperſtitionibus quæ maiorem orbis Chriſtiani partem occupant, imbutus eſſes, atque errorum laqueis implicitus, ſimul inconſiderato zelo te rapi ad me durius tractandũ, atq; etiã cõuitiis vexandũ. Ac iampridẽ ad eiuſmodi probra, quib⁹ & Prophetas, & Apoſtolos, & vnigenitũ Dei Filiũ obnoxios fuiſſe video, cõtinuo vſu obdurui. Nã hoc nobis diuinit⁹ præſcriptũ eſt, neque æquum eſſet à cõmuni lege me eximi, neq; ferẽda mea mollities, ſi

moleſtè ferrem me violari, vbi ne Chriſto quidem ſummo omnium regi parcitur. Nunc vbi mihi narratum eſt, non modò te manſuefactum eſſe, vt placidè nos audire paratus ſis, ſed quam prius abominatus es doctrinam amplecti, vel ſaltem ita ad nos accedere, vt poſthac inter aduerſarios cenſeri non debeas: quàm iucundus hic mihi nuntius fuerit, vix poſſum literis exprimere: quia ex hac mutatione non vulgarem expecto fructum. Nam & multi quos auctoritas tua quaſi deuinctos conſtrictóſque tenebat, ne ex labyrintho illo emergerent, tuo exemplo adducti, incipient tandem attentius reputare quid agendum ſit, multorum torpor expergefiet, multorum frangetur, aut mollietur peruicacia: denique multi, qui te errorum ducem fuerant ſequuti, tecum reſipiſcent. Neque vereor (ſi tibi ſuauis eſt Dei miſericordia) ne te libera errorum, à quibus te eripuit, reprehenſio offendat. Ac ſanè non aliter guſtare potes, quàm liberaliter tecum egerit Deus, niſi reputes quàm miſerum fuerit in profunda illa impietatis abyſſo demerſum iacere: imò tua conuerſio, vt ſcribendi materiam ſuppeditat, ita gratulationis mihi argumentum eſt. Iam ſupereſt vt te liberatori tuo, & officia tua addicas, & qui fallaci religionis prætextu obtenebraſti multorum mentes, nunc lucem præferendo, diſcutiendis tenebris ſedulò incumbas. Cæterum, quia plenam exhortationem, & qualem res poſtulat, vix caperet epiſtola, vltrò tibi pro tua prudentia hortator eris, vt ingenium, eruditio, & facundia, quibus te Deus ornauit, illuſtrandæ eius gloriæ conſecrentur. Vtinam, quia mihi præcluſum ad vos eſt iter, commodum tibi eſſet huc excurrere! agnoſceres profectò ex vultu & ſermone, quàm verè & ex animo cupiam fraternam beneuolentiam cum omnibus colere, quos ſibi Deus reconciliauit. In hoc ſaltem melior erit tua quàm Pauli cõditio, quòd
Act. 9. 26. ille ex præſenti vitæ periculo elapſus ob fidei teſtimonium, vix idem à fratribus, quia ſuſpectum habebant, admiſſus fuit. Ego verò ad te non comiter modò, ſed etiam honorificè excipiendum non ſecus ero propenſus, quàm ſi me nunquam verbulo vno læſiſſes. Vale ornatiſſime vir, & mihi in Chriſto venerande. Deum precor vt te gubernet Spiritu intelligentiæ & prudentiæ, ſua virtute ſuſtineat, & confirmet, donis omnibus locupletet, incolumem tueatur & benedicat. Genevæ, IX. Calendas Octobris M. D. LVIII.

Tuus ex animo Ioannes Caluinus.

IOANNES CALVINVS D. STANISLAO AB OSTROROG. Caſtellano Medzeuecenſi S. D.

VNc pium fratrem nactus, qui meas ad te literas tutò perferret, Præſtantiſſime vir & generoſe Domine, ſcribendi occaſionem prętermittere nolui: non tam vt amorem erga te meum, & obſeruantiam teſtarer (etſi hæc etiam vna fuit ratio) quàm vt tibi ſponte & alacriter accenſo ad aſſerendam quæ nimis diu contempta iacuit, pietatem, animos ſi fieri poſſet adderem ad pergendum: non quòd ſtimulis meis indigeas, ſed quia iucundum eſt gratulãdo hunc tuum vigorem fouere. Fuit hoc raræ virtutis, ex alto honoris gradu in humilem Chriſti ſcholam deſcendere, vt te Euangelij quod vulgò tot probris oneratur, minimè pudeat: ac palàm ingenuéque profitearis, te ſuperſtitionum, quibus indignè fœdata eſt vera Religio, ac errorum, quibus ſceleſtè adulterata eſt Dei veritas, acerrimum eſſe hoſtem. Verùm tibi aſſiduè reputandum eſt, quàm multæ certaminum ſpecies te maneant: quia non deſinet Satan omnia moliri, quibus ſanctos tuos conatus vel frangat, vel moretur, vel quouis modo impediat. Et experientia docet, quàm pertinax ſit in aduerſariis pugnãdi libido. Quare ita ſtatuendũ eſt, longæ militiæ te diuinitus eſſe addictũ, in cuius medio curſu minimè fatigari decet. Cęterum ne de animi tui magnitudine & perſeuerãtia dubitare videar, aliò me conuertam. Minimè te fugit generoſe Domine, nullum inter Satanæ artificia eſſe deterius, quàm vt diſſidiis eos ſcindat, qui ad reſtituendum purè fidei conſenſum aſpirãt. Quò maiore prudentia cauendum erit, ne hoc quoque obſtaculo vos retardet. Intelligis quid velim, & fuſius hanc admonitionem proſequerer, niſi iam febris acceſſio literas abrumpere cogeret, quæ non modò vires corporis debilitat, ſed etiam minuit ac languefacit animi vigorem. Sed bene eſt quòd his partibus probè fungetur venerandus mihi frater Dominus Ioannes à Laſco, excellentiæ tuæ affinis: cuius non dubito auctoritatem, vt meretur, magni eſſe apud te ponderis. Vale illuſtris & generoſe Domine, & mihi ex animo ſuſpi-

mo ſuſpiciende. Patrem cœlestem ſupplex oro & precor, vt te incolumem diu conſeruet, Spiritu ſuo dirigat, omníque benedictionum genere locupletet. Geneuæ, XIII. Calendas Decembris M. D. LVIII.

IOANNES CALVINVS ILLVSTRI ET REVERENDO DOMINO Iacobo Ithauio Epiſcopo Wladiſlauienſi, mihi ob eximias virtutes obſeruando S. D.

QVòd homo ignotus ad te, illuſtris & reuerende Domine, ſcribere auſus ſum, ſi quid culpæ eſt in hac fiducia, reiicere in nuntium licet, qui pro ſingulari ſalutis tuæ ſtudio & cura, has literas propè inuito extorſit. Quod verò breuiter, & quaſi defunctoriè ſcribo, iuſta excuſatio eſt in temporis anguſtiis: quia vix antè admonitus fui de eius aduentu, quàm ſe mox abiturum dixit, vt mihi diem vnum ad ſcribendum concederet: cuius tamen maior pars mihi eripitur à febre quartana, quæ me cubiculo incluſum, & ferè lecto affixum tenet, ex quo etiam hæc pauca dictare coactus ſum. Scribendi autem hæc mihi ratio & materia eſt, vt Euangelij lucem nunc apud vos exorta, quum tibi Deus oculos aperuerit, ſeriò expergiſcaris. Audio enim te non modò guſtaſſe veram pietatis doctrinam, ſed eius cognitione imbutum, quæ omnem erroris & ignorantiæ prętextum excutiat. Tu verò pro tua prudẽtia non ignoras, quàm intolerabilis ſit cœleſtis gratiæ profanatio, vbi eam quaſi data opera ſuffocamus. Etſi autem plauſum tibi in mundi theatro conciliat ſplendida hæc dignitas, cauendum tamen diligenter, ne te demulceant fallaces blanditiæ, quibus laqueis Satan multos hodie in exitialem labyrinthum trahit. Ita fit vt qui captandis effugiis ſolertiam ſuam exercẽt, tandem vbi vident colores ſuos euaneſcere, palàm ſe Deo opponant, imò erumpant in manifeſtum furorem. Huius rei exempla haud dubiè nimis multa ante oculos tuos verſantur; dum alij violenter ferro & igni extinguere pertentant cœleſtem doctrinam: alij vt in ſordibus ſuis ſecurè demerſi iaceant, non modò indulgent torpori ſuo, ſed pecudum more conſcientias ſuas obſtupefaciunt. Ab hac tam peſtifera Epicureorum labe quiſquis in delicijs ſedulò & attentè ſibi non cauet, vix fieri poteſt quin profaneſcat, & abiecto Dei timore, in eandem cum illis laſciuiam ſe proiiciat. Quid ergo tibi agendum eſt? Feruent apud vos diſſidia, pars vna reſtitui cupit integrum Dei cultum: altera impias ſuperſtitiones peruicaciter defendit. Te medium ſtare, quem Deus quaſi porrecta manu ad cauſæ ſuæ patrocinium vocat, turpe ac nefas eſt. Cogita quem locum occupes, & quod onus tibi ſit impoſitum. Adde quòd pietatis hoſtes, dum in denſis tenebris exiguas pietatis tuæ ſcintillas ferre nequeunt, quodammodo te extrudunt è ſua factione, quæ vltrò fugienda tibi erat. Ignoſces mihi pro tua humanitate, ſi vno in verbo ſim aſperior (quia vt proficiam, liberè quod ſentio dicendum eſt) vbi ad cœleſte tribunal ventum fuerit, non poſſe elui proditionis crimen, niſi te maturè ſubducas ab ea caterua, quæ apertè ad opprimendum Chriſti nomen conſpirat. Iam verò ſi tibi moleſtum eſt minui, vt creſcat in te Chriſtus, in mentem veniat Moſis exemplum, qui ſub vmbris obſcuris, Chriſti tamẽ opprobrium deliciis Ægyptiorum & opibus pręferre non dubitauit. Quanquam autem plus fortẽ mihi apud tuam excellentiam permiſi quàm decebat: quia tamen propoſitum fuit ſaluti tuæ conſulere, non odioſa, vt ſpero, tibi erit mea libertas. Vale præſtantiſſime vir, illuſtris & reuerende Domine, cui à cœleſti Patre fauſta omnia precor, pręſertim vt te ſuo Spiritu gubernet, accendat in corde tuo ardentius pietatis ſtudium, & in eius conſtantia te confirmet. Geneuæ XIII. Calendas Decembris M. D. LVIII.

Heb. 11. 25. 26.

Io. CALVINVS D. COMITI IN TARNAVV S. D.

TSi literis meis ſuperioribus, Ampliſſime vir & Illuſtris Princeps, quale optabam reſponſum nõ tuli, quia minus apud te quàm optandum eſſet profecerat mea exhortatio, ſingularis tamen humanitas qua exceptum fuiſſe meum officium cognoui, denuo me ad ſcribendum animat. Et cùm nos iubeat Paulus importunè inſtare, vbi ſtimulãdi ſunt homines ad pietatis ſtudium: non vereor tanto auctore & magiſtro fretus, etiamſi moleſta tibi eſſet mea ſeduli-tas, ne vitio mihi vertatur. Sed hoc quoque metu & ſolicitudine me liberat æquitatis tuæ

fiducia: imò cùm hucusq; sparsa fuerit fama, defensionem puræ Euangelij doctrinæ, à qua initiò refugiebas vel eras paulò alienior, propensiore animo nunc te susciperе, eò alacriùs exhortationem, quę semel fructu carere visa fuerat, repetere ausus sum. Cùm scriberes nihil tibi videri in statu regni mouendum, quòd omnis nouitas graues motus & exitiales minitaretur, mihi quidem tristis nuntius fuit, Christi causam destitui à patrono tam idoneo: gratior tamen fuit ingenua illa professio, quàm si quorũdam more simulasses, quod tibi cordi non erat. Nunc quamuis te rectiùs sentire arbitrer, ignosces tamen pro tua prudentia, si paucis vanum hunc timorem refutauero. Neque me latet quantam pro ingenij tui præstantia & acumine peritiam collegeris ex longo magnarum rerum vsu. Sed mirum non est hac in parte hominem summo iudicio præditum potuisse falli, vbi humana omnis solertia euanescit. Laudatur apud Xenophontem quod ex tripode oraculũ olim reddidit Apollo, colendos esse Deos pro vetusto more cuiusque gentis: nempe quia nihil censetur vtilius vel magis consultum, quàm fouere publicam pacem. Vnde etiam natum vulgare prouerbium: Mala bene posita non mouẽda. At verò quidquid discriminum impendeat, caducos terræ Principatus, nobis tanti esse non conuenit, vt in eorum gratiam neglectus iaceat cultus Dei & syncera Religio, à qua pendet æterna salus. Profanis hominibus hic scopus fuit, cauere modis omnibus, ne quid publicam quietem turbaret: nostra verò diuersa est ratio, apud quos Dei gloriæ & doctrinæ cœlesti meritò cedere debet, quidquid in mundo est sublime ac pretiosum. Adde quòd superuacuus est ille timor: quia tumultus omnes quos Satan excitare conabitur, facilè sedabit Christus Rex pacis, per quem Reges regnant. Fieri quidem vix potest in tanta hominum prauitate, malitia, ingratitudine, & contumacia, quin strepitus, diffidia & turbæ comitentur puram Euangelij doctrinam: sed nostrum est reiecta in Deum huius mali cura, qui remedium inueniet, strenuè nihilominus in officio pergere. Dandus enim est eius prouidentiæ hic honor, vt incommodis quæ non licet nostra industria effugere, occurrat. Si ita nos diuinitus gubernari patimur, lætior semper erit exitus, quã nobis sensus noster dictet; quia re ipsa probabis Deus verè fuisse de ipso prædicatum, quod legitur in Psalmo: Perfringit lanceas, gladios comminuit, currus absumit, igni bella componit vsq; ad fines terræ. Rursum memineris, nobilissimè vir & Domine, vitia & corruptelas quibus polluitur vera Religio, totidem esse sacrilegia, quorum Deus acerrimus erit vindex: ac proinde odiosam illi esse hanc prudentiam, vbi externam quietem pietatis iactura redimere cupimus. Sed quia voluntarium vt spero, te literæ meæ reperient, pluribus hunc sermonem prosequi necesse nõ est: & me etiam febris quartana ad breuitatem cogit. Postremò cùm istic sit eximius Christi minister & frater mihi venerandus Dominus Ioannes à Lasco, quem non dubito pro zeli sui feruore satagere, has ei partes libenter resigno: quia etiam apud te valebit eius auctoritas, quãtùm meretur. Deum itaque precabor, vt Tuam Celsitudinem fauore suo tueatur, modísque omnibus augeat, Spiritu suo gubernet, virtute sustineat. Geneuæ, XIII. Calend. Decembris M. D. LVIII.

Psa. 46. 10.

BLAVRERVS CALVINO.

DE illo negotio non visum est quicquam porrò ad te scribere, quòd sperem alioqui iam calorem istum deferbuisse. Ego nemini qui vocetur detrectandum puto, quòd omni petenti fidei nostræ rationem reddere iubeamur. Si aliud à nouo Imperatore colloquiũ impetrabũt imperij ordines, tum Magistratibus scribetur (si vera ab amicis accipio) vt Theologos suos adesse iubeant. Sunt certè ex Principibus nonnulli qui paci Ecclesiarum magnopere studeant, ac nullis parcerent sumptibus, modò hanc redimere vlla ratione possent. Atque vtinam in vnam hanc rem, per bellicos istos motus, qui alij ex alijs identidem oriuntur, incumbere illis liceret. Gallum cum Turca colludere infaustáque cum eo fœdera meditari constantissimè ac publicè affirmatur. Deinde Roman. Pontific. sic iratum nouo Imperatori, vt omnia citius periclitari, quàm hanc inaugurationem ratam habere velit, cùm præsertim sacramento adactus sit nouus Cæsar, ne vel coronam, vel gladium, vel quicquam eiusmodi à Pontifice peteret, sed Principum Electorum, Ordinúmque imperij consensu, solitísque ceremoniis, quę absque superstitione adhibitę sunt, contentus esse velit. Sícque à tribus istis Potentiss. mundi Monarchis, Pontifi. Gallo, & Turca summum Cæsari imminere periculum. Esse enim hos triplicem vixque nunquam rumpendum funiculum,

niculum, quo velut laqueo, Cæsaris collum induendum pariter ac præfocandum fiet. Sed fortior est omnibus istis Dei veritas, à qua si steterit Cæsar, non est cur sibi suísque metuamus ab imbellibus omnibus terræ vermiculis. Nos perpetuis flagrantissimísque fidei votis cœlestem Patrem, cuius manus omnium Regum corda moderatur, supplices interpellemus, vt fractis frustratísque omnibus omnium hostium conatibus, regnum Iesu Christi Filij sui vsque propagare ac seipso quotidie auctius, illustrius ac florulentius esse velit, nósque in illo æternùm fœlices ac beatos futuros conseruet. Scripseram Philippo per symmystam meum, sed nõ attigit is Saxoniã, vt animus erat, quandoquidem Principes quibuscum agendum erat, Francofurti inuenit. Tu si quid habes, vel ex Gallia, vel de Philippo, ne me celes. Meliora mihi de hoc promiseram, & valde miror, magnum hunc virum non perinde magno animo esse, verùm semper vbi ad rem ventum est, veterem resipere imbecillitatem. Dominus illi excelsos planéque heroicos, hoc est, se dignos animos addat: quippe cuius auctoritas in pacificationis negotio tantum afferet momenti, quantum vix cuiusquam. Et profectò, vtvt dissimulet, seipsum negare haud quaquam poterit. Ad multos multa modestissimè scripsit, quibus non obscurè testatur, quantùm absit ab illorum sententia, qui de Christi Cœna superstitiosius sentiunt, & loquuntur: quantúmque sibi displiceant temerariæ istæ Saxonum quorundam aduersum nostros condemnationes, & inauspicata præiudicia. Seruator Iesus Christus electum organum hoc suum inexpugnabili Spiritus sui virtute semel ex alto induat, vt rem, & vitam & omnia periclitari citius, quàm susceptum iamdudum veritatis patrocinium tanto cum suo dedecore indicibilíque Ecclesiarum Christi iactura deserere velit secum. Vale mi anime, ac omnium mihi longè colendissime charissiméque frater, méque cœlesti Patri assiduis votis diligenter commenda, vt triumphantis Christi sui auspiciis à morte quam veteranus iam quotidie meditor ad vitalẽ illam vitam, quæ sola vita, vt verè est, sic rectè dici meritò potest, transire mihi quamprimùm liceat. Iterum iterúmque vale præter cæteros venerande mihi semper Caluine, frater in Christo Iesu suauiter arctissiméq;, complectende, qui tibi præsentissimus suo numine semper adsit. Linguam quam ad dicendum, manum verò ad scribendum, ita Spiritu sancto suo regat, vt te loquente suam vocem, te scribente suam manum, quotquot sunt verè Christiani semper agnoscant, adque fidei obedientiam strenuè se ac fœliciter parent. Salutant te nostri, præcipuè symmysta cum reliquis tibi notis. Saluta fratres & amicos qui nos in Christo diligunt, cumprimis administros tuos in opere Domini, cum Archigrãmateo vestro. Bienæ XIIII. Maij, M. D. LVIII.

Verè T. Ambr. Blaurerus.

MARTYR CALVINO S. D.

MIhi sanè, vir clarissime, neq; mirum neque graue fuit, quòd ante paucos dies, cùm literas ad Bulingerum nostrũ dictaueris, nihil ad me (quòd per illũ excusare voluisti) tamen scripseris. Verũ id me antea valde malè habuit, q; te morbo eóque periculoso ægrotare audieram: neque nunc minus ægrè est, quando tebrim quartanam significas esse, qua laboras. Ego de istius morbi contumacia, & rebelli quadã aduersus pharmaca & medicos obstinatione multa possem narrare, vt qui iam bis cum eo sim conflictatus: summa est, magna, diuturnáque patientia, eos qui sint isto loco, vti oportere, quàm vtendam foris, vti certò scio, non petes, cùm in animo tuo, à Christi Spiritu sit abundè inserta: Sed habeo vnà cum permultis aliis de ista tua ægrotatione duplicẽ dolendi causã. Vna q; ipse doleas, frãgaris, & debiliteris, id quod aliter fieri nõ potest, præsertim in corpusculo iã propemodũ laboribus exhausto. Altera verò est, labores tuos in agendo & in scribendo, magno Christi omnium detrimẽto interrumpi. Nihil enim est quod isti morbo æquè atque studia, & curæ, aduersetur. Hæc sunt quæ non tantùm me, sed omnes verè pios excruciant. Attamen quando ita res habet, nostrũ est officium, precibus contendere, quanta possumus instantia, vt pristinæ sanitati quamprimum restituaris. Tuum verò, vt à noxiis omni cura, summáque diligentia tibi ipsi tẽperes, præsertim à serio studio, & grauium curarum solicitudine, quibus humor atræ bilis, vnde ista febris accenditur, ita pulsatur atque percutitur, vt ad medullas ossium vsque infigat. Potrò multò expetibilius est, ad aliquot dies aut menses quiescere, quando ita Deo visum est, quã aut cũ magno bonorũ mœrore interire, quod auertat Deus, aut cum incredibili Ecclesiæ iactura, quantùm vitæ supereſt, debilitato prorsus, & fracto corpore, atque

animo viuere. Videto itaque vt neque in te, neque in Eccleſiã Chriſti pecces. Venerunt huc certi nuntij heri, miſſi à nobilibus viris Anglis, qui Argentinæ agunt: ſignificant verò ſuam Reginam. XVI. Nouembris obiiſſe, ac Illuſtriſſimam Eliſabethã ſucceſſiſſe in regnum, idque ſummo conſenſu omnium ordinum: conuenerant enim fortè fortuna hoc tempore ab omnibus Angliæ partibus ad Comitia, vel, vt vulgò dicũt, ad Parlamentum. Nunc Deus rogandus eſt, vt hæc rerum commutatio, nomini Chriſti, & ſancto eius Euangelio bene vertat. Scio te tuámque ſanctam Eccleſiam, officio non defuturos. Tempus fortaſſe iam eſt, vt in eo regno muri Ieruſalem reædificentur, vt ne tot martyrũ ſanguis videatur in caſſum tam largiter effuſus. Nihil præterea noui habeo, niſi quòd meum librum ſub prelo habeo, quo Stephani Gardineri olim Vinthonienſis Epiſcopi omnia ſopiſmata, & præſtigias de re Euchariſtica retexi, & confutaui. Quod vti ſpero, valde tempeſtiuè cecidit: nam commodum erit hoc præſertim tempore, vt Papatus Anglicanus intelligat, librum illum non eſſe, quemadmodum hactenus iactitarunt, inuictum. Bene vale, atque Chriſto & eius Eccleſiæ quàm diutiſſimè viuas. Symmyſtas omnes iubeo ſaluere, necnon Bezam & Marchionem. Tiguri 1. Decembris.

Tuus quantus eſt Petrus Martyr.

Io. Cal. D. Admiralio S. D.

Ex gall. QVm ex mearum ad te literarum lectione tibi conſtaturum ſperem, quanto ſalutis tuæ ſtudio tenear, meũ hac in re cõſiliũ, vbi illas perlegeris à te improbatum non iri cõfido. Neq; verò tandiu hoc facere diſtuliſſem, ſi apud te mihi aditus patuiſſet. Iam cùm hoc mihi oblatũ videã, non eſt quòd diutius te detineam, cùm planè mihi perſuadeam optimam in partem à te acceptum iri, quod illius nomine tibi à me proponitur, cui me addictum eſſe ſcis, pro illa obſeruãtia qua te illum proſequi compertum habeo. Non eſt etiam quòd multis tecũ agã, vt ad legitimam tolerantiam te cõpares, cũ ita exiſtimẽ & de te etiã audiam: te nẽpe ita ad illã eſſe confirmatũ à D. vt magis habeã ferè vnde illi eo nomine gratias agã, quàm vt ad illam te multis exhortari debeã. Hæc eſt nimirum ſolida illa magnanimitas, vbi affectus noſtri ita domantur, vt nõ modò illos in poteſtate habere poſſimus, ſed vt tanquã de triũphatis hoſtibus in nobiſipſis, ſacrificiũ obedientię Deo offeramus. Parũ eſt enim nõ deficere neque frangi animo in aduerſis rebus, niſi eouſq; oculos intẽdamus, vt Dei volũtati nos ſubmittamus, atq; illic placidè acquieſcamus. Cũ igitur ita te per Dei gratiã cõparatum audiã, illud ſupereſt quod te prẽterea cogitare ſeriò velim: Deũ nẽpe iſta tibi immiſſa calamitate ſibi ſubductũ voluiſſe, vt tãtò cõmodius illi te attentũ prẽberes. Neq; enim ignoras quã diu in mundo verſamur, vbi honores vel opũ ſtrepitus nos à Deo abducũt, quã difficilè ſit aurẽ illi præbere, dũ ferè in eiuſmodi rerũ iactatione extra nos rapimur, niſi ſuos ille reſpiciendo quaſi ex turba ad ſe per calamitates reciperet. Nõ quòd exiſtimẽ honores aut alia illa bona per ſe repugnare cultui Dei & legitimo ipſius honori, cùm potius quibus illa D. cõtulit, eoſdẽ ad ſe ea ratione quodãmodo cõpellare voluerit, vt ad ipſius cultũ propẽſiores redderet: ſed tamẽ experiẽtia tibi cõſtare credo, aliter ferè accidere ſolere, vt qui in mũdo floręt magis, illic ita diſtrictè teneãtur, vt vix vnquã illis otiũ ſuppetat quod ad prẽcipuã partẽ officij ſui cõferãt, atq; de Dei gloria procurãda, de ipſi⁹ cultu profitẽdo, de vita cœleſti meditãda ſeriò cogitent. Quare à te peto vt quũ hãc tibi opportunitatẽ proficiẽdi in ipſius ſchola obtulerit Domin⁹, quaſi ipſe tecũ familiari⁹ acturus eſſet, teipſũ planè attẽtũ prębeas, vt perguſtes planè quid valeat ipſi⁹ doctrina, quámq; ea nobis & chara atq; pretioſa eſſe debeat: fac etiã vt te diligẽter ſacro ipſius verbo legẽdo impendas, vnde & eruditaris magis ac magis, & viuã radicẽ fidei pcipias: qua nẽpe tibi in reliquã vitã cõſtes, atq; omnes tẽtationes elucteris. Nõ ignoras quã omnia paſſim corrupta ſint: quò magis piis omnib⁹ cauendũ eſt, ne illis reb⁹ implicẽtur, quæ ipſos deinde inquinẽt. Illud planè cõſtat nihil hodie nõ impunè eſſe præter vnã Dei purè colẽdi profeſſionẽ, vt ad illã nemo ſe cõparare poſſit, quin vndiq; ſe impetitũ iri ſtatuere debeat, niſi fortè verbis tantũ & minis cũ eo agatur ad tẽp⁹. Atqui D. vnius gloria tãti eſſe tibi debet, vt omnia prę illa calcare nõ dubites, cũ vna illius gratia infinitis modis omnẽ omniũ mortaliũ gratiã & fauorẽ exuperet. Suppetit etiã nobis illud ſingulare priuilegiũ, quòd ſi pro noſtra infirmitate trepidam, ille ſe vires ſuffecturũ virtute ſua recepit: vt in eo vno omne noſtrũ prẽſidiũ ſitũ eſt, vt ad illũ nos cõferamus, precemúrq; vt vnus ipſe ſit robur noſtrum atq; inuictum propugnaculũ. Dominus tibi adſit Spiritu ſuo, téq; in omni bono cõſeruet, atq; ita te reſpiciat, vt in te vno habeamus omnes, de quo illi gratias perpetuò agamus. IIII. Septem. M. D. LVIII.

D. GVL.

Io. Cal D. Gvl. Cicellio Reginae Angl. Secretario.

QVòd nunc ad te familiariter scribere instituì, vir ornatiſſi. homo de facie tibi ignotus, non longa excuſatione vtar: quia teſtimonio quorundam piorum fret⁹, qui tuã humanitatẽ mihi prędicarunt, te ad literas meas comiter excipiendas ſponte propenſum fore confido: ac præſertim vbi tibi ex lectione conſilium meum perſpectum fuerit. Ex quo diſcuſſa horribili caligine, quæ mentes piorum ferè obſtupefecerat, noua lux repẽte ſupra omnium ſpem affulſit, te pro gratia qua apud Sereniſſimam Reginam nõ vulgari polles, ſedulò incumbere fama eſt, vt profligatis quæ per quadriennium iſthic graſſatæ ſunt, ſuperſtitionibus Papatus, iterum vigeat ſyncera Euangelij doctrina, purúſq; & integer Dei cultus. Quare vt incipias Chriſto liberè & palàm militare, te hortari opus non eſt: ſed alterum hoc mihi reſtat, vt quod agis, & maiori ſtrenuitate, & inuicta conſtantia agere pergas: neque vllis moleſtiis, difficultatibus, pugnis, terroribus, non dico frangantur, ſed vel minimùm tardentur ſancti tui conatus. Equidem obſtacula tibi ſubinde occurrere, vel ante oculos verſari diſcrimina non dubito, quæ fortiſſimos quoſque debilitẽt, niſi mirifica Spiritus ſui virtute eos Deus ſuſtineat: ſed vna hęc cauſa eſt, pro cuius defẽſione, nullum laboris genus refugere nobis fas eſt. Quandiu mactandis Dei Filiis aperta fuit carnificina, ipſe quoque obmutueras cũ aliis. Nunc ſaltem vbi nouo & incredibili Dei beneficio maior reddita eſt libertas, colligere animum decet, vt ſi antehac timidus fuiſti, id ſtudij ardore compenſes. Equidẽ non ignoro, quantopere noceat interdum præpoſtera feſtinatio: atque vt multi inconſiderato zelo ac præcipiti retardent, quod volunt momento ad metam rapere. Sed ex aduerſo probè reputandum tibi eſt, quia Dei opus eſt, puram Euangelij veritatem totámque pietatem aſſerere, non ſegniter eſſe ſuſcipiendum. Ex re præſenti melius iudicare potes, quos tenere progreſſus conueniat, & quęnam adhibẽda ſit moderatio. Sed memineris omnem cunctationẽ, quamlibet ſpecioſo colore tecta ſit, debere tibi eſſe ſuſpectam. Vnus, vt conijcio, metus eſt à populari motu, quum inter Proceres nõ deſint multa flabella: & ſi inter ſe Angli tumultuarentur, præſto ſunt vicini, qui occaſionibus quibuſlibet nimis cupidè immineut. Sed quòd Sereniſſima Regina mirabiliter Dei manu in ſolium euecta eſt, ſuam gratitudinem probare non aliter poteſt, quàm ſi prõpta alacritate remoras omnes diſcutiat, atque impedimenta magnanimitate ſuperet. Quãdo verò vix fieri poteſt, quin rebus adeo turbulentis & confuſis, inter principia diſtrahatur, perplexa hæreat, ſæpe etiam vacillet, eam hortari auſus ſum, vt rectũ curſum ingreſſa, cõſtanter perſeueret. Hoc verò prudenter necne fecerim, iudicium eſto penes alios. Si tua opera factum erit, vt mea admonitio fructũ afferat, me cõſilij non pœnitebit. Tu quoq; clariſs. vir, in eo quẽ obtines fauoris & dignitatis gradu, te diuinitus locatum eſſe cogita, vt in hanc curam totus ſis intentus, ad opus hoc peragendũ neruos omnes intendas. Ac ne qua tarditas obrepat, ſubinde veniat tibi in mentẽ, quãti momẽti ſint hæc duo, vt Religio quę miſerè collapſa fuit, doctrina ſalutis quæ execrãdis mendaciis adulterata, cultus Dei qui fœdè inquinatus, nitorẽ ſuum recuperent & Eccleſia ſordibus repurgetur: deinde vt filiis Dei apud vos liberũ ſit nomen eius purè inuocare: & qui diſperſi fuerũt, iterũ colligantur. Vale ornatiſ. vir, mihíque ex animo obſeruande. Dominus te Spiritu ſuo regat, tueatur, omníq; bonorum genere locupletet. Geneuæ, 1111. Calendas Februarij M. D. LIX.

Io. Calvinvs Vinctis Fidelibvs S. D.

Ex gall.

QVòd hactenus ad vos nõ ſcripſi, Dilectiſſimi fratres, per meum erga vos ſtudium non ſtetit, ſi quid meæ ad vos literæ aut leuationis afferre potuiſſent, aut animi addere ad ſanctam illam cõſtantiam quam à Domino accepiſtis in vobis confirmandam. Cùm enim hoc ab illis officium præſtari non dubitem qui iſtic ſunt, meum etiam hac in parte à vobis requirendum non putabã. Nunc cũ profuturũ hoc vobis cõpertum habeã, inhumanus ſim, ſi veſtro deſiderio nõ ſatisfaciã. Et tamẽ hîc etiã me excuſare cogor, quòd breuior ſim quã vellẽ, & res ferat. Sic enim à quartana nũc exerceor iã à trib⁹ mẽſibus, vt vix tertiæ parti negotiorũ par eſſe poſſim, quæ ſi bona valetudine vterer, mihi conficienda eſſent. Atqui vbi & meũ hoc leuiuſculũ malũ, cum illis quæ vos cõſtringunt, & quã Dominus offert leuationem, cũ illis quæ vobis inferuntur moleſtiis & ærumnis cõfero, nõ tantùm tolerãtiæ legẽ mihi præſcribi, & nõnihil leuationis mihi adeſſe præ vobis agnoſco: ſed veſter ſtatus ita me afficit, vt à meipſo diſcedens veſtris malis ingemiſcã, & enixè orem pro vobis Dominum, vt veſtros dolores alleuet, ac vos contra quoſuis inſultus ſuſtineat atque confirmet. Quòd autem

vestra nunc conditio dura & acerba vobis videri potest, non est quòd multùm hoc vos moueat, quasi fidei nostræ vis & efficacia nos præstaret sensus dolorum expertes, cùm ad natiuos affectus eluctandos tantùm nos instruat: adeóque Dominus ipse, Spiritus sui præ-
2. Cor. 12. 9. sentiam in nostris infirmitatibus à nobis certius agnosci velit, vti Apostolus etiam hoc ab eo responsum retulit. Præsertim verò quia longioris custodiæ molestię, tædium non mediocre coniunctum habent: ita vos coram Domino demittite, vt non dubitetis vestram infirmitatem ab ipso hac etiam in parte, vobis modò aduersus illum enitentibus condonatũ iri. Vt autẽ ita perstetis in certamine, vt tandẽ cõsequamini solidã victoriam, ille vobis est seriò inuocandus, vt iisdem armis instruat, quæ hactenus ab illo idonea accepistis, ad Satanam ipsum cum instrumentis suis despiciendum. Quo nomine hoc vobis indictum sit bellum, nempe pro Dei gloria à vobis asserenda, pro veritate Euangelij approbanda, pro Christi regno in legitimum suum statum restituendo, ipsi nostis. Quantò verò acrior esse debet ille stimulus ad vos ad officium animandos, quàm quod pleriſque Principum mancipijs accidit, qui nescio qua spe lucri & sua ambitione abrepti, certissima pericula adire non dubitant? Et cùm isti cæco tantùm impetu ita animati ferantur, quantò nobis melius constare mens debet, vbi cœlestis heri vocem & mãdatum audimus? Atque illud maximè, cùm neque ad illas partes vocemur, nisi in salutem nostrã: neque morte ipsa fiat conditio nostra deterior, cùm vbi eovsq; veniendum erit, illam ipsam in summum & cumulatissimum nostrum bonum sit ipse commutaturus? Nam quid ipsi nobis testibus vel procuratoribus opus est, nisi quòd illud omnino cedit in nostram gloriam, vbi rei omnium dignissimæ instrumenta efficimur? Porrò illud fixum habete, vtcunque in aduersariorum potestate nunc sitis: vos tamen esse sub Dei tutela, penes quem vnum sint vitæ ac mortis exitus, vti Psal. 68. testatur: ac proinde cui nulla ratio deesse possit vos eruendi, si ita tulerit eius voluntas. Atque illud ita vobis est cogitandum, vt quod ad vos interea attinet, comparetis vosipsos, ad vestram ipsi vitam in legitimum sacrificium offerendam, si ita illi placuerit. Neque de vestro ardore detrahere quicquam debent impiorum dicteria vel minæ. Vt enim nostra simplicitas ab illis derideatur, nobis satis est quòd illam Deo probari scimus. Proponite vobis Dominũ ipsum, qui perinde etiam in extrema morte, talibus irrisorum & vltorũ sannis exceptus est. Agnoscite & illud ex Psal. 119. vers. 41. 42. Sint super me Domine misericordiæ tuæ secundum verbum tuum, & respondebo exprobrantibus mihi. Itẽ vers. 51. Superbi irriserunt me, à lege tua nõ declinaui. Item ver. 110. Tetenderunt mihi impij rete, nõ declinaui à mandatis tuis. Item vers. 161. Principes persecuti me sunt gratis, & adverbum tuum tremuit cor meum. Item vers. 23. Sederunt vnà Principes, & contenderunt aduersum me, seruus tuus autem meditabatur in statutis
18. 12. 13. tuis. Discite item ab Esaia, Deum vnum timere & sanctificare in cordibus vestris, vt furorẽ illum quem impij in cœlum euomunt, non formidetis. Atque interea illam apud ipsos mansuetudinem retinete, quaper vos non fiat, quominus aliquid ab ipsis obtineatis: non solũ vt moderatiores erga vos experiamini, sed imprimis, vt ad Dei cognitionem aliquomodo pelliciantur. Tantùm vt quã viã ingressi estis, & instatis adhuc, in illa cõstanter incedatis. Intendite igitur in cœlum oculos, vt ad palmam supernæ vocationis vnicè adspiretis. Hoc à Domino vobis precamur omnes, vt Dominus vestrûm se protectorem testetur, quòd etiã vobis reipsa constet, dum eum vestris malis exitum dabit, qui nobis omnibus occasionem afferat glorificandi & benedicendi in vobis sancti ipsius nominis. XV. Februar. M. D. LIX.

CALVINVS N. S. D.

QVum tibi aduersus illecebras, quibus te corrumpere tentabant Satanæ lenones, inflexibilis pridem fuerit animus, ac continuis experimentis fidei & pietatis tuæ constantiam probaueris: longius nunc, vt audio, te Christus produxit ad ferendum crucis suæ opprobrium, ne cui obscurùm foret, quia Deo placere cuperes, te hominum gratiam fauorémq; spernere. Et certè res ipsa ostendit, te probè hoc in corde habuisse concoctum, vbi nos non solùm ad manifestã defectionem & perfidiam solicitant homines, sed etiam ad obliquas deflexiones inducũt, neque blanditiis præbendas esse aures, neq; imperio morem gerendũ, neque cedendum minis ac terroribus. Etsi autem duros ac violentos insultus inter principia sustinuisse non dubito: meminetis tamen plures tibi & magis arduas difficultates adhuc restare, vt eò

alacrior

alacrior in certamen descendas. Interea quòd illo mundi præsidiò orbatus, quod iam non alacriter quàm turpissima mercede redimere poteras, palàm milites sub crucis vexillo, tibi ex animo gratulor: aliquantò etiam magis, quòd in sacra functione cui te Deus addixit, tam syncerè & cordatè laboras. Certè non sine admiratione audimus, quod de tua strenuitate & diligentia referunt oculati testes. Quò magis te eniti conuenit, quod te sedulò facere persuasus sum, vt primis vltima respondeant, neq; vel vlla discrimina reformides, vel tædiis frangaris, vel ad obstacula resilias, vel fatigeris laboribus, quorum onus tibi grauissimum incumbere me non latet. Vtinã in me esset, aliquid adiumẽti vel leuationis tibi adferre: idem & collegæ mei cuperent. Sed quia nihil melius suppetit, non desinimus cœlestem Patrem rogare, vt tibi vires inuictas suppeditet. Ignosces breuitati: imò etiam quòd fessus has dictare coactus sum. Nam & quartana me adhuc detinet, neq; mihi virium debilitas multùm permittit. Vale igitur eximie vir, & frater mihi colende. Dominus tibi semper adsit, te gubernet, laborésque tuos benedicat. Collegæ mei tibi plurimam salutem precantur. XXVII. Martij. M. D. LIX.

Io. Calvinvs N.N. S. D.

DEriucundum nobis fuit, dilectiss. fratres, quod de bona illa vestra spe rehũ- *Ex gall.*
tiatum est, quam Dominus vobis ostendit de pura Euãgelij ipsius doctrina vobis restituenda, cum facultate ipsius purè inuocãdi, colẽdi, & glorificãdi. Atqui non parum dolet, quòd vestra timiditas atq; pusillanimitas vos ita cõstringit, adeóq; cõgelat, ne, vt par est, testemini, quãti à vobis fiant res adeò incomparabiles. Tantùm abest enim vt promoueatis aliquid hac in parte, vt potius retroferamini, ac proinde gratiæ Dei ianuam claudatis. Cœtus vestri effluunt vt audimus, à cantu Psalmorum abstinetis, & sancta illa Dei laudum exercitia apud vos amplius non vigent. Scimus fieri hoc à vobis propter aduersariorum minas: atqui si vestram cõditionem confertis cum illa tot fratrum, qui alibi durissima captiuitate constricti, non se continent tamen, quin panem illum vitæ constanter requirant, quis vos excusabit à pudenda pusillanimitate, si minima quæque prohibitio vos ita perturbat, quoniam ipsi apud vos pondus & fidem additis? Vnde magis etiam metuendum est, ne ita pedem referendo, à via penitus aberretis. Vetus est illud malum, quòd se quidam ab Ecclesia subducant: contra quod non frustra nos ita exhortatur Apostolus ad Hebr. videamus nempe Heb. 10 25.
ne cœtum nostrum deseramus, vt à nonnullis fiat. Cùm igitur illa exhortatio remediũ ipsum complectatur, quo aduersus malum nobis consulendum sit, tantò magis videndũ est, vt gregi ipsi agglutinati stemus, cui nos semel immensa sua bonitate Dominus adiũxit. Agnoscite & illud eiusdem Apostoli, nondum restitistis vsque ad sanguinem. Date Heb. 12. 4.
igitur operam vt omnia illa impedimenta superetis, quæ à Satana suggeruntur, vt officium deseratis. Cogitate verò quò spectet Euangelij vocatio, vt illa iustũ apud vos pretium obtineat. Cogitate etiã quòd istius vitæ caducę, & euanescentis tam indigna mercede conseruandæ operæpretiũ esse possit. Atq; hinc colligite, quo merito honore prosequendus sit vobis Filius Dei qui vobis sese offert, quo animo ad Regnũ cœleste adspirãdũ sit, dũ vobis aperitur, quid valeãt spirituales illi thesauri, quorũ vos participatione dignatur. Neq; hîc illud à vobis afferendũ est, quòd nullo modo de Euãgelij professione deceſſuri sitis, vtcunq; aduersariorum impetus vestra quadam ratione declinetis. Nõ enim frustra institutã voluit Dominus ordinariam verbi auditionẽ, cuius perpetuũ nobis vsum esse vellet. Etenim qui nullum tempus à corporis alẽdi cura & studio vacuum abire sinimus, quomodo ferendi sumus, vbi quod ad animæ vitam & pastum attinet, ita remissi & obliuiosi deprehendemur? Offertur verò omnibus expedita ratio, quam tãtò minus negligere ipsi debetis, aut ab ea plenius obeũda quidquã remittere, cùm iam vobis ipsam ex parte ad manũ esse cõstet. Et quot piæ animæ illud ipsum esuriunt, quibus si eadẽ quę vobis facultas semel offerretur, longè alius ardor & zelus in ipsis extaret. Expergiscimini igitur dilectiss. quàm seriò à vestro illo somno, ac nouũ vigorẽ colligite, ad resistẽdũ cõstãter instrumẽtis Satanæ, neq; vllo modo vestrã vobis libertatẽ eripi sinite. Dominus enim qui tãto nos priuilegio dignatus est, vt Patrẽ se à nobis inuocari iubeat, idẽ etiã iubet vt à cõfidẽti & alto quodã animo hęc nostra cõfessio prodeat. Non possumus illud etiã reticere, quod grauissimã reprehẽsionẽ meretur, quòd nẽpe & verbo Dei & ipsius Ministris fores vestræ iam vix pateãt. Obiicietis interdictũ. Scilicet cùm ita vos Dominus honorat, vt domos vestras sua tẽpla esse iubeat, ac tã sancto vsui dedicet, quid

momenti habere debent aduersus illud Dei placitum, quæuis hominũ interdicta. Quid si sub capitis pœna interdictũ esset, quantò ad deficiendũ procliuiores essetis? Pessimè verò vobis cõsulitis, dũ illud Satanæ artificiũ non anteuertitis, quo vobis certã occasionem præripere meditatur, quæ semel elapsa è manibus, nunquam deinde restituẽda sit. Quare tã vt mali superioris memoria sepeliatur, quàm vt caueatis, ne vestra ingratitudine eo bono destituamini, quod est adhuc ad manũ, pergite ea via qua cœpistis Domino auctore: atq; illud reipsa cõstet in vobis, Dei veritatem nempe omnibus huius vitę commodis à vobis merito suo anteferri, atq; ipsius vnius cultui & gloriæ reliqua omnia quæ ab illo vos auersura erant, quàm longo interuallo posthaberi. Nostram porrò præcisam scribendi rationẽ à vobis æqui & boni consultum iri speramus, quam noster pro vestra salute procuranda affectus ita dictauit, ac necessitas ipsa stimulos vobis adhibendi expressit. Dominus vos, dilectissimi, virtute inuicta Spiritus sui confirmet, atque ita vos regat, vt nomen sanctum ipsius glorificetur in vobis, vos etiam præsidio suo vnicè complectatur. XIX. Iulij. M. D. LIX.

Io. Calvinvs N. s. d.

BInas abs te, integerrime frater, intra breue tempus literas accepi, quibus de statu Ecclesiæ Metensis fecisti me certiorem. Etsi autẽ eadem ferè quidã alij boni viri vel narrarunt, vel scripserunt: quia tamẽ & interiores morbos prudenter notas, & de remediis admones, & quãtulum affulgeat spei doces (quod ab illis prætermissum fuerat) gratissimum mihi officium præstitisti. Quòd & Psalmos canere, & conuentus agere destiterunt, nescio quibus inanibus minis territi, in eo apparuit pudenda eorum ignauia & timiditas: in hospitio autem negãdo (ad quod officium certatim se ingerere debuerant) turpius flagitium. Sed bene est, quòd neque animi tui constantiam debilitauit eorum mollities, quin torpidis & propè recusantibus te sponte offerres: neque offendit ingratitudo vel aliò reflexit, quin semper operam illis tuam impendere sis paratus, modò admittant. Nos acriter, vt videbis, eos stimulare conati sumus. Te verò cur strenuè currentem horter, nulla est causa. Tantùm Dominum precabor, vt te Spiritu prudentiæ, moderationis & zeli regere pergat, inuictáque virtute fulcire, compescat omnes aduersarios, benedicat sanctos tuos conatus & labores. Vale integerrime frater. Viretus, Beza & reliqui Collegæ mei tibi multã salutem precantur. XIIII. Calendas Augusti. M. D. LIX.

Calvinvs P. Martyri s. d.

COmmodè accidit, vt biduo postquã mihi redditæ sunt tuæ literæ, venerãde frater, discederet hic nuntius, cui meas tutò cõmitterem. Etsi nihil in præsentia quod scribam, nisi triste, occurrit. Inuitus autẽ facio, vt te mecum in easdem inuoluã molestias: nisi quòd vtriq; nostrũm hæc anxietas est cõmunis. Magno dolore me cõficit, nec minore cura ac metu me torquet misera fratrum nostrorũ quibus cordi est syncera pietas in Gallia, cõditio. Promptũ erat in manu Regis Nauarræ his malis remedium: & mira pollicitus fuerat, sed quum eius ignauia nihil fuerit turpius, accessit tandẽ & proditio. Socrus Principis Condæi à Regina matre impetrauerat, vt ex Ministris Ecclesiæ Parisiensis vnum admitteret ad colloquium. Vocatus ille dimittitur cum ludibrio. Interim ad horrendam stragem omnia inclinãt: quia à desertoribus fuerunt detecti, quicunque professi erant se Christi discipulos, & occultos cœtus frequentabant. Res plusquam luctuosa. Tamen expectandum æquis & quietis animis, donec è cœlo appareat vindex noster: quod opportunè facturum scio. Sed rogãdus simul est, vt debiles animos sustineat. Ego te & Collegas tuos nõ hortabor, vt eorum salutem Deo commendetis: quia scio ad hanc curam sponte propensos esse. Vale clarissime vir, & frater ex animo mihi obseruande. Saluta amicos. Dominus te incolumem tueatur cum vxore, gubernet, confirmet, donísque suis locupletet. Geneuæ, IIII. Nonas Octobris. M. D. LIX.

Ioannes Caluinus tuus

Comiti

COMITI IN TARNAVV IOANNES Caluinus S. D.

QVando ex tuis literis, Generose & Illustris Domine, meum tibi in scribendo studium placuisse intelligo, hinc magis obstrictus videor ad te sedulò monendum, & huius quoque officij liberè præstandi mihi crescit fiducia. In hoc porrò cardine vertitur quidquid mihi est cum Tua Excellentia disceptationis, quòd partium tuarum non esse existimas, quidquam tentare vel aggredi, vt repurgetur à sordibus Papatus Ecclesia Polonica. Nam pro tua æquitate non solùm probas nostrum studium, quòd in curanda pietatis restitutione sagimus, sed agnoscis munus clamandi nobis esse iiunctum. Sed eadem necessitate officij te & alios regni Proceres constringi negas, quibus cura incumbit tuendæ publicæ tranquillitatis. Ego autem excipio, non minorem denuntiari pœnam surdis auditoribus, quàm mutis Prophetis: quia non vult Deus frustra clamore nostro aerem verberari, sed aures seriò feriri, & penitus affici corda. Proinde non minus ad agendum promptas vobis esse manus conuenit, quàm Deus linguas nostras ad docendum & hortandum expeditas esse iubet. Nam quòd obtendis, reipublicæ præsidibus quietem & pacem commendari, falleris si vnum hoc onus tibi impositum esse putas. Audienda potius vox Pauli, Reges & Magistratus ritè tunc demum officio suo defungi, dum per eos nobis datur, tranquillam vitam agere cum omni pietate & honestate. Hæc quæ Deus sacro vinculo simul deuinxit, separare fas non esset. Quanquam tibi minimè concedo, vel conuelli regnorum statum, vel pacem turbari nostris actionibus. Durum etiam quod scribis, tot perturbationibus, quæ totum orbem intus & foris concutiunt, occasionem à Religione datam esse. Nam etsi inde ansam litigandi arripit multorum proteruia vel ambitio, alios contumacia & impietas ad digladiandum impellit: perperam tamen culpa in cœlestem doctrinam confertur: nec impunè Deus tantam sibi contumeliam irrogari sinet, vt dum sibi homines reconcilians ad mutuam eos concordiam inuitat, turbarum auctor censeatur. Atque vt cœlum terræ misceri contingat, meritò tamen pluris esse nobis debet syncerus Dei cultus, & sacrosancta eius veritas, in qua nobis reposita est æterna salus, quàm centum mundi. Quin prò sua ingratitudine & malitia tumultuentur multi, & sacrilego furore insurgant contra sanam doctrinam: quin professi etiam eius hostes væsano impetu ad illius oppugnationem ferantur, non est nostrum præstare. Sed an ideo obmutescet Deus, quia loquenti ferociter maior pars obstrepit? Quòd Deum precaris, vt te in hac caligine gubernet, atque illustret suo Spiritu, laudo: & verissimum esse fateor quod addis, nisi partes architecti suscipiat, irritos fore omnes omnium conatus. Sed non exigit Dei gratia, vt ignaui iaceant qui ad opus vocati sunt. Nam quòd facetè nostram fiduciam derides, quasi ad nos rapiamus Dei partes, dum corda hominum conuertere studemus, quæ in manu eius & arbitrio sunt: nihil hæc subsannatio cordatos Euangelij præcones mouebit, quibus probè & penitus infixa est sententia: bonum & suauem odorem esse ipsos Deo, siue mortem, siue vitam spirent. Verùm quidem esse fateor, non esse sperandum, vt toti mundo persuadeatur, quæ à nobis asseritur Religio: sed non obstitit mundi incredulitas & obstinatio Apostolis, quò minus in cursu vocationis suæ pergerent. Tenebant enim, quod pronuntiat vnus ex ipsis paratam esse horribilem vindictam contemptoribus, qui respuerint oblatam gratiam. Quòd autem iocaris, verendum esse, ne qui cœlum duntaxat quærunt posthabita terra, simul vtrunque amittant, abst vt fidem Tuæ Excellentiæ potius habeam, quàm Filio Dei, qui iubet primùm quærere Regnum Dei, & alia deinde accessura promittit. Metuere etiam te obtendis, ne populares vestros dissentionibus implices. Atqui iam dissentiunt, & palàm sua dissidia profitentur. Non igitur aliud supereſt remedium, quàm vt reconciliare ipsos studeas: quod fieri absque legitima cognitione non potest. Longius demum transilis, & iniquè, (pace tua dixerim) non minus quàm odiosè causam nostram grauas. Quorum certè criminum facilis promptáque esset defensio, si æquis auribus à Tua Celsitudine admitteretur. Nunquam enim vel disciplinam conuellere tentauimus, vel ordinis dissolutionem moliti sumus. Longè aliò tendere nostra consilia, & studia multis experimentis planum est. Quòd sectas & hæreses hinc fluxisse dicis, cum Christo vnico iudice litiga, cùm exiguo post Euangelij promulgationem tempore su-

1. Tim. 2. 2.

Heb. 10. 29.

Mat. 6. 33.

bitò emerserint tã multi ac prodigiosi errores. Scripta obiicis acerbitatis plena, hostiles pugnas, cõtrarias opiniones. Optandum sanè esset, vt idẽ omnibus cor esset ac vna lingua. Sed qua lege postulas, vt hominum dissidia vel contentiones Dei veritatẽ aboleãt? Mihi pugnandum fuit cum præfractis multis capitibus, & nunc quoque sto in eodẽ cõflictu. Si piæ sanæque doctrinæ patrocinium deserere fas esset, libenter quiescerem: sed vbi vnà cum hominũ salute oppugnatur Dei gloria, ex repugnãtia mihi inuidiam conflari, iniustum est. Quòd si quælibet certamina defugere oportet, facessat Christus è medio, qui lapis est offensionis. Prudenter obseruare conuenit locorum & temporum circunstantias: modò ne vafrities locum prudentiæ obtineat. Quanquam vt cœlum terræ misceatur, nunquam Christo claudendæ sunt portæ, quin ad nos cum sacro Euangelij sceptro penetret. Ac valde miror, quum fatearis Principibus onus hoc incumbere, vt huic Summo Regi portas aperiant, subiicere quod ex diametro repugnat. Asperior fortè stylus te offenderet, nisi Tua Celsitudo veniam necessitati daret. Vel tacendum mihi prorsus est, vel ingenuè scribendum quod sentio: quia nihil aliud mihi propositum est, quàm Tuæ Celsitudini prodesse. Negas tibi videri consultum de abolendis superstitionibus & restituendo vero Dei cultu agere: an tibi melius suppetere consilium, quàm ipsi Deo iudicas? Nec miror hominem prudentissimum & in maximis rebus exercitatum ita sentire & loqui: quoniam nulla detetior est pestis quàm humana ratio, quæ te certè nunc extra metas rapuit, vbi Deo consilium tuum opponere non dubitas. Quòd obiicis Deum fortè nondum patefacere quid velit, quorsum spectet non assequor: quando sic iam vobis illuxit Euangelij claritas, vt cæcutire in meridie non liceat. Equidem de synceritate animi tui longè aliud mihi persuadeo, quàm literę tuę sonant. Atque vtinam adhibitus amanuensis fuisset à Tua Excellentia, qui fideliter exciperet quæ visum fuisset dictare: quia Secretarius (vt video) mentem suam potius quàm tuam expressit. Pluribus itaque supersedere cogor, ne fines modestiæ excedere videar, si aulicæ ciuilitatis oblitus, ad multas profanas subsannationes verè, vt par est, respondeam. Quanquam autem adulari nescio, & ab officio meo alienissimum est: quum tamen infimæ plebis homines & rudissimos quosque placidè ferre didicerim, non tam sum rusticus vel morosus, vt posthabito Ampliss imæ Tuæ dignitatis respectu, tam præcisè agam. Sed veniam mihi dabit Tua Excellentia, si indignè fero sacrum Dei nomen, vnà cum studio Religionis per iocum & lusum traduci. Deum Patrem nostrum daturum mihi confido, vt quod ipse mandauit, neglecto mundi plausu & omnibus dicteriis valere iussis, quod iniunxit fideliter & constanter exequar: eúmque precabor, vt Tuam Exellentiam Illustris Domine, incolumem tueatur, Spiritu suo gubernet, omníque benedictione locupletet. Amen. xv. Nouembris. M. D. LIX.

Ioannes Caluinus tuus.

Io. Calvinvs N.N. S. D.

Charitas Dei Patris, & Gratia Domini nostri Iesu Christi augeatur in dies in vobis per Spiritus sancti communicationem.

BEnedictus Dominus, qui & suorum inter vos numerum in dies cumulatiorem reddit, fratres dilectissimi, & vos ipsos in veritatis suæ cognitione, vti ad eam prius vocare dignatus est, nunc etiam fouet, quantumuis Satan omnia moliatur & omnibus modis resistat, vt euertat aut interturbet opus salutis vestræ. Atque vt quod ita se bene habet, exultandi in Domino argumentum suppeditat, ita me in illo bona spes erigit, futurum vt qui tam liberaliter sua in vos dona effudit, largam illam manum facilè non subducat. Sic enim cogitandum est, nullum singularis & Paterni ipsius erga nos affectus testimonium certius extare, quàm dum Euangelij sui cognitionem nobis patefacit: quando istic natiua illius in Christo facies nobis apparet, vt constet omnino nos ab ipso recipi in filios in Christi nomine, ac pro filiis etiam diligi. Atque illud tantò est admirabilius, quantò ab vna ipsius infinita bonitate proficiscitur, quum in nobis nihil aliud agnoscat, quàm egestatem ac miseriam, quæ nos illi potius exosos quàm acceptos redderet, nisi ex ipsa

ex ipsa nostra infœlicitate occasionem misericordiæ erga nos testificandæ desumeret. Mementote igitur, dilectissimi fratres, Dominum nostrum Iesum Christum, ita vt ab initio mera Dei Patris gratia promissus fuit patribus, Patriarchis nempe atque vniuerso Israeli, vt nulla dignitas ex illorum parte hoc ipsis beneficium conciliaret: vt deinde vnius Patris misericordia morti addictus est, vt filios ipsius redimeret: eadem planè benignitate & misericordia nunc etiam in salutem vobis oblatum esse. Siquidem in nobis ipsis simul experimur omnes, vti Deus reipsa verum ostendat quod est apud Prophetam: quòd seipsum, nempe illis patefecerit, qui ipsum non quærebant: quódque illis apparuerit, qui de eo non inquirerent. Eramus nempe vt oues palantes & dispersæ, quum bonus Pastor ille Patris mandato nos requisiuit, vt ad suum ouile adduceret. Recordamini etiam, quanta ex abysso emerseritis, vt ingrederemini in Regnum Dei: quibus ex tenebris educti, vt ad ipsius lumẽ deduceremini: qua denique ex morte excitati, vt ab illo vocaremini ad spem vitæ. Agnoscite & illud ex eodem meræ ipsius erga vos bonitatis fonte, quod nunc etiam faciat, vt in verbi ipsius obedientia perstetis. Quantulæ enim sunt vires nostræ, nisi sua vnius virtute nos ad plenum fulciret? Porrò vsus istius ad vos meæ admonitionis duplex esse debebit. Primùm quidem, vt serio timore & humilitate deiecti, ac vobis planè diffisi, vestrum omne præsidium & robur in illo vno repositum habeatis, attenti & vigiles in precibus & orationibus sitis, ac semper vti in procinctu aduersus Satanam stetis, ipsiúsque vnius virtute sitis instructi, qui potens est vt victores tandem præstet. Alterum deinde coniunctum esse oportet, nimirum vt huius doctrinæ perceptio, vos etiam ad optimum illum Patrem tantò impensius deamandum accendat, quantò ipsius erga vos amor omnem alium amorem superat, éstque planè incomparabilis, ne vestra ingratitudine beneficiorum ipsius erga vos tenorem interuertatis. Planè enim aut ipsius vocationi respondere nos par & æquum est, aut ab ipso deserendi atque reiiciendi sumus, vt insigne vindictæ ipsius exemplar extet in nostram ingratitudinem, & tantæ gratiæ contemptum. Quare vestrum est operam dare, dilectissimi fratres, vt tum sermone tum factis doceatis vos ad filiorum Dei numerum pertinere. Scio quòd ad Christianismi confessionẽ, in quibus angustiis versemini. Neque ita inhumanus sum, quin periculorum vestrorũ consideratio me quoq; ad habendã infirmitatis vestræ rationẽ adducat: quum palàm non profitemini, quod à Domino de ipsius Euangelio acceptum tenetis. Sed tamẽ nullius periculi metus ab officio vos excusatos reddat, quin det operam vnusquisq; pro sua virili, & pro oblata occasione, vt ædificando proximo se impendat. De doctrina hoc intelligo. Videndũ etiam vt hoc prudenter fiat, ac dispiciatur quando & quatenus. Prudentiam autem requiro, quæ carnem & mundum non sapiat, vt quæ vos impelleret potius ad lucem ipsam suffocandã, quàm ad periculũ non detrectandum pro Dei gloria, & proximi per ignorãtiam errantis salute. Sic enim prudentiã interpretantur pleriq;, vt sepeliant Christũ ipsum, ne in mundi odium incidant. Quando autem illa non est ferẽda peruersitas, vbi nos ita respicimus, vt anteponamus aut etiam comparemus nostram tranquillitatẽ cum summo illo officio, quo Deo vni ante omnia obstricti tenemur, vestrûm est dilectiss. fratres, Spiritũ discretionis ab illo postulare, quo prẽditi appositè vtriusq; temporis, tum loquendi, tum etiam tacendi delectum habeatis. Atque hîc etiam imprimis cauendum est, ne quidquam proferatis curiositate quadam, aut ambitione, aut etiam leuitate impulsi, sed maturè perpensa demum, & quæ à syncero proficiendi affectu prodeunt. Illud igitur ex omnibus à vobis audiatur, quod plurimùm ad ædificationẽ collaturum videbitur. Ac si quid inde periculi vobis creandum sit, accingite vos multò antè, & ad illud cõfirmate, ne impares sitis ad tentationes eluctandas, quæ vobis intendentur, vt ad defectionẽ impellant. Meministis verò quid nonnullis acciderit, qui non mediocre periculum adierunt, multúmque vexationis pertulerunt: quos tamen Dominus ita eripuit, vt exitus longè optatior affulserit quàm sperare ausi sitis. Nunc de vobis comperti nihil habemus: adeóque valde soliciti & anxij sumus, dum expectamus quem exitum dederit Dominus persecutioni quæ istic accẽsa est. Atqui quemadmodum bonus Dominus suis semper se affuturum pollicitus est, vtq; illud reipsa præstitit erga omnes qui ipsum inuocarunt, nolite dubitare quin proximus vobis etiam futurus sit in posterum, tum vt opem & auxilium ferat, tũ vt aduersariorum rabiem comprimat, ne quidquid audent, reipsa exequantur. Atq; vt ea esset voluntas ipsius, vt ipsis per illũ liceret furorem in vos suum aliquatenus euomere, vt vestra tolerantia ita ad examen vocetur, non ideo ab officio

Esa. 65. 1.

deflectere,aut retro pedem ferre fas esset. Satis enim esse debet, quòd Dominus in mediis malis & tribulationibus seipsum nobis consolatorem interponat. Meditemini igitur tot támque insignes Scripturæ locos,quibus officij ratio præscribitur: atque eorum meditationem pro exercitatione ordinaria vobis constituite: vtpote quibus confirmandi simus ad illa omnia subeunda, quæ nobis inferẽtur propter verbum Dei. Sic inquam,Scripturam præ manibus habete,vt statim memorię occurrat,atque ipsa necessitas tulerit.Illud enim plus quàm indignum est,si,vt mortem corpoream euitemus,cùm vult Dominus constantiæ nostræ facere periculum, Dei veritatem abnegemus,in qua vna vita nobis reposita erat.Accipiamus verò hoc vt videbitur, manet tamen illud Do
Mat.10.13. mini verbum irrefixum,qui me,inquit,abnegauerit corã hominibus,ego viciſſim abnegabo ipsum coram Patr emeo.Væ illis igitur qui sibi imponent,atque in re tanti momẽti sibi blandientur. Attendite etiam ne commodi quæstúsve temporalis causa vos auertat,quò minus vos ipsos ad optimum Seruatorem adiungatis,atque re ipsa vos ad illum
Io.7.46. pertinere ostendatis. Nostis quid de ipso testati sint Pharizæorum & Scribarum ministri,cùm ad ipsum comprehendendum missi essent, nunquam à se auditum hominem qui perinde loqueretur. Agnoscunt nempe pro suprahumana doctrinam Christi. Sed affectus ille perditus agendi in otio,atque loci sui retinendi, ministros perpetuos reddit aduersariorum tum Christi,tum etiã doctrinæ ipsius.Quare dilectissimi fratres, ne adistiusmodi exemplum vllo modo accedite.Neque etiam Esaum sequimini,quem pro vili offula ius primogenitorum vendidisse scimus. Verè enim nihil aliud est quàm offula, quidquid ad corpus pertinet,præ vna adoptionis gratia,quæ piis offertur singulariter. Quare ne ita defixi simus in ea quæ nullius sunt momẽti, vt obliuiscamur cœlestis illius hæreditatis vnicè incomparabilis,quæ à Domino offertur. Iam si aduersus tentationes quæ corpus petunt,præsidia vobis comparanda sunt, haud minus verò de illis etiam eluctandis cogitandum est,quas Satan falsis doctrinis inuehendis inferre conatur. Non frustra nempe tum homicida,tum pater mendacij nominatur. Vos ipsi experiendo discitis.Nunc enim totus in eo est,vt in persecutionum quas per instrumenta ad illud apposita intendit,ad Christum eiurandum vos cogat:nunc nescio quos cauponatores excitat,qui totam Euangelij puritatem inuertunt,vt vos seducant, & à via omnino abducant.Et prior illa impressio à persecutionibus suam asperitatem habet, aduersus quam Dei manus vna potest nos cõfirmare,ne illarum impetu abrepti deficiamus.Atqui longè pernicioſior est tentatio, vbi aduersarius inspergit zizania tritico, vt planè corrumpat.Illud enim est belli latẽtis genus,& quod cuniculis sub terra geritur,vt nisi seriò nobis attendimus,incogitantes circumcipiamur. Cùm autem nullum prauæ doctrinæ genus non sit venenatissimum, vix tamen aliud ei comparari potest, quo vestram regionem inhalauit Satan.Infamem & execrãdam illam Libertinorum sectam intelligo,qui Spiritualium sibi nomen affingunt. Ac certissimum illud est exundantis in mundum furoris Dei flagellum,cùm eousque Satanæ habenas laxat,vt tam detestanda quę illic habentur,Christianis persuadeat, quæ profanis ipsis vel audita horrorem incuterent. Recordamini igitur dilecti,hoc illud tempus esse, quo seriò à vobis inuocetur Dominus, vt vos illi committatis sedulò:itémque vt in timore ac solicitudine ambuletis, ne incidatis in arrogantiam vel socordiam,quæ huic pesti vos obnoxios reddant.Rei ipsius cõfutationẽ hîc omitto,quoniam certo tractatu hoc à me comprehensum habetis: quod etiam vsui erit, ad perditorum hominum insultus repellendos, modò syncera fide admittatis,quæ ad vos legitimè instruendos ex Dei verbo illic vobis offeruntur. Quòd ad priuatos cuiusque mores attinet,consideranda nobis est in genere incredibilis illa corruptio,quæ passim hodie in mundo grassatur:non sanè vt ad illam accedatis & cum lupis lupi sitis:neque existimetis illorũ malo vestrum eleuatum iri,cùm aliorum exemplo abducemini. Tantùm vt vobis sit præcautionis loco,ne accidat malis vos exemplis abduci vel contaminari.Est enim inter spinas nobis iter faciendum, quando homines ita deprauatos comperimus.Cesset illud igitur,quòd ita se omnes alij pridem gerant,vbi apertum scelerum diluuium iam mundo incumbere ipsi sentimus. Neque verò alij alios intueamur,vt ex malis exemplis certam regulam confingamus. Nempe hic & ille ita se
Mat.16.24. gerunt,quia portabit vnusquisque onus suum.Neq; etiam sic nos esse quisque ad excu-
Luc.14.33. sationem obtendamus, quum ea sit prima lectio quam inculcat nobis Dominus exi-
Tit.2.12. pso scholę aditu,vt renũtiemus nobis ipsis:éstq; illud omniũ ferè in Scriptura frequen-
Coloss.3.5. tissimũ,nimirum vt carnẽ mortificemus,& affectus nostros quasi captiuos mittamus sub
Mat.1.29. iugum

iugum obedientiæ Domini Auſcultemus igitur appoſitas illas admonitiones Apoſtoli, Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis incedite. Ne etiam ſecundum carnem ambulemus, ſed ſecundum Spiritum. Chriſti ſanguine loti ſumus, vt in puritate perſtemus. Ex vinculis peccati à Chriſto redempti ſumus, vt illi vni & eius gloriæ viuamus, adeóque ille viuat in nobis. Iſta paſſim extant apud Apoſtolum vt & illa ex oppoſito, fruſtra ſibi Dei cognitionem tribuere qui concupiſcentiis inſeruiãt. Si quis, inquit, in Chriſto ſit noua creatura. At tot hodie ſcelerum facies in mundo graſſantur, vt eas percenſere ſit infinitum. Sunt verò inter alia quæ conſuetudinis prætextu emolliuntur, cuiuſmodi ſunt iuramenta, blaſphemiæ, aleæ, luxus vaniſſimi in ſaltationibus, cauponarum ordinariæ aditiones, & de genere eodem non pauca. Ne verò iis in rebus imponamus ipſi nobis vel ab aliis ſinamus imponi. Neque enim iudicium Dei malis moribus & conſuetudini inueteratæ obnoxium eſt. Hoc ipſe ſemel edixit, Non habiturum ſe pro innocente, qui nomen ipſius in vanum aſſumpſerit. Fixum igitur maneat oportet. Nam & rationem ſummam habet. Quis enim ſatis reuerenter agnoſcat dignitatem ſacratiſſimi Nominis, ad quod vniuerſæ creaturæ contremiſcunt? Qui verò aſſumit in vanum, contemptum prodit. Quid igitur dicemus de blaſphemo? Atqui meus ſic eſt mos. Nempe vt tanto grauius reus fias. Hoc eſt igitur eradendum funditus, ne Dei iram prouocemus, dum abutemur tolerantia. Quòd ad luſus, cauponas, & gulæ illecebras, præter ipſam temporis iacturam, & meram in vita inordinationem, videmus etiam quot mala ex iſtis conſequantur. Exhauriunt ſe, nempe qui iſta ſectantur, atque temere, imò etiam indignè omnino profundunt, quod melioribus vſibus erat impendendũ. Inde iræ, atque inimicitiæ. Atque vbi quis ſemel iſtis rebus ſeſe addixit, ipſum animum quaſi atterit atque imminuit. Taceo tot alia incommoda, quæ quotidie ex eodem illo fonte naſcuntur. De aliis illis rebus vaniſſimis quas verbo indicaui, non eſt quòd vlterius contendam, quando & ipſæ per ſe ſuum probrum & turpitudinem detegunt, modò ne oculos aperire pigeat. Tandem verò illud etiam vobis ſuccurrat, Dilectiſſi. fratres, fieri non poſſe vt Dei Filij cenſeamur, niſi charitate fraterna inter nos mutuò colligemur. Inde illã vocari perfectionis vinculum, q̃ in illa ſita ſit Chriſtianiſmi ſumma: atque illam proinde vnicè nobis Dominus commendet. Vt verò vnanimes inter vos ſitis, danda eſt vobis opera, vt alij alios iuuetis mutuò: vt fidem & ſyncéritatem colatis inter vos, omnem ſimulationem, prauitatem, dolum auerſemini. Cũ pace benignitatẽ exhibeatis, alieni ſitis à iurgiis & rixis, itémq; à cõuitiis & cõtumeliis. Demiſſi ac modeſti ſitis, omnẽ de vobis opinionem ſemel exuatis. Siquidẽ non aliud eſt præſentius venenum aduerſus charitatẽ, quàm arrogantia. Cauendum eſt omnibus modis, ne affectus ille adeò perturbatus in vobis hæreat, qui vos penitus excæcet, iram intelligo. In eo igitur incumbite, vt frænis coerceatis, ac vim ipſis vobis inferatis ad illud monſtrum perdomandum. Nihil enim eſt quod minus compeſci poſſit, quàm ira infrænis. Pluribus ad vos ſcripſiſſem ex meo & veſtro voto, niſi alia me occuparent plus quàm optaſſem, quod à vobis æqui & boni conſulendum eſſe mihi facilè perſuadeo. Dominus adaugeat vobis dona ſua ſpiritualia, quæ vos in ipſius bona voluntate & eiuſdem obedientia confirment, vt vita veſtra ipſius honori cedat, plena vos conſtantia inſtruat, vt in ſancta ipſius vocatione ad extremum vſque perſtetis. Cúmque tot vndique hoſtes vos circumcingant, ſuo vos præſidio complectatur, ſuúmque de vobis ſtudium reipſa, cùm opus erit, teſtificetur. M. D. LIX.

Ephe.5.8. Gal.5.16. Rom.6.2.

2.Cor.5.17.

Exo.20.6.

Coloſ.3.14.

MARTYR CALVINO.

QVòd literas, vir clariſſime, rarius quàm ipſe velis, & ego cuperem huc ſcribas, me non ita mouet vt vel abs te minus diligi, vel minus curari ſuſpicer. Nam vt afflicta valetudine hactenus fueris, & quàm grauibus atq; multiplicibus negociis tantùm nõ obruaris, compertiſſimum habeo. Vtinam quemadmodum id probè noui, ſic te aliqua ex parte alleuare poſſem. At confido patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui fons opportuni auxilij atque ſolidæ conſolationis eſt, ita denique tibi adfuturum, vt & corpore melius valeas, & moleſtię quibus vltra vires premeris, nonnihil mitigentur. Quòd Gallię res tàm malè habeant, egerrimè quidem fero, quamuis ita euenturum antea iudicaui. Nam intelligebam N. illos facilè rerum potituros, ad quorum manum imperij ſumma ſi peruenisſet, facilè diuinatu fuit, quò religionis fortuna eſſet caſura. De Regina mirantur fortaſsis alij, ego non miror. Nã pietatis eius

erga religionem synceram vllam significationem hactenus nunquam sensi. At de Rege Nauarrę nouũ admodũ videtur, vt qui antea Euãgelio Filij Dei tam pleno spiritu fauere videbatur, nunc quãdo maximè opus erat, se pietate vacuum adeò præbeat. Quid hîc agamus? Qui Rex regum est, & Dominus dominantium, absque Regibus & Dominis huius mundi, causam suam tuebitur, & promouebit: vestræ quoque vrbi defensor & propugnator, vti spero, aderit. Non enim fidelibus, quãdo suis temporibus vrgentur, solet deesse. Id autẽ cùm hactenus minimè commiserit, vt nunc à vobis incipiat non est opinandum. Nos verò quãdo aliter non possumus, rem vestram contentissimis precibus apud Christum iuuamus, nec diffidimus quæ illius bonitas est, ab ipso nos denique auditum iri. Bulyngero & cęteris tuo nomine salutem dixi, qui te vicissim plurimùm saluere iubent. Iuueni autem, quem tuis literis commendasti, quacũque in re potero, libentissimè gratificabor. Symmystas tuos mihi velim diligenter admodum salutari, præsertim Dominum Viretum atque Bezam, cuius nomine Lælius mihi dedit instituta vestri collegij: quod vos erexisse tum vehementer gaudeo, tum ea de causa Deo ingentes gratias ago, illũ obsecrãs vt quod bene cœpistis, fœliciſſimè vertat. Bezæ vero libenter modò scripsissem, nisi tabellarius nimium festinaret. Vale Domine colendissime, ac frater in Christo plurimùm obseruande. XXVI. Septembris. Tiguri.

Tui studiosissimus P. Martyr.

Io. St. Calvino s. d.

QVid agas? homines sunt: atque falsi sumus. Sed nos non vt de hominibus iudicauimus: verùm vt de viris sapientibus sperauimus: neque cogitauimus nos de hominib⁹ iudicare, qui in remotis ab hominum celebritate atq; iudicio montibus habitant, quibus nihil placet nisi patrium. N. omnino fefellit. Vsque adeò φιλολοῦθρος est, vt vel crepidas eius adorãdas putet. Velim N. posse ab illis auocari, & ab omnibus ciuitatibus conferri, vt honesta conditione Basileæ aut apud vos viueret: aut etiã apud nos: quãquam etiam nostri pueri σοφίζονται ἐν τοῖς δείπνοις, ita vt senibus non permittant sapere. Euocatum tamen eum velim ex illis locis: quibus nullæ terræ sapere videantur: credo Sibillam Delphicam migraturam eò: ita omnes in illis locis sagiunt. Ego ita non laudo istã N. μικροψυχίαν: φιλόψυχος mihi in hac ætate affecta atque afflicta esse videtur nimium: in re præsertim tali ac tanta. Te laudo, qui audes, & qui contemnis ea, quæ si ab aliis spernerentur, minus laboraremus. Vale.

Vtenhonivs Calvino s. d.

QVum istæc mihi nũc ad te scribẽdi daretur occasio, Vir Clarissime, fratérque obseruandissime, non potui eam prętermittere, quin te earum, quæ hîc geruntur, rerum facerẽ certiorem. Hoc itaque habe: in Comitiis Petricouiensibus nunc tractari inter alia, de excludendis è Regni Senatu Episcopis. Illustris D. Comes Tarnouiensis rem in Senatu nunc recèns proposuit, indicans contra rectam Politiæ constitutionem esse, regni Senatores non tam Regi sanè, quàm Papæ ipsi iuratos esse. Se quidem reliquósque Laicos, quos Seculares vocant, Regem ipsum, cui vni iurati essent, pro suo capite agnoscere: Episcopos verò non item, sed solum Papam, cui vni iurati essent pro suo capite, maximo cùm & dignitatis Regiæ & patriæ totius præiudicio, agnoscere. Ac proinde eos sibi amplius in Senatu ferendos non esse. Qua propositione facta cõuenerunt mox Episcopi omnes apud Legatum Papalem. Ac postquam variè inter ipsos consultatum esset, ab ipsis resp̃sum est, se iam in possessione esse per longissimi (vt loquuntur) temporis præscriptionẽ. Qualisnam verò huius rei fuerit euentus, adhuc ignoramus. Quàm autem facilis sit responsio, ad eam Episcoporum exceptionem, nemo non nouit. Nota est ipsiusmet iuris Canonici tritissima regula, ex sexto Decretal. libro: possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit. Non habeo quod præterea scribam de Comitiis, nisi quòd res eò spectare videtur, vt toti Nobilitati libera reformandarum Ecclesiarum suarum facultas permitti debeat, vtque ea ab Episcoporum iurisdictione liberetur. An quid præterea ex hisce Comitiis nobis sit expectandum, omnino nescio. Sed si quid eueniat præter expectationem cognitu

gnitu dignum, non committam quin te eius faciam certiorem prima quaque occasione. Illustrissimus Princeps D. Palatinus Vilnen. venit ad Comitia, neque hinc vult ad sua redire, prius quàm habeatur hîc fratrum conuentus, ad quem nostri hîc seniores ac etiam sui quidam, quos secum adduxit, accedant, quò paritas quædam in ceremoniis Ecclesiasticis, quatenus fieri possit, inter vtrósque inducatur ac seruetur. Sui enim hactenus vsi sunt ceremoniis impurioribus: spes tamen est, diuino beneficio, eas breui repurgatum iri. Spes est etiam ipsum Palatinum Vilnen. suas hîc Ecclesias propediem reformaturum esse. Audio te nunc scripsisse literas exhortatorias ad Vchanium episcopum Cuyauiensem, quo nomine sanè gaudeo, ac te precor, vt eum literis tuis subinde inuisas ad eius cõsolationem. Is enim tanta odiorum mole grauatur à sui ordinis hominibus, propter ipsius pietatem, rarãque libertatem, qua in Comitiis etiam ipsis iam vtitur, vt eum sublatum cupiant, venenóque tollendum iudicẽ, ne quid amplius dicam. Gratiam autem tibi habeo pro eis ad Magnates hîc nostros literis, quæ non omnino importunè nunc sunt redditæ. Neque dubitamus eas fructus suos aliquando relaturas esse. Si qua egoviciſſim tibi gratificari aut seruire possim, vt me liberè vtaris in rebus omnibus, rogo. Nihil enim est quod grauatè, ad tui postulationem, sim subiturus, in Domino: cui ego te tuúmque ministerium, vir clarissimè, fratérque obseruandissime ex animo commendo: vtque Vtenhonium tuum pergas amare, vti fecisti vehemẽter oro. Saluta mihi omnes isthic fratres. Clarissimus veréque Reuerendus vir, D. Ioannes à Lasco te peramanter salutat. Ex Querceto, XXVII. Ianuraij M. D. LIX.

Tuus tibíque addictissimus quantus est
Ioannes Vtenhonius.

FARELLVS CALVINO.

AVdiuimus magno perfusi gaudio te liberatum à febri bene habere, & cõcionari. Dominus hoc tam opportunum erga suos beneficium quàm diuturnũ tibi & nobis reddat. Principes bene in Metenses affecti, magis nunc afficiuntur, quum videant eos numero & animis crescere. Rasi magis & magis insaniunt: licet maior eorum pars de alia ratione vitæ cogitet, ac repugnare frustra Euangelio nolit, iudicétque satius esse verbo parere, si prędicetur, quàm reluctari. Nescio an resciueris, quid Cardinalis nomine fratris, nimirum ducis Guisiani, scripserit Richroco primario duci equitum, qui antè Saxonem exceperat: nempe vt ducem commonefaceret, Regi nihil acerbius posse euenire, & nihil minus ferre posse, quàm Religionem suam alterari. Literæ missæ fuerunt ad Principes, ac compertum fuit non Guisiani ducis, sed Cardinalis esse. Nam sigillum quo obsignatæ erant, galerum habebat Cardinalis, & quum Dux subscribat *François*, manus erat Cardinalis, vt probè nouit N. & ita habebat, *Vostre bon ami le duc de Guise*. Voluit Saxo omnes Principes videre literas. Metenses fratres maiori quàm vnquam numero libellum supplicem porrexerũt iis, qui præsunt vrbi Metensi, & nunquam tam amicum responsum acceperunt: quod vt videas, ad tem. to libelli exemplar, & quod fratres scribunt de respõso. Quæ audio de fratribus & eorum literis, quas ad me scribunt, & alios, & vt video omnes in eos affectos mirè me mouent, faciúntque vt sperem bene. Mirus est omnium affectus in Viretum, cupiúntque omnes vt eum eò perducere possim, quod vtinam breui fiat. Vale bene & te Ecclesiæ Christi serua cum Vireto, quem opto saluum diu D. seruire, Bezã quoque & omnes ne prętéream Syndicos pios cum Senatu. Argentorati, III. Aprilis M. D. LIX.

Tuus totus Farellus.

CALVINVS N. S. D.

NIhil de Saxonicis Doctoribus narras, Optime frater, quod non vbique plus satis tristi experientia notum sit. Quascunque enim occupant Ecclesias, non stolida modò confidentia, sed truculento etiam fastu pessundant. Genuit, fateor, Viteberga pios quosdam & cordatos homines: sed maior pars genuinam Lutheri imaginem se referre putat, si pro animi magnitudine qua præditus fuit vir ille, flatu arrogantiæ turgeat. Idem & Ierosolymæ olim contigit, quum sub Apostolis illic maximè vigeret ac floreret pietas: quia nulli infestiores Ecclesiis Gentium

hostes fuerunt,quàm qui inde profecti Iacobi & aliorum discipulos se iactabant. Non quòd immodico studio,vt sæpe fieri solet,addicti forent magistris quorum nomine superbiebant,sed vt fallaci prætextu obruerent veros omnes & synceros doctores.Sic Lutheri simiæ(paucos enim reliquit imitatores) Wittebergæ nomen crepãdo,nisi protinus deditio fiat in eorum verba,vbique ingentes mouent tumultus. Quum editus esset Ecclesiæ nostræ cum Tigurina consensus, nihil minus timebam, quàm vt inde pugnandi materiam arriperet Westphalus.Tunc in certamen coactus descendi, vt bestiæ ferociã cõpescerem.Postea miratus sum plurimos simili rabie esse infectos.Sic tamen eorũ non modò inscitiam,sed improbascalumnias detexisse mihi videor,vt eorum fastum & putidam vaniloquentiam meritò despiciant,quicunque sunt mediocri iudicio prædíti.Et sanè non dissimulant sibi non nisi in tyrannica violẽtia residuam spem esse. Quod modestè bonam causam tueris,& sedulò caues,ne vestris dissidiis turbetur Ecclesia, laudo & tibi gratulor,modò vicissim cordatè sustineas eorum pertinaciam, vt maneat in suo gradu Dei veritas,quam stultorum vel amentiæ vel superbiæ tãtillũ cedere fas non est. Libenter,si daretur facultas,vel ita ferret occasio,tibi arma suggererẽ : verùm si institutionem proximè editam legere non graueris,reperies,nisi fallor,in 17.cap.lib.4.nõ pœnitendum subsidium.Porrò quòd me consulis,an tibi sacram Christi Cœnam ex eorum manibus sumere liceat quibus hæretici sumus,quia negamus Christi carnem dentibus atteri:quanquam mali exempli rem esse video,si quis à Cœna abstineat, peruersæ tamẽ atque adeò perfidæ simulationis esset, accepto concordiæ symbolo falsum illud & absurdum comentum,quod exitialibus præstigiis fidei principia euertit,vel tacitè approbare , nisi clara & ingenua præcedat sanæ doctrinæ confessio. Nihil igitur melius fore arbitror,quàm si liberè palámque testeris,te eorum culpa à Cœnæ participatione prohiberi , quia puram & genuinam Christi doctrinam nõ admittunt.Beza noster te plurimùm salutat. Velim etiam ornatissimo viro Doctori N.ciúsq; filio plurimã meis verbis salutẽ dicas. Vale eximie vir & integerrime frater.Dominus te Spiritu suo semper gubernet,præsidio tueatur,& labores tuos benedicat.Geneuæ,XXII.Aprilis. M. D. LX.

Domino Io. Calvino Gasp. Olevianvs s.

Gratia & Pax à Deo Patre per Iesum Christum Filium suum sit semper tecum,serue Christi fidelissime.

QVòd citius ad te non scripsi de rebus nostris Treuerẽsibus,in eo non excuso negligentiam:debebam enim vos citius liberasse dolore,quem mei causa proculdubiò ex variis rumoribus conceperatis: quanquam è custodia in qua decem septimanis integris ad initium ferè Ianuarij detentus fui,perdifficile mihi erat & plenum periculi : à Ianuario fortasse literas Argentinam potuissem mittere, si diligens fuissem occasionis inquisitor:quare segnitiem meam non excuso, sed veniã peto. Initiũ actionis scio te ex iis literis cognouisse,quas superioribus nundinis à D.Martyre accepisti,epitomen totius progressus & euẽtus ab eodẽ breui accipies,nisi fortè iam accepisti : cuius hæc est summa.Cùm populi maxima frequẽtia ad audiendum verbum Domini concurreret, egóque pergerem in templo publico docere adiutus à ministro quodam syncero ac pio misso ad nos è Biponto , eò permouit Senatores Papistas Episcopus,vt eum in vrbem intromitterent stipatum ducentis sexaginta plus minus equitibus.Vrbem ita ingresso Episcopo, nos postposita omni prohibitione in vocatione nostra pergimus:& ita quidem vt populus contineretur,ne quidquam moueret aduersus Episcopum. Magnus erat zelus in plerisq; omnibus , & ad disciplinã etiam recipiendam erant parati. Episcopus secum in comitatu habebat Latomum,& officialem Confluẽtinum,qui etiã fassus est se à nostra Religione desciuisse. Vehebãtur illi molli lectica:hac ostẽtatione,ac si me disputãdo erroris alicuius conuincendi causa adducerentur:sed vana tantùm fuit ostentatio,neq; enim vnquam publicè me offerentem disputationem audire voluerunt:quæ res multos confirmauit. Dum nos pergimus concionari,sæpe per proditores quos habebant ex Senatoribus & aliis ciuibus,turbas excitare conabantur,sed frustra.Dominus enim mirabiliter nos protegebat. In capitulo dum in vrbe adhuc esset Episcopus, cum equitatu oriebatur dissensio,aliquot Religionem approbantibus,reiicientibus aliis:quemadmodum Latomus ipse (qui crudelissimè

simè se gessit in tota actione & planè fraudulenter) Principum Legatis postea est confessus: quæ causa fuit, cur Episcopus cum equitatu vrbe excesserit, in oppidulum vicinum quod dimidio mi lliari abest ab vrbe: Episcopus milite vias obsidet, vt nihil inferratur in vrbem, vastat etiam hortos ciuium. Nihil denique prætermittit, quod ad concitandos Papistas aduersus pios valere aliquo modo posset. Per proditores suos tribunos aliquot, iubet Papistas strenuè bibere, neque de annona esse solicitos: Lutheranos omnia soluturos, qui patriæ suæ voluerunt esse proditores. Potatur noctu ac diu in hypocaustis publicis, aliquot septimanis diebus ac noctibus integris, nostris interim non exiguam penuriam patiẽtibus: per proditores subornatos seminat rumorem atque scripta, nostros emisisse Legatos ad alios Principes, ad euocandum militem è Germania, & ad tradendam vrbem alijs Principibus: harum technarum sexcenta excogitabantur millia: deinde vt tota proditio succederet, selegerant proditores subornati ex plebe Papistica pessimos quosq; & stupidissimos, vt hi quidquid statuissent cũ Episcopo, ratum haberetur, tanquam à maiore parte plebis constitutum. Hi ad reliquos siue Papistas siue pios nihil referebant, sed pro suo iure agebant omnia. Satanas rapiebat eos omnes planè transuersos, vt nihil vnquã visum sit horribilius: adeò vt qui antea fuissent pigerrimi & trunci, essent indefessi & vaferrimi, vt noctu etiam vix paululum temporis somno darent, quin continenter concurrerent, & noua singulis ferè horis inirent consilia. Tandem Episcopus per literas petijt à Papistis, quoniam sibi constaret nos & seditiosos esse, & proditores patriæ, qui vellemus vrbẽ tradere aliis Principibus, vt defendendę ipsorum libertatis causa, coniicerẽt omnes Senatores nostros cum Ministris in carcerem. Se enim velle iure nos conuincere proditionis, & seditionis, & criminis læsæ Maiestatis: & vt tutò accusationem per fuos consiliarios laicos instituere, & sententiam latam executioni mandare possit, petere vt non grauentur militem in vrbem intromittere, qui non ipsis sed seditiosis oneri sit futurus. Ita fascinarat Papistas nostros Satan, vt nullas admonitiones Consulis pij aut aliorum audirẽt, sed planè surdi essent & cæci. Cùm in Senatum ventum esset, Papistæ Senatores iubent nostros in custodiam, quæ in ædibus est Senatoris quò conuenerant, se recipere, alioqui se furorem populi cohibere non posse: subornarant autem aliquos, qui seditionem mouerent, si nostri id recusassent. Itaque nostrũm duodecim in custodiam imus, & nisi iuissemus, magna fuisset secuta strages, vt plerique ex nostris existimant. Cùm in custodia essemus, Papistæ nobis planè insultabant & augebatur prorsus ipsorũ furor. Aliquot insignia peditum cum Episcopo rursus in vrbem intromittunt maxima cum lætitia, quantumcunque reclamarent præstantissimi ciues vrbis. Producimur per mediam vrbẽ inter medias turmas comitati centum armatis, ad audiendum accusationem quæ centum & vno cõstabat articulis, falsis planè & malitiosè excogitatis. Inter hos præcipui erant de proditione, de accendenda vrbe, de occidendo Episcopo, de me concionatore Caluiniano. Petentibus nobis spatium deliberandi, vrgebat Latomus & reliqui accusatores, vt quęstioni statim subiiceremur, scilicet Cõsul ipse senex, Ottho Sirkig Procõsul, & nos reliqui. Iidem erant & proditores nostri, & iudices: Dominus tamen mirabiliter gubernabat actionem, vt vnus ex ipsis syncerior politicus diceret, quatuordecim dies nobis concedendos esse ad respondendum. Sciebant Legatos sex Germaniæ Principum esse Wormatiæ, propterea vrgebant condemnationem, & executionem. Antequam elapsum esset hoc spatium, veniunt Legati: itaque rursus producti non fuimus, nec ad actionem responsum scripto vllo, sed per Legatos. Tantus erat furor nostrorum hostium, vt nullis ferè Legatorum precibus possent sedari, adeò vt coacti fuerint consentire in nostrum exilium, & mulctam trium millium florenorum, pro sumptibus bellicis: petebat autem semel viginti millia, postea octodecim millia, tandem in tria millia est cõsensum. Reliqua cognosces ex communibus literis quas Tigurum misi, & qui inde sit rerum mearum status intelliges ex literis D. Petri collegæ mei. Magna certè hîc est bonorum ministrorum penuria, vt ferè fœlicẽ iudicẽ Galliam præ Germania. Auocatus est hinc Petrus ad Ecclesiam Gallicam quæ est Argẽtinæ. Rogatum te velim, vt diligenter ponderes circunstantias omnes, ne pura doctrina hîc deseratur, cùm certò mihi constet Argentinẽsi Ecclesiæ melius prospectum esse vno Ministro quẽ habent, quàm nostræ multis quos describere tibi non est opus: ita vt existimem non sine summa iniuria Ecclesiæ totius Palatinatus mihi posse eripi Petrum. De hac re cuperem abs te commonefieri Ecclesiam Argentinensem, ne cum huius Ecclesiæ maximo detrimento (quę certè seminariũ, vti spero, erit magnę partis Germaniæ) sibi cupiant prospectum: quod etsi spero consideraturos Seniores Ecclesiæ acce-

ptis Petri literis,quoniam tamen sunt homines,vereor ne pergant vrgere:ego certè cuperem puram doctrinam modis omnibus hîc promotam.Leges Consistorij vestri optarim tutò ad me transmitti per Cortæum nundinis proximis : communicarem eas cum aliquot in Senatu Ecclesiastico:quanquam inter omnes est consensus. Porrò accepi heri literas è patria,quibus mirabilia narrantur Dei iudicia in nostros aduersarios. Multi ex plebe repẽtina morte obeunt,duo ex præcipuis apoplexia percussi iacẽt, tertius perfidissimus (qui meam doctrinam se non improbare posse dixerat nostris Senatoribus,& si rogatus fuisset à nostris se vnà promoturum fuisse Euãgelium, sed,quoniam adeò strenuè voluerint progredi se non rogato,ideò se modis omnibus impediturum,quod etiã fecit miris technis & maximis laboribus) is inquã cùm manè optimè haberet,ante vesperã subitò mortuus cõcidit. Nunc & tẽpus & charta requirit,vt finem faciã, cõmendans te ac fratres seruatori meo Iesu Christo,quẽ cõtinenter pro me orate. x i i.Aprilis.

Io. Cal. Gaspari Oleviano s.

ET si alius disputationis apud vos habitæ exitus nobis optandus erat: quòd tamen totam rei summam distinctè mihi exponere grauatus non es, optime Gaspar,grata mihi diligentia tua fuit. Vtinam hoc saltem experimento discat ille aliquid ex confidentia, qua nimis turget, remittere. Petrum Martyrẽ hortatus sum,si ab Illustrissimo Principe vocetur, vt nõ modò ad suscipiendam prouinciã volũtarius sit,sed Collegisetiã persuadeat ita expedire.Quàm laboriosum munus tu sustineas,video: fructus tamẽ laboris adeóque necessitas ad strenuè pergẽdum te excitare debet. Accedit alter stimulus ex eorum pertinacia,qui nihil omittunt ad turbandum.Quòd spes aliqua instituendæ disciplinæ vobis ostenditur,valde gaudeo. Si quid fortè adiumenti adferat gubernationis ratio quam hîc tenemus, summam eius complexus sum.

Primùm eliguntur Ministri à nostro Collegio: ac datur illis Scripturæ locus,in cuius interpretatione specimen suæ dexteritatis edant. Deinde examẽ habetur de præcipuis doctrinæ capitibus:tandem coram nobis perinde vt apud populum concionantur. Adsunt etiam duo ex Senatu.Si probatur eorum eruditio,eos Senatui cum testimonio offerimus:in cuius arbitrio est non admittere,si minus idoneos esse iudicet. Quòd si recipiũtur(vt semper hactenus contigit)tum nomina promulgamus coram populo, vt si quod vitium latuerit,liberum sit singulis ante octo dies indicare. Qui tacitis omnium suffragiis probantur,eos commendamus Deo & Ecclesiæ.

Infantes non baptizamus,nisi pro publica concione:quia absurdum videtur,vt solẽnis illa receptio paucos tantùm habeat testes.Patres nisi quid negotij impediat, iubentur adesse,vt stipulationi respondeant vnà cum fideiussoribus. Nemo tamen ad fideiubendum admittitur,nisi qui eiusdem nobiscum est professionis.Arcentur & excommunicati ab hoc honore.

Nemini antè ad sacram Christi Cœnam patet accessus, quàm fidem suam professus sit.In eum finem quotannis habentur quatuor examina,vbi interrogantur pueri, ac de profectu cuiusq; cognoscitur. Nam etsi singulis diebus Dominicis in Catechismo iam incipiunt aliquod testimoniũ dare:donec tamen cognitũ fuerit Ministri iudicio mediocriter in summa Religionis profeciſse,ad sacram mensam accedere non licet. Quòd ad maiores natu spectat,à nobis quotãnis repetitur inspectio cuiusq; familiæ.Distribuimus inter nos vrbis regiones, vt ordine singulas decurias excutere liceat. Adest Ministro comes vnus ex Senioribus.Illic noui incolæ examinantur.Qui semel recepti sunt,omittũtur:nisi quòd inquiritur sitne domus pacata,& rectè composita, num lites cum vicinis, num qua ebrietas,num pigri sint & ignaui ad conciones frequentandas.

In censuris obseruatur hæc ratio.Deliguntur quotannis duodecim Seniores:nempe ex minore Senatu duo,reliqui ex Ducentis,siue sint indigenæ,siue ascriptitij ciues.Qui probè & fideliter munere suo perfuncti sunt,loco non mouentur: nisi fortè eos occupet alia cura Reipublicæ.Antequam ab electione sua sedeant,eorum nomina publicè edũtur,vt si quis eos indignos cognouerit,maturè denuntiet.

Ad iudicium Ecclesiasticum nemo citatur, nisi ex communi omnium sententia. Itaque rogantur singuli,num quid velint in medium afferre. Nemo autem citatur,nisi qui vel priuatis admonitionibus nõ obtẽperauit,vel qui Ecclesiam offendit malo exemplo.

Ita

Ita blaſphemi,ebrioſi,ſcortatores,percuſſores,rixoſi,ſaltatores, qui choreas ducũt,& ſimiles vocãtur.Qui leuiùs deliquit,humanis verbis caſtigatus dimittitur.Grauioribꝰ peccatis animaduerſio ſeuerior.Eos enim Miniſter excõmunicat, ſaltẽ ad breue tẽpus.Excluduntur aute à Cœna,donec veniã petentes idẽ Miniſter Eccleſiæ reconciliet.Si quis præfractè auctoritatẽ Eccleſiæ ſpernat,niſi ante elapſum annum à cõtumacia deſtiterit, à Senatu in exiliũ annuũ eiicitur. Si quis etiã proteruiùs ſe gerat, Senatus cauſam ſuſcipit, & animaduertit. Qui redimendæ vitæ cauſa apud Papiſtas abiurarũt Euangelij doctrinam,vel Miſſis interfuerunt,iubentur ſe corã Eccleſia ſiſtere. Miniſter illic rẽ exponit pro ſuggeſtu:tũ qui excõmunicatus fuit, procidit in genua, & ſuppliciter veniã poſtulat.Ea autem eſt Conſiſtorij ratio,vt ciuilis iuriſdictionis curſum nihil moretur. Ac ne plebs queratur de immodico rigore,non tantùm iiſdem pœnis ſubiacent Miniſtri, ſed ſi quid excommunicatione dignum admiſerint,ſimul etiam abdicantur.

Compendium hoc ſatis putaui fore,ex quo formã aliquam cõciperes,quam præſcribere non debui.Tu quod putabis vtile iſtic fore,modeſtè ſuggeres, vt boni & prudẽtes viri,quibus moneri graue non erit, diſpiciant quid ſit factu optimum. Dominum Thomam Eraſtum ſcholæ veſtræ rectorem reuerenter meis verbis ſaluta. Librum Tilemanni,quẽ Bulingero miſerat,percurrere cœpi nõ ſine faſtidio.Putidior tamẽ eſt illius rabulæ loquacitas,quàm vt mihi bilem moueat.An ſim reſponſurus, nondum apud me ſtatui.Certè multorum dierum opera nugas illas non dignabor, quia tot ſcriptionũ piget. Breuem huius controuerſiæ definitionem nuper compoſui,quæ fortè propediem edetur.Si tibi quis patebit aditus ad Illuſtrem ac Generoſum D. Comitem ab Erpach, velim exemplar,quod reperies his literis incluſum,oſtendas meo nomine.Quòd non ſcripſerim in præſentia,pudori meo adſcribet: velim tamen ſibi perſuadeat,ſuam amplitudinem,qua decet obſeruantia,ſemper à me coli. Vale integerrime frater,& mihi ex animo chariſſime. D.te Spiritu ſuo gubernet,virtute ſuſtineat,tueatur, & labores tuos benedicat. Geneuæ, Nonis Nouembris. M. D. LX.

Io. Calvinvs Bvlingerõ.

VOd Gallici tumultus inuidiam à nobis depellere non dubitaſti,tutò id poteras.Quum ante octo menſes agitari conſilia hæc inciperent, meã auctoritatem interpoſui,ne longiùs progredi tentarent. Occultè id quidẽ & placidè,quia verebar ne ſi rei fama ad hoſtes manaret, ad carnificinam pios omnes traherem.Putabam tamen mea opera repreſſos atq; ſedatos impetus,dum ex Gallia venit quidam nullius apud me pretij, qui ſe creatum eſſe ducẽ apud me gloriatus eſt. Compeſcui ſtatim eius iactantiã,méq; ab hac cõſpiratione lõgè abhorrere profeſſus ſum.Poſtridie homo famelicus,qui prædã vndiq; aucupabatur, vt amicũ diuitem illaquearet,ac ſub collationis prætextu emungeret bonã pecuniæ ſummã,impudenter mentitus eſt, mihi non improbari conſpirationem:ſed me inuidiæ declinãdæ cauſa nolle palàm fieri. Re audita ſubitò commotus, adhibitis collegis vanitatẽ eius acriter refutaui.Imò teſtatus eſt ſe iam Lutetiæ certò cõperiſſe ab eo conſilio me remotiſſimum. Cæterum quamuis paſſim ſciretur, mihi eſſe ſuſpectum:quia tamẽ Lauſannæ habitabat,propter viciniam, vt erat blandus & illecebris plenus,cõciliauerat ſibi apud nos multorũ amicitiã:vnde factũ eſt,vt triduò hãc vrbẽ mira cõtagione infecerit.Multi tam nobiles quàm gregarij & opifices clanculum conſultare: ſic tamẽ vt ſtrepitus à me exaudiretur.Quantopere mihi diſpliceret conſpiratio hæc,tum publicè,tum priuatim oſtendi abſque diſſimulatione. Quum nihil proficerem, conqueſtus ſum in nobis tam parum eſſe auctoritatis,vt in re maximè ſeria conſilium noſtrũ ſperneretur. Cẽties dixi, nouum eſſe faſcini genus. De triſti euẽtu ita ſum vaticinatus, vt ſerò multos pœnituerit ſuæ amentiæ. Rogo igitur vt pro tua humanitate,& mutua noſtra amicitia,in nobis excuſandis ſecurè pergas.Reliqua petes ex D.Petro Martyre.Capitis enim dolor longiùs extrahere ſermonẽ non patitur. Itaq; cogar ab optimo fratre noſtro D. Volphio veniã petere,quòd eius literis non reſpondeo.Tu meo nomine gratias ages de labore in meã gratiam ſuſcepto,eúmq; & reliquos Symmyſtas diligenter ſalutabis. Vale eximie vir,& mihi plurimùm obſeruande frater.Dominus te gubernet,tueatur,ſuſtentet, ac cum tota familia benedicat.Amen. Geneuæ, v. Idus Maij. M. D. LX.

Io. Cal. Blavrero.

ETsi multa quæ scribã occurrunt, venerande frater, quia tamen in tam multiplici rerum copia vix vllum finem reperio, hæc mihi difficultas magis obstat quàm argumẽti penuria: quia nescio vnde potius incipiam. Verùm ne pigritia cessare prorsus videar, quæ maximè scire cupis breuiter perstringã. Gallis infœliciter cessisse inconsideratum suum ardorem ad vos perlatum esse non dubito. Ab initio vaticinatus sum quod accidit: sed nescio quo fascini genere sic captæ erant multorum mentes, vt frustra impetum illum sedare conatus sim. Antea meis consiliis se regi passi fuerant: sed cùm intelligerent totam hanc actionem mihi nõ placere, nullum putarunt esse melius compendiũ, quàm si me fallerent. Quinetiã quidã me vel inscio, vel palàm & fortiter reclamante, profecti sunt. Quanquã rumor ille, quẽ dicis apud vos fuisse sparsum, de aliquot millibus, vanissimus fuit. Non enim plures fuerunt quàm septuaginta, & quidem ex dimidia parte infimæ sortis opifices. Sicut autem eorum expeditio nunquam mihi probata fuit, quia plus meo iudicio tentabant, quàm Deus permitteret: ita consilio destituit, rem non legitimam stultè & pueriliter aggressi sunt. Qui præ aliis erant innoxij, pœnam dederũt nimiæ facilitatis. Eodẽ ferè tempore, in quibusdã Prouinciæ & Delphinatus vrbibus nostri homines templa occuparunt, acsi votorum iam essent compotes: verùm vt temeritas nunquam firma est, vel sibi cõstat, iniecto terrore statim conciderunt: ac zelus ille, quem frustra compescere studueramus, primo armorum strepitu euanuit. Quoniam verò palàm & aperto marte non audebant congredi Guisiani, blandis & fallacibus edictis sub Regis nomine paulatim fregerunt eorum animos, quorum viribus erant impares. His insidiis plurimi illaqueati sunt: & dũ sibi priuatim quisque consulit, dissipata fuit eorum societas. Nunc rebus aliquãtùm pacatis, atrociter sæuire incipiunt carnifices: ac nisi obstaret bellũ Scoticũ, longè deterior esset conditio piorũ in Gallia. Nobis verò & huic vrbi præcipuè minitãtur: vbi existimãt conflari quidquid est turbarum, vel potius captandi prætextus causa se ita sentire fingunt. Hoc ferè toto mense putarunt omnes vicini de nobis esse actum: ego tamen vt timerem, nunquam adduci potui, nec sanè videbam timendi causam. Si maiora pericula vrgeant, Dei præsidio freti euentum placidè expectabimus. Quicquid acciderit, in salutem nostram conuertet cœlestis Pater: atq; vt nostri misereatur, aliquid etiam valebit totius Ecclesiæ respectus. Ignosce quòd nõ propria manu, quia ex lecto dictaui, vbi pro more dimidia temporis parte decumbo, vt saltem horæ aliquæ mihi saluæ maneant. Vale Præstantissime vir, & frater mihi ex animo Obseruande. Dominus tibi semper adsit, te gubernet, ac tuos sanctos labores benedicat. Viretus & Beza & reliqui Collegæ mei te plurimùm salutant. Geneuæ, v. Calendas Iunij. M. D. LX.

Io. Calvinvs Bvlingero s. d.

NVper ad Fontem Bellæ Aquæ (qui locus vix itinere bidui distat Lutetia) vocati sunt omnes proceres. Adfuit Cardinalis quidam, qui aut cadus est aut lagena, ne hominis quidem figuram gestans. Putarunt Guisiani magnũ fore splendorem conuentus, si equites conchiliatos (qui se venditant ordine sancti Michaelis) quàm plurimos vndique accerserent. Comparuerunt triginta, quum antè essent duodecim. Illic Cancellarius magnificare præclarum Senatum, in quo resideret tota Regni auctoritas. Præfatio adulationis putidæ. Disseruit postea de Regni statu: & quoniam remediis opus erat ad sanandos morbos, malorum causam inuestigandam esse. Hîc relationi suæ finem imposuit, quasi medicos implorasset, consilij inops. Rex ex composito Episcopi Valentini, qui inter postremos consiliarios erat, sententiã rogauit. Volebant scilicet Guisiani excutere omnium arcanos affectus, & repẽte singulos, prout visum esset, aggredi. Surrexit Admiraldus præter omniũ expectationem, ac libellum supplicem Regi porrexit, in quo postulabãt, qui cupiunt in Normania Deum purè colere, vt sibi liceret interdiu conuenire, ne obnoxij essent variis calumniis ob clandestinos vel nocturnos conuentus. Rogatus vnde haberet, respondit publico bono se fuisse curiosum, vt propius sciret quid quærerent Lutherani. Esse autem homines ad quinquaginta millia, quorum subscriptionem afferrent, si

Regi

Regi placeret. Duo in toto cõsessu cordatè loquuti sunt, ipse, & Archiepiscopus Viennẽsis. Omnibus auditis, quorum melior pars è pedariis constabat Dux Guisianus licentiosè euomuit, quod alibi esset intolerabile. Specimen stoliditatis accipe in vno verbo. Quum dixisset Admiraldus, Barbarum morem non placere, vt Rex non modò corporis custodes habeat, sed cingatur exercitu: neque hanc educationem dignam esse Gallia, neque adolescentem Regem ita instituendum, vt sibi metueret à suis, quos beneuolentia retinere foueréque potius deberet. Ille Regem non opus habere nutritiis vel educatoribus respondit, vtpote qui educatus in plenitudine virtutis foret: (verba refero & syllabas) quòd si erudiendus esset, matrem eius ad has partes sufficere. Ausus est etiam dicere, quidquid decernerent mille Concilia, sibi fixum esse maiorum instituta sequi. Frater Cardinalis grauius & acutius: frustra peti à Conciliis vllam in doctrina mutationem. Neque enim fas esse, quæ prius à Spiritu sancto profecta sunt, in controuersiam vocare. Si qua essent in moribus vitia, permittendum esse Episcopis, vt vltrò corrigerent. Pupugerat eum Viennensis qui dixerat hoc turpe & pudendum esse confusionis signum, quòd Episcopi relictis Ecclesiis aulas Principum sequerentur: & vehementer Regem obtestatus fuerat, ne Pastoribus boni publici vano prætextu Ecclesias orbaret. Hinc illud, vt nemo lege vel necessitate obstringeretur: sed quisque sponte quod libêret. Quæris quis exitus? Viennensis domum se recepit: Postquam quatuor aut quinque dies absumpti sunt vanis cõsultationibus, Satuum cõuentus indictus est in mensem Decembris. Episcopi vocati ad vigesimum Ianuarij, non vt quidquam decernant, sed agitent quid sit in Concilio proponendum. Ne ordinum conuentus fieret, pertinaciter hactenus pugnauerant. Nunc collectis animis rationem excogitarunt, quibus facetè eludant qui sperabant aliquid leuationis. Exceptio enim addita est, vt singulæ prouinciæ dispiciant coram suis Præfectis, de quibus negotiis tractari expediat. Hîc verò nulla libertas: deinde vt suos legatos eligant iisdem Præfectis arbitris. Venient ergo empti adulatores, quos N. nominare placuerit. Concilij autem quàm friuola sit & nugatoria ostentatio, ex formulâ edicti intelliges, quam tibi interpretabitur quispiam ex amicis. Interea erumpit Euangelij veritas. In Normania palàm iam concionantur fratres nostri: quia tria & quatuor millia hominum non capiunt ædes priuatæ. Apud Pictones & Xantones, in tota Aquitania maior libertas. Regio linguæ Occitanæ, Prouincia, Delphinatus intrepidos habet multos Christi discipulos. Cur cesset Cardinalis, non obscurè professus est: detegendam esse scilicet amentium impudentiam breui tempore. Verùm Dominus, vt spero, non modò sceleratas eius cogitationes producet in lucem, sed etiam impios conatus dissipabit. Quòd puerorum qui istuc erudiendi mittuntur, curam suscipere grauati non estis, vt idoneos magistros nanciscerentur, & in familiis bene moratis agerent: Senatus pro hoc tam propenso studio quas potest vobis maximas gratias agit, mutuam vicem libenter repensurus, si quando dabitur occasio. Præter quatuor qui ex publico aluntur, priuatim etiã mittuntur quidam alij, quos non minus commendatos vobis esse cupio. Trium nomine rogatus sum. Sed quia duobus iam certum esse hospitium audio, vt tertio prospiciatur magnopere cupio: quia & mater singulari pietate est prædita, & pater familiaris & charus mihi fuit. Ignosce si precibus victus, plus tibi quàm velim molestiæ iniungam. Valè clarissime vir, & mihi imprimis honorande frater. Salutem plurimam dices fratribus & Collegis tuis, & reliquis amicis. Dominus vos omnes semper incolumes seruet, Spiritu suo regat, & labores vestros benedicat. Genevæ, Calendis Octobris. M. D. LX.

Io. Calvinvs N. S. D.

QVòd te vltimo congressu minus hilariter accepi, neque fastidio, neque contemptu factum est: sed quia nolebam aliud simulare, quàm esset in animo. Audieram certè, vt tu suspicaris, aliqua de te vel sinistra, vel quæ non placerent. Constrictus ergo quadam anxietate tenebar, quò minus liberè atq; apertè sensus meos tibi exponerem. Si nimis credulũ me fuisse putas, quia non prorsus contempserim quod erat probabile: scito alios rursum de mea tarditate cõqueri, dum fidem nõ habeo quibuslibet sermonibus. Si te meo præiudicio damnassem, re nondum bene comperta, fuissem iniquus, fateor. Verùm respuere quidquid defer-

tur,& piorum virorum iudicia floccipendere,ſuperbæ moroſitatis eſſet. Ego verò neque tibi iniuriam facere volui, nimis facilè credendo quod audieram: & tamen putaui non de nihilo eſſe dictum. Iam huc ſpectare viſus eſt totus ſermo,quem apud me habebas,vt tibi gratularer. Non poteram,quia res nõ ferebat:neq; tamen volebam, ſi fuiſſem magis præciſus,te offendere,ne ad officium ſegnior aut frigidior eſſes. Fuit igitur & ſuſpenſa oratio mea,& vultus,vt ita loquar,medius:qui neque ſignum daret odij vel reiectionis,neque ſatis eſſet exporrectus: quia ſi actiones tuas omnes præ me tuliſſem mihi probari,fucus & ſimulatio fuiſſet. Quanquam nõ hæ tantùm rationes perplexum me tenebant,ſed magis labyrinthi veſtri horror. Nam dum video ad ſanandas veſtras miſerias, vel ſaltem leuandas,nihil eſſe in me remedij, non libenter admitto earum narrationem,doloris & tædij plenam. Hoc idem experti ſunt alij quoque pij fratres: in quibus etſi aliquid deſidero,non tamen deſino amare:quia ignoſco eorum infirmitati. Sic ergo tibi perſuade,quamuis in te & ſimilibus correcta cupiam quædam, me tamen fraternam coniunctionem vobiſcum fouere. Quò magis tibi & illis diſplicebit triſtis ſtatus veſtri confuſio,eò magis mihi placebitis. Vale,Dominus tibi ſemper adſit, gubernet te Spiritu ſuo,& cum familia benedicat. Geneuæ, XIII. Octobris. M. D. LX.

Io. Cal. Episcopo Londinensi.

ETſi non expectas,Clariſſime vir & Obſeruãde Domine,dum tibi pro pietatis officio,quod Eccleſiæ Chriſti præſtitiſti,gratias agã,quòd tamẽ curã popularium noſtrorũ qui in præcipua Epiſcopatus tui vrbe habitant, ſuſcipere dignatus es,non ſolùm vt libertas illis daretur Reginæ beneficio,Dei purè inuocandi,ſed vt paſtorem fidum hinc accerſerent, niſi hac de cauſa metus nõ es vltrò me rogare atq; hortari,vt Paſtorẽ ipſis idoneum curarem deligendũ: nõ eſt cur eos fidei tuæ patrocinióq; cõmendẽ,pro quorum ſalute ita ſolicitũ eſſe video. Et ſanè vt hactenus tam liberaliter eos iuuando,rarum & ſingulare pietatis ſtudium teſtatus es:ita nunc cõſtantiæ tuæ erit,beneficiũ tuum ad finem vſq; tueri. Quòd ad nos ſpectat,quia locus poſtulare viſus eſt hominem eximiis dotibus inſtructũ, & veſtri hoſpites ſibi ex cœtu noſtro aliquẽ dari maximè optabant, ſpoliare nos maluimus,quàm nõ ſancto eorum deſiderio morẽ gerere. Ideóq; fratrem noſtrum Nicolaum Gallaſiũ vnum ex tribus quos initiò nominauerãt, ipſis cõceſſimus:qui etſi ægrè patiebatur à nobis auelli, à quibus non vulgariter ſe diligi ſciebat,& locũ hunc cui non minus fructuoſam quàm fidelẽ operã diu nauauit,inuitus relinquebat,noſtris tamen obteſtationibus victus prouinciã hanc ſuſcepit:quia propagando Chriſti Regno non parũ cõmodã fore ſperabat. Certè vt à nobis dimitteremus,neceſſitas ſola extorſit:quia veriti ſumus,ne aliter quàm eius aduentu,nõ ſatis probè cõſuli poſſet teneræ adhuc & incompoſitæ Eccleſiæ. Iacturam enim eius diſceſſu non leuem faciet hic locus,vbi & in pretio habitus fuit, & ſe geſſit vt dignum erat Chriſti ſeruo. Ego priuatim,cui valde charus& familiaris fuit,nõ ſine acerbo dolore,vt mihi eriperetur aſſenſus ſum. Sed quiduis potius ferendum fuit,quàm fratribus deſtitutis ac laborantibus opem quam anxiè flagitabant,negare. Quò maiore cura afficior,vt ſaltem gratam iſtic ſtationem inueniat,quæ migrationis triſtitiam leuet ac ſoletur. Vbi propius tibi innotuerit,quod pro tua humanitate fore cõfido, Reuerende Domine,ſatis abſque aliena cõmẽdatione cognoſces eſſe amabilem. Nunc ſi quem apud te obtineo gratiæ locum,etiã atq; etiam rogo,vt quem mihi tãtopere deuinctum vides,fauore ac beneuolentia proſequaris. Eccleſias totius Regni nondum ita cõpoſitas eſſe vt optarent boni omnes,& principio ſperauerant,vehementer dolet. Verùm ad vincẽda obſtacula, infatigabili conatu opus eſt. Iam verò expedit,atq; adeò neceſſe eſt Reginam cognoſcere,ſic vos libẽter remittere, imò à vobis reiicere,quidquid terrenã dominationem ſapit,vt ad exercendum ſpirituale munus,legitima & quam Deus contulit,auctoritas vobis cõſtet. Hæc vera erit eius Celſitudo & Eminẽtia:tunc ſummũ dignitatis gradũ ſub Chriſto capite tenebit,ſi legitimis Paſtoribus manũ porrexerit,ad exequẽdas quæ vobis iniunctæ ſunt partes. Sed quia neq; cõſilio indiget tua prudẽtia, neq; magnanimitas ſtimulis:tantùm ad vota confugiam, Deúmq; precabor, Præſtantiſſ. vir, atq; Obſeru. Domine,vt te Spiritu ſuo gubernet,virtute ſuſtineat,præſidio tueatur,ſanctóſque labores benedicat. Collegæ mei reuerenter omnes te ſalutant. Geneuæ, XV. Maij. M. D. LX.

VAL-

VALDENSES CALVINO S. D.

Gratiam & Pacem per Dominum nostrum Iesum Christum.

QVoniam, vir venerãde, ante annos circiter viginti, inter humanitatẽ tuam, tum Argentinæ agentẽ, & fratres, qui falsò Picardi vel Valdenses dicuntur, charissimos in Domino patres nostros, sancta interceſſit notitia & familiaritas, visum est nunc nobis, qui loca patrum (quos iam ferè omnes Dominus ex hac mortali vita eripuit) obtinemus, eandem notitiam, imò vinculũ illud Christianæ charitatis, quo omnes pios maximè Ecclesiæ Ministros arctissimè constrictos esse decet, renouare. Videmus enim hostes Domini nostri & totius Ecclesiæ variè mutuas operas tradere, & ad opprimendam veritatem prorsus conspirare. Quibus cùm nos strenuè resistere oporteat, omnino curandum est, vt omnes vnum simus in Domino: quòd si quæ dissensiones & discordiæ pullulare inciperent, in spiritu lenitatis, vt componerentur, ne quid per contentionem fieret, vel ij qui extrà sunt, conqueri iustè possint. Eam ob causam hos duos in Domino fratres, ad humanitatem tuam, & Symmystas tuos mittimus, ex quibus & vos statũ rerum nostrarũ (vt & nos vicissim vestrarum) intelligere poterimus, eos vt h.t. amicè excipere dignetur, rogamus. Vale & nos, Ecclesiásque nostras vestris sanctis precibus commendare pergite, rogamus. Datum in Boemia ex Carmelo. XI. Maij. Anno M. D. LX.

Seniores Vnitatis fratrum, qui
vulgò Valdenses vocantur.

IO. CALVINVS VALDENSIBVS S. D.

POstquam mãdata vestra mihi priuatim exposuit frater à quo literas vestras accepi, quia videbam non ad me solùm, sed etiam ad Collegas simul meos missum esse, eadẽ vt in cœtu nostro repeteret, hortatus sum. Itaq; de cõmuni omnium sententia respõdebo. Ac primùm gratias agimus nõ vulgares, quòd fratres qui vestri erga nos amoris, fraternæq; coniunctionis testes essent, & quasi sponsores, mittere grauati non estis: eóq; libentius officium hoc vestrũ sumus amplexi, quia ex syncero pietatis studio manabat. Cupimus idem vicissim vobis de propenso nostro ad fouendã sanctam vnitatẽ affectu persuasum esse. Et certè cùm tam longis regionum spatiis inter nos distemus, & vndiq; cingamur hostibus qui totum ferè orbem occupant, hoc saltem dispersionis nostræ solatio frui, dulce ac iucundũ est. Tenemur ergo mutuo cõsensu vnum esse nobis patrẽ in cœlo, & nos sub Christo capite vnũ esse corpus: quod certò speramus vos esse facturos: atq; vt re ipsa sentiatis nobis cordi esse, operam dabimus. Porrò alendæ & retinendæ inter fratres cõcordiæ scimus hoc optimũ esse vinculũ, si alij de aliis siniſtros rumores nimia credulitate nõ admittant: nec verò putamus hac in parte quidquã à nobis fuisse peccatum. Nam quòd de literis ad Polonos scriptis visus est frater vestro nomine obliquè cõqueri, nullius culpæ cõscij nobis sumus: ac vos ipsi rationibus probè expensis pro vestra æquitate reperietis, cùm de causa illa essemus consulti, non potuisse dari responsum humanius vel moderatius. Certè nec odiosè de vobis loquuti sumus: & quoad licebat, curæ fuit mitigare offẽsiones quæ iam subortæ erant, occurrere peioribus dissidiis, & ita vos vltrò citróq; reconciliare, vt inter exordia Polonis essetis adiutores ad Regnũ Christi apud eos erigendũ. Ad vos etiam scripturi eramus, si opportunitas se dediſſet. Verùm minimè vos latet, quàm difficilis sit in tanta locorũ distantia communicandi ratio. Nunc quando oblata est melior facultas, ingenuè sensum nostrũ profitebimur. Quantopere interſit vos Polonis manũ porrigere, vt apud eos progressus faciat pura Euangelij doctrina, vosipsi nobis tacentibus pro vestra prudentia reputare. Neq; enim dubium est, quin vestra dissensio, si ab hostibus animaduersa fuerit, aliquid remorę iniiciat rebus bene & fœliciter incœptis. Probabiles quidẽ causas nobis retulit frater, cur metuatis propi⁹ ad illos accedere: quia scilicet videtis eos scindi peruersis factionibus. Verùm hæc necessitas vos magis vrgere debet, vt gliscẽtibus malis, vel pullulantibus, remediũ afferat vestra cõiunctio. Nam Spiritus phreneticos, qui in dissipatione tumultuãdi & omnia turbandi licẽtiã sibi sumũt, facilè compesceret tot Ecclesiarum auctoritas, si aliæ alias iuuarẽt. Nunc pij fratres ve-

ſtro ſuffragio deſtituti grauius laborãt. Si Stancari, Georgij Brandatę, & aliorũ turbulentos impetus in Poloniam conuertit Satan, nónne veſtrum eſt ſuccurrere? Si negligitis, videte ne fortè vobis aliquando deſint fratrum ſubſidia. Neque enim ſemper in manu veſtra erit, certamina effugere, à quibus vos hactenus immunes Deus præſtitit. Quò minus alij ad alios accedant, impedit controuerſia de communicatione carnis & ſanguinis Chriſti: cuius obſtaculi tollendi cauſa, cenſuimus quærendã eſſe hinc inde commodam & dilucidam explicationem. Si conſilium hoc vobis diſplicet, experientia tandem docebit rectum & ſalubre fuiſſe: quanquam non putamus vos adeò moroſos eſſe, vt illud repudietis. Duo fortè vos pupugerunt: quòd ſcripſimus in veſtra confeſſione breuitatem eſſe obſcuram & ambiguam, quę certiore docendi forma indigeat: deinde in Apologia nimium eſſe vehementiæ & feruoris contrà eos omnes, qui præciſo loquendi genere non contenti, lucem ſanæ explicationis deſiderant in his verbis, vbi aſſeritis Panem eſſe Chriſti corpus. Scimus quàm plauſibilis ſit eorum actio, qui ſub vmbra confeſſionis Auguſtanæ, pacem & otium captando, moleſtias, odia, crucem denique fugiunt. Quid autem hac de re ſenſerit auctor ipſe D. Philippus Melanchthon, neq; vos latet, & fortè palàm nos toti mundo facere coget eorum improbitas, qui claræ luci tenebras obducere conantur. Neque tamen, quamuis Philippi memoriam reuerẽter colamus, eius auctoritate nitimur ad grauandos aduerſarios: ſed tantùm oſtendimus quàm iniquè cõfeſſionem Auguſtanam obtendant, qui alieniſſimi ſunt ab auctoris mente. Nos quidem (quod bona veſtra pace dictum ſit) manemus in ſententia, non poſſe ſimpliciter recipi confeſſionis veſtræ formulam abſque periculo, ac ſubſcriptionem, niſi adhibita dextra interpretatione, Polonis multarum contentionum originem & materiam fore. De vehementia facilis eſt excuſatio. Neque enim exagitare placet quæ vellemus ſepulta eſſe. Hoc tantùm ſufficiat, non poſſe verecundè negari, quin auctor Apologiæ veſtræ modum exceſſerit. Quod retaliandi cauſa mihi obiecit nuntius veſter, me etiam in quibuſdam ſcriptis nimium excandeſcere, etſi in totum non inficior, tempeſtiuè tamen non protulit. Nam ſi quoſdam impuros canes durius inſector, longè diſſimilis eſt Apologiæ veſtræ ratio, quę promiſcuè & abſque delectu vllo, multos pios, & doctos homines malè ſentientibus inuoluit. Nam ſi vobis propoſitum erat quorundam errorem impetere, diſtinctione opus fuit, ne in idem crimen traherentur innoxij. Verùm vt omnis faceſſat contentio, tantùm vos rogamus & obteſtamur, ſi liberè oſtendimus quæ nobis ad placandas omnes lites, purgandóſque ſiniſtros affectus, probaretur ratio, ne id in vos cõtumelioſum eſſe ducatis. Nec tam ſumus nobis addicti, quin placidè ſuſtineamus nos moneri & reprehendi, ſi quid minus circunſpectè exciderit. Valete integerrimi fratres, & nobis colendi. Patrem cœleſtem precamur, vt vos Spiritu ſuo ſemper gubernet, præſidio tueatur, doniſque ſuis locupletet, ac benedicat ſanctos labores veſtros. Genevæ, Pridie Calendas Iulij. M. D. LX.

Io. Caluinus omnium nomine

Io. Calvinvs N.N. S. D.

Dilectio Dei Patris noſtri, & Gratia D. noſtri Ieſu Chriſti vobis ſemper adſit.

Ex Gall. VOd à nonnullis veſtri ſtudioſis rogatus ſum pridem, vt ad vos ſcriberem, illud ipſum facere valde etiam exoptabam, pro meo erga vos iuſto & præcipuo quodam affectu: abſtinui tamen hactenus, cùm meum laborem inutilem futurum iudicarem, quòd bonos quoſdam viros & vobis viciniores, has ſibi partes ſumpſiſſe intelligerem. Nunc verò vbi occaſionem elapſam nondum eſſe audiui, quin meæ ad vos literæ ſuo loco & tempore aduenirẽt, officio deeſſe nolui: vt vobis conſtet cùm corpore à vobis ſim remotus, vos ipſos nihilò minus prę oculis & pectore à me ferri, atque ita ſtudere me ſaluti veſtrę, vt quidquid ad illam promouendam præſtare potuero, nunquam ſim neglecturus. Primùm igitur Domino gratias ago, quòd à natali ſolo propter verbũ ipſius exulare coactis de receſſus loco proſpexit, in quo pura conſcientia ipſum inuocare liceat: adeóque vos vnà quaſi in nidulum quendam ita appoſitè collegit, vt hoc ad mutuam veſtram conſolationem appoſitiſſimum ſit. Illud verò me ad illius erga vos opus prædicandum vnicè impellit, quòd ea conſtantia per Dominum prædĭti ſitis, vt in perſecutione non fatiſcatis: feratis etiam

æquo

æquo animo detrimentum facultatum veſtrarum, animis in cœleſtem remunerationem intentis: quòd denique quidquid vobis in mundo deceſſit, tẽdiũ vobis nõ afferat, quãdo ad Dei honoris incrementum pertinuit: qui demũ à nobis ita honorem quem ipſi debemus, repoſcit, vt nos perinde gloriæ ſuæ participes efficiat. Cùm igitur ea ſit noſtra fragilitas, non vulgare illud Dei donum agnoſcẽdum eſt, cùm nos ita in ipſa neceſſitate confirmet, ne quando vlli tentationi manum demus. Iam verò, quia bene cœpiſſe nihil eſt, vt neque ad tempus perſtitiſſe, attendite vobis nunc etiam, incitate voſipſos ac mutuò exhortamini, atque omnia illa quæ vobis animum poſſunt addere, comparate: imprimis verò apud Dominum ipſum precibus inſtate, vt manu perpetuò porrecta ad ſcopum vocationis ſuæ tandem vos perducat. Vos verò ſic apud vos cogitate, quòd Chriſti nomine perſecutionem paſſi eſtis, illud honorificum imprimis eſſe, cùm Filius Dei ſua vobis ſtigmata ita impoſuit, vt certior in vobis veritatis ipſius nota extaret. Atque illud facere debet, vt tantò magis enitamini perpetua vita, vt ipſum glorificetis. Cùm ex aduerſo, ſi aliam quàm rectam viam nunc ingrederemini, illud planè duplicaret ſcandalum, atque coram Domino longè in grauiorem reatum adduceret. Extet igitur in vobis apud omnes alios exemplum, quo ad Deum glorificandum excitentur, cùm agnoſcẽt nempe vos non fruſtra pro Euãgelij teſtimonio, tot caſus & diſcrimina pertuliſſe. Ne veſtra culpa ipſi Filio Dei & Redemptori maculã aut labem aſpergi ſinatis: atq; illud nominatim, propterea quod apud gentem exteram vobis nunc viuendum eſt quæ facilè offendatur, ſi quæ in vobis vitia deprehendat, illud vobis incitamento ſit, vt tantò incedatis prudentius, atque omnia ſcandala vel leuiſſima anteuertatis. Cúmque ante omnia vnam Dominus pacem & concordiam nobis commendet, illiúſque ſedulò fouendæ ſtudium, ſic ſtatuite, retineri à vobis rem tanti momenti non poſſe, niſi voſipſos inter vos ſuſtineatis, atque mutuò toleretis. Ergo niſi ad multa leuiter commiſſa cõdonanda parati ſumus, certũ eſt materiã rixis & iurgiis nunquam defuturam. Fõs autem mali ille eſt, cùm ſuo quiſque iudicio addictus eſt, vt aliis nihil omnino conceſſum velit. Illud igitur non ſecus ac ſonticũ morbũ ita præcauete, vt contrà propẽſi ſitis ad vos ipſos aliis mutuò ſubmittẽdos, ad mutuam inter vos & fraternam communicationem in omnibus, bonis cõſiliis obtemperetis, neque ipſi multùm ſapere & conſulti haberi affectetis. Sic Domini Spiritum in vobis habitantẽ ipſi agnoſcetis, ſic illum perpetuum directorem in veſtris rebus experiemini. Nunquam igitur hoc vobis excidat, ambitionem nempe, æmulationem & inuidentiã parere, ex quibus demum contentiones, & obtrectationes, & reliqua eiuſmodi emanẽt: atque ita ignem vt plurimùm accendi, ex quo litium & concertationum ſcintillæ volitent: quas quidem vbi eò ventum eſt ſemel, repellere deinde & ſedare iam non ſit integrum. Porrò vna illa eſt ac ſumma ratio quæ vos certò coniunctos & compactos teneat, tum in doctrina, tũ etiam in aliis omnibus, ſi omnem diligentiam vno animo adhibueritis, vt cõciombus verbi Dei frequentes interſitis. Quemadmodũ enim in bello nemo ſe à vexillo ſubducere ſuſtinet, vt communibus animis & viribus hoſtis excipiatur: ita etiam Verbum Domini pro vexillo nobis ab ipſo erectum eſt, ad quod omnes ſeſe recipiant, & extra quod mera tantùm diſperſio notari poſſit. Sic oues diſperſæ faucibus luporum exponuntur: ſic eædem ſub Paſtoris cuſtodia in ouile reductæ ſecuræ ſunt. Et ſanè nobis omnibus ſummũ Paſtorem Dominum Ieſum Chriſtum præfectum habemus, vt ipſe nos in ſuam protectionem admiſit: ſed hoc ita procedit, vt inſtituat ſimul Miniſtros verbi, qui fungãtur ipſius munere in nobis ipſo auctore verbo regendis: eúmque ordinem pro conſeruãda Eccleſia ſua ſemel ipſe poſitum voluit, vt docet Apoſtolus. Statuite igitur ſingulare hoc eſſe erga vos Domini beneficium, quòd verbum ipſius apud vos extet, vt prædicatione illius vobis offeratur. Quare videdum eſt ne quo modo negligatur, aut remiſſius admittatur: quod cùm apertã ingratitudinem proditurum ſit, impunè laturi non ſitis. Habemus in Dauide appoſitum exemplum, ex quo diſcamus quo loco eſſe piis debeat facultas adeundi ſacros cœtus: cũ nempe & Patria ipſa per ſe & familia & facultatibus inſuperhabitis, vnum illud requireret, quòd ipſi tum non daretur ſanctis cœtibus intereſſe. Neque verò ita perperam: cùm ſatis eſtimari à nobis fructus ille non poſſit, quem ex vſu ſancti illius ordinis percipimus, cùm & vnà conuenimus vt eadem doctrina erudiamur, vno corde & ore nomen Domini inuocemus, vſu ſacramentorum adhibito in fide confirmemur, ſacramẽtum etiam Chriſtianæ militiæ ita coram Deo & Angelis dicamus atque palàm præſtemus. Hoc verò plus quàm neceſſarium eſt. Neque vlla vobis pernicioſior tẽtatio à Satana intẽdi poteſt, quàm ſi ad tanti boni contemptum vos adducat, aut ab illo quouis prætextu affectum

Eph. 4. 11.

Pſa. 84. 1. 2. 3. 4.

distrahat. Nec quisquam hîc supra Deum sapere audeat, vt sibi persuadeat nõ deesse & aliam rationem qua in Christo profectum faciamus, quàm quæ ab ipso instituta sit, maximè cùm & illa sit nobis ad manum. Fateor enim plerosque ex electis seruari à Domino in media ipsa Antichristi dissipatione, quibus tamen quantùm ab hominibus existimari potest, & in speciẽ etiam, desunt & pascua & pastores: sed & illud ad extraordinariam rationem & miraculo coniunctam referendum est: & agnoscẽdum illic est etiam iræ ipsius flagellum, quod istiusmodi tamẽ verbi auditione participanda in Ecclesia dignatus non sit. Amplectendum est igitur incomparabile Domini beneficium, cùm aliter ipsius vocationi respondere non possimus. Quòd si qua vobis in doctrina difficultas occurret, ad Pastorem qui ordinatus erit, recurrite. Sic enim mutua & amica collatione, melius peruenitur ad plenam & liquidam eorum, de quibus ambigimus, comprehẽsionem. Illud verò, plus quàm dici potest, pernicioſum est, quod plerique hodie ita de se ac suo sensu præsumunt, vt quidquid in mentẽ venerit, pro rato & vero habeãt, antequam rem ipsam bene sint assequuti: atque ita suo iudicio acquiescant, vt nullam cum doctioribus communicationem admittant. Satis quidem scio, nos omnes ab vno
Mat. 10. 25. præceptore Christo pendere: sed ita demum, vt idem sese paruulorum tantùm & verè demissorum ac humilium præceptorem præferat: neque porrò illud veritatis ipsius obsequij nomine censeri, si ita iactemur audacia, vt erraticas opiniones & dogmata sectãda nobis proponamus, ac nullis habenis & repagulis nos contineri sinamus. Imprimis verò fratres, Attendite, ne Satan vos diuertat à natiuo illo gustu simplicitatis Euangelij, vt vanissimo curiositatis humanæ fermento vos illaqueet. Hæc porrò illa sunt quæ Dominus ipse nos docet, quæ à nobis perdiscí & retineri iubet, quęque vna ad nostrã ædificationem conferunt: si docemur nempe ipsum timere, diligere, in illo plenè fidem collocare, illum vnicum præsidium nobis statuere, illum glorificare, illius obsequio vitam in solidum consecrare, totam in Christo salutis fidem repositam habere. Et hoc est
2. Tim. 3. 16. quod tradit Paulus, Totam Scripturam diuinitus inspiratam, vtilem esse ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus. Quare qui verbum Dei ad subtilitates nullius vsus applicant, pessimè illud profanant, & sacrilegij tenentur. Et constat satis Deum hoc in illis seueriſſimè vindicare. Portenta siquidem illa errorum & hæreseõn, quæ hodie inuehuntur, riuuli sunt ab illo fonte deducti. Pleraque ingenia scilicet subtilitatem in Scriptura soliditati prætulerũt & veræ vtilitati: illúdque vnum quæsiuerunt, quod ipsorum ventoso palato gratum esset. Atq; Dominus iustus iudex permisit, vt in deliria adeò absurda laberentur, vt cuiuis sano vel audita horrorem afferãt. Neque aliunde quàm ex vicinia vobis exempla quærenda sunt, vbi malum illud si vspiam alibi grassatum scitis. Prospicite ergo vobis, ne quis ad vos intercipiendos aditus Satanæ pateat. Atque illud reputate, Dominum nempe adesse tum vobis propugnatorem, cùm gladium illum verbi sui exerit ad insultus aduersarij repellendos: hoc autem ita vobis constare quum fidum Pastorem eius beneficio habetis, qui vos instruat quibus opus est, ne artibus & dolis seductorum commoueri, abducíve contingat. Enimuerò siue de malo in posterum euitando, siue de quibusdam in viam reducendis agitur, vnum vobis est planè expeditum, nẽpe vt ordini alicui inter vos locus sit, vti extet aliqua disciplinæ forma, ad admonendos qui peccant, contumaces coercendos, & vnumquemq; in officio continendum. Cùm enim superioribus annis tyrannidi Papatus subiecti fuerimus, longè æquissimum est Christi iugum admittere: illúdque agnoscere, legitimum libertatis nostræ vsum tam ab effræni licentia remotum esse, quàm ad veram obedientiam, volũtatis ipsius omni ex parte referatur. Disciplinæ igitur commodæ institutio inter vos, non tantùm valeret ad illam opinionum diuersitatem componẽdam, sed etiam ad scandala, vitia, & alias morum corruptelas reprimendas, quod ad Dei honorẽ amplificandum multùm præstaret. Porrò sub illo nomine, quòd necesse sit omnino extare formã Ecclesiæ inter nos, vt in Dei nomine cõueniamus, ipsum quoque sacramentorũ vsum comprehensum volui. Nõ est enim existimandum, illa nobis à Domino instituta esse, quasi res essent leuis momenti. Nam si nostram infirmitatem expendimus, facilè erit iudicare, quàm nobis consultum sit, ad vsum nostrum illa adhibere. Non constamus nempe natura spirituali vt Angeli, vt rerum quæ sensus afficiant vsu carere possimus. Iam quum Dominus immensa sua bonitate nostræ illi ruditati eoúsque consuluerit, vt media illa nobis offerret, quæ ad nostrum captum accõmodata essent, quî à nobis reiici

possunt

possunt, negligíve, quin ipsius in nos iram prouocemus? Facite igitur, vt tam Baptismus quàm sacra D. Cœna summo in pretio sint apud vos. Quamuis enim Baptismus semel à nobis susceptus, sit nobis sigillum perpetuum Dei gratiæ & adoptionis in filios, cùm tamen alterum sigillum, Cœnam nempe, apposuit ad nouam confirmationem, satis præuidit vno sine altero nobis confirmandis satis non futurum. Hoc inquam se videre Dominus ipse significauit, vt ab illo discceremus. Qui igitur à Cœna abstineret, quasi illa carere posset, seduceretur & excæcaretur omnino à Satana, cùm seipsum ita agnoscere dedidicisset: neq; illud rationibus multis cõfirmare est opus. Nisi enim mẽdacium Christo impingere volumus, agnoscere oportet, ipsum, dum Cœnam instituit, satis significasse, illam ad nostram leuationem & adiumẽtum infirmitatis nostrę necessariã esse. Carere quidem illa cogetur qui aut in carcere erit, aut in deserto vagabitur, quia adeundæ facultatem non habet: ac tum Dominus istiusmodi defectum gratia sui Spiritus supplebit. Neq; enim Dei Spiritum Sacramentis ipsis alligo: sed tantùm illa à nobis agnoscenda sunt, vt media & instrumenta, per quæ in nobis ordinariò operatur, quandiu vsum illorum nobis ipse offert. Quamobrem, cùm vobis vsus Sacramentorum ad manum sit, videte ne si neglexeritis, tanti Dei beneficij à vobis neglecti rei coram illo sitis, quod vtraque manu vobis erat amplectendũ. Recordamini dierũ superiorum quibus dum in Babylonis carcere iaceretis, ad hęc Dei gratiæ dona, & pignora tam ardẽter suspiraſtis: Veniat etiã in mentem acerba illa conditio tot piorum hominum, qui hoc vnum mœrẽt, & perpetuis votis exquirunt, quod ipsis vt vobis fruendum nunc quidem non datur. Sic quidem accepi obiectam hîc vobis nonnullam difficultatem esse, propter quasdam cerimonias, quas à vobis vsurpati voluerunt vestri illi hospites. Sanè nihil consultius video, quàm parcissimis cerimoniis vti in Ecclesia Christiana. Satis enim experientia ipsa constat, quàm procliuis sit lapsus in superstitionem. Aliud est verò cùm nobis ius non est admittendi, vel repudiandi quod videbitur: sed & illæ res eiusmodi non sunt, quarum occasionem sponte nobis ipsis Cœnam Domini interdicamus. Exoptandum quidem quod optimum esse constat, ac quantùm in nobis est, vt locum etiam habeat procurandũ. Si non licet obtinere quod cupimus, feramus illos defectus, non approbemus: modò ne subsit illic impietas, aliúdve Dei verbo repugnans. Vt si quod, verbi gratia, idololatriæ specimen existeret, illi ad mortem vsque resisti à nobis oporteret. Vbi verò doctrina ipsa sana atq; pura est, ac cerimoniæ ad ciuilem quandã honestatem vel decorum vsurpantur, silentiò nobis prætereunda sunt ista magis, quàm vt eorum occasione, ad disceptationes, & grauiores motus veniendum sit. Tandem igitur à vobis peto dilectiss. fratres per Dominum, vt quemadmodum de meo erga vos intimo affectu probè estis persuasi, sic etiam certò statuatis nihil aliud mihi hac mea admonitione propositum fuisse, quàm vestrũ ipsorum cõmodum & salutem. Accipite igitur hoc quidquid est, ea qua par est humanitate: ac rem ipsam expendite maturè, cũ manſuetudine, & humilitate. Videte etiam ne qua in vobis pertinacia resideat, quæ vobis viam obstruat, quominus quæ ad vestram vtilitatem faciunt, admittatis. Dominus sua in vobis Spiritualia dona adaugeat, dirigat vos in omni sapientia & prudentia, confirmet in tolerantia & constantia, vt in vobis ad extremum vsque glorificetur, nósque vnà vobiscum ex vobis ipsis consolationem vberrimam percipiamus. Geneuæ. M. D. LX.

Ad Illvstriss. Principem qvendam Germaniæ Epistola.

Illustrissime Princeps, Clementissime Domine, Ex literis Illustrissimæ Clementiæ vestræ ad doctorem Bernardum Bozemium intelligo, angi Clemẽtiam Vestram hoc dissidio Theologorum: idque in ea re, quæ maximè debebat parere nobis qui Christiani nominis sumus, concordiam: quæ est doctrina de participatione corporis & sanguinis Donini nostri Iesu Christi. Ego certè in eorum numero sum, qui Augustanam confessionem sequi & probare volũt, cùm in aliis omnibus, tum etiam in illo capite quod est de Cœna Domini: sed hanc licentiam nouæ Stoæ Theologorum probare non possum, qui ipsis Papistis malunt accedere, quã cum hominibus nostræ Religionis concordiam reuocare, quę à Martino Luthero, & Martino Bucero cæterísque Saxoniæ & superioris Germanię Theologis conciliata atque constituta, ab istis diffuta ita est: vt amplius coire posse non videatur, nisi Principum in-

Non extabat nomen auctoris, neque etiã Principis in exscripto.

tercedat auctoritas. Legi Heluſij librum: qui vt ne inter Theologos ſolũ hoc diſſidium exardeſcat, etiam Principes prouocat. Ponit in definitione Cœnæ Dominicæ, id quod controuerſum eſt. Pauli definitionem præterit: & ſuam nouam atque inauditam adfert: & propter ſuam tacitè Pauli condemnat. Auctoritates adfert quæ pro ſe non faciunt, ſed pro aduerſariis. Scribit non vt doceat, ſed vt iudicet atque condemnet. Satis enim condemnat, qui ſua vti mauult quàm Apoſtoli. Qua in re tamẽ excuſo ipſum: non enim videtur intelligere vim verbi Græci κοινωνία: illud enim verbum non ad diſtributionem ſingularem nos deiicit: ſed ad communem & cœleſtem reuocat: non enim κοινόνησιν vocat ſed κοινωνίαν: qua fit vt κοινωνοὶ efficiamur menſæ, id eſt, corporis & ſanguinis, vitæ & mortis participes, ſed fideles. Fide enim ſurſum vſque in cœleſtem ſocietatem aſcẽdimus, cùm ſinguli pro ſe homines, tum omnis Eccleſia & ſeſe cum ſuo ſponſo coniungit Ieſu Chriſto: vt hic in terra & ille in nobis & nos in illo viuamus. Qui credat verum Ieſum Chriſtum dicere: & verum dare, qui dicit, Comedite hoc eſt corpus meum: bibite hoc eſt ſanguis meus: præſertim cùm addat ad verbum Domini, verum corpus ſeſe ſumere: item qui approbat Pauli definitionem, quod ſit κοινωνία τοῦ σώματος καὶ αἵματος: Et ſequitur Auguſtini interpretationem, qui ſcribit manducare carnem Chriſti, eſſe participem corporis eius fieri: denique qui confitetur ſeſe viuificatione Spiritus ſancti in Chriſti corpore & ſanguine immortaliter viuificari, Chriſtúmque in ſeſe viuere, & ſeſe in Chriſto: qui hæc omnia, inquam, confitetur & docet: quo exemplo & auctoritate aut Prophetarum, aut Euangeliſtarum, aut Apoſtolorum, aut Patrũ hunc hominem hæreticum eſſe, & priuata auctoritate excommunicatum condemnare poſſunt: præſertim cùm ab ipſis huiuſmodi multa abſurda dicãtur? Chriſti corpus naturale, quod ſcilicet carne & oſſibus præditum eſt, vbiq; non eſſe: & tamen vbiq; vnà cum carnibus & oſſibus eius ſumi & verè manducari: & id propriè dici, hoc eſt natiuo verbi vſu: item panem non tranſſubſtantiari, tamen panem eſſe corpus: & in eo hoc vtuntur πλεονασμῷ, & corporaliter corpus (quod idem eſt quod corporale) nominãt: item corpus Chriſti non eſſe localiter, ſed tamen in pane dari & manducari, idipſum ſcilicet cum carne & oſſibus. Et cùm eò deſcendũt, vt ad imperitam plebem dicãt: quemadmodum in cunis iacuit cum faſciis Chriſtum ſumi, id eſt manducari quis aut plebeiorum, aut eruditorum loquendi farraginem & licentiam, & impudẽtiam intelligat? Vnde hæc noua Theologia, nouæ ſcholæ, noua Stoicorum παράδοξα δόγματα? Lutherus venerationem & adorationem ſuſtulit: his grati ſunt qui contraria faciunt, capita nudant, genua flectunt, ore non manu accipiunt, gratiores ſi adorarent: vt apud Pontificios chari ſunt & accepti qui ſtatuas adorant, ad illas ſupplices procumbunt, & ad illas lumina collocant. Sed hæc ego pluribus perſecutus ſum quàm cõſtituerã. Verùm me dolor impulit & impellit, cùm conſidero quàm ſcribãt confidenter, ita vt hominum doctorũ iudicia non extimeſcant: nõ formidẽt poſteritatis exiſtimationem, quibus vtriſque turpe cõſtituitur exemplum, viuis qui cùm poſſint non refutant: venturis, quòd tantæ miſeriæ eos adiudicent, & ſtultitiæ, vt neceſſarium putent ſuam illos ſequi debere ſtultitiam. Quòd autẽ ad I.C.V. ſcribo, hęc cauſa eſt iſta. Magna in ſpe ſunt poſt hunc conuentum Principum, Theologorum fore ſynodum: & eò ſpectare aliqui videntur & id agere, vt illius ſynodi auctoritate Helueticæ & Gallicæ Eccleſiæ condemnentur, ob hoc caput de Cœna Domini. Quòd ſi id fiet indicta cauſa, re inter vtranque partem nõ diſceptata, neque cognitis rationibus vtriuſque partis, ab arbitris viris prudentibus, doctis, non ſociis horum diſſidiorum, quot & quanta inde incõmoda? Licebit idem facere Papiſtis & à concilio generali nos excludere, noſtram omnẽ doctrinã & Religionẽ cõdẽnare. Offendẽtur maximæ & potentiſſimæ nationes Italicæ, Hiſpanicæ, Gallicæ, Anglicæ, Heluticæ, apud quos populos propè omnes docti nolunt ad nouas has verborũ formulas aſtringi: Patrũ tamẽ verba libenter admitterẽt, ſi ipſi vt Patres verecundè & ſentirẽt & loquerẽtur. Ægerrimè feret Nauarrę Rex ſeſe & ſuos à Saxonicis Eccleſiis excõmunicari: dolẽter etiã Angliæ Regina, quæ tametſi Auguſtanã cõfeſſionẽ approbet, tamen has carnales verborũ formulas recipere nõ poteſt. Prætereũt Martini Lutheri purã de hoc Sacramento doctrinam, & illius hyperbolas arripiunt, & obtrudunt populo. Philippum Melanchthonem pars deliraſſe dicit in ſenectute, pars inconſtantem in dogmatibus, pars id non ſenſiſſe quòd ad V.C. ſcripſit: quaſi verò illud ſcriptum deliri ſenis ſit, aut quaſi ſententiam ſuam non communicarit primùm per annos iam viginti inde à Wormatienſi priore colloquio: poſt Haganoicia Comitia cum Ioanne Caluino: deinde cum

Petro

Petro Martyre:cum amicis etiam aliis multis, cum illísque perpetuam amicitiam coluerit,aut quasi nesciamus quid senserit de Westphali scriptis:aut ego ignorem,quid mecum locutus sit,& quid ad me scripserit. Quos viros ille vir amauit, ad quos amanter scripsit, cum quibus amicitiam coluit, eos isti maledictis lacessere & de Ecclesia deturbare audent. Nihil est, in quo se Pontificij magis iactent, quàm in his nostris dissidiis: nihil est, quod magis alienet animos hominum, quàm hæc eadem. Metuo etiam, ne hæc eadem quotidie obiiciantur Regi Nauarræ, in hoc principio administrationis totius Regni. Ex Brabantia scribitur illum in consilio Cardinalium per Legatos suos Pontifici promittere filialem obedientiam. Idem scribitur Lugduno. Et credo eum id cogi facere, Cardinalium importunitate, aduersariorum calumniis: interea tamen ipse Prouinciales in patriam & in suas sedes reuocat: captiuos propter Religionem liberat: non impedit priuatos conuentus,& Dei inuocationem, & Sacramentorum administrationem. Polvveilerus hodie ex hac vicinia è Schervveiler profecturus est in Galliam,missus eò à Cæsare.Hi etiam frigidam suffundent:metum adferent:conabuntur,si poterunt illum suarum facere partium. Idem faciet vehementiùs Pontifex: idem conabitur Rex Philippus. Et sanè metuo ego insidias Diaboli,& hominum fraudes. Atque hæc causa etiam est eadem cum superiore,vt ad C. V. scribam,non tam meum consilium explicans, quàm prudẽtium hominum sententiam atque voluntatem indicans.

Hi summis votis expetunt constitui cõcilium & synodum Theologorum, in qua Princeps aliquis præses sit:& illi adsint aliorum Principum Legati, viri prudentes & boni, non implicati huiusmodi cõtentionum dissidiis: & hæc eadem synodus pateat omnibus, qui causam suam cognosci volunt. Vocentur eò principes aduersariæ partis,Petrus Martyr,Bulingerus, Caluinus, Beza. Legitima cognitione de re disceptetur:tum demum aliquid fiet,cùm hac ratione fiet.Et si Principes hac sua synodo exemplum constituant Pontificijs, quomodo in generali concilio de controuersiis Religionis fieri debeat iudicium.

Quòd si ratione agetur alia,præscribemus nos nostra ista ratione aduersariis, quid ipsi in suo tyrannico concilio instituere & sequi debeant.Et postrema mala primis deteriora erunt,& ingens in Ecclesia schisma excitabitur, cuius incendium nulla poterit extinguere posteritas. Quamobrem aut hac ratione synodus constituenda est, aut satius est nullam fieri. Vt enim nunc homines affecti aduersus sese animis sunt: & vt nunc libri scribuntur, qui semel auctoritatis gladium arripuerit, nihil iudicare poterit, quod æquitati & moderationi sit consentaneum. Hæ sunt igitur bonorum voluntates, & hæc quotidiana vota, vt huiusmodi synodus decernatur:hoc iudicium, vt si fieri id non queat,neque ab iis impetrari qui cæteris mortalibus æquiores esse deberẽt,satius sit res suo cursu currere:vt quã partẽ Deus & melior pars hominũ approbet,eidẽ ipse Deus &viri boni assistãt. Qua in re Deus Pater noster & Dominus noster Iesus Christus non negliget bonorũ virorum & piorũ hominum quotidiana, diurna atque nocturna vota, preces atq; suspiria.

Ad hanc autẽ synodi rationem vtilem esse iidem iudicant,qui superiora optant, Legationẽ ad Regem Nauarræ mittere, quæ quod apertè dici & peti possit, in Regio consilio exponat:quæ verò priuatim cum Rege Nauarrę & fratre & reliquis Principibus,qui Religioni veræ fauent,agenda sunt,illa priuatim etiam explicet: quemadmodum à Principibus in mandatis habitura. Hæc ratio has habet causas. Primùm maior erit auctoritas synodi:& quasi Nationale concilium habebitur trium Populorum, Germaniæ, Gallię, Angliæ:non enim dubium est,quin libenter Regina Angliæ sese sit adiunctura, si ab ipsa & à Principibus Galliæ petetur, vt homines mittant ad eam synodum, pacis & concordiæ studiosos,pietate præditos,doctrina eruditos.

Deinde Rex Nauarræ opus habet hortatoribus in hac oppugnatione Cardinalium, Episcoporum,callidorum & experientium hominum.Et gratissimum illi erit intelligere, quam de se Germaniæ Principes existimationẽ habeãt:& quã habeant erga se & Regnũ Galliæ beneuolentiam: & quid sibi suis aliquando necessariis temporibus ab ipsis Principibus expectãdum sit:& quod suũ esse debeat officiũ,si quãdo suis etiã necessariis tẽporibus atq; periculis Principes Imperij,Regni Galliæ & Nauarræ cõsilio & ope opus habeãt.

Deinde si honestũ officiũ faciũt Imperator,Rex Philippus,Papa,Regina Angliæ,quòd Legatos mittunt:in hoc Principio Regis noui,& nouæ administrationis, cur nõ pernecessariũ & perhonestum officium faciant Principes, si idem sibi vsurpent quod alij faciunt?

Atq; eò istud Principes hoc tẽpore cõmodiùs facere poterunt, quod heri huc allatum est ex tribus ordinibus Regni, nobilitatẽ, quæ præstantissima pars est,postulare, vt Rex

Nauarræ gubernator Regni nominetur: & illius sit prima & summa auctoritas in omnibus negotiis: & Regina liberetur istis quotidianis Regni laboribus, & vt cum liberis viuat. Huius ordinis auctoritatem tertius ordo sequetur, qui est ciuitatum. Solùm cũ Ecclesiasticis erit contentio: inter quos tamen multi sunt quorum sententiæ cum Optimatium voluntatibus congruant.

Illud etiam nos consolatur, quòd Nauarræ Rex socium fidum habet tanquam fortem Achatem, in causa religionis D. Admiraldum, quem pij viri optimum cõsiliarium, & constantissimum patronum nominare poterunt & debent.

Postremò ipse Rex Nauarræ aliquid huiusmodi de Principibus Germaniæ expectat & expetit: quò ij confirmentur, quos socios habet consiliorũ qui terrentur illis voculis: Nullus Pontificis hostis vnquam pugnauit fœliciter. Nemo fœlix Princeps qui à Romana defecit Ecclesia. Hunc Pontificem ea esse industria, vt facilè queat Cæsarem & Regem Philippũ, & totam Italiam, Venetos, Sabaudos, & illos vicinos Heluetiorum quinque pagos, Florentinos, Ferrarienses, in belli societatem pertrahere. Etiam à populi & ab Ecclesiasticorũ in ipso Regno conspiratione esse metuẽdum & quidem vehemẽter.

Visum mihi fuit ista Illustrissimæ Clementiæ Vestræ perscribere: qua in re primùm Deum Patrem & Dominum nostrum Iesum Christum oro, vt suo Spiritu mentem I. C. V. reliquorúmque Principum illumiñet, vt quid optimum factu futurum est, decernatis. Deinde oro Celsitudinem Vestram, vt mihi veniam det, si mea sponte hæc scribam, motus cùm istis dissidiis Ecclesiarum, tum etiam existimatione de Vestrę Celsitudinis prudentia atque humanitate. Postremò etiam hac perturbatione Heildelbergensis Academiæ: qua sentio ex literis ad Doctorem Bozemium Celsitudinem Vestram paternè cõmoueri. Postremò oro & obsecro Celsitudinem Vestram, vt ne hæc mihi fraudi sint, quæ diu noctúque in meis cogitationibus recõdita, in vestræ Illustrissimæ & Clementissimę Celsitudinis sinum sum ausus deponere. Heri vesperi cùm superiora magna ex parte descripta essent, ad me allata est Hesshusij respõsio ad præiudiciũ Philippi Melanchthonis de controuersia Cœnæ Domini: sic enim inscribitur. Planè Melanchthonẽ in hæreticis Zuinglianis & Caluinianis habet. Illum locum Philippi ex Pauli sententia de κοινωνίᾳ refutat copiosè: sed non verè. Adfert Augustinum contra hunc locum Philippi, cùm tamen cõtra ipsum faciat Origenis auctoritatẽ cõtemnit, auctoritate Lutheri & Epiphanij: cùm tamẽ Epiphanius in refutandis erroribus Origenis, non faciat mentionem huius dogmatis de Cœna Domini. Etiam Clementem contemnit: vtrunque, tanquam ex tripode magna cum arrogantia: vehementer commotus sum. Scribam de illo libello & de illo altero pleniùs sententiam meam, si intellexero hoc meum studium nõ ingratum esse Illustrissimæ Celsitudini Vestræ, & me tutò posse huiusmodi meas commentationes Optimi Principis fidei atque taciturnitati committere. Meum enim institutum est, conseruare mea studia ad concordiam, & ad compositionem discordiarum: propterea quòd hæc ratio non obfutura est Ecclesiæ, & idonea meæ sententiæ. Cœna Domini & Baptismus duo sunt postrema & sempiterna Ecclesiæ Christi Sacramenta, quibus hic orbis post Christum illiúsq; doctrinam nihil habuit salutarius. De his ego ita sentiendum & loquendum & docendum arbitror, vt nihil de illorum dignitate diminuatur: nihil tamen tradatur, quod naturæ sensibus horribile sit, & quod aduersarium doctrinæ Christi & Apostolorum, aut quod horum doctrina demonstrari non poterit, neque expressum sit verbis Iesu Christi: cui potestas, potentia, imperium, honos, gloria in æuum sempiternum. Amen. Argentorati, XIX. Ianuarij. Anno M. D. LXI.

Io. Cal. D. Ioanni Knoxo.

QVatuor ferè mensibus antequàm postremæ tuæ literæ mihi redditæ sunt, alteras abs te acceperam, quibus anxiè te purgabas, quòd cum amicis & conterraneis tuis responsum dedissem super certis quæstionibus, ægrè tulissem de his me iterum rogari. Sic autem res habet: nisi mihi polliciti fuissent literas tutò perlatũ iri, saltem exemplar apud me seruassem. Sed cùm eorum culpa & parum considerata sponsione fuissem nimis securus: dum aliquãtò pòst tempore dixerunt responsum illud, de quo asseruerant nihil timẽdum esse periculi, intercidisse, flagitarúntq; vt nouum laborẽ de integro susciperẽ: cõmotus sum, fateor, & suspicioſum esse respondi quod petebant, acsi me insidiosè tentarent. Ne autem mireris

reris tam aſperè me loquutum fuiſſe:certò cognoueram prius illud conſilium non fuiſſe ex eorum ſententia. Ergo cùm ſcirem illis minimè eſſe ſatisfactum,probabilis coniectura animum meum ſubiuit,ſuppreſſum cupere ipſos quod non placebat, & ad me redire, vt aliquid elicerent voto ſuo propius. Te verò doloſè quicquam egiſſe, neque dixi, neque ſuſpicatus ſum.Et eodem momento euanuerat offenſio illa,vt nihil excuſatione opus fuerit. Ac mihi dolet,quòd excideˊrat ex ore meo, ſic in animum tuum penetraſſe,vt putares malæ fidei aut aſtutiæ,à qua te remotum eſſe iudico, fuiſſe inſimulatum. Faceſſat igitur metus ille vel cura. Nunc ad tuas venio,quas mihi nuper attulit pius frater, qui ſe huc contulit ſtudiorum cauſa.Euangelium apud vos tam fœlices lætóſque progreſſus facere,vehemeter,vt par eſt,lætor. Certamina vobis moueri non nouum eſt: ſed eò clariùs refulget Dei virtus, quòd hactenus nulli Satanæ & improborum conatus obſtiterũt, quò minus victrice conſtantia pergeretis in recto curſu: quando ad reſiſtendum nunquam fuiſſetis pares, niſi è cœlo vobis opem tuliſſet ille,qui ſuperior eſt toto mundo.In ceremoniis confido tuum rigorem, quamuis multis diſplicεat, moderatum tamen fore. Danda quidem opera eſt,vt Eccleſia ſordibus omnibus purgetur, quæ ex errore & ſuperſtitione manarunt. Sedulò etiã eniti oportet,ne fœdentur Dei myſteria ludicris vel inſipidis mixturis. Hac exceptione poſita, quædam,etſi minùs probentur,toleranda eſſe non ignoras. Inteſtinis diſſidiis Proceres veſtros ſcindi,grauiter doleo,vt par eſt:ac meritò magis te angit ac torquet,quod intus molitur Satan,quàm turbatus antehac fueris ob motus Gallicos. Sed rogandus erit Deus, vt huic quoq; malo medeatur. Hîc verſamur inter multa diſcrimina. Vna tantùm cœleſtis præſidij fiducia nos à trepidatione eximit:quamuis non ſimus metu vacui. Vale eximie vir,& ex animo colende Frater. Dominus tibi ſemper adſit,te gubernet,tueatur,ac ſuſtentet ſua virtute. Viduitas tua mihi,vt debet,triſtis & acerba eſt. Vxorem nactus eras, cui non reperiũtur paſſim ſimiles. Sed vnde petendum ſit triſtitiæ ſolatium,quia probè edoctus es,non dubito quin patienter hanc calamitatem feras. Salutabis meo nomine perquam officioſè pios fratres. Collegæ quoque mei vobis multã ſalutem precantur.Geneuæ. XXNI. Aprilis, M. D. LXI.

Io. Cal. Christophoro Goodmanno.

Literæ tuæ mihi variis nominibus gratiſſimæ fuerunt. Etſi autem ſuperuacua fuit diuturni ſilentij excuſatio,quia neque ſcribendi officium exigere ſoleo ab amicis,& certò perſuaſus ſum fieri non poſſe, vt vnquam amor erga me tuus intereat:libenter tamen eam amplexus ſum,quia piæ ſolicitudinis teſtimonium erat,ne putarẽ me fuiſſe neglectum.Fratrẽ noſtrũ Knoxũ,etſi non parum doleo ſuauiſſima vxore fuiſſe priuatũ: gaudeo tamen eius morte nõ ita fuiſſe afflictum,quin ſtrenuè operam ſuam Chriſto & Eccleſiæ impẽdat. Non vulgare ſolatium eſt, quòd te adiutorem fidiſſimum & apprime idoneum nactus eſt.Nec ſanè video quomodo in tanta penuria tibi fas ſit hanc prouinciam deſerere. Quin potiùs iſta, quam meritò deploras paucitas,te & reliquos excitare debet ad cordatè pergẽdũ. Quòd ſi neceſſitas acerrimus eſt ſtimulus ad alacritatẽ,hoc certè in opere Domini maximè valere debet,in quo ſcimus nunquam irritos fore noſtros conatus, cùm filios huius ſæculi ſæpe fruſtretur ſua animoſitas. Pergẽdũ igitur tibi cẽſeo,integerr.frater,donec additis ſubſidiis Eccleſiã Scoticam meliùs ſtabilierit Deus. Vale eximie vir,& frater mihi colende.Dominus te gubernet Spiritu prudentiæ & fortitudinis, laboréſque tuos benedicat. Symmyſtæ mei te ſalutant.Geneuæ,XXIII. Aprilis, M. D. LXI.

Cal. Fratribvs Aqvensibvs.

Dilectiſſimi Domini & fratres, hoc vnum vobis perſuaſum imprimis volumus,non ſecus nos affici veſtrarũ calamitatum ſenſu, quàm fraternæ noſtræ coniunctionis ius & ratio poſtulat. Ita enim apud vos teſtandum duximus, ne exiſtimetis nos eò audacius vos ad tolerantiam cohortari, quòd extra telorum iactum nunc quidem ſumus. Cùm igitur communis ſit nobis vobiſcum doloris ſenſus,ſic tamẽ nobis moderari decet & frænum iniicere, itáq; inter nos cõſilia conferre,vt illi vni cui ius omnes in nos eſt,ſumma ac ſimplex obediẽtia exhibeatur. Scimus non deeſſe prætextum ſpecioſum,vbi vis à cõcitata plebe illata vi repellitur, cùm hoc aliud ſit quã Magiſtratui reſiſtere:cùm adeò leges ipſę arma quibuſuis aduerſus latrones induant. Atqui,vt non deſint eiuſmodi prætextus, ſumma tamen ſapientiæ noſtræ in eo ſita eſt,vt regulam à cœleſti magiſtro poſitam obſeruemus,vt in patientia noſtra poſſi- Luc. 21. 19.

deamus animas nostras. Et sanè illud vnum appositum est asylum ac certissimum, vt sub ipsius vmbraculo vnico ab æstu & turbine quarumuis tẽpestatum recepti deliteſcamus. Rom.12.19 Iam vbi vim vi repellimus, ipsius manũ & auxilium à nobis auertimus. Ac proinde Apostolus, vt frenum iniiciat nostris motibus, exhortaturnos vt demus locum irę ipsius, atque innitamur ipsius promissioni, qua se protecturum & assertorum suos recepit pr̃ st quum impij furorem suum in se ipsos despumauerint. Si verò quod accidit vos, percellit, sperate Deũ reipsa declaraturum, quod semper etiam constitit, sanguinem piorum nẽpe non solùm ad eum de terra clamaturum, vt illum requirat, sed eũdem etiam seminis loco futurum ad magnũ Ecclesiæ incrementum. Nec frustra scriptura tamdiu in eo immoratur, vt præcipitantiam nostram peruincat, cùm adeò ægrè à nobis obtineri soleat, vt futurum Deum sinamus operari pro suo arbitrio, nõ autem ad nostri affectus intemperiem. Quãtumuis enim admoniti pridem simus, sic eius voluntatem esse, vt Ecclesię ipsius ædificiũ miro quodã modo assurgat: vix tamẽ sustinem⁹ vt vel lapidẽ illic cõpingat, quin ferè rũpamur, vbi opus ex voto nõ procedit. Atqui hoc illud tẽpus est laborandi, & tempus tolerãdi simul. Laborãdi inquam, dũ viriliter agemus ac superabimus quæuis obstacula, vbi officij nostri ratio hoc feret. Nulla mors enim vel minima remissione hic non tolerabilior ducenda est: & tamen hoc non impediet, quin laborãdo simul tolerandum sit: vtque Spiritu mansuetudinis præditi sine vllo motu nostro fluctus & tempestates aduersariorum frangamus. Si huic consilio manum dederitis, speramus auxiliarem Domini manum vobis quamprimùm adfuturam. Ac proinde ipsum oramus, vt vos regat Spiritu prudentiæ & fortitudinis, atque in omni bono prosperare donet, vt nomẽ ipsius glorificetur in vobis magis ac magis. 1. Maij, M. D. LXI. Vobis addictiſſi. Caluinus.

IOANNES CALVINVS PIIS OMNIBVS DEI CVLtoribus, qui regnum Christi in Gallia rectè constitui cupiunt S. D.

Præfatio Io. Caluini in suarũ in Danielem Prælectionũ editionem.

IN si patria vobiscum mihi cõmuni, cuius amœnitas multos ad se exteros ex remotissimis plagis allicit, iam totos viginti sex annos non ægrè carui: quòd in ea terra habitare minimè iucundum esset vel optabile, à qua exulabat Dei veritas, pura Religio & æternę salutis doctrina, à qua etiã profligatũ erat Christi regnũ, nec me eius desideriũ hodie solicitat: gentis tamẽ ex qua oriundus sum obliuiſci, & curam abiicere, neque humanũ, neq; fas esset. Ac me quidem illustribus documẽtis testatũ esse arbitror, quàm seriò & ardẽter cupere nostratibus prodesse: quib⁹ etiã vtilis fortè fuit mea absentia, quò vberiores ex meo studio fructus perciperẽt. Cuius boni æstimatio non omnẽ solùm molestiã mihi absterſit, sed suaue reddidit lætúmq; exiliũ. Cùm itaq; cõtinuo illo tẽporis progressu conatus fuerim publicè Gallis opitulari, nec destiterim priuatim quoq; torpẽtes excitare, tardos stimulare, trepidãtes animare, dubios vel flexibiles hortari ad perseuerantiam: danda nũc fuit opera, ne in hoc tã necessario tẽporis articulo officiũ erga eos meũ cessaret: cuius præstãdi diuinitus optima data fuit opportunitas. Nã cùm in lucẽ exirẽt meæ Prælectiones quibus Danielis prophetias interpretatus sum, nihil accidere cõmodius potuit, quàm si in hoc speculo vobis demõstrarẽ, Fratres ex animo dilecti, cùm hac ætate variis certaminibus probare vellet Deus suorũ fidẽ, pro admirabili sua sapiẽtia, veterib⁹ exẽplis fulciẽdos curasse eorũ animos, ne grauissimis quoq; procellis aut tẽpestatibus cõcussi vnquã labascãt: vel saltẽ, si quãdo nutare cõtigerit, ne deficiãt ad extremũ. Quãuis enim stadiũ seruis Dei propositũ sit multis obstaculis impeditũ, quisquis librũ hunc diligẽter euoluerit, quidquid volũtario nec ignauo cursori à carceribus ad metã vsq; dirigẽdo, aptũ est, in eo cõprehensum reperiet: boni etiã ac strenui athletæ experimẽto agnoscẽt se ad luctã satis esse instructos. Primùm occurret historia tristis quidẽ, sed valdè fructuosa, Danielẽ eiúsq; sodales, stãte adhuc regno & sacerdotio, in exiliũ fuisse tractos: acsi Deus per ignominiã & probrũ extremæ calamitati addiceret præcipuũ electi populi florẽ. Quid enim primo intuitu magis indignum, quàm pueros Angelicis ferè virtutibus præditos, superbo victori tanquã mancipia in prædam cedere, cùm domi incolumes manerent sceleratissimi quiq; & perditi Dei contẽptores? Hæccine pietatis & inoxiæ vitæ merces, impiis suauiter ob impunitatẽ sibi blandientibus, quam illi meriti erant pœnam, Sanctos luere? Verũ hîc quasi in viua imagine cernimus, Deum vbi pessimis quibusque ad tempus parcit, atque etiam indulget, seruos suos instar auri & argenti examinare, ne durum nobis sit, dum placida quiete fruuntur profani homines,

mines, in fornacem probationis coniici. Accedet secundo loco exemplum plusquam virilis prudentiæ, & continentiæ singularis, cum animi magnitudine planè heroica, dum aulicis illecebris tentati pij adulescentes in tenera illa ætate, non modò temperantia superant oblatas sibi delicias, sed quia videbant astutè se captari, vt paulatim à syncero Dei cultu desciscerent: vt se à Diaboli laqueis extricent, honorem veneno illitum non absque præsenti mortis periculo fortiter liberéque aspernantur. Sequetur pugna sæuior & magis formidabilis, cum memorabili constantiæ incredibilis exemplo, dum neque atrocibus minis flectuntur Danielis socij, vt statuæ adoratione se polluant, ac tandem non suo tantùm sanguine, sed horribili cruciatu, qui oculis erat propositus, parati sunt syncerum Dei cultum vindicare. Quæ verò in huius tragœdiæ exitu relucet Dei bonitas, ad nos inuicta fiducia armandos non parum valebit. Addetur non absimilis Danielis ipsius pugna & victoria eadem dum leonum truculentiæ obiici maluit, quàm triduo ab ingenua fidei professione absistere, ne perfida simulatione sacrum Dei nomen prostitueret impiorum ludibriis, & mirabiliter è fouea non secus ac è sepulchro erutus, de Satana eiúsque factione triumphauit. Hîc non prodeunt in medium philosophi, qui subtiliter in vmbra & ocio disserant de virtutibus: sed infatigabilis sanctorum virorum in studio pietatis constantia nos ad eorum imitationem clara voce inuitat. Ergo, nisi prorsus simus indociles, ab his magistris discere conuenit, siue blanditiarum laqueos tendat Satan, prudenter ne irretiamur, cauendum esse: siue nos violenter aggrediatur, intrepido mortis & malorum omnium contemptu frangendos esse eius insultus. Si quis excipiat, rara esse quæ retulimus vtriusque liberationis exempla: fateor certè Deum non eodem semper modo ad suos seruandos manum è cœlis exerere, sed quod nobis satis esse debet, testatum fecit fidum se fore vitæ nostræ custodem, quoties in aliquo discrimine versabitur: nec impiorum libidini nos esse expositos, quin eorum furorem & turbulentos conatus, si ita visum fuerit, compescat. Nec verò euentus tantùm spectandus est: sed quàm animosè sancti viri pro asserenda Dei gloria se morti deuouerint: nec quia Dei beneficio erepti sunt, ideo minus laudis meretur prompta eorum voluntas, quum se victimas obtulerint. Iam inter quot agitationes iactatus fuerit Propheta annis septuaginta, quos in exilio transegit, reputare operæpretium est. A nullo Rege æquè humaniter tractatus est atque à Nabuchadnezar: quem tamen expertus est fœtam bestiam. Aliorum maior crudelitas: donec subitò interitu Baltazar, & vrbis expugnatione, ad nouos dominos Persas & Medos traductus est: quorum hostilis irruptio cùm omnibus pauorem incuteret, minimè dubium est quin perculerit eius animum. Etsi autem clementer à Dario fuit exceptus, vt seruitus illa quodammodo esset tolerabilis: Procerum tamen inuidia scelestáque conspiratione, tunc maximè periclitatus est. Verùm vt de communi Ecclesiæ salute magis erat solicitus, quàm priuatæ quieti studebat: in quanto mœrore eum iacuisse probabile est, & quanta anxietate fuisse constrictum, cùm tam duræ & miseræ populi oppressioni nullum finem ostenderet rerum status? Acquiescebat quidem in Ieremiæ vaticinio: sed eius spem tandiu suspensam non languescere, incomparabilis tolerantiæ fuit: imò inter tempestuosos fluctus variè distractam non submergi. Nunc ad prophetias venio: quarum priores destinatæ fuerunt Babyloniis: partim quia Deus seruum suum certis insignibus ornare voluit, quæ gentem superbissimam & victricem, ipsum reuereri cogerent: partim quia oportuit nomen eius apud profanos veneratione dignũ censeri, vt auctoritate præditus, apud suos munus propheticũ liberius exerceret. Postquã verò celebre apud Chaldæos fuit eius nomen, prophetias maioris momenti Deus apud ipsum deposuit, quæ peculiares essent electo populo. Porrò sic eas Deus accommodauit in vsum veteris populi, quæ & dolorẽ lenirent opportunis remediis, & vacillantes animos ad Christi vsque aduentũ sustentarent: vt nostrę quoq; ætatis non minorem habuerit rationẽ. Nam quod de fluxo & euanido Monarchiarũ splendore & perpetuo regni Christi statu prædictũ est, hodie non minùs est vtile cognitu, quàm olim. Ostendit enim Deus omnem terrenam potentiã, quæ in Christo fundata non est, caducam esse: regnis verò omnibus, quæ se nimium efferendo, Christi gloriam obscurant, breuem interitum minatus est. Qui nunc longè latéq; dominantur Reges, nisi vltrò se Christi imperio subiiciant, tristi experiẽtia tandẽ sentient ad se quoq; pertinere horribile illud iudicium. Et quid minùs tolerabile, quàm eum fraudare iure suo, cuius præsidio salua manet eorum dignitas? Atqui videmus quàm pauci ex eorum numero, Dei Filium admittant: imò vt omnes moueant lapides, atque extrema quæque potiùs tentent, quàm sinant in

ſuos fines penetrare: multi etiam Conſiliarij totam ſuam induſtriam & ſtudia ad claudendos omnes aditus ſedulò conferunt. Quòd verò interea & nomen Chriſtianum obtendunt, & ſe fidei Catholicæ optimos defenſores iactant, nullo negotio refellitur tam friuola vanitas, ſi tenetur vera & genuina regni Chriſti definitio. Non enim aliud eſt eius vel ſolium, vel ſceptrum, quàm Euangelij doctrina: nec alibi refulget eius maieſtas, nec aliter imperium ſuum obtinet, quàm vbi omnes à ſummis ad infimos placida docilitate inſtar ouium vocem eius audiũt, & quocunque vocet, ſequuntur. Doctrinam hanc, qua continetur certa Religio atq; legitimus Dei cultus, in qua æterna hominum ſalus & vera fœlicitas conſiſtit, non modò paſſim repudiant: ſed minis, terroribus, ferro, flammáq; procul abigunt: nec quicquam omittunt violentiæ ad eam exterminandam. Quænam verò cæcitas, & quàm prodigioſa, vt quos ad ſe comiter inuitat vnigenitus Dei Filius, non ſuſtineant ipſum oſculari? Sed multi pro ſua ſuperbia, ſcilicet, exiſtimant, ſe in ordinem cogi, ſi ſummo Regi faſces ſubmittant: alij ſuas libidines frænari nolunt. Atque vt omniũ ſenſus occupat hypocriſis, tenebras appetunt, & in lucem protrahi formidant. Nulla tamen peſtis deterior, quàm Herodis metus: quaſi terrena imperia raperet Monarchis, qui minimis quibuſque & contemptiſſimis ex plebe hominibus cœleſte offert. Adde quòd dum alij alios reſpiciunt, mutua colligatio exitiali nexu omnes deuinctos retinet ſub impietatis iugo. Nam ſi ſeriò in animum inducerent quid verum ſit ac rectum ſciſcitari, imò ſi tantùm aperirent oculos, non obſcura eſſet cognitio. Sed quia vſu ferè compertum eſt, vbi emergit cum Euangelio ſuo Chriſtus, ſimul graues motus oriri, honeſto prætextu reiiciunt cœleſtem doctrinam, vt publicæ tranquillitati conſulant. Meritò fateor, odioſa cenſeri poteſt quæ turbas gignit mutatio: ſed grauis Deo fit iniuria, niſi hoc ſaltem defertur eius virtuti, vt qualeſcunque ferueant tumultus, illis ſedatis, regnum Filij ſui ſtabiliat. Quamuis cœlum terræ miſceri contingat, pretioſior eſt Dei cultus, quàm vt vlla mercede penſetur minima eius diminutio. Sed falſa inuidia grauant Euangelium, qui perturbationum materiam eſſe fingunt. Verum quidem eſt, Deum illic oris ſui vehementia tonare, quæ concutiat cœlum & terram: ſed dum hoc elogio gratiam illius prædicationi cõciliat Propheta, fœlix & optanda eſt illa concuſſio. Et certè ſi non eminet in ſuo gradu Dei gloria, donec humilietur vniuerſa caro, ſuperbiam hominum, quæ ſe contrà attollit, nec vnquam cedit niſi inuita, forti & valida Dei ipſius manu proſterni neceſſe eſt. Quòd ſi ad Legis promulgationem contremuit terra, nihil mirum ſi vis & efficacia Euangelij ſplendidior appareat. Quare eò ſuauius decebat amplexari doctrinam, quæ dum mortuos ab inferis excitat, & indignis quos terra ſuſtineat, cœlum aperit, inſolitam virtutem exerit: acſi elementa omnia ſaluti noſtræ ſubſcriberent. Ecce autem ex alio fonte manant procellæ & tempeſtates: quia nunc Proceres & qui in mundo excellunt, non libenter ſubeunt Chriſti iugum: nunc imperitum vulgus, antequam guſtum capiat, quid quid ſalutare eſt, reſpuit: pars etiam in ſordibus, porcorum inſtar, ſe oblectat: alij tanquã à Furiis perciti, per cædes graſſantur. Præcipuo autem furore ad omnia turbanda diabolus inſtigat, quos habet ſibi prorſus mancipatos. Hinc clangor tubarum: hinc conflictus & prælia, dum Heliogabalus Romanus ſacerdos cum rubra ſua & ſanguinaria cohorte & cornutis beſtiis præcipiti impetu contra Chriſtum inſanit, & vndique accerſit ſuppetias ex fœtidi Cleri ſui colluuie, quæ tota, & ſi non paribus lautitiis, offas tamen quibus paſcatur, ex eadem olla profectas ſorbet: multi quoque famelici ad conducendas operas aduolant: magna pars Iudicum, quæ dudum Saliaribus epulis ventrem farcire conſueuit, pro culina & foco pugnat: præſertim verò rabulas ex clauſtris Monachalibus & Sorbonicis luſtris emittit, qui tanquam flabella ignem accendant. Omitto clandeſtinas artes & nefandas conſpirationes, quarum mihi teſtes optimi eſſe poſſent, qui infeſtiſſimi ſunt pietatis hoſtes. Neminem nomino: ſatis eſt digito monſtraſſe, qui ſatis ſupérque vobis noti ſunt. In hac confuſa tot beſtiarum irruptione ſi perplexi hæreant, qui pendent à multiplici rerum euentu, nihil mirum eſt: ſed diffidentiæ ſuæ culpam iniuſtè, & perperam reiiciunt in ſacrum Chriſti Euangelium. Demus totum Acheronta cum ſuis Furiis ſam ad prælium deſcendere: an Deus in cœlis otioſus ſedebit, vt cauſam ſuam deſerat & prodat? atque vbi ſe oppoſuerit an eius victoriam impedient quamlibet verſutæ hominum aſtutiæ, vel impetuoſi conatus? Papa, inquiunt, longam factionem ſecum trahet. Iuſta incredulitatis merces, trepidare ad ſtrepitum folij cadentis. Quid vos autem malè prouidi Conſiliarij? Faceſſat Chriſtus, ne quid turbet nouitas. Paulò pòſt ergo ſentietis, quantò ſatius fuiſſet Deum habere propitium, & ſpretis nihili

Agg. 2. 7

Exo. 19. c. 18

terrori-

terroribus in eius præsidio conquiescere, quàm eum aperto bello lacessere, ne malos & siniſtros genios ad iram prouocetis. Certè vbi omnia discussa fuerint, Papæ defensoribus, superstitio quæ hactenus regnauit, nihil aliud est quàm malum bene positum: quod mouendum esse non censent, quia sine iactura non posse fieri videtur. Quibus verò cordi est Dei gloria, & qui syncera pietate sunt præditi, longè aliud propositum esse debet: nempe ita suam operam Deo impendere, vt euentus omnes eius prouidentiæ commendent. Qui si nihil nobis esset pollicitus, fortè iusta esset timendi & assiduè vacillandi causa: sed cùm toties sit testatus nunquam auxilium suum in asserendo Christi sui regno defore, in hac fiducia recumbere, vnicum est rectè agendi compendium. Porrò vestrum est, optimi fratres, quantum feret cuiusque facultas, & vocatio postulabit, cordatè satagere vt vera Religio integrum statum recuperet. Quantopere hactenus conatus sim omnes tumultuandi ansas præcidere, referre necesse non est: modò coram summo Iudice, Angelos & vos omnes habeam testes, per me non stetisse, quò minus sedatos absque vlla noxa progressus ageret Christi regnum. Et aliquid mea sedulitate profectum esse arbitror, ne suas metas transilirent priuati homines. Nunc etsi admirabili virtute longius Ecclesiæ suæ restitutionem prouexit Deus, quàm ausus fuissem sperare, memoria tamen repetere conuenit quid suis præcipiat Christus, nempe vt animas suas in tolerantia possideant. Luc.21 d.19

Quò etiam pertinet quæ à Daniele exposita fuit visio: Lapidem, à quo contrita sunt quęcunque Deo bellũ intulerant regna, non fuisse hominum manu formatum: & quamuis rudis esset ac impolitus, creuisse tamen in magnum montem. Cuius rei vos monendos esse duxi, vt inter minarum tonitrua placidè expectetis, dum inanes nebulæ cœlesti virtute discussæ euanescant. Dan.2.44.

Nec verò me latet, vt de innumeris triginta annorum ignibus taceam, quantas indignitates his postremis sex mensibus pertuleritis: quoties pluribus in locis à tumultuosa plebe facta in vos fuerit irruptio: quoties fueritis impetiti nunc lapidibus, nunc gladiis: vt insidiati fuerint hostes, quò pacatos vestros conuentus subita vi & inopinata opprimerent: vt occisi fuerint alij in ædibus suis, alij in compitis tracta per ludibrium mortuorum corpora, raptatæ mulieres, plurimi vulnerati, grauida etiam mulier cum suo fœtu transfossa fuerit, ædes effractæ ac dirutæ. Verùm quamuis atrociora adhuc instarent, vt vos probetis Christi discipulos, probéque in eius schola formatos, danda opera est, ne vlla impiorum rabies, dum ita intemperanter furuntur, moderationem qua sola hactenus victi fractíque fuerunt, excutiat. Quòd si tædium vobis afferat diuturnitas, subinde in mentẽ redeat celebre illud vaticinium, in quo ad viuum Ecclesiæ conditio depicta est. Ostendit quidem tunc Prophetæ suo Deus quæ certamina, anxietates, molestiæ, discrimina Iudæos manerent à fine exilij, lætóque in patriam reditu, vsque ad Christi aduentum: sed facit temporum similitudo, vt nobis eadem conueniant, ac proinde aptanda sint in vsum nostrum. Miseræ Ecclesiæ, quæ diu profundo malorum diluuio submersa fuerat, gratulabatur Daniel, quum ex annorum supputatione colligeret, instare liberationis diem à Ieremia prædictum. Atqui responsum accipit, acerbiorem fore populi sortem ex quo reddita fuerit libertas, vt à continua ingentium malorum serie vix respiret. Non sine summa doloris amaritudine & multis fastidiis spem suam protexerat annis septuaginta: nunc Deus tempus septuplicando, lethale quodammodo vulnus cordi eius penitus infligit. Nec verò tantùm pronuntiat populum, vbi postliminio reuersus vires collegerit, vrbémque & templum extruxerit, nouis postea molestiis fore obnoxiũ: sed inter ipsa lætitię primordia, vix dũ gustata gratiæ suauitate, anxietati eum addicit. Iam calamitates quæ paulò pòst sequutæ sunt, quarum multiplex illic texitur catalogus, quum ad solum auditum nunc expauescamus, quàm putamus rudi populo lugubres fuisse & acerbas? Templum videre profanatum sacrilegi tyranni audacia, sacra probrosè mixta fœdis inquinamentis, libros omnes Legis in ignem coniici, vt tota religio aboleretur, quàm horribile fuit spectaculum? Ad idem incendium raptari quicunque ingenuè constantérque profitebantur se perstare in Dei cultu, qui poterant teneri & debiles sine ingenti consternatione aspicere? Et hoc erat consilium tyranni, vt immanitas ad defectionem minus cordatos adigeret. Sub Machabæis quædam visa est relaxatio offerri, sed quæ mox sæuissimis cladibus deformata, nunquam luctu & mœrore caruit. Nam cùm hostis & copiis & omni bellico apparatu longè præcelleret, nihil potius fuit omnibus qui pro defensione Ecclesiæ, arma sumpserant, quàm se abdere in ferarum lustra, aut vagari per syluas in summa egestate, rerúmque omnium inopia. Acceſſit aliud genus tentationis, quòd se improbi & perfidi,

Ier.25.c.11, & 29.b.10.

2.Macha.6. 16. & 7.cap.

1. Mach.2. cap. &c. & 2.lib.ca. 8.&c.

Hæc autẽ tum erant præludia tãtùm eorũ quæ, eodem modo articulatim annis sequẽtibus acciderunt piisviris ac mulieribus in Gallia.

Dan.11.32. 33.34.35. fallaci zeli iactantia, vt dicit Daniel, Iudæ & eius fratribus adiunxerũt. Quo artificio Satan infamia aſperſit manum à Iuda collectam, acſi latrunculorum eſſet turba. Sed bonis nihil magis luctuoſum, quàm dum Sacerdotes ipſi, prout quenque rapiebat ſua ambitio, nefariis pactis templum & Dei cultum prodiderunt. Nec modò venalis fuit ſacra illa dignitas: ſed empta mutuis cædibus, atque etiam parricidiis. Hinc factum, vt omnium ordinum homines, quamuis Circunciſio & ſacrificia in vſu ſuo manerẽt, corruptelis ita paſſim & impune graſſantibus, tandem profaneſcerent: vt rarum fuerit miraculum, quo tempore apparuit Chriſtus, regnum Dei expectare. Pauciſſimi enim hac laude inſigniuntur. Si in illa indigna Eccleſiæ deformitate, in multis diſſipationibus, inter diros terrores, agrorum vaſtationem, ædium direptiones, mortis pericula, pios animos ſuſtinuit Danielis vaticinium, quum adhuc obſcuris vmbris implicita eſſet religio, & doctrina ferè extincta, & ſacerdotes ipſi, vt erant degeneres, ſacra omnia peſſundarent: quàm pudenda erit noſtra mollities, niſi hæc Euangelij claritas, in qua Deus paternam faciem nobis oſtendit, ſurſum nos ſupra omnia obſtacula attollat, conſtantiáque infatigabili fulciat? Sicuti enim dubium non eſt quin tunc ſerui Dei, quæ de exilio Babylonico à Prophetis dicta erant, ad ſuam ætatem accommodarint leniendo præſentium malorum dolori: ita noſtrũ eſt oculos habere defixos in Patrum miſerias, ne refugiamus ad eam Eccleſiam aggregari, cui dictum eſt, Paupercula, tempeſtate obruta, & ſolatio priuata, ecce ego te ſuſcipio: & quę alibi, poſtquam conqueſta eſt dorſum ſuum fuiſſe laceratum ab impiis: non ſecus atque ager ſub ſulci tractu proſcinditur, gloriatur tamen continuò pòſt inciſos fuiſſe illorum funes à Deo iuſto, vt non præualuerint. Nec verò illorum modò temporum exemplis ad ſpem & patientiam nos animauit Propheta: ſed exhortationẽ à Spiritu dictatam, quæ ad totum Chriſti regnum extenditur, nobiſq; propria eſt, adiunxit. Quare nobis durum non ſit in eorum numero comprehendi, quos igni probatum iri denuntiat vt dealbentur, cùm omnes crucis moleſtias ſatis ſupérque compenſet inæſtimabilis fœlicitas, & gloria quæ inde naſcitur. Ac quanquam hæc plurimis ſunt inſipida, ne eorum ſocordia & ſtupor nos ſegniores reddat, probè cordibus infixum ſit quod mox denuntiat Prophe-

Esa.54.c.11. Pſa.129.1. 2.3.4.

Da.11. vt ſ. ta, impios impiè quidem acturos, quia nihil intelligent: filios tamen Dei intelligentia fore præditos, vt rectum diuinæ vocationis curſum teneant. Fontem quoque brutæ illius cæcitatis, quæ vulgò cernitur, tenere operæpretium eſt, vt nobis cœleſtis doctrina ſapiat. Neque enim aliunde fit vt Chriſtum cum ſuo Euangelio maior pars vilipendat, niſi quòd ſecurè ſibi indulgendo, neque timore vllo, nec malorum ſuorum ſenſu, nec iræ Dei horrore expergiſcuntur ad ſeriò ardentérque appetendam, quæ ſola nos ab æterni interitus abyſſo eripit, redemptionem. Interea verò deliciis, voluptatibus, & aliis illecebris capti, vel potius faſcinati, nulla tanguntur beatæ æternitatis cura. Etſi autẽ multiplices ſunt eorum ſectæ, à quibus Euangelij doctrina contemptim deſpicitur, ac in aliis magis eminet ſuperbia, in aliis mollities, in aliis quędam mentis ebrietas, in aliis ſomnolentus torpor: reperiemus tamen ex profana ſecuritate manare contemptum, quia nemo in ſeipſum deſcendit ad excutiendas ſuas miſerias, vt illis remedium quærat. Prodigioſa quidẽ dementia eſt, vbi nobis incumbit Dei maledictio, iuſtáque eius vindicta nos vrget, excuſſa omni ſolicitudine nobis adhuc placere, ac ſi nihil eſſet metuendum. Atqui vitium plus quàm commune eſt, vt qui millies rei ſunt, digníque mille æternis mortibus, friuolis ceremoniis erga Deum leuiter defuncti, ſoporem, vel potius veternum, ſibi obducant. Porrò cùm denuntiet Paulus mortiferum eſſe Euangelij odorem omnibus quorum mentes Satan faſcinauit, vt ſaporem eius in vitam guſtemus, neceſſe eſt ad Dei tribunal nos ſiſtere, & illuc ſubinde citare noſtras conſcientias, quibus ſerio terrore vulneratis, reconciliatio quam pretioſo ſuo ſanguine nobis Chriſtus peperit, pro ſua dignitate & pretio à nobis æſtimetur. Itaque Angelus, vt Chriſti doctrinæ reuerentiam & auctoritatem conciliet, concionatur de æterna iuſtitia, quam mortis ſuæ ſacrificio obſignauit: modum & rationem ſimul exprimens, quia deleta fuerit ac expiata iniquitas. Nos ergo, dum mundus in ſuis laſciuiis bacchatur, damnationis quam meriti ſumus cognitio expauefactos coram Deo humiliet: ac dum ſe profani homines terrenis delicijs ingurgitant, cupidè amplexemur hunc incomparabilem theſaurum, in quo recondita eſt ſolida beatitudo. Garriant hoſtes noſtri vt libuerit, ſibi quoque curæ eſſe vt Deum habeant propitium: cùm non niſi dubitanter inuocandum eſſe ſentiant, quod erat ſalutis fundamentum ab illis euerti conſtat. Fidem noſtram qua volent petulantia inſectentur, modò nobis liquidò conſtet, neminem niſi eius beneficio hanc prærogatiuam conſequi, vt liberè pacatáque fiducia

2.Cor.2. d.16.

Dan. 9.24.

Chriſti

Christi patrocinio fretus Deum Patrem inuocet. Verùm nunquam vigebit vt par est, in nobis pietatis studium, donec mẽtes nostras, quæ alioqui in terram nimis propeniæ sunt, sursum attollere discamus, eásque in continua cœlestis vitæ meditatione exercere. Qua in parte se prodit mira humani generis vanitas, quòd cùm omnes de huius vitæ breuitate quasi Philosophi præclarè loquantur: nemo tamen ad illam pepetuam aspirat. Itaque non abs re Paulus Colossensium fidem & charitatem commendans, eos per spem animari dicit: quæ in cœlis reposita est. Alibi verò de fine gratiæ differens, quæ nobis in Christo patefacta est, dicit nos inde erudiri, vt abnegata omni impietate, mundanísque desideriis, sobriè, iustè & piè viuamus in hoc mundo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Hæc igitur expectatio impedimentis omnibus solutos ad se nos rapiat: & quò magis Epicurea tabe refertus est orbis, ne ad nos vsque serpat contagio, eò acrius eniti nos decet, donec ad metam pertigerimus. Porrò etsi dolendum est, tantam turbam vltrò perire, quòd tamen in suum exitium quasi deuoti ruunt, ne nos conturbet væsanus eorum furor, succurrat altera Danielis admonitio, salutem certam omnibus repositam esse qui inuenti fuerint scripti in libro. Quamuis autem in arcano Dei consilio, quæ prima est salutis nostræ causa, electio abscondita sit, quando tamen omnium qui in Christi corpus fide Euangelij inserti sunt, minimè dubia est adoptio, hoc testimonio contenti, strenuè in cursu fœliciter incœpto pergite. Quòd si diutius adhuc dimicandum erit (vt vobis denuntio restare duriores quàm putatis pugnas) quocunque impetu ebulliat impiorum rabies, atque vt totos inferos concitent, memineritis finitum vobis esse stadium à cœlesti Agonotheta, cuius legibus eò alacrius parẽdum est, quia suis vires ad finem vsque suppeditat. Quando autem mihi fas non est stationem in qua me Deus manere voluit, deserere, hic meus labor vobis dicatus, mei ad vos adiuuandos studij pignus sit, donec completa mea peregrinatione, cœlestis Pater pro immensa sua misericordia in æternam hæreditatem simul vobiscum me colligat. Dominus vos gubernet Spiritu suo, fratres ex animo mihi chariss. tueatur suo præsidio cõtra omnes hostium machinas, inuictáque virtute sustineat. Geneuæ, XIIII. Calendas Septembris M. D. LXI.

Colo 1.a.5.

Tit.2.c.12. 13.

Dan.12.1.

Beza Calvino S. D.

Ex gall.

APpuli in aulam ante biduum, tanto Procerum nostrorum exceptus studio, vt vix mihi respirandi spatium daretur, vt singulis me sisterem. Primùm Admiralium offendi, quem vix salutabam, cùm Nauarrenus & Cõdensis in me se ita effuderunt, vt ad summam eorum beneuolentiam desiderari nihil posset. Atque illic cõtinuò suspicatus Cardinales Borbonium & Castilionæum vtrumque mihi dexteram prætendentem, cùm sigillatim omnia persequi non possim illud indicasse sufficiet, protestatũ me esse apud Borbonium, nullo modo ab illo mutatum me esse, quem aliàs alloqui dedignatus esset, ne excommunicationem subiret. Regessit ille sibi iam esse in animo de re tota ampliùs audire: Ego vicissim meam operam ità obtuli, vt eãdem illi mentem simul precarer in posterum. Atque tum ferè vlteriùs gliscebat sermo, nisi bonus ille vir paucis egisset, quem & ipse in eo secutus sum. Quòd ad Nauarrenum, summa orationis meæ ad illum fuit: vereri me vt aduẽtus iste meus illi tam gratus breui futurus sit: quod vbi illum subridẽtem audire animaduerti, atqui inquam, quod per iocum ita accipis, seriò tibi à me dictum puta. Totum istud semihorã circiter abstulit. Et nox instabat. Illi ad Reginã: ego maiore multò turba cinctus quàm putaram ad Dominũ Cond. Principem & Admiraliam deducor, in quibus singulare omnino pietatis studium deprehendi. Postridie, qui fuit hesternus dies, concionẽ habui in Principis ædibus, frequenti cœtu & perquam honorato. Ille aberat, distractus nimirum certo suo negotio cum altero illo quem non ignoras, quod eodem die vti confectum est, ipse mihi priuatim communicauit, atque acta illius rei exhibuit, quorum hæc summa erat: Aduersariũ ipsius testatum coram ipsa Regina & Regio consilio, nullo modo se in causa fuisse cur Princeps in custodia haberetur: Ipsum excepisse, habere se pro improbis ad quoscunque eius rei nota pertineret: Ego sic credo, respondit ille, & hoc ad me non spectat vllo modo. Rogatus quid sentirem, verba illa ambiguitatem præ se ferre respondi: sed quòd ad illas res attineret, relinquere me illis eorum cognitionem, qui meliùs tenerent quid esset ex ipsius honore & dignitate. Quòd ad priuatã ipsius iniuriã, nõ ignorare ipsũ, cui vni vindicta omnis

committenda esset. Interea neminem inter Dei amicos censeri posse, qui sese inimicum osorum Dei & Ecclesię ipsius eo vno nomine nō profiterer. Respondit, non defuturam nobis ex ista cōciliatione Dei laudādi occasionē, modò firma staret. Ac reipsa magnæ turbæ nascituræ erant ex illis priuatis affectib⁹: ac modò occasio vlterius pergēdi semel præcisa sit, dolendum non est q, illa iurgia ita sopita sint, vt cum eo de quo nunc agitur à nobis, nihil inde permiscetur. Atq; is fuit rei illius exitus, à qua nō parū metuebamus, modò ne caudā aliā trahat in posterū. Eodē die ad supplicē libellū nostrorū responsum est à Rege, nos auditū iri, aduersarios etiā iudices nobis nō cessuros: nō deest tamē quod nos adhuc impeditos teneat, vt absolutū respō. nō obtinuerim⁹: quod tamē in audiētia publica soleniter nobis datū iri audim⁹. Saltē breuis & optati exit⁹ spes nō deest. Post cœnā, adeóq; sub nonā vocatus in cubiculū Nauarreni, pręter illū ex insperato offendi ibidē Reginā matrē, Cōdensem, Stampēsem, Borboniū & Lotharenū Cardinales, Cursoliam cū altera quadā. Sic ferè interceptus, mihi tamē Dei beneficio nō defui, quin Reginæ causam aduētus mei studiúmq; in patriā propēsum significarē: quod illa perhumano isto respōso accepit. Maximæ sibi lætitiæ futurū, si reipsa hoc ita cōstaret, vnde regno pax & quies procuraretur. Tū Cardinalis Lotharenus subiecit, sibi me antè ex scriptis meis tantū cognitū fuisse, hortari autē præsentē, vt paci & cōcordiæ studerem: additis insuper his ipsis verbis, quas absens scriptis regno turbas dedissem, easdē meo aduētu fortasse sedatum iri. Hîc ego iterū de meo erga Regē & patriā secundū Deū intēto studio testatus, cùm ea sit, inquā, mea tenuitas vt tāto Regno ab illa turbæ nullę vnquā metuēdæ sint: tū verò ab eiusmodi cogitatione sēper alienissimū fuisse me, & scriptis antè abūdè docuisse, & in mutua porrò collatione patefacturū esse. Rogat me tū Regina, ecquid Gallicè scripsissem. Scripsi, inquam, trāslationē Gallicam Psalm. ac responsum quoddā ad cōfessionē Ducis Northūbrię. Occasio sermonis erat, quòd ad illā delatus essem vt auctor probrosi cuiusdā carminis, quod anno superiore per Galliā circunferebatur: quod à me nullo modo profectū esse apertè & disertè corā illa testatus sum. Rogatus de tua ætate & habitu, respōdi quod res erat. Cœpit tū Cardinalis mentionē iniicere libri cuiusdā quē Possiaci haberet, de re Sacramentaria, qui liber meū nomē præferret: in eo, inquit, legi aliquid quod mihi perabsurdū videtur, Perinde nēpe quærendū esse nunc Christū in Cœna, atq; antequā ex virginis vtero prodiisset. Præterea, inquit, in altero quodā libro tuo sic te scripsisse audio: (nam librū ipse nō vidi) nēpe quod Christus sit in Cœna sicut in Cœno. Hoc cùm Reginā & qui aderant audiētes cōmouissem, excepi, si libri ipsi corā offerrētur certi⁹ multò pro meis agniturū, si quidē mei essent. Quòd ad primā illā positionē, posse illā aliquantū absurdā videri, vti nude à Cardinali prolata esset. Spectādū igitur quid præcederet quídq; subsequeretur: quia illius positionis sensus appositus facilè cōstare posset. Quòd ad alterā verò, ita mihi nō indignā modò sed etiā blasphemā videri, vt nō modò nō extare in meis scriptis, sed neq; in alterius vlli⁹, qui doctrinā Ecclesiarū reformatarū amplecteretur affirmarē. Tū Cardinalis omissa secunda illa criminatione, vt quā impudentissimam calumniā esse liqueat, vndecunq; primū suggesta sit, illū alterū sermonē multis exagitauit, quòd Christus in Cœna perinde quærēdus esset atq; antequā ex virginis vtero prodiret. Summa orationis fuit, si res ita haberet, nihil amplius in Cœna dari nobis, quàm illis qui Christi aduētū pręcessissent: eò accedere q, caro ipsa dari nō potuisset, cùm necdū extaret. Hîc ego petij à Cardinali, Num aliqua semper Ecclesia extitisset ab orbe cōdito. Maximè inquit. Num verò, inquā, Ecclesia fuit Ecclesia propter mediatorē inter Deū & homines. Et illud admisit. Nū etiā, inquā, Christus verus Deus & homo extitit sēper ille mediator. Omnino inquit. Ergo (subintuli) cōmunicatio fideliū cū Christo nō est restringēda ad tēpus illud, quo Christus naturā suā diuinā nostræ cōiunxit: quin potius illud ipsum quod per ordinē naturæ nōdum extabat, præsens adfuit semper fidelibus virtute & efficacia: vti de Abrahamo scriptum est, vidisse illū diē D. atq; viso exultasse. Et quod est apud Paulū ad Cor. 1. 10. Patres eandē escā spiritualē edisse, eundē potū spiritualē bibisse, nēpe Christū. Et illud agnouit Cardinalis, & vicissim locum illū ex Apocalypsi suggessit appositè, Agn⁹ qui occisus est à creatione mūdi. Inde igitur ingressus sum in plenioré tractationē, vt ostēderē in quo vetus testamētum à nouo differret. Illa verò decisio, cui visus est Cardinalis acquiescere, aliā quęstionē statim peperit: Quis esset nēpe sēsus horum verborū. Hoc est corpus meum. In hoc articulo inquit, qui tanti momēti est, inter nos & vos non cōuenit. Agnosco hoc, inquā, neq; sine magno meo mœrore, quod inter nos qui Christiano nomine censemur, maior cōsensus nō sit: sed tamē quādo aliter res se habere nō potest, malo hoc ita ex te audire,

Ioan. 8. 56.

Apoc. 13. 8.

dire,quàm si in tãta sentẽtiarum repugnãtia merum consensum & conuenientiã fingi audirem.Ego sanè,inquit Cardinalis,sic pueros meæ diœcesis doceo,vt cùm rogãtur. Quid sit panis Cœnæ,respõdeãt, Esse corpus Christi.an tu hoc improbas?Imò verò,inquã,quid enim Christi verba nõ approbẽ?Sed de eo quæritur,quomodo panis vocetur corpus Christi. Quidquid enim aliquid est,nõ est tamẽ illud eodẽ modo.Ingressus in locutionũ Sacramentaliũ disquisitionẽ, audit⁹ ab illo sum quidẽ: sed cùm locũ illum proferrẽ,Petra erat Christ⁹,opposuit alterũ,Verbũ caro factum est. Sed locus ille statim illi è manib⁹ effluxit. Tandẽ igitur totũ hũc tractatũ in quatuor ista capita sũmatim ita cõferri posse subieci.Primum vt constaret de signis.Tũ de re significata.Tertiũ de cõiunctione signorũ cum re significata.Quartum de participatione tum signorum tum rei significatæ.In primo igitur non cõuenit nobis vobiscũ,quia inquã,vos nõ alia signa in Cœna statuitis,q̃ nuda accidẽtia:nos retinemus ipsã substantiã panis & vini,iuxta naturã Sacramentorum,& totã Scripturã.Tum ille. Atqui inquit, sperẽ etiã me tueri posse ipsãmet trãssubstãtiationẽ,sed poterat illa tamẽ omitti à Theologis:& ipse quidẽ propter transubstã.Ecclesias scindi nolue rim.Ad secundũ verò,nõ ponimus inquã,pro re significata in Sacramẽtis,ipsũ tãtùm meritũ passionis Christi,sed ipsissimũ corpus cruci affixũ,sãguinẽ ipsissimũ in cruce effusum pro nobis.In summa Christus ipsemet verus De⁹ & homo nobis significatur p̃ illa signa, vt attollamus corda nostra ad illum contẽplandum spiritualiter fide in cœlis vbi nũc est: atq; ita cõmunicemus cum omnib⁹ ipsius bonis ac thesauris in vitã æternã: idq; tã verè támq; certò,quã vertũ ac certum est,nos naturaliter videre,accipere,edere, bibere signa illa quę videntur à nobis & sunt corporea.Acquieuit & huic doctrinæ Card.addito,valde gaudere se quòd ita nos sentire audiret,cùm aliũ esse sensum nostrum ipse accepisset. Ad tertium deinde:agnoscimus inquã,magnũ esse discrimen inter aquã cõmunem &aquam Baptismi:inter etiã panẽ cõmunem & vinum cõmunẽ & panẽ ac vinum Cœnæ.Aquam enim Baptismi,panẽ etiã ac vinum Cœnæ D. signa esse ac testimonia visibilia corporis & sanguinis D.sed nos hoc ita exaudire,vt mutationẽ ipsam nõ statuamus in ipsa signorum substãtia,quæ in sese semper integra maneat: sed in eo demum , quod illa signa ad alium vsum referãtur,quã qui naturalis sit,&ad solũ vsũ corporis pertineat, ex quo enim Sacramenta fiunt,tum nobis representare illud quod nutriat spiritualiter. Porrò nos mutationẽ illã Sacramentalẽ acceptã non ferre aut certis verbis prolatis & cõceptis , aut concipientis intentioni:sed vnius Dei virtuti & potẽtiæ,cuius voluntas & institutio nobis verbo ipsius cõstet.Cùm igitur res ipsa significata tam verè nobis offeratur & cõferatur à D. quàm signa ipsa visibilia,eo respectu demum accipiendã agnoscendãq; esse signorũ cum re significata cõiunctionẽ, nõ autẽ alio modo. Proinde corpus & sãguinẽ Christi,quatenus verè nobis dantur & cõmmunicantur,verè in Cœnæ vsu adesse : non vt existimẽtur esse sub vel in vel cũ pane aut alibi vspiã,quã in cœlo vbi ascẽdit Christus, vt illic resideat quod ad naturam humanam ipsius attinet , donec redeat iudicaturus viuos & mortuos. Hìc etiã Cardinalis testatus iterum nõ vrgere se transubst.respõdit,Christum verè in cœlo quærẽdum esse,interiectis simul quibusdã de locali præsentia & de quorundã Germanorum sententia: sed illud totum ita cõplectebatur, vt satis ostenderet penitus se non tenere quid hoc rei esset.Agnoscebat enim se aliis studiis tẽpus impendisse.Inde mihi oblata occasione,agnosco inquã, nobis non conuenire cum Germanis quibusdã in tertio isto capite de ratione cõiunctionis signorũ cum re significata:sed tamen Dei beneficio cõsentimus tum in transsubst.reiectione,& quæ eã cõsequuntur ,tũ agnoscimus omnes veram cõmunicationẽ corporis & sanguinis D. An verò inquit Card.profitemini nos cõmunicare realiter & substãtialiter vero Christi corpori & sanguini. Illud est inquã , vltimũ caput quod mihi attingendũ est.In summa igitur dicimus,naturaliter percipi manu,edi,bibi signa visibilia:quòd ad rẽ significatã, corpus nẽpe & sanguinẽ Christi , omnibus quidẽ offerri,sed non posse percipi,nisi spiritualiter & fide,non manu,nõ ore.Tam certã esse verò illã cõmunicationẽ,vt non magis certa sint ipsa illa signa quæ manibus palpamus: quãuis arcanum istius cõmunicationis & efficacitatis Spiritus sancti & fidei nostræ incõprehensibile sit mẽtibus ac sensibus nostris. Tandẽ Cardinalis, ego, inquit, sum rudis in istis tractãdis,tu tamẽ audisti quid vellẽ.Et tu ex me perinde respõdi,quæ tibi satisfacere debeãt. In summa enim sic colligo,panis est corpus Christi Sacramentaliter, id est, quamuis corpus illud hodie sit in cœlo nec alibi,signa verò nobiscũ in terra:tam verè tamen nobis dari,& à nobis percipi corpus ipsum per fidẽ, idq; in vitam æternam propter Dei promissionẽ,quàm verè signum naturaliter nobis in manus porrigitur. Sic credo Domina, inquit

ille ad Reginã conuersus,hoc mihi satisfacit. Tũ ego ad illã.En ergo miseros illos Sacramẽtarios tãdiu vexatos & omnib⁹ calũnijs oppressos. Audis ne,inquit illa,D.Cardinalis, nõ aliã esse Sacramẽtariorũ opinionẽ,q̃ eam ipsam quam nunc ipse approbasti? Atq; hîc nonnulla interiecta sunt de vnione & cõciliatione. Hic demũ Regina & qui aderant iocẽ inde receperunt.Card.porrò mihi gratulabũdus,D.Beza,inquit,(ipsissima enim illius verba proferã) valde gauisus sum,q; te viderim & audierim. Adiuro te in Dei nomine,vt intelligã rationes tuas,ac tu etiã meas.Et reperies me nõ tã nigrũ esse,quã me quidã faciãt. Ego verò gratiis illi actis eo nomine,petij vicissim, vt in hac cõciliationis ratione pergeret: neq; me ei rei tã sanctæ támq; necessariæ pro donis à Deo in me collatis defuturũ.Sic valde serò discessũ est cũ optima spe quâdã, nisi q; D. Cursolia quasi præsagiẽs quid crastino accideret, prehensa Cardinalis manu ita illum etiam apertè (nosti mulieris ingenium) palàm accepit. Hodie, inquit, Vir bonus,Cras verò quid? Sic nempe accidit.Sparsus est enim rumor non per aulã modò,sed Possiacum vsque,& vlterius, Cardinalẽ conuertisse Bezam ad fidem Catholicam, atque induxisse ad palinodam,& ad agnoscedum augustum illud altaris Sacramentum, cum aliis eiuscemodi absurdissimis, quæ longè latéque disseminata sunt. Illa verò mendacia vel ipsius Reginæ testimonio confutata & tantorũ Principum, qui contrarium prorsus ipsimet audierant,tandem per se ita conciderunt,vt certam auctoribus suis impudentiæ notã inustã relinquerẽt.En quis exitus fuerit vespertini illius occursus. A te verò peto mi pater,vt quod hîc ita prolixè & incondité ad te scribo mihi cõdones.Senatui imprimis, ac etiã fratribus plurimã salutẽ adscribo.Cũ verò D. placuerit isto tam infirmo & inutili instrumẽto,meipso nẽpe vti ad tantũ opus,cõfido neque mihi preces tuas,neq; consiliũ à quibus vnicè post Deũ pendeo defutura.D. te confirmet,benedicat tibi,téq; magis ac magis sustineat.Ex Sãgermano.25. Aug.sub vesperã. M. D. LXI.

Filius in Domino addictissimus tibi Th.Beza.

CALVINVS N. S. D.

NE me vnius tantùm hominis mors simplici luctu affligeret, Varennium meum triduo pòst sequutus est Antesignanus.De vita Baduelli nulla spes residua est.Heri Quæstoris nostri vxor dum fœliciter peperisse visa est, repẽte ex neruorum cõuulsionibus est mortua. Nicolaum Igneum, vt plura funera accumulẽ,catarrhus intra nouem horas suffocauit.Aliquid solatij, quòd Beraldus paulatim cum vxore puerpera cõualescit.Propè immaturo partu extincta fuit: nũc tamen fœtu saluo,vires colligit. Quòd nuper rogaui,vt alter è duobus vestris collegis rediret, quàm celerrimè fieri poterit, curate.Si integrum esset Gallasio, & quidem Ecclesia cui præest,incolumi,nobis restitui,vellemus. Verùm re incerta quiescendum censuimus.Tempus docebit quid rectum sit ac vtile.Cæterum ne te amicitia Lothoringi cautũ nimis reddat: te in tempore admoneo, me quoque esse fratrem Ferrariensis. Nam quum me hîc ante annos tredecim amplecteretur, promisit se mihi semper fore optimum fratrem.Caue igitur ne in me superbias, quia facultas retaliandi in manu esset: præsertim quum Legatus omnes Cardinales superet. Vale optime & integerrime frater. Dominus tibi adsit, te gubernet,tueatur,donis omnibus locupletet, instruat ad omnes pugnas, cõtra insidias prudentia, contra terrores fortitudine muniat. Salutem plurimam fratribus nostris precor.Salutant te fratres & amici. Iterum vale. III.Nonas Septem. M. D. LXI.

IO. CALVINVS N. S. D.

HEri tuæ mihi redditæ sunt quas penultima Augusti scripseras. Dum alij nos iucundis rumoribus tam liberaliter pascunt, mirum nisi te eius parsimoniæ pudeat,quæ nos propè ieiunos relinquit. Si multis cupias satisfacere, profice in schola in qua nomen tuum ita celebratur,& discè paulò audaciùs mentiri.Cùm enim mirifica alij narrẽt,tu solus vix mediocrem nobis spem ostendi. Sed nunc extra iocum : memineris te mihi scribere, qui nihil malo,quàm simplici relatu in rẽ præsentẽ deduci.Quidquid alij sentiãt, semel mihi persuasi euanidũ esse, quidquid de Colloquio iactatur.Crede mihi, nunquã venient Episcopi ad seriã disputationẽ.Nec tamen dubito esse inter eos qui bene cupiant & sperent.Verùm qui gubernacula tenent,redigentur potiùs ad extrema,quàm sustineant hoc modo se in ordinem cogi. Itaque quos secum Theologos trahit Legatus in magna caterua,& qui ab Hispania venerunt,productum iri in theatrum arbitror, vt qui olim fercula in pompa gestabant. Denique si mihi credis,Colloquij nulla te cura tanget. Si liberum illis esset conditiones dare,aliqua fortè esset vmbratilis velitatio.Nũc cùm videant leges sibi imponi,palàm omne

certamen

certamen detrectabunt. Inflabit etiam spiritus eorum aduentus Legati: cuius terrores si discussi fuerint, vt confido, prorsus actum est. Antè quàm ad te perueniãt hæ literæ, audita erũt tonitrua. Fulmen, nisi admodum fallor, non vibrabit, sed atrociter minabitur antè quàm discedat. Hoc erit viuum examen. Quòd si fallendi causa se ad certamen offerant Episcopi, iam habetis P. Martyrem: quem ex dierum supputatione tẽpestiuè appulisse colligo. De me ne verbum faceres quanquam vehementer te rogaui, nõ desinis tamen, vt video, aliquid tentare: quod meo iudicio non expedit. Ac mihi data opera aditum præcludere volui mea in Danielem Præfatione: nõ quòd me pigeat laboris, aut vlla pericula defugiam: sed quia vbi adsunt satis idonei & probè instructi, nõ magnum præsentiæ meæ vsum arbitror. Et certè omnes, te & Merlino exceptis, satis sunt animosi. De conditionibus quid sentirem, non scripsi, partim quia putabam serum fore cõsilium re iam trãsacta, partim quia mihi summopere placebat vobis concedi quod fratres nostri postulauerãt. Ego tamen si fuissem eorum loco, veritus fuissem tã duras leges præscribere. De successu gratulor aliqua ex parte: finem auidè expecto. Existimo te memoria tenere quid tibi prædixerim, non esse metuendum, quin maximo cum illorum probro è conclaui in quo delitescunt ad vos erumperet præclara victoria, quamuis è sublimi vos despicerẽt. Ideo cauendum esse, ne si in æquo iure tuendo essetis nimium pertinaces, culpa in vos reiiceretur. Aug. Confessio, vt scis, fax est vestræ furiæ ad excitandum incendium, quo conflagret tota Gallia. Sed quærendum est quorsum obtrudatur: cùm semper eius mollities cordatis displicuerit, auctorem eius pœnituerit, & in plærisque locis accõmodata sit ad peculiarẽ vsum Germanię. Omitto quod eius breuitas & obscura, & prẽteritis quibusdam maximi momenti capitibus mutila est. Cæterum absurdũ esset, neglecta Cõfessione Gallorum, illam arripere. Quid quòd in futurum tempus paratur hoc modo dimicãdi materia? quia nunquam maior pars à Cõfessione semel recepta discedet. Perinde nunc disputo, acsi syncerè Confessionẽ illã amplecterentur Cardinalis & eius asseclæ. Sed insidiæ vobis tẽduntur, vt discussa præsenti actione omnia conturbent. In eum finem editus fuit libellus Basileæ: cuius auctorem suspicor Balduinum, & penè pro certo habeo. Nebulonem excipere cuperem pro merito: sed priuatis literis obruor: & si quid alacritatis restabat, elãguit. Pergam tamen quoad licebit. Audio etiam nescio quod σύνταγμα Lutetiæ fuisse excusum, de historiæ coniunctione cum Iurisprudentia: vbi odiosè perstringeris. Nunc cùm suo Cassandro venenum aliquod coquere dicitur. Iã vobis curæ fuisse arbitror, vt vestro subsidio leuaremur. Si cessatum fuit, properet, quisquis vẽturus est. Vale integerrime frater, cum tota cohorte. Dominus vos Spiritu prudentiæ & fortitudinis gubernet, tueatur, & benedicat labores vestros. Collegæ nostri plurimũ vobis omnibus salutẽ precantur. Amici etiam quos recẽsere lõgum esset. Vtinam vnus quem mihi mors eripuit, esset in numero. x. Septemb. M. D. LXI.

Nota

Augustana confessio qualis est

CAL. BEZAE.

VÒd binæ simul literę tibi redditæ sunt, causam moræ vides fuisse in pigritia amici qui curam hanc suscepit. Certè cùm tertio quoque die nuntij sint ad manum, culpam eluere non potest, quin differendo in nonum diem officij sui fuerit oblitus. Quæcunque de præclara actione scribis, aliunde iam innotuerant. Longè tamen gratius fuit rem quasi ante oculos positam perspicere, & fieri testimonio tuo certiores, quàm narrationes aliorum audire, qui vt plurimùm suo ornatu historiæ synceritatem corrumpunt. Fœliciſſimus dies ille, quo parta fuit Ecclesiis libertas, quam concedere necesse erit, difficilimum verò eripere. Oratio tua apud nos est, in qua Deus mirificè mentem & linguam tuam gubernauit. Quòd bilem cõmouit sanctis Patribus omnino testatum oportuit, nisi turpiter velles tergiuersari, ac te obiicere eorum probris, quos miror ea tantùm de causa tumultuatos esse cùm aliis locis non minùs grauiter vulnerati essent. Hac verò offensione abruptum fuisse Colloquium stultè iactatur. Reperissent enim centum alias, qui nunc vna mordicus arrepta, quodammodo reliquæ doctrinæ subscribunt. Ergo & hoc fœliciter cedidit. Acanthium nomen Christo ingenuè palámque dedisse gaudeo: quem propriis literis hortor ad pergendum. Expecto quàm dextrè suos centones contexuerit Lotharingus. Etsi verò finẽ velitationi impositum esse coniicio, serium certamen nullum fore arbitror. Etsi autẽ admonui ne propere missionẽ peteres, iucundũ tamen officium mihi præstabit Legatus, si te breui expediat. Verè reliquias amicorum nominas: quia in residua copia mihi ferè solus videor. Collegæ nostri omnes te plurimùm salutant. Vale integerrime frater. D. te semper gubernet, inui-

cta constantia & virtute confirmet, tibi adsit in sanctis laboribus, saluũque & in columem tueatur. Tuos omnes comites salutare cupio. Quoties supra dies decem silebis, quod nũc rursus factum est, pigrum te esse dicam. XXIIII. Septemb. M. D. LXI.

Beza Calvino S. D.

EX quo ad te scripsi, nihil ferè noui incidit, quod non possis ex aliis copiosius intelligere. Nam quia domi nos continemus, nihil istorum nisi ex aliorũ sermonibus accipimus. Ego quotidie conciones habui in Principis ædibus, tanto hominũ concursu, vt penè opprimeremur. Heri N. cum Pr. & A. expeditis equis obuiã ierũt Reginæ Nauarrenæ, quam intra triduũ auidissimè expectamus, vt torpentes excitet. De nostro negotio nondum audiuimus quid sit constitutum, id est, quando & quibus conditionibus simus audiendi. Aduersarios alij aiunt esse ad disputationem paratos, alij negant. Nos interea Deum precamur assiduè, vt, quantùm fieri potest, ad omnem occasionem simus intenti. Et profectò inanes non erunt absentis preces, quandoquidem eò sum redactus, vt tam necessario tempore frui præsente non possum. Si Martyr noster venerit in tẽpore, id est, si valde festinarit, magnopere nos recreabit ipsius aduentus. Erit enim nobis negotium cum veteranis sophistis: & quamuis confidamus fore, vt vincat simplex verbi veritas, tamen non cuiusuis est illorum strophas statim diluere, & Patrum dicta regerere: & ita illis respondendum erit, vt simul circunstanti Principum & aliorum Ordinum coronæ appareat, nos nullo modo tergiuersari. Denique quum in istas difficultates intueor, valde sum anxius, & magnopere in eo peccatum conqueror, quòd neglectis excellentibus Dei organis, quodammodo videamur eius bonitatem tentare. Interea tamen decreuimus pedem non referre, & in eo confidimus qui nobis sapientiam promisit, cui mundus resistere non possit. Ex Episcopis audimus nonnullos nobis iniquos nõ fore. De quibusdam Theologis idẽ nobis pollicemur, sed enim fortasse nobiscum non committentur. Card. fortiter iactat me primo statim congressu à se superatum, sed à grauissimis testibus refellitur. Augustanam confessionem habet in ore, de qua etiam seorsim rogatus à Doctore Botellerio, an eam possemus admittere, planè respõdi nõ posse in quibusdam, nisi plana & perspicua addita interpretatione. Si non vrserimus, tergiuersari videbimur & cõgressum defugere: vel, si quid remiserimus, videndũ ne præcipites eò ruamus, vnde non possimus nos extricare. Denique, mi pater, quandoquidem præsens nondum potes, absens, vt pueros & consiliis & modis omnibus nos regito. Nos verò planè pueros esse quotidie video & sentio, ex quorum ore vtinã Dominus ille noster admirabilis sapientiæ suæ laudem perficiat. Bene vale, mi obseruande pater, vnà cum fratribus & amicis omnibus, quos vnà tecum cupio magis ac magis à Domino benedici & incolumes conseruari. Iterum vale. Priuilegium Psalmorum breui me habiturum spero, quod statim istuc mittam. Totus fratrum cœtus te salutat, id est, Marlor. Merl. Colon. Virellus. Galas. Ex Sangermano, xxx. August.

Tuus B.

Beza Calvino S. D.

SEnãs minimùm literas ad te dedi, neque vnquam prætermisi instam scribendi occasionem. Si quæ sunt interceptæ, accidit præter expectationem. Omnes enim fidis amicis cõmisi, qui per expeditiss. curarẽt perferẽdas, quoniam hęc via mihi semper visa est tutissima & breuissima. Neq; dubito, quin iam acceperis, quæ ad te scripsi de duabus primis nostris actionibus. Iã accipe cætera. Post splendidam illam nostri purpurati orationem, quam nulla ratione potuimus obtinere, totos nouem dies consumi nobis inuitis oportuit, vt de agendis rebus statueretur. Quàm multa, & quàm varia nobis hîc occurrerint, aliquando, vt spero, cognosces. Certè nullum non lapidem mouerunt illi, vt cœlum terræ miscerent: sed Dominus mirificè nobis adfuit. Tandem igitur vigesimoquarto die huius mensis, licuit nobis respondere ad duo capita quæ ille proposuerat, de Ecclesia nimirum, & de Cœna Domini. Disserui ad sesquihoram, magna omnium attentione, ac ne mireris nos esse

esse tam verbosos, scito nos studio id facere, quoniam ex hoc colloquio nullum maiorem fructum speramus, quàm vt cognita ac perspecta nostra causa, qui per ignorantiam nos damnabant, saltem æquiores nobis fiant: neque est, Dei gratia, cur nos laboris pœniteat. Orationem meam excepit conductitius Balaam, qui tibi aliquando ducatum obtulit, vt chartam & pennas tibi comparares. Præfatus est, sibi nunquam placuisse seueritatem, qua nonnulli in nos vsi essent, & hoc quidem prorsus ineptè: quia neque conquesti eramus, neque quemquam poterat videri magis accusare, quàm eum ipsum, cui accesserat aduocatus. Postea fassus est se mihi assentiri de iis quæ de Ecclesia disseruissem, tanta vis est veritatis: & certè, quantùm postea intelligi potuit ex eorum etiam Procerum sermone, qui nobis alioqui minimè fauebant, vix eum tulissent apertè à nobis dissentientem. Tandem tamen dixit sibi non satisfactum in nostræ vocationis explicatione, quam modis omnibus exagitauit, cùm ego nihil nisi in genere & θετικῶς dixissem: & de hypothesi hoc vnum addidissem, si vellent ipsi, quod minimè optaremus, ad nos ista transferre quæ de vocatione dixeram, paratos esse nos & vocationem nostram, & nostras Ecclesias ex Dei verbo tueri, sed rogare vt ad nostræ doctrinæ disceptationem potius descenderent. Obiecit ergo suspectas esse vocationes extraordinarias, nisi miraculis vel prophetiis expressis probarentur. Obiter etiam perstrinxit quædam quæ παρέργως adduxeram de Paphnutio, & ex Tertulliano, & suo more multa verba consumpsit in citandis historiis & testimoniis, vt omnia edidicisse videretur. Quum vellem respõdere, ecce infacetissimus cucullio prodit, qui nos cum Anabaptistis compararet. Addidit vulgata testimonia de traditionibus & consuetudinibus. Tandem adiecit blasphemiam, scriptum fuisse verbum præter Dei consilium, & eludens certa testimonia Chrysostomi & Basilij, quæ citaram, hortatus est, vt semel atque iterum legerem Patrum testimonia quę proferrẽ. Hæc ferè sesquihorã abstulerũt. Tum ego præfatus nõ esse hanc legitimam agendi rationem, cùm neque certis argumentis ageretur, neque libri, neque notarij adessent, & tam confusè prolixéque propositis rationibus vix posset sigillatim respondere: tamen summam rationum complexus, dixi quæ sufficere arbitrabar. Monacho quoque paucis respõdi, & ita quidem vt eo ipso die testatus sit ipsius magister, nunquam posthac eum proditurum in lucem. Excepit rursus Balaam, quæ voluit: postea, cùm de industria nihil dixissem de Cœna Domini (quoniam sciebam quid illi captarent) ille idem multa garrire cœpit de pace & cõcordia, & cùm diuersas quæstiones imperitissimè confunderet, scio, inquit, fore vt à voce substantialiter non abhorreatis, si vobis produxero magni cuiusdam viri testimoniũ. Deinde suppresso tuo nomine tua loca mutilata ex vltimo tuo in Heshusium libello recitauit. Ego sum interfatus me agnoscere præceptoris verba. Quum responsum pararẽ non passus est purpuratus αὐτοκράτωρ (sed nonnisi inter suos, idque admodum ægrè imperium suum retinens) & de traditionum auctoritate præfatus ad Cœnam descẽdit, ac tandem aliquot chartas proferens, ecce, inquit, quæ recèns accepi ex Germania, partim à Palatinis, partim ab alio Principe, quibus subscripserunt 42. Ministri, tibi ipsi Beza, vt opinor non ignoti. An & vos illis atque adeò præceptori vestro non subscribetis? facite hoc obsecro. Nam alioqui nulla coniunctionis spes est. Subscribite, inquã, alioqui colloqui non possumus. Nec tamen postulo, vt omnia comprobetis. Scio enim vos nunquã id facturos. Tantùm particulam habete & subscribite, vt sit concordiæ initium: deinde pauca quædam planè Brentiana recitauit. Ad hæc ego vicissim Reginam precari, vt potius de cõfessione nostra dispiceretur, quam ipsa à nobis accepisset, vtque legitima collatio institueretur. Nõ rectè fieri à Cœna Domini initium, cùm tam multa præire oporteret Sacramentorum tractationi. Denique rogaui Cardinalem, an ipse vellet iis subscribere, quæ nobis exhiberet, quòd alioqui nullus esset nostræ subscriptionis fructus futurus. Ibi deprehensus ille tergiuersari, sed in summa dicere fieri nõ posse, quin abrumperetur spes omnis cõcordiæ, nisi subscriberemus. Nox instabat, omnes vrgebãt vt paci cõsuleremus, alij quidem per simplicitatem, alij ex composito. Itaque nõ potuimus alia ratione elabi, quàm si testaremur nihil nos habere secundum veritatem antiquius regni pace, & scriptum illud cum tuo libro nobis tradi peteremus, vt postero die daremus responsum, cuiusmodi ferre conscientia nostra posset. Ita igitur discessum est, illis quidem, suo more, victoriam sibi promittentibus, nobis verò, Dei gratia, & verbis & vultu testantibus eam fiduciam, qua consueuit Dominus noster seruos suos implere.

Postridie quum nos ad iter accingeremus, nobis nuntiatum fuit dilatum esse collo-

quium in alterum diem,qui hesternus fuit, quod etsi initiò molestè tulimus, tamen sensimus Dei prouidentia factum.Fuimus enim ab amicis, quos & multos & fidos ac constantes Dei beneficio habemus, de multis rebus admoniti, quas etsi coniecturis non erat difficile consequi,tamen gratum fuit certis testimoniis confirmari, vt firmum consilium caperemus.Consilium Cardinalis erat,si differremus subscriptionem, colloquij statim abrumpendi culpam in nos maxima cum omnium ordinum inuidia transferre:si nos apertè negaremus subscripturos, statim vniuersam Germaniam in nos concitare, quasi paratus ipse fuerit Augustanam confessionem saltem aliqua ex parte concordiæ causa recipere:sin verò subscriberemus, postea vel nobis eiectis ab Ecclesiis, quas prodidissemus, vel sciissis nostris in diuersas partes,triumphare.Has technas ita euasimus. Quum eò ventum esset,grauissimam querelam ex scripto recitaui,vt si fortè abruptum esset colloquium,nos extra culpam esse constaret. Ostendimus nos non ad dicendum causam coram aduersariis,sed ad reddendam ex Dei verbo rationem nostræ fidei corã toto mundo:neque ad subscribẽdum quod illis liberet, sed ad pacificã collocutionem veniisse. Satis apparere nihil aliud illos captare quàm subterfugia, promisisse Cardinalem,se nobis ex verbo Dei & orthodoxis Patribus,qui proximis à Christo quingẽtis annis vixissent,sua probaturum,nostra confutaturum. Eundem verò nunc nobis pro collatione ista damnationem præscribere,nisi suis placitis subscriberemus:nec tamen nobis constare an hoc ipse sua vnius auctoritate, an verò omnibus Collegis approbãtibus faceret.Præterea quàm iniquũ esse,nõ de nostris cõtrouersiis sed de alienis quæri, quasi isti inter nos & Germanos arbitri sederent. Quòd si illis placeret illud quorundam Theologorum scriptum,quod nobis tradiderant, age subscriberent ipsi non mutilatis propositionibus,sed toti Augustanæ confessioni: quòd si facerent, tum verò nos non procul abfore à concordia,vnico excepto articulo, de quo parati essemus sanctè & amicè colloqui.Sin autem id ipsi facere recusarent, iniquè à nobis peti, vt iis subscribamus, quæ ne ipsi quidem probent. Cæterum quod ad quæstionem de nostra vocatione attineret, satis illam nobis defensam videri, nec recusare quin suo loco iterum de illa quæratur ad satietatem vsque. Sed imprimis de doctrina ipsa agendum fuisse, & quidẽ certo ordine,si disputatio legitima quæreretur. Nos igitur petere à Regina & omnibus Principibus,vt vel audiremur,vel si abrumperetur colloquium, nos excusatos haberẽt.

Subiecimus deinde breuem & perspicuam confessionem de Cœna Domini, ne calumniarentur nos extra oleas vagari: quæ si non satisfaceret, iustam & plenam disceptationem petiimus.Quid si verò,inquam, de vestra vocatione quæratur? vbi illa doctrinę & morum inquisitio,vbi electio,vbi iusta ordinatio,imò quomodo vos à Simonia excusabitis? Conclusio fuit, vel vt confessionem à nobis exhibitam oppugnarent, vel suam traderent à nobis oppugnandam: sin minus, nos esse officio nostro defunctos, & Regni concordiæ omnem nostram operam,atque adeò nos ipsos ex animo consecrare. Ad hęc Cardinalis æstuans,vt qui nihil eiusmodi de nobis per suos exploratores cognouisset, ex tempore tamen satis disertè in tam mala causa respondit. Nos ipsos causam præbuisse quæstioni de nostra vocatione:Iure se cum suis cõqueri de iis, qui in suos greges inuasissent:non posse nos melius ostendere quàm simus à pace alieni, quàm duos simul conuellendo Gallici Regni cardines, Ecclesiasticam videlicet & Regiam auctoritatem: deinde in hunc campum ingressus,tentauit modis omnibus non aliter quàm publicos hostes obiicere statim ad supplicium trahendos,perinde acsi Regem ac ipsius maiores dixissem tyrannicè Ecclesiam Dei populatos. Postea de suo statu multa prædicare,nescire nos quales essent Episcoporum ordinationes,in quibus nihil vetusti moris prætermitteretur.Tandem ad quæstionem de Cœna Domini delapsus, vertit sese in omnes facies vt ostenderet se,quod feciisset de subscriptione, pacis studio feciisse, cuius spem omnem re ipsa præcideremus.

Ad hæc quoq; ego ex tẽpore ita me puto respõdisse, Dei beneficio,vt & Reginę & Proceribus certò sciam defensionem meã multò magis, quàm illius accusationẽ placuisse.

Tum verò noster Balaã multa partim ex antè habita disputatione iterũ odiosè repetere,multa inuoluere,deniq; multa dicẽdo nihil dicere. At noster Martyr tum primùm loqui exorsus Italico sermone,vt à Regina intelligi posset, rem totam ab ouo vsque explicauit,& vel inuitos ad rem ipsam descendere coegit.Respondit Balaam, & testimonia vicissim suo more coaceruauit, vt tropũ negaret in Cœnæ verbis subesse.Dum hęc geruntur,ecce prodit Iesuita Hispanus, Catholicæ Ecclesiæ columen. Alloquutus est

Reginam

Reginam hora ferme integra, ſed ita ineptè, ita ſtultè, vt nemo poſſet riſum continere, quum ille hiſtrio inter cætera in extremo fabulæ actu lacrymaretur. Rogabat in ſumma Reginam, ne audiret hæreticos toties damnatos, ſed ad concilium relegaret, crepans illud, Tu es Petrus, &, rogaui pro te Petre. Diſputauit poſtea de corpore ſine dimenſione, & Euchariſtiam docuit eſſe inſtar ludicræ pugnæ, in qua Rex ipſe intereſſet. Tum ego, petita à Regina venia paucis dixi me Hiſpano illi omnia concedere, quæ dixiſſet, ſi probaret. Quòd nos vulpes, & ſerpentes, & ſimias diceret, non magis nos credere, quàm tranſſubſtantiationem. Satis illam pro ſua prudentia intelligere quid iſti ſit credendum, qui Cœnam Domini pro fabula, Chriſtum pro hiſtrione haberet. Deinde quum aduerſus Balaamum agere cœpiſſem, ecce nouus hoſtis prodit ſophiſta quidam Sorbonicus planè confidens, qui primo loco me docuit, quid eſſet pronomen, quæ propoſitio identica, &, adſtipulante ac pertinaciſſimè conſentiente Cardinali, docuit per pronomen (hoc) non deſignari panem, ſed vagum, quod vocant, indiuiduũ. Quàm multis, & quàm planis argumẽtis abſurdũ hoc cõmẽtum potuerit dilui, quis ignorat? Sed tamẽ nunquã potuit Sophiſtæ perſuaderi, vt ſe victum fateretur. Itaq; cùm iam penè nox eſſet, omnes vtrinque aſſurrexerunt. Ibi me Regina in medium cum Cardinali aduocat, & per Deum obteſtatur, vt pacis rationẽ ineamus. Confluit cætera turba. Iterum inſtauratur diſputatio, ſed omnibus tumultuoſè perſtrepentibus. Tandem igitur nox clamoribus finem impoſuit. Aiunt nos intra triduum reuerſuros: ſed niſi certus ordo inſtituatur, quorſum iſtos labores? Itaque nunc toti in eo ſumus. Heſterno tamen die ſumus duo præclara conſequuti. Fregimus enim illorum conſilia, & certò ſcimus nos obtinuiſſe, vt & noſtros firmiores etiam quàm anteà, & eos qui nobis erant infenſiſſimi, multò habeamus æquiores. Habes duorum dierum actionem. Vtinam vel iſto labore breui defungar, vel alius mihi ſubſtitui poſſit, quò vobis iniquiſſimo onere preſſis poſſim aliquando, vt antea, ſubuenire. Nam mihi crede hîc mihi ſordẽt omnia præ chariſſima mea Geneua, cuius vnius memoria reficior. Erã aliqua præterea ſcripturus, ſed ita ſum defeſſus, vt prorſus cogar in craſtinum diem cætera differre. Bene vale, mi plurimùm obſeruande pater, vnà cum cæteris fratribus & amicis, quos vtinam Dominus ſaluos & incolumes conſeruet, ac modis omnibus tueatur. Ex Sangermano, XXVII. Septembris. M. D. LXI.

Io. Calvinvs D. Ioannı Acanthio.

VLtimis tuis breuiter reſponderam: quia ſperabam te huc propediem venturum. Nunc verò hac ſpe me fuiſſe deceptum apprimè gaudeo: tibíque ex animo gratulor, eò te fuiſſe ſponte conuerſum, quò cunctantem impellere modis omnibus fuiſſem conatus. Omnino ſic agendum fuit, vt temporis præteriti moram, & tarditatem ex piorum omnium animis deleres: quia niſi in tanta certandi opportunitate apparuiſſes inter Chriſti athletas, communi omnium iudicio, vel aſtutiæ, vel ignauiæ damnatus eſſes. Nunc tuæ ſynceritatis ſpecimen dediſti, quo ſatis ſupérque purgata eſt ſiniſtra omnis ſuſpicio. Nec dubito quin maxima eorum lætitia fueris exceptus, qui tibi minimè parcebant, quantiſper tergiuerſari viſus es. Supereſt vt ab hoc conflictu ad continuam militiam te accingas: multíſque moleſtiis ac laboribus ſubeundis, qui manent veros Chriſti ſeruos, ſtrenuè te compares. Etſi enim quamprimùm te videre optabam, mihi tamen gratius erit Eccleſiam, quæ tãta penuria laborat, tuo ſubſidio iuuari, & ex tua opera præſentem fructum maturius colligere, quàm ſi huc te contuliſſes. Vale eximie vir, & mihi ex animo dilecte & colende frater. Dominus te Spiritu ſuo ſemper gubernet, virtute ſuſtineat ac tueatur. XXIIII. Septembris. M. D. LXI.

Io. Cal. Bezae.

HOdie literas tuas accepi, die ſcilicet noſtro, vberrimas, & peræquè ſuaues. Vnde cognoſces in dolore articulari adhuc me deliciis vacare. Non ſemper tantùm otij fuit, toto enim biduo paſſus ſum acerrimos cruciatus in pede dextro. Cœpit morbus mitigari quidem nudiuſtertius: ſed non ita remiſit, quin pedem teneat deuinctum. Atque vt ſcias me nihil fingere, odor

olei mihi propè est amabilis, quamuis sępe nauseam citet. Ita nõ est cur aulicis tuis lautitiis inuideam bene & pinguiter vnctus. Crede mihi, iocandò non ita me oblecto, vt tibi abstergere cupio omnẽ molestiã: ne si fortè obscurus rumor ad te aliũde perueniat, anxietatem aliquam cõcipias. Video enim, nisi te mirabiliter sustineret Deus, non esse tibi vigorem decimæ parti ferendæ. Tu post dimidiam noctem mihi respondes. Ego ex lecto post horam septimam, dum commodè licet. Ita prouidi sunt senes podagrici. Sed extra iocum: nullis verbis exprimere queo, quàm mihi iucundæ fuerint tuæ literæ, quibus in rem præsentem sum adductus. Quæ etsi non omni ex parte arridet, plus tamen lætitiæ continet, quàm indignationis aut fastidij. Ter & quater benedictus sit Deus noster, qui nos videtur supra nubes attollere: vt amplexi Christi triumphantis pedes, ex alto despiciamus omnes eius hostes ac nostros. Non habeo quam tibi mercedem referã, ne si ære quidem loco auri contentus esses. Porrò vt intelligas, dum vos in æstu & arena seriò certatis, me hîc in vmbra velitari, mitto quod Balduini libello respondi. Caue ne improbes: quia dicam eiusdem te esse factionis, si cum eo sentias cui maximè displicebit. Merlinus operam non perdidit scribendo, quamuis paria cum eo non faciam: quia debitorem habet qui aufugere non potest. Fratres nostri te & reliquos plurimùm salutant. Valete iterum atque iterum omnes. Nonis Octobris. M. D. LXI.

Caluinus tuus.

Io. Calvinvs N. s. d.

VOd mecum expostulas quòd Georgium Blandratam singularem tuum amicum, & compatrem charissimum durius perstrinxerim: de hac priuata offensione facilis & prompta est excusatio, me nihil tale fuisse suspicatum. Certè nunquam diuinassem tanto in pretio apud te fore hominem nihili. Et quoniam te non minus præclara apud omnes existimatione, quàm dignitate & potentia florere cupio, mihi nõ parum dolet obliquis suis artibus ita eum obrepsisse in tuam gratiam. Si mihi credibile fuisset, hominem, cuius mihi comperta erat impietas, tibi esse familiarem, certè priuata admonitione fuissem contentus, ídque nomini tuo dedissem. Sed aliorum potius causa publicè traducendum esse censui, vt sibi omnes à peste tam noxia cauerent. Ergo præcipua indignationis causa euanuit: quia mihi nihil min⁹ fuit propositũ, quàm famã tuã obliquè lædere, quũ verba me facere putarẽ de homine vobis incognito, vel saltẽ qui nullo amicitiæ vel necessitudinis gradu te attingeret. sed tibi est amic⁹. An maiore in gradu quàm Iudas apud Christũ? Si nõ parcimus Christi discipulo, quin ob suã perfidiã omnibus fiat detestabilis, nõ plus indulgẽtię merẽtur cuiusquã amici. Sed ne tædio sit epistolæ prolixitas, breue historiæ compendiũ descripsi, ex quo facilè cognoscas, meritóne an iniustè detexerim occultum venenum, ne diutius clam grassando multos in Polonia inficeret. Neque enim odio, vel æmulatione, vel inuidia ad publicãdum obscuri hominis dedecus impulsus sum: sed quia fratres mihi charissimos silentio & dissimulatione prodere nefas esse duxi. Quòd si resipiscat, nulla in me erit mora, quin præteriti temporis memoria sepeliatur. Si autem pertinaciter contẽdit sibi factam esse iniuriam, quasnam mihi relinquit partes, nisi vt mihi sit pro obstinato hæretico? Sicuti mihi optabile est pro mea erga te obseruantia studioſè votis tuis obsequi, ita te rogatũ esse velim, vt imprimis caueas ne sibi ianuam aperiat Blãdrata ipse, vestra auctoritate adductus. Aliud remediũ non video. Sed fortasse vbi de re tota redditi fueritis certiores, mutare iudicium non pigebit. Quòd si mihi nihil tribuitis, saltem fidẽ meretur testimoniũ Italicæ Ecclesiæ, quæ apud nos est, & D. Petri Martyris. Hac de re plus satis. Toti Poloniæ, & priuatim Lithuaniæ gratulor, quòd maiores subinde illic progressus faciat purior Religio, & nouis incrementis longè latéque dilatetur Christi Regnum. Hæc etiam non pœnitenda gaudij accessio, cùm audio disciplinam cũ Euangelij professione coniungi. Et certè non immerito vocare soleo disciplinã neruos Ecclesiæ: quia vt propẽsi sunt hominũ mores ad lasciuiam, delicias, & licentiã quãlibet, nisi contineamur sub fræno, maior pars libertatis prætextu luxuriabitur & insolescet. Vnũ desidero, vt in posterũ tẽpus prospiciatur Ecclesiis, ne Pastoribus orbatę & nudatę breui intereãt. Scholę autẽ, seminaria sunt pastorũ: & aptè cẽseri possunt tanquã cœlestis doctrinę gazophylacia. Quò maior dãda est opera, vt quãplurimi instituãtur tam in

pietate,

pietate, quàm bonis literis. Hæc verò nobilissima erit vobis liberalitatis materia, vt vestro exemplo reliqui ad imitationem incitentur. Ergo vt finem faciam Deum supplicater precabor, vt te Spiritu suo gubernet, incolumem tueatur, magisque ac magis suis donis illustret ac locupletet. Geneuæ, 1 x. Octobr. M. D. LXI.

Io. Cal. Stanislao.

QVòd mihi per literas innotescere voluisti, eximie vir, vt posthac te inter amicos meos censeam, gratissimum mihi fuit: ac sicuti libenter amplector hoc beneuolentiæ tuæ studium, ita vicissim polliceor me fraterno erga te fore animo, sicuti & tua pietas & eruditio merentur: cuius vtriusque in literis illustre specimen apparet. Nam cùm omnes in Blandrata hallucinentur, tanquam eius præstigiis fascinati, vnus prudenter subolfacis non temere esse credẽdum. Sed ne coniecturis tantùm agamus, scito Valentinum Gentilem, cuius deliria breuiter refutauii, ex eadem fuisse factione: adeóque alterum Blandratam, quamuis neuter alteri cederet. Non fuisse deprehẽsas eius fraudes in Polonia, nec adhuc perspici quàm insidiosus sit & fallax, tolerabile forsan esset. Sed valde miror hominem, quem sola ostẽtatio & fastuosus vultus commendat, tanti apud vos fieri, vt quasi nouus Atlas Ecclesiam sustineat suis humeris. Certè tam inconsideratæ credulitatis nisi me puderet, gentem vestram non amarem. Cæterum ex communibus literis, quas Ecclesiis scribo, planè ad sacietatem, imò ad fastidium vsq;, perspicies quid hominis sit, vel bestiæ, vel mõstri. Vale eximie vir, & mihi ex animo colẽde frater. D. te Spiritu suo semper gubernet, sustineat inuicta virtute, & donis suis in dies locupletet. Geneuæ, v 11. Idus Octobris, M. D. LXI.

Foelix Cruciger Io. Calvino et Aliis Fratribus

Gratiam & Pacem à Deo Patre Domini nostri Iesu Christi fratres vestri, qui manent per vniuersam minorem Poloniam.

INtelleximus, viri clarissimi, & ex testibus fide dignis, & ex literis aliquorũ, quæ ad nostros ex vestris regionibus adferuntur, nostros cœtus aliquo modo istic suspicione laborare, acsi peregrinorum dogmatum, & potissimum Arianæ, Seruetianęve impietatis defensores, vt saltem fautores esse deberemus. Quæ sanè res, vbi ad nos perlata est, grauiter animos nostros percellit & sauciauit, ita vt nũc cogamur denuo in hoc articulo coram vobis fratribus amãtissimis explicare rationem fidei nostrę. Nolite igitur de nobis addubitare. Credimus & confitemur vnum Deum iuxta Canonicas Scripturas, & hunc agnoscimus & colimus ita sicuti se patefecit in tribus personis, ad illã ripam Iordanis. Credimus Patrẽ Omnipotentem, Filium ei per omnia æqualem quoad naturam, essentiam, vel Deitatem. Minorem eo tantùm, quòd cùm esset in forma Dei semetipsum exinaniuit, seu vt vno verbo complectamur, ratione officij Mediationis. Sic & in Spiritum sanctum credimus verum Deum, qui à Patre & Filio procedit. Quid multa? amplectimur reuerenter tria illa symbola, Apostolicum, Nicenum, & diui Athanasij. Nec volumus à consensu vestrarum Ecclesiarum discedere. Et abhorremus omnia dogmata noua & exotica, memores dicti: Depositum custodi ô Timothee. Hæc est fides & confessio nostra. Quòd si igitur Stancarus deinceps, aut quispiam alter nostræ famæ insidiabitur apud vos, ne credatis, per nomen Iesu vos obtestamur. Id enim vobis viris pietate & grauitate Christiana præditis congruit. Georgius Blandrata ante aliquot hebdomadas nostræ confessioni videbatur seriò subscripsisse. Cuius causam oramus vt diligenter & prudenter dispiciatis, & nos de omnibus certiores reddatis. Sed quòd attinet nostras Ecclesias, coram Deo testamur, quòd hactenus per Dei gratiam in ea fide persistimus, & persistere Deo volente cupimus, sicuti suprà recitatum est. Valete fratres in Domino perpetua obseruantia colendissimi. Datum ex magna Kxiæss. in Synodo nostra. 111. die Septembris. Anno M. D. LXI.

1. Tim. 6. 20

Io. Cal. D. Foelici Crvcigero, Eivsqve Collegis, Ecclesiarum minoris Poloniæ fidis Pastoribus & Ministris.

QVid Stancarus profecerit, quibus vos grauare tẽtauit calumniis, ex respõso nostro apparet. Nobis certè nunquam fuistis suspecti. Sed quia vobis visum est purgare, si quid conceptum esset suspicionis, libẽter confessionem à vobis scriptam amplectimur, quia eius breuitas nihil habet obscurũ vel ambiguum. Nec verò timendum fuit, ne vllis sinistris rumoribus à vobis alienaremur. Sancta igitur maneat inter nos coniunctio, eámque vltrò citróque fraterna beneuolentia colamus. Vnum tamen non dissimulo, eos qui tam humaniter Georgium Blandratam exceperũt, parum fuisse cautos & prouidos, & malè consuluisse vestræ existimationi. Magis etiam miror quosdam primarię auctoritatis viros grauiter offendi, quòd liberè hominem detexerim, vt necesse erat. Ac ne putetis temere fuisse quicquã à me creditum, historicam narrationem dictaui, quæ vos omnium certiores faceret. Tacere verò in tanto vestro discrimine fas non fuit, cùm intelligerem non modò lupum in ouile admissum fuisse, sed ouibus datum esse custodem. Nunc tamen si resipiscere in animo habeat Blandrata, re ipsa demonstret. Quòd si mihi reconciliari velit, ignoscere paratus sum, simul ac mutatum fuisse in melius cognouero. Sed profectò vobis illudit, dum se indignè traductum fuisse conqueritur. Quid? cùm scirem impiis deliriis imbutũ, an non fuisset proditorium de tanto periculo vos non commonefacere? Synceræ ergo de salute vestra solicitudinis officium præstiti, cuius nunquam me pœnitebit. Valete integerrimi fratres, & ex animo mihi charissimi. Dominus vobis adsit, vos gubernet, ac tueatur perpetuò. IX. Octobris. M. D. LXI.

Io. Calvinvs Ministris et Senioribvs Ecclesiæ Vilnensis.

QVod de charitatis mutuo inter nos colendæ studio scribitis, libenter amplector: ac piæ vestræ admonitioni morem gerere paratus essem, si mihi iusta ratio à vobis præscriberetur, quomodo reconciliari me oporteat cum Georgio Blandrata. Quod dum sub persona Illustrissimi Ducis & Palatini Vilnensis, vos omnes hortatus sum ad cauendam illam pestem, grauiter fuistis offensi: mihi certè dolet officium à syncero vestri amore profectum, & pia salutis vestræ cura, non placuisse. Sed quid facerem? saltem defunctus sum: nec me vnquam pœnitebit eius offensionis, quam mihi summa necessitas iniunxit. Magni vobis est existimatio Blandratæ: quia integerrimum virum esse cognoscitis, nec vllius erroris suspectum. Quid autem de ipso publicè testatus sim, ostendit præfatio, de qua mecum expostulatis. Etsi vobis non est suspectus, planè apud me conuictus est, imò coram hac Ecclesia. Mihi non creditis, cur ego potius vobis credam? Multũ scilicet vobis otij est, vt synodos cogatis ob tales quisquilias. Sed Blandratæ excellentia vos mouet: quia horribile scandalum nascetur, si confligere mecum incipiat. Ergo non vulgare fecit operæpretium longo itinere, quòd tantum sibi nomen acquisierit. Nullus est apud alias gentes. vos admiramini nõ secus atque Angelum è cœlo delapsum. Vestras delicias minimè vobis inuideo. Summo etiam vt in pretio sit apud vos per me licet: modò vicissim pro vestra æquitate mihi permittatis non nescire, quod apud nos omnibus satis superque compertum est. Si asperius loquor, vos me coegistis. Cæterum vt sciatis immodica quorundam facilitate malè Ecclesiis vestris fuisse cõsultum, quibus præfectus fuit, mitto breue historiæ totius compendium: ex quo perspicuum vobis fiet, nisi infideliter & proditoriè vobiscum agere vellem, tacendum non fuisse in tanto vestro periculo. Si nihil fidei obtineo, aliquid tamẽ & Italicæ quę apud nos est Ecclesię senioribus, & eximio Christi seruo Doctori Petro Martyri tribuite. Valete fratres ex animo dilecti, & colẽdi. Dominus vos Spiritu suo gubernet, virtute inuicta sustineat, donisque omnibus locupletet. Geneuæ, IX. Octobris. M. D. LXI.

Blandrata.

GEorgius Blandrata medicus vixit apud nos quietè & placidè ad tempus, & Christianæ docilitatis signa dedit. An opinione deceptus fuerit, quia non reperit quod sperabat, nescimus. Exceptus enim fuit pro nostra simplicitate tanquam vnus ex aliorum numero. Cœpit deinde per ambages in quæstionem

ſtionem trahere fidei noſtræ articulum de Chriſti Deitate: & ſua ſomnia ſparſit clãculum apud imperitos. Sed quò impunitatem ſibi acquireret, ſuas quæſtiones depoſuit apud Paſtorem Italicum Maximilianum ex celebri Comitum familia natum (Martinẽgues vocãt Itali) qui etſi acuto erat ac perſpicaci ingenio, oderat tamen friuolas ſpeculationes. Itaq; quamuis Blandrata ſedulò officia Medici obtruderet in curanda illius valetudine & vxoris, hominis tamen importunitate offenſus, eum repudiabat. Quod clarius ſub mortem ſuam patefecit. Eodem tempore ſuis quæſtionibus fatigabat Caluinum: eóq; magis quòd cùm ſubinde fingeret ſe placatum eſſe, & acquieſceret reſponſis, poſtridie redibat quaſi nouus, nec deſinebat ea ipſa, de quibus ſæpe audierat, ſciſcitari. Itaque coactus eſt ei Caluinus in faciem dicere, vultus tuus deteſtabile monſtrum mihi oſtendit, quod in corde occultum foues: ac ſæpius eum aſperè obiurgauit, vt ſi fieri poſſet corrigeret perfidiam, & fallacias, dolóſque tortuoſos, quorum faſtidio erat quodammodo defeſſus. Nec tamen deſtitit Blandratam comiter ſalutare, & admittere ad ſermonem. Imò hucvſque obtemperauit improbi hominis votis, vt breui ſcripto diſſolueret omnes ſcrupulos, quibus fingebat ille nequam ſe impediri. Notare autem operæpretium eſt prauum eius conſilium. Neq; enim tam optauit expediri ſibi dubitationes, in quibus dicebat ſe perplexum hærere, quàm contendit à Caluino, vt damnaret omnium aliorum ſententias. Ac ſæpius aſſeruit ab omnibus Germanis ſe turbari: vnius autẽ Caluini doctrina ſe reddi tranquillum. Cùm identidem vrgeret, vt ſedandis multorum conſcientiis Caluinus reiiceret quęcunque ab aliis erant prodita, ſibi fidem omnem detraxit. Et ex eo tempore deſiit Caluinus eum admittere: quia tantùm diſſidia & turbas quærebat. Serpebat interea virus impiorum dogmatum apud Italos. Itaq; ſeniores Caluinum rogarunt, vt manũ auxiliarem porrigeret. Condicta eſt hora plebi. Miſſi ſunt duo ex Senatoribus. Caluinus verba fecit. Hortatus eſt nomine Senatus, vt quiſq; liberè proferret, quid ſentiret. Ac Senat⁹ nomine promiſit impunitatem, ſi quid perperam & inconſideratè elapſum eſſet. Illic non dubitauit Blandrata obiicere Caluino, quod falſiſſimum erat, iactaréque illud eſſe ſcriptum manu Caluini. Coactus proferre, tergiuerſari cœpit. Pertinaciter tamẽ aſſeruit Caluinum ita ſcripſiſſe, donec charta allata fuit in templum. Deprehẽſus in manifeſta calumnia miſer ille, non tamen erubuit: cùm omnes fuſte dignum cenſerent. Etſi autem non protulit ipſe horribilem blaſphemiam, quæ mox ſequetur, totam tamen eius culpam ſuſtinet. Dixit enim intimus eius ſodalis Ioannes Paulus Alciatus, quem adhuc pro anima ſua habet, tres Diabolos à nobis adorari peiores omnibus idôlis Papatus: quia ſtatuerèmus tres perſonas. Si execrabile illud ſacrilegium, vt decebat, exhorruit, cur ab eius familiaritate non diſceſſit? Imò cum eo paulò pòſt profectus eſt: & eo comite, ſodali, & ſocio, molitus eſt ſcindere Eccleſias. Pepercit tamen Caluinus, ac deprecatus eſt, ne quid accideret moleſtiæ. Exorta eſt rurſus noua querimoniæ Italicæ Eccleſiæ, quòd clandeſtinis artibus, ſimplices è vulgo imbuerentur peruerſis illis deliriis. Vocati igitur ſunt ad Conſiſtorium Blãdrata, & alij quidam. Satis habere debet, quod fuerit abſque ignominia dimiſſus. Caluinus etiam ore ſuo iuſſit ipſum eſſe ſecurum: ac promiſit ſe daturum operam, ne fraudi eſſent quæcunq; antea peccaſſet. Aliquãto poſt tẽpore cùm in auditorium Caluini ingreſſus eſſet vnus ex quatuor præſidibus Senatus (quos vocãt Syndicos) idque vt tum legentem Caluinum audiret, Blandrata qui lectioni intererat mox ſudario naribus oppoſito, acſi ſanguis flueret, ſe in fugam proripuit, nec poſtea in vrbem reuerſus eſt. Hæc eſt Caluini crudelitas, qui peruerſum hominẽ & turbulentũ, fouere tamẽ ſtuduit. Hæc eſt innocentia Blandratæ, quem præcipitem egit mala conſcientia: fuítque illi carnifex, cùm nemo eſſet inimicus. Conceſſit Tigurum: an illic ſe rectiùs geſſerit, teſtantur D. Petri Martyris literæ. Ex Polonia multas faces iaculatus eſt ad renouandum incendium. Conatus eſt modis omnibus labefactare ſimplicium fidem. Et cuidam amico ſcripſit, vadum ſe reperiſſe in illis profundis aquis, vbi antè dubius natabat.

En cur debuerit quiſquam ſuſcipere hominis patrocinium, & priuatas meas monitiones procul reiicere, quibus malum placidè ſanari poterat. IX. Octobris M. D. LXI.

CALVINVS BEZAE.

POſtridie quàm tibi nuper ſcripſi correptus fui cholicis doloribus, qui abſq; vlla remiſſione ſæuierunt toto biduo. Poſtea interdiu nonnihil fuerunt mitigati: tres tamen poſtea noctes adhuc infeſtæ. Nedum audeo mihi multùm promittere de leuatione, quæ à clyſteribus pendet, ſempérque vnctionibus mixta eſt.

Tanta autem ex vomitionibus, peruigiliis, & doloris vehementia, simúlque inedia, & siti, palati & gutturis ariditas, vt nunc etiam hæc pauca dictare molestum sit. Mãdassem alteri scribendi partes, nisi veritus essem ne plus inde metus & solicitudinis conciperes. Colloquium ab aduersariis quouis modo abrumpi non ægrè feram. Nondum enim res maturuit, vt eorum consensu vigeat pura Religio. Partem verò aliquam concedi nihil aliud esset, quàm veritatis cursum abrumpere. Velim igitur hac in parte vos esse faciles. Vale integerrime frater vnà cum D. Martyre & reliquis. Deus vos omnes tueatur, gubernet, ac benedicat in omnibus. XV. Octobris. M. D. LXI.

Caluinus tuus.

CALVINVS BEZÆ.

EX quo cessarunt tormina, vel aliquantulum laxata sunt, grauedo me inuasit, quæ tamen minus acriter me infestat. Pes nondum conualuit. Nudiustertius concionatus sum, sed delatus sella in templum vsque. Quanquam hæc melius ex Normandio nostro intelliges, qui fortè has præueniet. Colloquium maturè abrumpi mihi nunquam displicuit: modò absq; vestra culpa fiat. Nolim tamen dum siniſtros rumores fugitis, vos esse nimis verecũdos, quia semper vereor ne vobis & causæ noceat facilitas. Ergo à fraude cauendum. Vna in re insistere oportet, vt fidelibus tolerabilis sit libertas. Seuerè tamen obiurgandus erit eorum feruor, qui metas transiliunt: ac de eo frenando consultãdum vobis erit, vt quod statueritis, omnes prouinciæ sequantur. Si qui parêre nolint, serò agnoscẽt quantò potior moderatio sit, quàm temeritas. Vtinam soli pœnas luerent. Sed nisi eorum intemperãtiam compescat Deus, omnia pessundabunt. Vide quàm acre sit telum necessitas, quæ prodigos facit in maxima inopia. Si Merlinus huc se receperit ante finem mensis nobiscum, bene actũ putabimus. Colongius ne reuocaretur, accuratè me rogauit D. Ducissa: cuius de te spem etiam frustrari vix fas esset. Ea enim cupidè expectat te & D. Martyrẽ: quos sibi promissos esse asserit. Tot remoræ plus æquo tempus producent, vt longius nõ abscedas. Martyrem quoque relinquere non esset humanum. Sed in primis vide, vt scholæ desertæ citò succurras. Ego enim, cui obeundæ erant tuæ vices, iam toto ferè mense decubui: quia paulò pòst quàm has acceperis, ad iter, vt opinor, te accinges, posthac à scribendo desistam: nisi fortè consilium te mutasse cognouero. Vale eximie vir, & integerrime frater cum D. Martyre & reliquis fratribus, apud quos excusa quòd non scribam. Dominus vos omnes tueatur, gubernet, studiáque vestra benedicat. XXI. Octobr. M. D. LXI.

Caluinus tuus.

IO. CALVINVS BVLINGERO S. D.

SErò admonitus fui de nuntij discessu, quum me ad legendum traherem. Sic enim loquendum est: quia nunc pedis, nunc totius cruris dolor vix me lentè reptare patitur. Imò ægrè me sustineo, nisi alterius brachio innixus. Nũc ferè hora quarta est post meridiem, & cras etiam proficiscitur nuntius, qui meas ad Bezam & quosdam alios expectat. Peto igitur, venerande frater, vt meæ breuitati des veniam. Quanquam si plus esset otij, & ad scribendum essem alacrior, nescio an operæpretium facturus essem, res Galliæ narrando. Mitto enim à Martyre nostro literas, quę te, opinor, totius summæ certiorem reddent: ac ipse breui coram vobis exponet quidquid actum fuit. Pridem subolfeci Diabolum in Germania clandestinis artibus moliri quod nunc tandem apparuit: & ante tres menses diligenter hortatus fueram Regem Nauarræ, vt sibi ab insidiis caueret. Quàm parum verò profecerim, quia chartæ mandare piget, malo ex D. Martyre cognoscas, vbi istuc reuersus fuerit. Promiserat mira, & quò plus fidei acquireret, nõ dissimulabat se fuisse tentatum: sed silentio repudiasse eius postulata. Atqui ex Germania mihi scriptum est eius rogatu missos fuisse quinque Theologos, qui nunc sunt in aula: nisi fortè dimissi fuerint, quia serò aduenerant, tota actione abrupta. Quid si Deus perfidiam miseri illius frustretur, qui nefariis obsequiis Papæ se venditat, qui tamen eum ludibrio habet? Sed propediem aliquid

quid sciemus. Vale ornatissime vir, & frater ex animo colende. Dominus tibi semper adsit, te gubernet, ac benedicat tuos labores. Symmystis omnibus, vxori, totique familiæ multam salutem precor. Geneuæ, v. Nouemb. M. D. LXI.

CAL. SALINIACO.

QVòd aliena manu tibi scribo, ornatiss. vir, & mihi in Christo venerande, non minoris, vt opinor, abs te fient meæ literæ, vbi ex intimo animi sensu dictatas fuisse cognoueris. Et certè ita est: nec vnquam adeo familiariter tecum agere ausus essem, nisi fiduciam dedisset amor erga te meus, & quæ inde nascitur salutis tuæ cura, quæ me non solicitum modò, sed anxium quoque pridem reddidit, quoties de tuo statu cogitabam. Vnum te ex eorum esse numero memini, quos Deus Euãgelij sui luce ante annos triginta dignatus est. Non vulgaris honor, quòd inter primitias delectus es: cui accessit liberalis doctrina, & eximia Scripturæ sacræ cognitio: vt aliis omnibus facem præferre meritò debueris. Porrò quàm indignè sepultus fuerit incomparabilis ille thesaurus, quem Deus apud te depositum habebat, vtinam potius sis ipse iudex, quàm expectes dum coram cœlesti iudice reddenda sit otij rario. Quid dico otium? Neque enim sine fructu solùm iacuerunt tot præclaræ dotes: sed in sordibus demersæ, in probrum & dedecus synceræ fidei quodammodo cessarunt. Quamuis enim laude digna fuerit vitæ integritas, & castitas: scis tamẽ, & non sine maximo dolore viderunt pij & cordati homines, impios & sceleratos de te triumphum agere, cùm metu constrictus obmutesceres. Præteriit nimis longum tempus, quo misera illa non minus quàm turpis seruitus mentis tuæ vigorem oppressit. Detur venia communi malo: quia obiectis vndique terroribus, pauci ingenuè Christi se discipulos profiteri audebant. Nunc verò ex quo melior affulsit conditio filiis Dei, vt à periculo immunis sit eorum libertas, erumpere in vocem cogor, Quousque tandem sponte libebit tergiuersando Christum iure suo fraudare? Hactenus indulgenter tibi Deus pepercit, dum rectæ intelligentiæ lumen quod cũctatione tua suffocasti, prorsus extingui passus non est. Sed obsecro per hanc indulgentiam, qua te ad hunc vsque diem sustinuit, quo tot hominum millia sub vexillum se colligẽdo, te ad eandem studij alacritatem inuitant, vt diligenter tecum reputes quàm pretiosum Deo sacrificium sit pura fidei confessio: vt quod residuum est vitæ, vbi simpliciter Christo dicatum fuerit, tarditatem anteacti temporis compenset. Nihil certè iucundius mihi accidere poterit, quàm si audiero, te excussa mollitie, & timiditate victa, Christo palàm, & ex professo nomen dedisse. Quanquam vt hoc mihi priuatim des non postulo, sed vt Ecclesias omnes quas mirabiliter Deus in Gallia erexit, exhilares: quæ certatim sibi & tibi gratulabuntur, si relictis hostium castris te in Christi ouile contuleris. Nec paruus eorum, qui adhuc vacillant, numerus se ad imitationem protinus accinget. Ac si prudenter expendas quàm multi abs te pendeant, & quàm multorum in te conuersi sint oculi, facilè agnosces, vt excusabilis sit aliorum torpor, cessationi tuæ nullo modo posse ignosci. Forte iam satis te animatum reperient meæ literæ, vt superuacua sit exhortatio. Partibus tamen meis deesse nolui. Vale præstantissime vir, & mihi ex animo colende. Dominus te Spiritu suo gubernet, fortitudine instruat, & incolumem tueatur. XIII. Calendas Decembris M. D. LXI.

Ioannes Caluinus tuus.

SALINIACVS CALVINO S. D.

MEritò te amo, vir clarissime, de ista tua erga me humanitate, qui me, vt pium ac cordatum virum decet, officij mei, tuis ad me literis admoneas. Quæ ista tua erga me voluntas, nõ minus profectò mihi grata esse debet atque iucunda, quàm à summa tua erga me beneuolentia (quî enim ego aliter de te existimem?) eam esse profectam certò scio. Sed illud profectò permirum mihi accidit, quòd non secus de me sentire videare, ac de eo statuas, qui omnino à Christo sit alienus, & perpetuam propugnationem pro veritate suscipere nolit: cùm nemo adhuc me in aduersariorum castris signa sequentem videat: neque promissis, quæ minimùm apud me valent, sed ne periculis quidem vllis, quibus tamen mouentur fortissimi viri, adduci

vnquam potuerim,vt ipse à me deficerẽ,& deserto Imperatore Christo,ac in acie,ordine meo,ad hostiũ castra turpissimè atq; flagitiosissimè trãsfugerẽ. Quòd si tu eò fortasse me nomine, iure reprehẽdẽdũ esse putes, nõ quòd ipse quidẽ Religionẽ oppugnauerim (neque enim id verè de me dici posse puto) sed eam cùm possem, non defenderim, equidem id hoc loco quod res est paucis respõdebo: me in tanta animorum de Religione contentione,& opinionum dissensione,cui simpliciter me dederem adhuc cõstituere non potuisse. Cupiam ego vehementer eam nos Reip.Christianæ formam habere, quam tu ipse spiras,& Apostolicam fuisse legimus. Sed quãtæ molis sit Christianam denuo condere gentem,aut potius recudere,quæ tot iam annos à recta virtutis & veritatis via deflexerit:& præsertim apud nostros,qui οὐδὲ κατ' ὄναρ,id quod rectum est & verum viderint,tu vel me tacente,qui apud nos sis natus & educatus,& in Gallia nostra,prima virtutis tuæ fundamenta ieceris,quiq; & polito & literis exculto sis ingenio,& acri iudicio præditus,optimè potes intelligere.Expeditissima igitur mihi quidẽ ad hanc rem via esse videtur,si non Scripturæ tantùm quæ plurimùm apud pios valere debeat, sed veterum etiam auctoritate, quæ maximi ab aduersariis fit, quibus opibus maximè tuti esse velint,ea præsidia non satis firma esse doceamus: quæq; hodie in pretio habẽtur,& vulgò à malè sanis hominibus docentur, quantùm à veritate ipsa dissideant,planum faciamus.Qua sanè in re(vt otij etiam nostri ratio tibi constet) subciuis quidem horis (nam meliorem,vt æquum est,diei partem literarum sacrarum studio tribuimus) libenter me quãtùm per occupationes alias, & valetudinem licet,exerceo.Quod vt aliquando è re Ecclesiæ nostræ esse possit, Psalmos Dauidicos Hebraicè, & reliquos deinceps veteris fœderis libros,Kimhianis ad eosdem adiunctis commẽtariis,ineunte Ianuario,in nostra hac Academia publicè explicandos(si Deus Opt. Max. me vt spero, seruauerit ac iuuerit) susceperi:vt dum cæteri Satanam vi & impressione euertere, bonis omnibus approbãtibus,conãtur,ego pro virili,vt leuis armaturæ miles,subsidio veniam. Miles verò Christi ego sum,cuius nunquam me pudeat. Ecquo quæso modo eius me pudeat, pro cuius decretis vitam profundere non dubitem, idq; summæ mihi laudi esse ducã,atq; omniũ triumphis anteponam? Ego nempe ante menses octo, aut eò etiam amplius, Prophetas aliquot cum Kimhianis commentariis publicè sum interpretatus, eadémq; illa quæ vos proponere soletis,docui:auditores meos ab externis his,& aspectabilibus ad veram Religionem,Christo vno,per quem seruemur, proposito,reuocaui, & quoad eius fieri potuit,ad pietatem semper eruditui.Fateor equidem(nec causa est cur id negem) falsam istam doctrinam,non tam fortasse apertè,quàm ipsi facere soletis, confutasse: Babylonẽ tamen tum cuniculis,tum aperto etiam marte,vt res & tempus ferebat, ita semper oppugnaui,vt noster iste in eo genere conatus, optimo cuique semper probaretur. Plùra in hanc sententiam non scribam.Quo enim ego sim,sempérque fuerim animo,quid itẽ spectem,mihíque proponam, & quàm longè latéque Dominum regnare cupiam, ipsa dies(vt spe sum optima)docebit. Neque eo certè consilio hæc commemoro, atque ad te scribo,quò mihi quidquam laudis tribui postulem, sed vt me Dei beneficio, non omnino in propagandis illius Regni finibus cessatorem fuisse intelligas. Vale,& me vt te in Christo veneror & amo,redama. Lutetiæ,Idibus Decembris. M. D. LXI.

Ioannes S.tuus.

Beza Calvino s.

Accipe quid noui acciderit,ex quo postremas ad te dedi.Pridie Natalis Domini discedens Nauarrena,Parisiensi Ecclesiæ me cõcessit ad triduum.Natali ipso quieuimus. Postridie, copia nobis tum primùm facta publicè diebus festis concionandi,duas conciones habui frequentissimas, vnam in D. Antonij,alteram in D.Marcelli suburbio,idque sine vlla prorsus specie tumultus.Interfuerunt ex omnibus ciuium ordinibus plurimi, & quidem inter cæteros D. Andelotius,qui me cum honestissimo & firmissimo comitatu per mediã vrbem deduxit,obstupescentibus aduersariis,& summa cum bonorum gratulatione,quorũ multitudine ita oppletos vicos conspexisses,vt numerus facilè iniri non posset. Altero pòst die manè concionem tertiam habui,in qua multò etiam plures affuerũt,quàm vnquam antea. A prandio itum est ad Marcelli suburbium, me quidem repugnante,quoniam præmoniti eramus sacrificos nescio quid moliri.Sed fieri aliter nõ potuit, quoniam sua sponte

ſponte infinita turba eò confluebat, quam alioqui inimicis prodidiſſemus. Acceſſi à prã dio. Aderat autem nobiſcum ex Reginæ mandato vigilum Præfectus cum ſuis apparitoribus, ita vt Regia auctoritas vbique nobis præiret. Concionatus eſt Malotius. Ecce igitur quum vix eſſet concionem auſpicatus, cœperunt ſacrifici in proximo atque adeò contiguo Medardi templo campanas ſuas omnes quàm vehementiſſimè pulſare, quaſi ſuas, quas vocant Veſperas cãtaturi, ita vt Malotius audiri vix poſſet. Ibi ex noſtris aliquis, nullius tamen iuſſu, illos adit, & blandè rogat, vt obſtrependi finem faciant. Illi quaſi occaſionem nacti quam captabant, vt qui vnà cum aliquot ſicariis ad hoc ipſum egregiè ſeſe comparaſſent, impetum in illum faciunt, & inermem conto traiiciunt, quem Pertuiſanam vocamus. Hoc ſcelus noſtri ſimulatque conſpexerunt, eò rectà ferũtur. Hoſtes & ipſi occurrunt, ſimúlque ex turri templi & vicinis ædibus ſaxa & ſudes, quaſi ſigno dato deiici cœperunt. Ad hunc tumultum qui concionem audiebant ingenti murmure exorto ſtatim prouolant, omnia maximo tumultu miſcentur. Interea noſtri, ad ipſas vſque templi fores aduerſarios repellunt. Ego fortè in cubiculo adſtabam, quod ex vno latere locũ ipſum vbi coactus erat cœtus, ex altero plateam ſpectabat, qua tranſeũdum erat omnibus ad certamen properantibus. Conatus ſum quantùm potui & voce & manu mulieres & turbam confirmare: & Malotius ipſe minimè perturbatus, ſigno dato vt Pſalmum decimũ ſextum caneremus, populum vtcunque retinuit. Iam igitur penè compoſita erãt omnia, quum repente ſacrifici cum ſua cohorte, quum ſeſe & à vigilum Præfecto & à noſtris ita cernerent obſeſſos, vt euadendi ſpes non eſſet, campanarum pulſu, quem Toxinum vocant, omnes ad arma conuocant. Tum verò noſtri eò ferri præcipites. Ego quum iam cernerem nullum eſſe remedio locum, in plateam accurro, inermes procurrentes verbis & oppoſito oſtio impedio, ne in periculum manifeſtum ruant: quod quidem ita commodè mihi ſuggeſſit Dominus, vt magna pars turbæ fuerit periculi ignara, & Malotius per dimidiam horam quaſi rebus tranquillis perrexerit concionari, quamuis ille Toxini ſonitus auditorum animos ſubinde percelleret. Si qui interea prodibant, eis fiebat exeundi poteſtas, ſed cum conditione, vt conſiſterẽt tantiſper, dum à noſtris ſi ita opus eſſet, euocarentur. Dum hæc intus geruntur, noſtri, præeunte & iubente vigilum Præfecto, impetu facto templi fores cum repagulis ſumma vi perfringunt. Hoſtes baliſtis, enſibus, contis, ſaxis, & ſudibus (hæc enim omnia ſummo ſtudio compararant) fortiter quidem ſe tueri, ſed fruſtra. Nam accurrentes ad ſubſidium noſtri ſuburbanos interea ita repulerant, vt eorum nulli poſtea apparuerint. Id vnum igitur ſupererat, vt oppreſſi omnes obtruncarentur: ſed, quod mirum eſt in tanto impetu, nemo interemptus, omnes, acceptis tamen aliquot vulneribus, in deditionem recepti, & Præfecto vigilum traditi in manus. Inde in turrim templi perrectum eſt, vbi rurſus effractis valuis omnes ad vnum capti, qui Toxinum pulſarant. Itaque plus valuit in mediis etiam armis, regij Præfecti auctoritas quàm ira. Sed qui hoſtibus armatis pepercerant, idôlis & panaceo illi deo parcere non potuerunt: fruſtra reclamantibus, quibus iſta non placebant. His peractis, abſoluta concione, gratiis ſolennibus Deo actis, & admonitis omnibus, vt moderatos ſe prẽberent, ſi quid in itinere occurreret, ita reditum inſtituimus. Ita & ſuburbium & vrbem totam, ſine vllo prorſus tumultu, tranſiuimus, & domum quiſque rediit. Imò, quod magis miretis, captiui hoſtes triginta ſex, ita vt erãt ferè omnes vulnerati, & in iis decem ad minimum ſacrifici, funibus vincti, ſpectantibus & ne mutientibus quidem aduerſariis, non aliter tranſuecti ſunt, & minoris Caſtelli carceribus incluſi, quàm olim noſtri illi fratres in D. Iacobi vico deprehenſi. Vtinam verò nihil eiuſmodi incidiſſet, ac tranquillè potius Deum nobis colere liceret. Sed quando id nulla noſtra culpa accidit, gratiæ Deo agendæ pro inſigni victoria, quæ vt ſpero, barbaros iſtos & immanes Cyclopas docebit ſuis ſaltẽ, quod aiunt, ſumptibus ſapere. Poſtridie, ideſt 28. huius menſis bene manè huc accurri, vt calumniis maleuolorum occurrerem, &, quantùm poſſum coniicere, non malè res cedet. Miſſus eſt ſtatim, N. homo probus & à nobis non alienus, qui cauſa cognita in ſeditioſos ex edictorũ formula animaduertat. Sed audi etiam alia. Heri eo ipſo loco iterum concio habita eſt, ſine vllo tumultu. Sed ecce vix digreſſa multitudine, quidam ad hoc comparati, in ædes vacuas quæ illi plateæ imminent, ignem iniiciũt. Noſtri repente recurrentes, flammam extinguunt, & fruſtra repugnantes incendiarios, vi ex ſuis ædibus extractos, euocatis lictoribus tradunt in carcerem deducendos. In eo conflictu feruntur aliquot ex hoſtibus interempti. Ex noſtris duntaxat vnus priore illo certamine trucidatus in ipſo templi limine, aliquot ſunt lapidibus vulnerati. Habes noſtri ſtatus hiſtoriam, qui vtinam minus eſſet

turbulentus,aut mihi impoſita non eſſet neceſſitas,iſta non audiendi tantùm ſed etiam aſpiciendi,à quibus natura ipſa abhorreo.Precibus opus eſt,ſi quãdo aliàs,quoniam aduerſarios certum eſt omnia experturos, & firmitatem in multis requiro. Sed Deus proculdubiò Eccleſiam ſuam,tam neceſſario tempore non deſeret. Bene vale, mi pater cum Collegis & amicis omnibus.D.Ieſus te incolumem ſeruet,& ſanctis tuis laboribus magis ac magis benedicat. Ex Sangermano, III. Calendas Ianuarij.

Tuus Beza.

Io. Calvinvs N. S. D.

EIteras tuas,integerrime frater, ſerò tandem accepi poſt mẽſem elapſum ex quo ſcriptæ fuerãt.Etſi autem mihi gratum fuit, ex te ipſo intelligere quomodo valeres,ac multò magis quàm ſtrenuè cordatéq; pergeres in obeundo munere:vehementer tamẽ dolui, certamina tibi moueri à quibus minimè decebat: imò quos par erat fidos tibi eſſe adiutores.A profeſſis hoſtibus oppugnari Chriſti ſeruos,neq; nouum eſt neq; mirũ. Cum inteſtinis aduerſariis cõfligere,moleſtius eſt atq; acerbius.Quanquã ad hoc quoq; pugnæ genus nos aſſuefactos eſſe oportet:quia nunquam in Eccleſia res adeò bene fuerunt compoſitæ, quin è medio eius ſinu prodirent remoræ & obſtacula, quibuſcum nobis luctandum eſt.Optimè verò factum,quòd inexpugnabili Chriſti virtute fretus,hactenus perrumpere non dubitaſti. Malò,quod mihi incognitum erat,citius mederi non potui.N.aliquid de nimia D.erga ſuos indulgẽtia retulerat. Seriò eum admonui.Quia nihil reſpondit,ſuſpicatus ſum nõ fuiſſe iucundum meum rigorem.Nunc quum & ſtulta credulitate, & aliis modis eouſque progreſſum legerẽ,ferè obſtupui. Etſi autem remedium quod vtile & opportunum cenſui,afferre conatus ſum,prolixéque de præcipuis capitibus diſſerui: vereor tamẽ ne vulpes aulici diuturno tædio te macerent ac conficiant, niſi Deus mirabiliter occurrat.Locum deſeri nullo modo placet,niſi obtigerit pius ſucceſſor:præſertim donec tibi liberum erit manere.Nam ſi pro imperio te expelleret, tibi patienter ferenda vis eſſet. Nec verò à ſtatione diſcedit,qui cedit inuitus. Quòd ſi Eccleſiæ proſpectum mediocriter fuerit,& eius permiſſu reſignatus fueris alteri Eccleſiæ,fortè nec publicè nec priuatim improbanda eſſet mutatio. Vtinam cùm te RR. poſtularunt,probus vir ad manum fuiſſet tuis partibus obeũdis:modò ſua populo relicta eſſet libertas. Vnius enim arbitrio deligi paſtores vel moueri,prorſus barbarum eſt.Interea te ad perſeuerãtiam,quidquid acciderit,confirma:ac memineris non fruſtra admonitos eſſe à Chriſto diſcipulos,vt ſibi cauerent à fermento Phariſæorum & Herodis: quia ſemper aulicis ſolenne fuit, ſuis corruptelis ſimplicem Euangelij doctrinam inficere. Ignoſce ſi tam ampla materia mihi ſuggeſta,breuiter & ſuccinctè tibi reſcribo.Quanquam verè tibi affirmo,indignatione factum eſſe magis quàm pigritia,vt ſim ita reſtrictus. Vale. M. D. LXI.

Beza Calvino S.

MIraris nimirum tam altum & diuturnum ſilentium. Culpam ſuſtineant oportet,qui diem de die ducunt. Aduerſarios habemus partim Sorbonicos omnis generis,partim Italos Ieſuitas,Frãciſcanos,Dominicanos, & creſcit quotidie eorum numerus.Nos quatuor omnino ſumus,Marloratus,Peroſcelius,Barbaſtus bonus & integer homo,Nauarrenæ Miniſter, & ego.Conditiones colloquij nullæ. Tantùm conſtituit Regina ad Pontificem mittere,quæ vltrò citróque dicta fuerint. Vides quàm multa cauſificari licuerit. Tamen ſatis nobis fuit teſtari ne fratribus & Eccleſiis fraudi eſſet,quodcunq; facturi aut dicturi eſſemus. Addidimus de Concilio,nos liberum Concilium non detrectare,ſed cuiuſmodi illud eſt,quod nunc inſtituitur pro nullo à nobis exiſtimari. Tandem igitur vẽtum eſt ad Colloquium in magna huius arcis baſilica, 28.ſuperioris menſis. Intereſt Regina cum Cardinalibus & reliquis priuati Concilij cõſiliariis. Adſunt etiam Epiſcopi aliquot,ſed vt priuati. Aſſident quoque ex Parlamentis ſelecti duodecim. Præſcripta ſunt quinque capita, Deimaginibus,de forma Baptiſmi,de forma Communionis,de ſacrificio Miſſæ,de miniſterio,de doctrinæ capitibus. Non placet fortaſſis neque ordo, neque diuiſio, ac ne mihi quidem,ſed ita viſum eſt iis qui poſſunt omnia. Rogatus quam ob cauſam ab Eccleſia

Romana

Romana diſceſſionem feciſſemus, exorſus ſum ab illis proteſtationibus, deinde ad duas horas de imaginibus dixi, quæ mihi ſuggeſſit Dominus, tum ex ipſius verbo, tum ex veteris illius Eccleſiæ teſtimoniis. Aduerſarij tempus ſibi ad reſpondendum poſtularunt. Cõuenimus ergo vltimo die huius menſis. Habuit orationẽ Pelletarius, ſed prorſus vulgarẽ. Sequutus eſt Ieſuita ille hiſtrio qui in cõuentu quoq; Poſſiacenſi interuenerat, nec minus ſe lepidũ præſtitit quàm antea. Tertio loco dixit Salignacus, & verè profectò & fortiter, nõ cõtentus dicere quod res erat, niſi etiam quæ ab illis erant allata palàm confutaret. Vbi animaduertit Turnonius quorſum tenderet eius oratio, primùm murmurare, deinde querulari, poſtremò relicta ſede ad focum pergere, tandẽ verò etiam in extremum angulum ſe recipere, vnde conſpici nõ poſſet. Salignacus ex aduerſo pergere, & eouſq; progredi vt diceret idololatras, ſicut petierat Dauid, in ſtipites & ſaxa conuerti, Pſal. 115. 8. ac proinde veritatis vocẽ nõ exaudire. Vbi ille deſiit, accurrẽs Benedictus ille Dominicanus vt ruentia idôla fulciret, multa blaterauit, ſed falſiſſima & ineptiſſima. Tandẽ igitur reſpõdi, & Salignaco aſſenſus, ſingula aliorum argumenta, ita vt potui; diluere ſtudui. Ita diſceſſum eſt, aduerſariis Dei gratia eò adductis, vt niſi nox interueniſſet, prorſus ſuperati videri potuerint. Hodie reditũ eſt in cãpũ. Longã orationẽ habuit Corcyrẽſis quidã Franciſcanus, vt aiunt, legati aſſecla, ſatis acutus ſophiſta, nec prorſus imperitus. Sequutus eſt Spenſa qui copioſiſſimè cauſam noſtrã defendit, ita tamẽ vt multò minus neruorũ haberet quàm Salignacus, nec tã ſyncerè, quin nõnulla permiſcuerit quæ aduerſarios placarent. Cõcluſit nullo nec externo nec interno cultu dignas eſſe imagines: ſed de cruce multa protulit, re in dubio relicta, & ex tẽplis penitus tollẽda idôla nõ cenſuit. Deniq; quod rectè cenſuerat, conatus eſt vtcunq; emollire. Iuſſus eſt poſtea pro dire minimus ille Pariſienſiũ ſeditionũ fax, quo nihil ineptius & indoctius audire memini. Eram reſponſurus, ſi per tempus licuiſſet. Nox igitur hanc tertiam actionem diremit, quã ego, vt ſpero, eras excipiam. Rogas quid ſperẽ? hoc vnũ, vt magis eluceſcat veritas, & aliquos ſemper lucrifaciamus, aliud præterea nihil. Inquirunt diligenter quibus cõditionibus liberum, & Chriſtianũ Cõcilium definiamus. Hîc ergo nobis erit laborandum, & rogo vt nos tuo cõſilio, primo quoq; tẽpore adiuues. Edictum Rotomagi promulgatũ eſt. Pariſiẽſes adhuc reſiſtunt, neq; dubiũ eſt quin alicunde in hac pertinacia cõfirmentur. Miſer ille iam prorſus eſt perditus, & omnia ſecũ perdere conſtituit. Vxorẽ amãdat. Poſſidoniũ, cui omnia debet, vix ſuſtinet intueri. Accerſuntur Lotharingi. Deniq; extrema omnia in nos cõparãtur. Ita placet Domino gaudium noſtrũ temperare. Vtcũq; ſit, Deum ſpero victorem fore, & nos interea, illo fauente, pergemus. Interea tibi cogitandum relinquo, quibus curis & laboribus & doloribus excrucier, vt Deum precari nõ deſinas, donec vobis reſtituar. Quàm diuturnũ ſit futurũ hoc colloquiũ, & quæ ſint ſubſecutura neſcio, ſed me totũ Deo cõmitto. Cõdenſem morbus repẽtinus penè nobis abſtulit Lutetiæ. Heri lectica huc perlatus, incipit melius habere, & affirmant medici extra periculum eſſe. Ego neq; prorſus valeo, neq; etiam ægroto, ſed medius pẽdeo. Bene vale, mi pater, & tuum Bezam, ſi vnquam aliâs, Domino commenda. Ampliſſimum Senatum cum Collegis & amicis omnibus rogo, vt meo nomine ſalutes. D. Ieſus vos incolumes ſeruet. Ex Sangermano primo die Februarij.

Beza Calvino 5.

DIu & obſtinatè tacui, ne tibi ſolicitudinẽ & dolores augerem: ſed ne nunc quidẽ poſſum aliud quàm turbas & tumultus nũtiare. Primas actiones noſtri cõgreſſus diligenter ad te perſcripſi: poſtremæ diſſimiles nõ fuerũt. Audiuimus infinitas, & incredibiles ineptias. Ita illis reſpõſum eſt, Dei gratia, vt mirer aduerſarios præ pudore, & ignominia nõ corruiſſe. Perſtiterunt tamẽ ſuo more, & omnes cõtumelias fortiter deuorarũt. Vbi ventũ eſt ad primi capitis de imaginibus cõcluſionẽ, tres inuẽtæ ſunt ſentẽtiæ. Nos enim petiimus ſemel eiici imagines, aduerſarij cum omni ſuo cultu retineri. Medij (id eſt Valẽtinus Epiſcopus, Salignacus, Spẽſa, Botellerius, Picherellus, à quib⁹ alioqui miſerrimè & acerbiſſimè vexati ſunt hoſtes) cultũ duntaxat ſuſtulerunt. Tũ Regina, cuius patientiã tibi ſatis cõnotare nõ poſſum, nos ad cõcordiã multis verbis cohortata, tandẽ imperauit vt ſingulæ factiones ſuã ſententiã perſcriberent. Hoſtiũ opinionẽ nec deſcribere, nec mittere placuit. Ex noſtra cognoſces nos de induſtria ſtuduiſſe, vt abrupti colloquij culpa omnis in illos tranſferretur. Id enim callidè captabant, vt quoniã primi eramus ſententiam noſtrã recitaturi, ſi

præciſè negaremus nos nũquã nec vllis cõditionibus coituros niſi omnibus imaginibus ſtatim profligatis,reſponderẽt ſibi cũ tam præfractis hominibus nihil fore negotij, & alioqui fuiſſe de iure ſuo deceſſuros.Neq; verò nos hæc expectatio fefellit. Nã ſimulatq; viderũt nos de veritate quidẽ nihil cõcedere,ſed tamẽ,oblata quadã cõditionis ſpecie, illis eripere quod quærebãt, apertè cœperũt per ſuos dicere omnia hęc ad Cõciliũ Tridentinũ eſſe remittenda.Nos autẽ cõtẽti fuimus de noſtra prõptitudine teſtari,& manifeſtas rationes proferre,cur illius cõciliabuli decretis ſtare non poſſemus.Regina initiò in ea erat ſentẽtia,vt omnino vellet illos ad finẽ vſq; pergere, ſed cùm animaduerteret factioſos quoſdã hac occaſione arrepta interea per cuniculos aliud moliri,tandem per Cãcellariũ ſignificauit,ſibi nõ videri vt procederet colloquiũ,quãdoquidẽ in primo capite quod maximè videbatur perſpicuũ,tãta appareret diſſenſio. Nihil hoc cõſilio gratius accidere potuit noſtris aduerſariis quibus iſte lũdus minimè placebat, adeò vt ipſe Demochares (aſinus omnium quadrupedũ(Mallario excepto)infacetiſſimus)penè ſui oblitus in meos amplexus rueret,& eius ſodales honorificè me ſalutarẽt.Relinquo tibi cogitandũ quàm bellè mihi cũ illis beſtiis cõuenerit.Certè nõ ſine riſu ipſius Reginę illos à me dimiſi.Interea iuſſi ſumus noſtrã de reliquis etiã capitibus ſentẽtiã paucis perſcribere.Sed hoc fiet,opinor,ad Calẽdas græcas.Interea dum hæc fabula peragitur,nõ credas quas nobis Tragœdias excitarit Ille quẽ minimè omniũ oportuit,de quo ſi deinceps ſcripſero,Iulianũ vocabo.Dicã vno verbo,opus eſt Domini, iuſta ſua iudicia exercẽtis,& vix vllũ,extat ſimilis leuitatis,perfidiæ,ſceleris exẽplũ.Neq; puduit illũ quo die ſum eũ in lectulo alloquutus,nõ aliter mecũ agere,quàm ſi ignorarẽ quę vel ipſis pueris nota ſunt.Ab eo tẽpore odiũ in me ſuum nõ iam ſimulare,ſed apertè prodere cœpit,& ſpiritu malo palàm agitatus inſanire. Sed bene habet quòd Deus omnẽ illi mentẽ ademit,adeò vt ne inſanus quidẽ videatur magnopere formidabilis. Vxorẽ autẽ tibi affirmo duplò fortiorẽ eſſe, quàm vnquã antea. In Poſſidonio &altero eius fratre nihil eſt, quòd requiras. Vterq; ceſſit illius inſani furoribus,ſed certo conſilio, quod nobis vtile fore ſpero,quãuis maluiſſem ad extremum inuictos ſeſe opponere. Sed aliter iudicant faciendum fuiſſe,quibus arcana iſta notiora ſunt quàm mihi. Hoc quidem ſcio & Regi & Reginæ gratiſſimos diſceſſiſſe,& ſpero aliis ad exeundum ianuam pateſeciſſe qui minimè hoc ſperarant. Tertius frater in aula remanſit, homo ſi quiſquam in eo ordine alius,planè integer,adeò effuſa eſt Dei benedictio in totam illã familiam.Hac occaſione arrepta,cupidè & ipſe ex aula diſceſſi ad patrem profecturus, ſimúlq; me ad reditum cõparans.Sed ecce nouæ turbæ,in quibus nefas fuit hanc Eccleſiã (cuius gubernationem noſti)deſerere. Senatus neque precibus neque minis potuit exorari,vt iniquiſſima etiã addita duorum capitũ declaratione,Edictum promulgaret. Hinc igitur infiniti tumultus,conſpirationes apertæ,mutuæ cædes,& quod non? & hæc omnia debemus accepta referre Iuliani furoribus. Interea grex creſcit infinitis modis, quæ vna res me hîc retinet,quoniam video Dominum huic qualicunque meo labori benedicere.Ab hinc quatriduum Regina huc venit, vt Edicti promulgationem extorqueret. Eius conſilium infœlix ille impediit.Edictum igitur illa,vnà cum ea quam dixi declaratione, ſecum abſtulit,& Senatum monuit vt ſaltem melius aliquod conſilium daret. Eodem die, qui tamen feſtus non erat,conuenimus in concione pomeridiana ad vigintiquinque hominum millia, in quibus erant plurimi omnium ordinum huius ciuitatis non alio habitu, quàm ſi in Curiam fuiſſent ingreſſuri,& ex nobilitate quamplurimi. Hoc ſpectaculum alios ad rabiem & deſperationem adegit,alios fregit, alios coegit ſuſpenſos hærere, & ſanè in his turbis quiduis experiendum video.Cõſilium eorum qui in Senatu nobis aduerſantur,id eſt partis aliquantò maioris,eiuſmodi eſt in ſumma.Obſeruandum eſſe Iulij mẽſis Edictum, nõ quale habetur,ſed ita vt perſcriptum erat in Curiæ regiſtro,id eſt multò crudelius.Non deeſſe Principem,(is eſt Aumallæus) qui paratus ſit intra mẽſem omnes iſtos extra Regni limites profligare.Sorbonã ſcripturã eſſe breuẽ Catechiſmum, qui à Catholicis doctoribus in omnibus oppidis explicetur, itémq; fidei capita, quibus Rex ipſe primus,deinde omnes ſine exceptione ſubſcribãt. Qui hoc facere recuſarit,ſi quo munere fungatur, ab eius functione per annũ abſtineat: niſi intra annũ reſipuerit, exilio & fortunis multetur.Sin priuatus fuerit,intra mẽſem excedat Regni finibus.Miniſtri intra diẽ decimũquintũ,addita reuertẽtibus capitali pœna,pellãtur.Noſtrarũ Eccleſiarũ matrimonia irrita habeãtur, & ex iis prognati mares vel fœminæ inter ſpurios numerẽtur.Quid amplius?vt quos baptizauimus,alieni ab Eccleſia cẽſeãtur.Hæc illi,& ſanè

sanè gaudeo quòd nullum medium consiliũ cœperint. Neq; enim arbitror vllum prorsus fore qui non eos vt stultos rideat, & vt insanos reiiciat. Interea exitum aliquem præstolamur. De mea valetudine, videor quidem mihi melius habere, sed tamen quotidiani labores vix sinunt me respirare. Interea millies mori malim, quàm in tãta tempestate quiescere, laborantibus omnibus. Preces tãtùm peto, & rogo, mi pater, vt, quòd ad rem istam attinet, cætera arbitrio meo relinquas. Nam si tute hîc esses, piger tibi viderer, in tanta necessitate, quantùm hîc conspicio, in ea vrbe quam aduersarij præcipuè petunt. De meo reditu, idem est mihi animus. Quid multi cupiant atque etiam importunissimè flagitent, partim iam admonui, partim deinceps cognoscetis. Nã etsi ita restiti, vt millies prædixerim nihil tale esse ipsis cogitandum, tamen video ipsos omnia tentaturos. Quid expediat si requiris, puto de hoc constitui non posse in ista rerum perturbatione. Coniicio Iulianum, qui omnibus bonis semel bellum minatur, nunquã passurum vt diutius in hoc regno maneam. Sed in omnem, vt aiunt, euentum, proderit publicis literis me ad Calendas Maij, ad summum reuocari. Si interea eiiciar, certè solus non ero. Sed hoc vt spero, Deus auertet. Sin minus, tamẽ omnes intelligent meritò me de reditu cogitare, & hoc fortassis obstabit, quò minus ad vos mittantur qui vobis atq; etiã mihi sint molesti. Hęc tamẽ ita dicta & scripta sũto, vt me existimetis nihil aliud decreuisse, quàm quod censueritis ex vsu esse Ecclesiæ, siue hîc mihi sit manendum, siue redeundum. Iam ad postremas tuas venio. Quod de Hispani & aliorum fœdere istic fertur, iampridẽ hîc volitat, & facit aduersariorum cõfidentia, vt non penitus vanum esse rumorem coniicia mus. Sed nihil certi possumus adhuc affirmare, quamuis Possidonius qui tum hîc erat, cùm literæ tuæ & illi & mihi redderentur, omnia sedulò sit expiscatus. Nam cõmodè euenerat, vt tum quoq; Regina hîc esset. Puto igitur neq; contemnendũ esse hunc rumorem, neq; nimiùm reformidandum. Diligenter omnia scrutabor, & statim perscribam. Et hîc necesse est, mi pater, vt tibi alioqui tot laboribus oppresso, hoc onus inuitus impo nam, vt Martyrẽ & nostros illos quoties licebit, certiores facias eorum, quæ hîc geruntur, quamuis hac molestia, quoad eius fieri poterit, ipse te libenter liberabo. Habes literas aliquantò longiores, quàm si sæpius scripsissem: sed tamen rogo ne vlla negligentia factum putes vt tandiu tacuerim. Bene vale, mi pater, cum fratribus, Collegis & amicis omnibus. D. Iesus te magis ac magis in opere suo confirmet, & ad extremum vsque tibi benedicat. Lutetiæ, XXVI. Februarij.

Io. Cal. Gibotio Tolosano.

Sicuti cùm antehac audirẽ, eximie vir, te istic pro defensione salutis doctrinæ strenuè pugnare, & hac de causa vexari ab hostib⁹ pietatis, de salute tua solicitus fui, & coram Deo gratulatus sum tuæ cõstantiæ: ita nunc miratus sum, vbi maior affulsit libertas filiis Dei te adhuc desidere in eo cœno, vnde pridẽ emergere debueras. Nam cùm de lætiore vrbis vestræ statu verba fierẽt, mox scisciatus sum quomodo te gereres. Vbi verò mihi narratum est te in eadẽ manere professione, liberè tibi fatebor, huius parum ingenuæ tuæ tarditatis me puduit. Etsi enim nõ dubito Satanã & mundũ multa obiicere, quæ te impediãt ac morentur: omnia tamẽ obstacula perrũpere te decebat. Nã cùm in te multorũ cõiecti sint oculi, nisi exẽplo tuo præluceas omnibus, quidquid coloris obtendes ad excusationẽ nullius erit momenti. Adhæc in eo te gradu locauit Deus, qui te arctiore vinculo ad reliquos excitandos obstringat. Nec tibi venia dabitur, nisi te certamina, quibus Deus pridẽ te exercuit, animosum reddãt. Iã quasi sublato vexillo suos omnes Deus ad pugnandũ inuitat. Quãuis aliorũ ignauiæ parcatur, tibi omniũ minimè cessare licet. Quid enim absurdius vel minus decorum, quàm puero duce colligi Christo Ecclesiã, certatim confluere multas turmas, vulgus hominum acriter se impietati opponere, omniũ ordinum homines vno cõsensu purum Dei cultũ profiteri: veteranum autẽ Theologum qui luculentũ recti animi specimen edidit, de quo tanta cõcepta fuit expectatio, nõ modò quietũ stare, sed permixtum esse manifestis & professis Christi hostibus? Negabis te prorsus silere, vel esse mediũ, sed multa signa dare synceri erga Religionẽ studij. Sed multũ abest quin hęc obscura & ambigua significatio ad placãdos piorũ animos sufficiat, qui meritò aliquid maius abs te flagitant. Nisi ergo in apertum prodeas ad dandum Christo nomen, adeóque primus in acie appareas tanquam Antesignanus, culpam nimium mollis inertiæ neque coram Deo, neque coram Ecclesia vnquam effugies: quando res eò prouectæ sunt, vt iam nõ supersit tergiuersandi locus. Ignosce meæ vehemẽtiæ, quàm mihi verus

erga te amor suggessit. Nam dona quibus te ornauit Deus sic amplexus sum, vt non possim nõ esse tibi amicus. Vale ornatissime vir, & mihi ex animo colẽde. D. te Spiritu suo gubernet, virtute fulciat, præsidio tueatur. Genevæ, XIIII. Martij. M. D. LXII.

Io. Cal. N.N. S. D.

VTinam, Dilectissimi fratres, lætius ad vos scribendi argumentum sese offer ret, vt meæ etiã literæ plus gaudij vobis afferrẽt. Peto igitur à vobis ne molestè feratis, si vos ad tempus tristitia affecero, cùm ea vna sit ratio, qua verè in Domino gaudium ereptum renouari possit. Optarem verò hoc potius scripto prædicari à me vestram fidem, charitatem, tolerãtiam, vt vos etiam ad perstandum ac proficiẽdum in melius exhortarer. Cùm autem vestra salus mihi chara atque pretiosa sit, ad aliud argumentum me conferre cogor, vt vos seriò commonefaciam quæ ad me de vobis perferuntur, non respondere Euãgelij cognitioni, vti illam à Domino semel accepistis. Quare necessitas quæ me huc adducit, excusationis vicem satis apud vos supplere debet. Sic enim Paulus ipse, cuius tanta erat spiritus mansuetudo ac singularis humanitas, Corinthios ipsos in causa esse dicit, quòd aduersus ipsos vehementia & asperitate vti cogeretur. Et tamen vbi ita illos tractauit, testatur eius rei se
2. Cor. 7. 8. non pœnitere, dummodo tristitia illa quam ipsis scribendo intulit, eos ad ingemiscendum suis malis adducat, vt seriò resipiscant. Sic etiã ipse colligo, quòd ita me gerã erga vos, à vobis acerbũ ad primum motum iudicatũ iri: atqui si in vos vti par est, descẽdetis, vt vestros morbos persentiatis, agnoscetis nõ aliud ad illos medicandos lenius remediũ adferri potuisse. Sic autem de vobis sentio, ex iis quæ audiui à fide dignis, & qui bene in vos affecti sunt. Ac ne vos plurib⁹ morer, sic accipite. Vitã illã vestrã magno esse probis offendiculo: ac vicissim ea occasione os impiis à vobis aperiri, vt nomẽ Domini & sanctã doctrinã blasphement. Sic enim ista cõnotanda sunt vt se habent, vt malũ vobis retegatur, quod tandẽ quale sit agnoscatis, vt remedio locus esse possit. Enimuerò sat scio gratiores esse multò illos medicos, qui malũ emplastris & vnctionibus linẽdo leniũt, vt vlcus intimũ nõ foueãt, quàm qui vt ægrotũ probè curẽt, seriò lãcinãdo pus ipsum exprimũt. Ac si ad vestrã salutẽ ita expediret, nihil magis optarẽ, quàm mollius & blãdius omnino vobiscũ agere. Sed quid agã, si quæ nimis nota sunt dissimulauero, ac tã inordinatis modũ aliquẽ affinxero, cùm res nullo modo iã ferat? Hęc sunt igitur quæ de vobis audiũtur, vt & à vobis audiantur placidè, vt remediũ malis quæramus, quæ nimis iã diu apud vos obtinuerunt. Primùm igitur hoc fertur, vos plurimùm refrixisse ab affectu qui extabat olim in vobis ad audiendum verbum Dei: illud ex eo colligi, quòd nullum sit apud vos in illo proficiendi studium: itẽ vos effusos esse ad blasphemias, luxus, scortationes, eásq; eiusmodi, vt ad illarũ auditũ exhorrescã. Itẽ strepere inter vos omnia dicteriis & falsis cõuitiis, quibus vos ipsos mutuò admordetis, quasi certatim & perpetuò, tãtùm mutuæ ædificationis studiosi estis: item odia, detractiones, inuidiã, ita regnare apud vos, iurgia etiam manifesta atq; rixas, vt à verbis tãdẽ ad pugnas etiam deueniatur. En verò natiuos planè fructus contemptus doctrinæ illius, quæ fræni instar esse debuit, vt in vera sanctitate & honestate cõtineret, Atq; ille fons est mali, refrixit nempe zelus audiendi verbi & in illo proficiendi, qui olim vigebat. Est verò illud infausti ominis: cùm qui optimè verbum Dei cõcoquũt, nunquam illo tamen se satis expleri posse sentiant. Vt contrà qui Dei verbo quasi saturum grauari se ostendit, iam fastidium illius prodit, vt tandẽ euomat quidquid antè percepit. Equidem me non latet, nõ ita vos ipsa auditione verbi institutos pridẽ fuisse, vti optãdũ esset. Sed tamẽ vel minima portio tãti boni optabilior erat, quàm si nihil omnino accepissetis. Iam audimus de vobis, nõ valde à vobis requiri publicã priuatámve institutionẽ. Sanè etiã si centies vberior vobis intelligẽtia veritatis inesset, ea tamẽ est immẽsitas sapientię Christi, vt nũquã nõ illic reperturi sitis, quod vobis maximo vsui esse debeat: adeóq; prouectissimos quosq; doctores perpetuũ discipulorũ locũ in hac vita retinere statuendũ est. Vt verò ipsa simplici doctrina nõ ita vobis opus esset, an verò qui cum illa coniuncti sunt exhortationum, stimuli parũ necessarij iudicandi sunt, vt tot illa mala quæ inter vos emergunt saltẽ indicent, atq; vos vobis ipsis exhibeãt? Si nullũ aliud peccatũ inter vos extaret, illud tamẽ est nõ mediocre, quòd nõ in melius sed in deterius tẽditis. Insigne inquã, est peccatũ, & ingratitudo omni deprecatione maior, vbi cordis aures obuiæ nõ patent, Domino sacrum illud os suũ apud nos aperiẽte. Imò cùm non sit hoc vnius diei, sed quotidianum ipsius beneficium, no strum

erat

erat quotidie etiam illi audientiam præstare: quò pertinet illa Pauli admonitio, vt Dei verbum copiosè in nobis inhabitet. Agnoscite igitur vt summum inter vos malum, cùm non alio affectu proficiendi magis ac magis ducamini, vt teneatis quæ sit voluntas Domini: cúmque remittitis omne studium & diligentiam ad vos siue per lectionem, siue alia ratione in cœlesti illa cogitatione confirmandos. Quemadmodum enim fastidium cibi malam corporis habitudinẽ declarat, ita lõgè peius habere liquet ipsam animã, vbi gustus ille & sapor verbi Dei plánè deperditur. Porrò ex ipsis fructibus mali etiã magnitudo æstimanda est. Neq; hoc dico vt vnguẽ vlceri apponã, sed vt in quo versemini periculo, cõmonstrem, vt tãtò melius appositũ remediũ amplecti possitis. Nã quis illud credat, quòd nomen ipsum Dei, quod satis pretiosum apud nos esse nõ possit, ita apud vos indignè profanatur? Neq; enim temeritas iurandi istic tãtùm vsurpatur, sed & blasphemiæ, quę passim per ora volitant, audiuntur. Ecquid verò in Deũ creditis, qui tã securè hoc illius quasi fulmen nõ expauescitis? Dominus nõ habebit pro innocẽte qui assum- Exo. 20. 7.
pserit nomẽ ipsius in vanum. Iam si non ferendũ à se iuramentũ temere cõceptũ pronũtiat, scilicet illi perinde erit quòd sacrũ ipsius nomẽ blasphemiis etiã magis per vos vilescat, quin horrenda vindicta tantũ scelus secutura sit? Tãtí ne scilicet vobis esse corpus ipsum Christi Domini, ipsúmq; sanguinẽ, vt eorũ mentio siue per insultationẽ, siue per ludibrium à vobis etiã fiat? Atqui nisi ista propiùs expenditis, satis ostẽdet vestrò malo, quàm alio in pretio illa ipsa habeat, quæ vos ita fœde proculcatis. Neq; verò hoc etiam dissimulauit hactenus. Quæ enim nobis probra incũbunt, certa sunt ipsius flagella, quæ eo nomine ab ipso immittũtur, quòd nõ eã quam par erat nominis ipsius rationẽ habuistis. Auditis Apostolũ nẽpe, vbi de illis agit qui cùm Deũ cognouerint, ipsum tamẽ legi- Rom. 1. 28.
timè nõ glorificauerũt, ideo, inquit, tradidit illos in mẽtẽ reprobã, vt in omnẽ fœditatẽ proiecti essent. Atque ita loquitur Apostolus de profanis ipsis, quibus lux illa Dei non perinde atq; vobis affulsisset. Cùm igitur Euangelij lucẽ vobis obtulerit, quòd ita nunc vehemẽter in vos excãdescat, apud quos nomẽ ipsius ita proscinditur, ipse quidẽ mirari non possum. Hinc omnino illa inter vos pudẽda cõfusio: ac nominatim scortationes: cæq; adeo fœdæ, vt ipsis infidelibus horrorem incutiant. Equidem nõ vt causæ cognitione præmissa sententiã fero: sed tamen scandalũ ipsum adeò vulgare est, vt plus satis mali subesse clamet: sed tamẽ si illa Pauli admonitio memoriæ saltẽ hæreret, vt abstinea- 1. Thes. 5. 22.
mus etiã ab eo quod mali speciem habeat, attentius vt existimo, à malo ipso caueretis. Cõtrà verò nõ desunt quos hoc vnũ quærere credibile sit, vt famã illã quæ de ipsis circũfertur, & malum simul exemplũ cõfirment. Optãdum verò esset, famam ipsam quæ passim volitat, extinctam esse omnino. Sed nihil agitur nisi factum malè, purgetur. Sic enim finit Dominus ipsam fœditatem detegi, vt qui libentius in tenebris sibi in vitiis indulgerent atq; blandirentur, ipsi demum vbi se detectos sentiunt, pudore suffundantur. Sic solet ad resipiscentiã compellere. Porrò quid contineat Scriptura quòd ad promiscuas 1. Cor. 6. 9.
& vulgares scortationes, non ignoratis. Illas nẽpe à Deo maledici, propter illas Dei vin- 15. 18.
dictã rebellibus impendere, ad eos qui illas sectãtur, Regnũ Dei nõ pertinere, illas adeò Col. 3. 6.
sacrilegij instar habere, quando nostra ipsorum corpora, quæ Spiritus sanctus sibi templa sacrauerat, illis demum polluantur: qui se illis addicunt, à Christi corpore abscindi. Scortatorẽ deniq; sibi ipsi peculiarẽ quandã maculam, quæ aliis sceleribus non ita coniuncta sit, inurere. Atqui nõ in scortatione istiusmodi stetit apud vos malum. Quis enim est iam vester pudor, quòd ad eam vsq; licentiam progressi estis, quam profani ipsi detestati sint, cùm ipse naturæ sensus hoc omnes doceret, crimen esse intolerãdum. Incestũ nempe toleraſtis, & approbaſtis. Quare date operã imprimis, vt quòd ad istud attinet, conscientiam vestram coram Deo imprimis aperiatis, atque vos ita syncerè hîc gerite in posterum, vt nulla inde macula apud alios in vobis hæreat. Testabatur Paulus, si quos 2. Cor. 12. 21.
scortatores aut profusos & inordinatos apud Corinthios offenderet, quos mali non pœnituisset, sibi hoc nouum luctum allaturum, atque ipsorum in se opprobrium deriuatum iri. Quantò magis ipsis mali auctoribus ad lacrymas & extremam demissionem confugiendum erat? Quum autem vos omnes etiam vt eiusdem corporis membra partem etiam mali sustineatis, illa tam horrendi peccati agnitio vos quoque afficiet atque seriò deiiciet, vt in posterum studiosius quàm hactenus feciſtis, enittamini, vt vos mutuò ædificetis, tum verbo, tum ipso vitæ exemplo. Nã & eo malè auditis, quòd nondos quoslibet. Paulus verò nominatim etiam dicacitatem, & facetias illas scurriles à Ephes. 5. 4.
nulli quasi artem quandam sannionum factitent, toti dicteriis referti sint ad pungen-

Christianis alienas esse iubet. Hoc igitur à vobis remouete: idque eò magis quòd mali illi & insulsi sermones afferunt secum malè agendi licentiam, quoniam in illis proferēdis iam modus omnis reiicitur. Sequuntur deinde odia & inuidētiæ, quæ nimis prodūt, Regnum Dei non extare apud vos, cùm ipse sit Deus concordiæ & pacis. Adiūctæ sunt etiam detractiones, quæ nullum charitati esse locum indicant, quando Charitas tegere dicitur multitudinem peccatorum. Atque hîc satis mirari non possum, vnde vobis ad ista otium dari possit, cùm tot hostes vndique immineant, qui hoc vnum quærunt, vt aliquâ vobis noceant. Etiam Guelphis cum Gibellinis conuenit, vbi tertius hostis emergit. Inter vos autem ita paucos, atque vndique adlatrantibus hostibus subiectos, ita tamen odia & rixas feruere quàm absurdum est! Instant circumcircà qui ad vos deuorandos intenti sunt: & à vobis ipsis occasio obtruditur, dum ita vos mutuò mordetis, quasi nempe cotem ad exacuendos ipsorum mucrones data opera subministraretis. Agnoscite verò quòd ita præcisè vobiscum egi, me ad vos expergefaciendos necessitate adactū fuisse. Nisi enim lethargo grandi laborassetis hactenus, nō ita & tamdiu, inque tam crassis vitiis vobis indulsissetis. Vt enim perpetua cum omnibus coniuncta sit infirmitas, tamen quod in vobis notaui, mera est prauitas & contemptus. Atqui nolim vos hac mea reprehensione ad animum desponděndum impelli, cùm illud mihi potius proposuerim, vt in spem misericordiæ Domini vos adducerem, quæ omnibus obuia est, qui modò ad ipsum sese conuertunt. Et quòd ad illa ipsa mala, quæ vobis digito commonstraui, cùm non possint vobis aliter quàm probro & ignominiæ cedere, illud vnū vos erigat, quod Dei gloria ita etiā illustretur: vt in illius misericordia quę vos vnà sustinet, meritò gloriā vestram repositā statuatis, cùm nomē benignissimi patris erga vos ita à vobis nō frustra inuocari constet. Excitate vos ipsos interea, vt à Domino ipso edocti, seriò tandem resipiscatis. Adhibete meliorem diligentiam tum ad lectionem Scripturæ, tum ad reliqua pietatis exercitia. Pollutiones illas omnes & fœditates semel è medio vestri tollite. Sic nomen Domini reueremini, vt nunquam à vobis nisi ad ipsius honorem proferatur. Sic quisq; vitam domi instituat, vt nemini vllius impudicitiæ suspicio suboriri possit. Facite etiam vt omnis luxus & insolētia, quæ non decet Christianos, semel reuellātur à vobis. Atq; vt odia & rixæ à primis fundamentis eruantur, ipsas causas seriò excutite. Ablegate nempe à vobis infidelitatem & nequitiam: neque porrò locum retineat apud vos superbia, vt quisque sibi omnes velit esse obnoxios. Præcipuè verò à Domino petite vt vos respiciat, atque ita admissorum malorum memoriam sepeliat, vt vos etiam syncerè reformatos ad se reducat. Hîc enim ipsius opus extare oportet singulari aliquo modo: cùm alioquin periculum sit ne in exemplum statuamini, vt per vos alij discāt quàm intutum sit cum tanto hero quasi per lusum agere. Attendite denique ne ad istam admonitionem obdurescatis, ne in eorum condemnationem incidatis, qui postquam ipsius gratiam reiecerunt, ignem aduersum semetipsos excitant, qui tandē ipsos absumat. Atqui meliora de vobis spero, atque de vobis aliquid audire exopto, quod præsentem tristitiam abstergat. Faxit Dominus vt quæ in vos cōtulit dona euanida nō sint: vt vestros lapsus restituat, vt in vobis omnes certissimè ipsius infinitam misericordiam conspicuā habeant, ac proinde in vobis etiam exaltetur fœlicius quàm antea sanctum nomen eius. Amen. M. D. LXII.

Prou. 10.12.

VIRETVS CALVINO S. D.

DVo sunt quæ me hîc adhuc detinent. Primùm medici quibuscum mihi res est: deinde motus variis in locis excitati ab hostibus, & cædes crudelissimæ ab iisdē perpetratæ. Audiuisti de motibus & seditionibus Prouincialium. Paucis antè diebus Narbonēses ficti duelli prætextu inter duos Hispanos, ciues & incolas penè omnes ad fictum illud spectaculum vrbe extraxerūt. Postquam egressi sunt, fraus prodita est & patefacta proditio. Quum enim nuntiatum esset in alium diem reiectum duellum, ac omnes qui egressi fuerant, in vrbem regederentur, iis solis patuerunt portæ qui Papisticam tuentur & sequuntur religionem, alij sunt excluſi. Sub idem penè tempus, cùm Ecclesia Carcassonensis Regio parens edicto, vrbe egressa esset ad sacrum conuentum, clausæ sunt vrbis portæ, ne in vrbem reuerteretur. Fratres cùm se viderent excluſos, vrbis portas obsederunt, ne quis vrbe egrederetur, aut in eam ingrederetur. Interea tormento bellico ex vrbe tres ex nostris occisos fuisse

fuisse audiuimus. Sed longè grauius est & atrocius, quod eodem penè tempore accidit in vrbe, cui nomen est Castelnau, quæ non ita procul à Tholosa abest. Nam pari sæuitia & crudelitate in nostros, hostes grassati sunt, qua iam ante menses aliquot Cadurci. Nam quum nostri ad sacrum cœtum conuenissent, incensa prius domo hostes in eos irruerunt tanta crudelitate, vt magnus fuerit occisorum numerus. In his primus cæsus est minister, qui suum caput hostibus pro cæteris omnibus obtulit. Sed ne hac quidem ratione compesci potuit hostium rabies: deinde diaconus pari fato sublatus, & vnus Regius procurator vir Opt. & Consiliarij aliquot, præter vulgus promiscuum. Interea Tholosani huc ad ueniunt, cùm multorum literis, Tholosam si possunt me deducturi, quamuis disertis verbis admonuissem ne pedem mouerent, antequam à me intellexissent quid mihi per tempus, per valetudinem, & per Ecclesiam cui vni obstrictus sum, Geneuensem, liceret. Monspesulani verò etsi spe fructus quem ex meo Tholosam aduentu sperant, eò adducuntur, vt hanc à me suscipi profectionem optent: non sunt tamen in ea sententia, vt eò iter arripiam his turbulentis temporibus, donec tota regio paulò sit pacatior. Vt res modò habent, nescio planè vtra ex parte tutius sit iter aggredi. Sed spero fore vt breui Do. viam tutiorem aperiat, aut vt ad vos reuertar ad tempus mihi præscriptum, aut vt longius progrediar si coegerit necessitas. Interea Ecclesiæ augentur, quæ pergunt magis atque magis ministros postulare. Hic tabellarius, quum neque hîc neque Nemausi, neque alibi ministrum inuenire potuerit, cogitur ad vos se recipere. Valde cupio qua sis nunc valetudine cognoscere, quam vt diligenter cures, iterum atque iterum precor, vt qui magis omnibus sis Ecclesiis necessarius, quàm hactenus vnquam. Salutem multam dico collegis & amicis omnibus. Vale opt. ac diutissi. E Montepelio XXIII. Martij, M. D. LXII.

Tuus Petrus Viretus.

BLAVRERVS CALVINO.

QAllicarum Ecclesiarum fidem inter tot potentium aduersariorum pressuras, & immensos conatus eminere, tum & in dies magis atque magis assurgere, magna animorum gratulatione audiunt, quotquot sunt in nostra Germania, qui Christi regnum apud omnes gentes propagatum cupiunt. Guisianorum cum nostris aliquot Principibus collusio vereor, ne monstrum alat, quòd Gallię regno magnum malum daturum sit. Quandoquidem illorum simulatum Religionis studium, quo Augustanam confessionem probare sibi videri volunt, horum simplicitatem, qui alioqui plus satis infensi sunt nunc quidem Sacramentariis quos vocant, facilè circunueniet. Quanquam solatur interim, quòd Dominus est, qui sapientes mundi huius in sua ipsorum astutia comprehẽdit, quem seriò perpetuóque precemur, vt Spiritu sui consilij suorum omnium actiones ad Christi ædificationem fœliciter dirigat, & magnum suum nomen in ea vsque sanctificet.

De aliis Germaniæ nostrę rebus, Linerus hic noster omnia tibi coràm melius expoſuerit. Dubia profectò sunt omnia, nisi quòd grauissimi motus, & hostiles vastitates omnino nobis imminere videntur. Quãdoquidem nullam hactenus legationem sacrarũ precationum, fidelium lachrymarum & omnino serię resipiscentiæ ad illum mittimus paulò adhuc longius agentem, qui tot millibus contra nos venit, ea quę pacis sunt, petentes, quum iamdudũ missis Prophetis suis velut certis. fidei fecialibus, bellũ nobis extrema cõmeritis indixerit: quos ipsos etiam, & contemptim sæpe risimus, & non rarò quoque sumus persequuti, magis atque magis iram nobis ipsis in die iræ colligentes.

Bezæ nostri duram prouinciam & ter miseram sortem vehementer etiam atque etiam dolemus, quum optimi & doctissimi viri non æstimandos labores, sudores, vigilias, tædia, perturbationes, & præsentissima pericula paulò diligentius nobiscũ reputamus: verùm vbi ad illum cui vni militat, animos attollimus, tum verò tèrque, quatèrque fœlicem iudicamus, quòd cum sancto Apostolo electum Domini organum destinatus, Christi nomen coram gentibus & regibus portat, cui etiam post decertatũ bonum certamẽ & consummatum cursum, seruatámque fidem, iustitiæ corona ab eo qui iustus est iudex in illo die haud dubiè reddetur. Faxit autem Christus, vt & ipsi Bezam nostrum superatis aliquando omnibus istis difficultatibus, & fœliciter confectis in Gallia negotiis, reducem videre & saluum nobis redditum gratulari possimus. Tu mi colendissime Caluine, vbi ad

cum scriptis mea etiam vice quàm potes amanter, officioſè, reuerentérque ipſum ſalu-
ta, cuius nunquam non mentionẽ in precibus noſtris apud Dominum facimus, vt ſer-
mo Chriſti currat & glorificetur: quódque ipſius miniſterio plantatur & rigatur, cœle-
ſte ac copioſiſſimum accipiat incrementum, vtque eripiatur ab abſurdis & peruerſis
hominibus, vt quod facit, in tanta fidelium & prudentium Miniſtrorum Chriſti penu-
ria, quàm diutiſſimè faciat. Bene vale anime mi obſeruandiſſime in Domino, & chariſ-
ſime frater. Chriſtus Ieſus te nobis à febribus iſtis medica ſua & fœliciſſ. manu curatum
ac planè ſanum & incolumem reſtituat, ac præſentiſſimo ſuo numine ſemper tibi in ſua
vinea ſtrenuè laboranti adſit, æternúmque te ſeruet. Salueant quotquot iſtic ſunt noſtri
in Domino amantes, Symmyſtæ imprimis cum Coſ. Roſeto. Cómendo me piis ac fideli-
bus veſtris apud Dominum patrociniis. Iterum vale. Vituduri, 1111. Aprilis, quo die in
hanc mundi lucem anno 1492. editus ſum, iam ſeptuaginta annos natus, quod reliquum
eſt vitæ mihi hîc tranſmittendæ, verè vitalis vitæ auctor Chriſtus ſic moderetur & di-
rigat, vt ad hanc me propediem propitius recipiat. Anno M. D. LXII.

Io. Calvinvs N. S. D.

NVdiuſtertius tibi ſcripſi, venerande frater, per Italum mihi familiarem &
vicinũ. Heri tuas accepi cum Sarnicij faſciculo, vbi literas Thretio ſcriptas
inueni, quas remitto. Tametſi autem multa Sarnicius putabat me ex illis co
gniturum, nolui tamen reſignare: ac præſtabit vt intactas recipiat. Simul au
tem recuperaui reſponſum illud, quod mihi perierat, in quo nõ parum pla-
cuit Thretij ſedulitas. Neſcio an expediat nouam lucubrationem aggredi contra diſci-
pulos Blandratæ, donec audierimus quomodo excepta fuerit admonitio iam edita cũ
ſua explicatione. Breuitas enim ad quam me reſtrinxi, obſcura eſſe non videtur. Nec
verò nebulones illi quid quam obiectant, quod non antè fuerit à me refutatum. Fortè
vnum deſiderari poteſt, vt patrocinium quod ſibi aſciſcunt ex vetuſtis ſcriptoribus ex-
cutiam. Etſi autem certa hac quoque in parte victoria eſt, labor tamen erit plenus tædij
& moleſtiæ. Ac Diabolus per has ſalebras ſe iactare, & in his latebris ſe volutare ipſos
docuit, vt ſine magno fructu per lõgos certaminum circuitus nos traherent. Scis quàm
durus ſit & aſper ſermo Tertulliani: Certè ſtridet magis, quàm loquitur. Atqui longum
inde volumen contexere neceſſe foret. In Hilario non tam difficilis ratio, cuius tamen
ſermo valde ſpinoſus eſt ac perplexus. Si quid adhuc ſcribendum cenſeas, conſilium tuũ
hac in parte expeto. De rebus Galliæ nihil affertur: vnde colligimus omnia ſic eſſe tur-
bata, vt inter ſpem & metum tam noſtri, quàm hoſtes pendeant. Extra Aulam animos
colligunt fratres, nec hoſtium ſuperbiæ ſuccumbunt, vel inſultationibus franguntur.
Vale clariſſime vir, & mihi honorande frater vnà cum Symmyſtis omnibus, quos pluri-
mùm ſaluto. Idem faciunt Collegæ mei & amici. Dominus te incolumem nobis ſeruet,
laboréſque tuos ſemper benedicat. Geneuæ, VI. Iunij. M. D. LXIII.

Ioannes Caluinus tuus.

Io. Cal. D. Christophoro Thretio S.

SI mea admonitio profuit tuis popularibus, eximie vir, & mihi colende fra-
ter, Deo gratias ago, qui tantillum laboris, quod illic inſumpſi, paſſus non
eſt fructu carere. Nec verò nunc me pigeret plus operæ ponere in tra-
ctando illo argumento, ſi otium ſuppeteret. Sed ex quo hinc abiiſti, conti-
nuum mihi negotium fuit cum variis morbis, vt ne ordinario quidem mu-
neri obeundo ſufficiam. Quòd ſi maior daretur relaxatio: ſunt tamen alia nunc in ma-
nibus quæ mihi non permittunt, in refutandis illis duobus errorum monſtris operam
impendere. Commentarios meos in Moyſen Gallica lingua vertendos ſuſcepi, non
tantùm vt noſtratibus communis eſſet eius libri lectio, ſed quòd opus alioqui non pœ-
nitendum, innumeris quibus ſcatebat mendis, repurgare neceſſe fuit. Fratres me hor-
tati fuerant, vt librum Ioſue explicarem: hactenus vix ad tertium vſque caput progre-
di licuit, quum tamen breuitati maximè ſtudeam. Vrgeor etiam aliunde, vt tibi ni-
hil polliceri audeam. Si quando tamen melior dabitur opportunitas, eam non omit-
tam. Sed tanta congerie me obruere minimè expedit. Quòd ſi patriæ tuæ ſedulo pro-
ſpicis,

ſpicis,ſtudium tuum laudo.Sed cogita noſtram quoque Galliam multis morbis laborare, quibus maturè ſuccurrere oportet. Quanquam per Ionuilæum non ſtabit, quominus tibi gratificer,quia & ſtrenuus eſt exactor:nec verò ceſſabit,ſi contigerit melior opportunitas: quòd ſi quid vigoris recuperem,libenter ipſe quoque defungar eo munere.Sed nunc tam corporis quàm animi vires magis ſunt collapſę,quàm vt ſtudium meũ applicare poſſim ad nouos labores. Quòd apud D. Hyperium hyemare in animo tibi eſt,nuſquam,fateor,commodius hoſpitium reperies. Nam præter raram pietatem & eruditionem,quæ in eius ſcriptis relucet,aiunt hominem eſſe manſueto ingenio, magna ſynceritate prædituum. Sed tardior in patriam tuus reditus mihi non placet. Nam cùm alios tantopere incites ad manum genti tuæ porrigendam, quid ſibi velit hoc cunctandi & otiandi conſilium non aſſequor. Quanquam fruſtra hæc diſputo,quia antequam ad te perueniãt meæ literæ,hyems ferè tranſacta erit. Vale ornatiſſime vir, mihi ex animo colende frater. Dominus te Spiritu ſuo ſemper gubernet,virtute ſuſtineat,& manus ſuæ protectione incolumem tueatur. Geneuæ,Pridie Calend. Decemb. M. D. LXIII.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. D. CVRSOLIO.

QVod certo homini mandaſti, vt quid conſcientiã tuam vrgeret, mihi aperiret,meúmque ad eam rem conſilium exquireret,bona fide ab illo præſtitum eſſe ſcito. Antequam autem reſpondeam, eſt quod Deo gratias agam cùm ita te affectum video,vt cõſcientię habenas laxiores non permittas multorũ exẽplo: qui nimirum vtcunque ſeſe apud homines excuſent, tandem tamen ſeſe coram Deo damnare coguntur. Iam vt ad rem veniam, non eorum te loco habeo, qui medios ſe profitentur: ſed te à me ſimpliciter quærere mihi perſuadeo, an cùm Chriſtianam Religionem profeſſus ſis, fas ne ſit tibi proſequi. N. ad ſupplicationes & cætera id genus idololatriæ exempla. Hîc autem iſta tibi expendenda ſunt. Primum ne exemplo illo triſtitiam piis aut ſcandalum,aut infirmis vel ignorantibus adhuc faſtidium aliquod afferas. Alterum eſt,ne des occaſionem impiis Dei & veritatis hoſtibus ſeſe effe- rendi: adeóque os impurum aperiendi,quò veram Religionem traducant.Sunt enim illa duo tanti momenti, vt non ſatis à nobis attendi poſſint, vt diſertè ita nobis inculcantur. Cùm igitur Dei Spiritus vetet nominatim ne fratribus triſtitiæ cauſam afferamus,ſeriò illud tibi in mentem veniat, oportet:ſi contingat pios aliquot apud ſe ingemiſcere, cùm te in media illa turma conſpicuum viderint,quæ ad Deum contumelia afficiendũ prodeat. Scandalum verò quale futurum ſit, quámque latè emanaturum ſatis etiam vides. Plerique enim exemplo tuo ducentur,adeóque hypocritæ illi quos ſuæ vęcordiæ hactenus puduit,ſub vmbra tua ſecurè latebunt. Altera ex parte cothurnos indues aduerſariis,non modò vt deſpiciant Euangelium,ſed vt indurentur in ſua immanitate aduerſus illos,qui de pietatis ingenua profeſſione nihil remiſerant. Quò magis denique ſingula expendes, grauiſſimè in Deum à te peccatum iri iudicabis. Supereſt vnum Naamani exemplum. Sed tanta eſt diuerſitas inter illius & tuam perſonam, vt ad vſum tuum referri illud factum non poſſis. Vnus erat ille in tota Syria qui Deum coleret, vnde nemini ab eo potuit afferri ſcandalum.Nemo ex piis contriſtari potuit, quaſi facto ſuo veram Religionẽ probro exponeret. Nemo potuit à recta via abduci,aut ne illam ingredererur impediri. Quin potius ille exemplo ſuo inſultabat genti ſuæ,cùm altare ſibi haberet,in quo Deum Iſraelis adoraret.In ſumma non eſt vrgendum quod illic ſpeciale notari poteſt, ſed potius quod ad ædificationem pertinet ſequendum. Nunc diſpiciendum an illi militiæ renuntiare debeas potius,quàm vt N.minus ea in re obtemperes. Atque hîc tenenda eſt Pauli regula,non eſſe facienda mala,vt eueniant bona: ſatis video quantum commodi ad Eccleſiam redituru ſit,ſi eum locum retineas: quantum verò damni,ſi deſeras. Sed in iſtiuſmodi anguſtiis illud dandum eſt Deo,vt in cum recumbamus, qui vnus idoneè omnibus proſpecturus ſit. Neque interea tibi deerit excuſatio honeſta, quòd cùm N. non ignoret, quam Religionem profitearis, illam te ab omnibus illis rebus auocare,non poſſe integra conſcientia illic ſtare,vbi in Deum peccaturum te noueris. Imò etiam conſtantiam illam tuam magis ei acceptam fore cõfido,quã ſi quidquam de officio remitteres.Etſi ab-

Ex gall.

Rom.3.8.

ſentiam tuam tulit ſatis diuturnam,non erit illi graue ſi triduum in anno, vti per valetudinem te ſubduxeris. Atq; hoc quidem per iocum. Morbum enim te obtẽdere nihil aliud eſſet,quàm quòd puderet te Euangelij. Vbi ergo iſta apud te expenderis, non du-
1.Cor.10.21 bito quin cum Paulo colligas,non poſſe te fieri participem Cœnæ Chriſti, atque interea inter idololatras conſpici, maximè vbi res habet cõiunctum ſcandalum.Peto igitur à te vt tibi inſtes atque Deum enixè ores,qui tibi vires ſuppeditet,&arma illa tibi induat, quibus te ad Domini militiam tantò animoſius accingas. Dominus tibi atque coniugi adſit magis ac magis,vt ſemper omnia in melius ſuccedant. xxxi.Iulij. M. D. LXIII.

Tibi addictiſſimus Io.Caluinus.

Io. Calvinvs Delphinatibvs Fratribvs S. D.

Ex Gall. Actenus ad vos non ſcripſi,dilectiſſ.fratres,quòd expectarẽ vt res inter vos paulò melius ſe haberent:quando aliter fieri nõ poteſt, quàm vt bellorum exitus plurima ſatis perturbata,& inordinata relinquat. Nec tamẽ eam omnium reſtitutiónem ſperabam,in qua nihil deſideraretur:cùm nihil tum meis literis opus fuiſſet.Sed quoniam in mediis illis feruoribus, non ita me à vobis commodè auditum iri iudicabam,meliorem occaſionem quæ nunc videtur offerri, mihi opperiẽdam duxi.Habeo igitur duo ſumma capita,quæ vobis proponam. Vnum eſt ne valde illorum exemplo ſinatis vos duci , qui ſibi perſuadent ſeſe quàm optimè de Deo meritos eſſe,quòd pro Eccleſiæ iure aduerſus tyrannicam audaciam ſecundum Edicta principalia aſſerendo , arma tulerint , pericula adierint , facultatum detrimentum ſuſtinuerint.Imò eouſque inſoleſcunt nonnulli, vt ſibi deberi iactitent , quòd in Euangelij poſſeſſionem alij miſſi ſint. Atqui ſi ita Domino viſum eſt,vt tam honorato vſui vos impenderet, non eſt quòd eo nomine vobis placeatis , aut remittatis manus, quaſi opere ad finem vſque perducto: ſed potius vt inde ſumatis animum pergendi in melius,quod reliquum eſt longioris viæ.Cùm ſi poſtquã tam bene cœpiſtis,ceſſare contingeret,eſſetis tantò minus excuſabiles. Alterum ſequitur, quòd cùm belli occaſio eã licentiam inuehere ſoleat,vt optimi etiam tum ſibi excidant,videndum eſſe me profuſiones illæ & inſolentiæ quibus multi addicti fuerunt,à vobis deinceps retineãtur. Cùm potius malum ipſum quod ita iam inhæſit,ſtimulare vos debeat,ad remedium tantò ſtudioſius requirendum.Eorum verò quæ tam inordinatè geſta ſunt,omnis apud vos ſepe lienda eſt memoria,niſi vt illis ingemiſcendo à Deo veniam precemini, atq; ab eiuſmodi rebus ſeriò pedẽ referatis.Cùm verò facultas à Deo iam oblata ſit , vt cũ aliqua pace conueniatis in nomine ipſius,ad ipſius verbũ audiẽdũ,ad promouẽdam veſtram fidem, ad vos in ipſius timore confirmandos per illa media,quæ in Eccleſia ipſe inſtituit,ſic ad tanti beneficij vſum legitimè præſtandum incũbite,vt aliquatenus etiam quæ ſecus antè acciderunt,cõpenſare ſtudeatis.Optãdum erat ſanè,vt omnes ſeſe iiſdem animis ad Filiũ Dei agnoſcẽdũ adiungi paterentur: ſed cùm illud ſit decretũ Patris,vt extet inter
Pſal.110.2. medios hoſtes Filij Regnum , ſuſtinete patienter quod non ſine mœrore à vobis audiri poteſt.Interea verò ne pudeat adhærere Domino cum perpetua demiſſione,& humilitate,dum impij quaſi victores paſſim exultant. Ac ſi illud vos angit , quòd ipſa cœleſtis veritas,quam omni rerum præſentium cõparatione ſuperiorẽ eſſe nobis oportet,ita deſpecta iaceat inter illos,vos ipſi operam date,vt errantes reducantur in viam. Vt eò perueniatis,veſtro imprimis exemplo illos afficite,vt quòd ad vos nõ accedunt , pudorẽ ipſis afferat.Nominatim vt rectus ille ordo,qui ſoliditatis veſtræ in Chriſtũ fidei fructus ſit,extet apud vos,cuius teſtimonio agnoſcere cogantur Deũ inter vos præſidere.Scitis hoc ipſos in ore habere,quòd nihil aliud quàm vagantem & effrænem licentiam inuehere quæramus.Ergo ipſis reipſa cõmonſtrandum eſt,nos non alio animo excuſiſſe Antichriſti iugum,quàm vt Chriſti ipſius iugũ admitteremus. Atqui res longè aliter ſe habet.Qui enim intolerabiles illas conſcientiarum fidiculas in Papatu ſuſtinuerunt,quiq; horribilem illam animarum carnificinam tolerarunt tamdiu,nunc Euangelium obten-
2.Cor.11.20 dunt vt anormes & exleges viuant. Sic iſtis accidit quod de falſis Apoſtolis ad Corinthios querebatur Apoſtolus.Nempe,inquit,omnia illorũ placidè admittitis, & tantumnõ deoſculamini,cùm interea ad paternã obiurgationẽ ſeruorũ Dei ita refractarij ſitis. Pleriq; autẽ hoc magis probarẽt,vt ſe quiſq; pro arbitrio gereret,quib⁹ ſatis eſſe videretur,quòd verbũ Dei publicè doceretur. Quaſi verò perperã inſtituta ſit à Domino in ipſius Eccleſia diſciplina, quæ omnes in officio cõtineat. Atq; vt familiari exemplo hoc conſtet,

conſtet, quænam eſſet vita noſtra & vigor, ſi anima ita corpori ineſſet, vt vel deeſſent nerui interea, vel officium non facerent? Sic omnino anima Eccleſiæ verbi auditione conſtat, ita vt etiam neruorum locum obtineat ordo & politia conſtituta appoſitè, ad bonum corporis illius habitum conſeruandum. Atque eò ſpectat illud Apoſtoli, quod 1.Cor.14.33 Deus noſter non ſit auctor ſeditionis ſed pacis. Illud præterea vel vnum abundè eſſe oportuerat, vt nihil aliud obſtaret nobis ne diffluerémus ad malũ, vnum inquam Eccleſiæ Reformatæ nomen quod gerimus. Quòd ſi quis hîc timendum putat, ne ſub regiminis ſpiritualis titulo, ſpecies aliqua dominationis inuehatur, aut ne miniſtri ſibi plus quàm licet tribuant, & ſua poteſtate abutantur, veſtrum eſt ei rei proſpicere, atque eam moderationem adhibere in iis quæ apud vos his de rebus ſtatuenda ſunt, vt neque conſtringatur quiſquam in ſua vocatione, neque etiam fines legitimi tranſiliantur. Adeóque vt illi ipſi, qui regendis aliis præerunt, arctioribus etiam diſciplinæ vinculis, quàm alij ex medio cœtu contineantur. Summum igitur hoc eſt, quod à vobis per Dominum vnicè contendo, quantùm & vos Patris cœleſtis præſidio fouendos, & ouium natiuam docilitatem illi exhibendam à vobis exoptatis, vt manſueto animo admittatis, quidquid ipſe præſcribit, tum in veſtram ſalutem, tum præſertim vt obſtruatur os impiis, ne per illos veſtra vlla occaſione nomen ipſius blaſphemetur. Dominus & Pater miſericordiarum complectatur vos ſuo præſidio, Spiritu regat, atque omnibus ſuis bonis locupletet. Geneuæ, XXXI. Iulij, M. D. LXIII.

MEDICIS MONSPESSVLANIS. S. D.

QVum nuper Saracenus Medicis qui valetudini meæ curãdæ præeſt, mihi obtuliſſet quę mihi præſcripſiſtis ad morbos meos leuandos remedia, quis hãc curam me inſcio ſuſcepiſſet, quæſiui. Reſpondit ſe collegæ noſtri qui apud vos eſt rogatu, ſummam eorum complexum quæ facere viſa ſunt, vt mihi vtile conſiliũ daretis. Ego verò ex accurata veſtra reſponſione agnoſco, quàm vobis chara ſit mea vita, de qua proroganda ſponte adeo fuiſtis ſolicitæ: ſi poſtulanti id laboris concedere graue non fuiſſet, officium fuiſſet minimè ſpernendum. Nunc quia anteuertiſtis, eò magis ſum vobis obſtrictus. Cæterũ non alia teſtandę gratitudinis ratio vel facultas ſuppetit, niſi vt ex meis ſcriptis viciſſim ſumatis, quæ ſpiritualẽ vobis medicinã affe rant. Eadem ante annos viginti humanitate vſi erga me fuerant eximij medici Acatius, Tagautius & Gallus Pariſienſes. Verùm neque tunc infeſti mihi erant podagrici dolores, neq; cum calculo & arena mihi erat negotiũ, neq; vexabar cholicis torminibus, neq; moleſtiã exhibebat dolor ani, neq; ſãguinis excreatio minitabatur. Turmatim quaſi vno impetu in me irruptionẽ fecerunt tot hoſtes. Simul atq; conualui à febre quartana, excepit me grauis & acerbus in ſuris dolor, qui pauliſper mitigatus iterum ac tertiò me repetiit. Tandẽ verſus eſt in morbũ articularẽ, qui à pedib⁹ ad genua excurrit. Diu me in venis hęmorroicis cruciauit vlceratis, cùm me titillaſſent aſcarides quibus nunc ſum liberatus: hac occaſione corripuit me proxima æſtate nephritis. Nã quia equi agitationẽ non ferebã, lectica in agrũ delatus ſum. Volui in reditu partẽ itineris pedibus cõficere. Vix ad milliare peruenerã, quum me ſubſiſtere coegit renum laſſitudo. Atq; tum ſanguinẽ pro vrina mitti à me miratus ſum. Domum reuerſus decubui. Nephritis me acerrimè vrgere, cui modica tantũ ex remediis leuatio. Tandẽ calculus eiectus nõ abſq; moleſtiſſimo nixu malũ illud mitigauit. Sed ea erat magnitudine vt venas læſerit, nec cohibitum fuerit ſãguinis profluuiũ, niſi iniecto per ſiryngem mulieris lacte. Ab eo tempore plurimos enixus ſum, & grauedo quæ in renes incumbit, ſatis indicat eſſe illic lapidicinam. Bene tamẽ eſt quòd minuti vel ſaltem mediocres exeant. Spẽ ſanationis eripit deſidia, ad quã me cõſtringunt ægri pedes. Ab equitatione etiã prohibeor ſedis doloribus. Aliud præterea malũ, quòd cibus malè in ventriculo cõcoctus in phlegmata vertitur, quæ ſua dẽſitate tanquã glutino exitũ impediunt. Verùm ego parũ cõſideratè, qui pro laboris mercede laborẽ vobis duplico, nõ iterum conſultandi, ſed nugas meas legendi. Valete ornatiſs. viri & mihi ſyncera obſeruãtia colendi. Dominus vos ſemper gubernet ſuo Spiritu, virtute ſuſtineat, ac donis ſuis vos magis ac magis locupletet. Geneuæ, VIII. Febr. M. D. LXIIII.

CAL. FARELLO S. D.

MAle mi optime & integerr. frater: & quando te Deus ſuperſtitem manere vult, in mundo, viue memor noſtræ coniunctionis: quę vt Eccleſiæ Dei fuit vtilis, ita nos eius fructus in cœlo manet. Nolo te fatiges mea cauſa. Ægrè ſpiritum traho, &

assiduè expecto, dum me anhelitus deficiat. Satis est quòd Christo viuo & morior, qui suis lucrum in vita & morte. Iterum vale cum fratribus. Geneuæ, 2. Maij, M. D. LXIIII.

Sex Epistolæ quæ sequuntur, suo loco inter excudendum non occurrerunt.

VINCTIS FIDELIBVS LVTETIAE.

Gharitas Dei Patris, & Gratia Domini Nostri Iesu Christi per Spiritus sancti communicationem vobis semper adsit.

Ex Gall. Referenda ad annum 1557 mēsem Septembr.

QVantùm mœroris nobis attulerint vestræ afflictiones & miseriæ, fratres dilectissimi, scripto testari nō est necesse: nam & nostra vobiscum cōiunctio, & communis causa aliter nos rerum vestrarum sensu affici non sinunt. Acsi ad manū esset ratio qua vobis adesse possemus, reipsa agnosceretis, quāto vestri iuuandi studio teneamur. Vna nobis in precibus ratio suppetit: si quid aliud in nobis fuit, omissum etiam nolumus, etsi de euentu statuere nō audeamus. Enimuerò quocunque res cadat, certò statuite oculos Domini super vos intentos esse, ac vestros gemitus & lacrymas ad ipsum peruenire. Atque nisi illa fides certissima paternæ ipsius prouidentiæ nos sustineret, iam nos istius mundi voragines prorsus absorpsissent, ad quamuis auram agitati circumferremur, neq; mens neque animus nobis cōstaret, deniq; inextricabilis quidam error vita hîc nostra habenda esset. Imprimis verò vbi Satanæ & ipsius instrumentis habenæ laxantur ad miseram Ecclesiā persequendā, illud demum nobis succurrat oportet, cùm Dominus nullam ex rebus à se creatis à sua prouidentia alienam esse velit, ab ipso non derelinqui qui illum inuocant: cúmque ne minimus quidem passerculus in terram cadat sine ipsius nutu ac prouidētia, paternum illud ipsius studium erga filios non defuturum. Est sanè grauis illa & prædura tentatio, tantis fluctibus mersari, quiq; certissimū naufragium portendant, vt tantisper cunctetur Dominus, neque dum porrigat manum: sed non perperam illud ab Apostolo appo-
1. Petri 1.7. situm est: Dominum nempe perinde atque aurum camino, fidem illam nostram probare velle. Quare etiamsi non ita præsentem opem adferat nostris malis, maneat illa tamen eius veritas in nobis, quòd capilli etiam capitis nostri numerati sint: ac si sangui-
Mat. 10.30. nem etiam suorum effundi sinat, ipsas etiamnum illorum lacrymas esse in pretio apud illum, atq; in vtre ipsius & libro sigillatim reponi, vt testatur Dauid Psal. 56. v. 9. Vnum constare debet: Dominum videlicet non permisisse, vt quod accidit eueniret, quin ita quodāmodo designare statuerit magnū opus aliquod, quod nostrum omnium captū exuperet. Qui hactenus martyrium adierunt, ferè obscuri & despecti erant apud homines, tum in sua ipsorum persona, tum quia non ita conferti & numerosi ducti sunt: quid igitur si aliquem istis angustiis suorum exitum Dominus destinat, qui amplissimum in ipso exultandi, atque ipsius concelebrandi argumentum proferat? Tantùm, vt ita verè sapiamus, dum nos illi absolutè submittemus: atque vt omnia sursum deorsum ferantur, placidè liberationem illam quam pollicitus est expectemus. Vos
Luc. 21.19. verò fratres dilectissimi, dum ista ita se habent, illam cœlestis Magistri vocem ad vsum vestrū referte, vt in patientia vestra possideatis animas vestras. Equidem quàm sit illud carni arduum, non ignoramus: sed nunc maximè succurrat oportet, hoc esse tempus certandi aduersum nos ipsos ac nostros affectus, quū ita acerbè à nostris aduersariis impetimur. Neque verò existimate vobis malè ita consultum iri, cùm vt agni in faucibus luporum versamini, cùm illa promissio coniuncta sit, non defuturum nobis fidum pastorem, qui nos in suam curam recepit. Satis potens est Dominus, vtcunque furant & rumpantur impij, ad illos coercendos vti ipsi videbitur, etiamsi nullis apparentibus mediis vtatur. Vestrum est autem vnicè videre, ne quid præter illud quod ex verbo ipsius licet audeatis. Sic enim nos continendo vt ipsi obediamus, certi sumus ipsum aut tela propulsaturum à nobis, aut idoneis viribus ad ipsa excipienda nos instructurum: vt contrà si vltra ipsius voluntatem perrumpimus, timendum est ne tandem mercedem temeritatis nostræ referamus. Neque verò sic loquimur vt de vestro periculo

securio-

ſecuriores: ſed quia in extremis illis rebus extrema nonnulla ſuggeri poſſe putamus, quibus ita anſam præcidere non ſit facile. Quare non aliud vobis conſilium damus, quàm quod ipſi nobis dari vellemus, ſi eſſemus veſtro loco. Præſtat enim nos omnes nullam hîc ſalutem ſperare ac certæ morti occumbere, quàm vt noſtra fraude & diffidentia Euangelio vlla inuratur nota. Fœcundi nempe cineres martyrum à Domino, humana verò conſilia & ſuggeſtiones ſterilitatem & quaſi vſtionem potius inducunt. Illud igitur & ſentite in vobis & reipſa palàm facite, vos profeciſſe legitimè in illius ſchola, qui nos ſibi in ſacrificium offerri iubet: neque quidquam à nobis recipi patitur, ſed nos noſtráq; in ſolidum pro ſuo nomine impendi vult: ſic tolerando peruincamus, donec impotẽtes illos aduerſarios prorſus cõterat, aut ſibi obſequentes & morigeros Domin⁹ reddat. Quòd autẽ veſtrę Eccleſiæ ordo nunc cõuulſus eſt, videte ne planè effluere ſinatis. Nam & vos ipſos pro veſtra trepidatione ad ſignum à Domino vtcũq; erectum intueri hoc tempus admonet, & nihil Satan magis vellet, quàm vt huc & illuc diſperſi, nunquam deinde coire & coaleſcere poſſetis. State igitur denſi ac conferti prout tempus & res ferunt per Dominum, ac veluti vni humero cõpacti, vno ore Dominum inuocate, qui etiã pollicitus eſt interfuturum ſe in cœtu & duorum vſque & trium congregatorum in nomine ipſius. Valete fratres dilectiſſi. Dominus Deus & Pater protegat vos omnes ſubpræſidio Filij ſui, inuicta conſtantia obarmet, Spiritu ſuo ſancto dirigat in omnem prudentiam, rectitudinem, ſynceritatem, humilitatem ac fortitudinem, ac veſtros illos aduerſarios tantiſper infrænet ac cohibeat, donec in veſtra illa obedientia ipſos ad meritam ignominiam & probrum perpetuum adducat. XVI. Sept. M. D. LVII.

Io. Caluinus fratrum nomine.

Io. Cal. Vinctis fidelibvs Lvgdvni s. d

NVnc demum vrget ipſa neceſſitas, fratres dilectiſſimi, vt oculos in cœlum conſtanter attollatis. Exitus quis futurus ſit, nondum tenemus. Sed quando planè videtur Dominus vobis ad martyrium deſignatis, ad obſignandam veritatem vti velle, vnum hoc eſt appoſitiſſimum, vt vos ad illud ipſum comparetis, rogando vt ſuo vos arbitrio ita obſequentes præſtet, vt nihil quidquam ab eo abducat, quò vos ipſi vocare libuerit. Sic enim fratres, mortificationem noſtram procedere oportere didiciſtis, vt in ſacrificium ipſi offerri parati ſimus. Neque interea fieri poteſt, quin duri inſultus excipiendi ſint, vt in vobis experiamini quod ita Dominus ſemel protulit: Ducent te, nempe quò non voles: ſed & illud ſuccurrat, cuius nomine & virtute nobis decertandum ſit, qui illi vnquam innixi ſunt, nũquam attonitos trepidaſſe, nedum vt iacuerint confuſi. Cõfidite igitur fratres vos ipſos vbi ad extremum ventum erit, ipſo etiam Domini Ieſu Spiritu confirmatum iri, vt ſub illo tentationum pondere, etiamſi virium veſtrarum ad illud ratio nulla ſit, non magis deficiatis quàm Chriſtus ipſe, qui tam inſignem ex illis victoriam retulit, vt ipſa nobis certiſſimum triumphi per medias mortes capeſſendi pignus & quaſi vexillum ſublatum extaret. Quare ſi ita feret ipſius voluntas, vt ad mortẽ vſque ius & cauſam ipſius propugnetis, manum illam auxiliarem porriget, vt ſtrenuè ad extremum perſtetis, neque vel minimam veſtri ſanguinis guttam vacuam, & euanidam cadere in terram ſinet. Atque vt fructus Martyrij ex vobis non ita ſtatim emergat: tamen dubium non eſt, quin longè vberior extaturus tandem ſit, quàm quiſquam exiſtimet. Et quoniam eo vos honore affecit, vt vinculorum veſtrorum fama exierit ad plurimos, & vndiquáque ſparſa ſit, tantò certius eſt mortem illam veſtram vel frendente Satana latiſſimè emanaturam, vt Dei nomen per illam exaltetur ampliſſimè. Ego quidem ſic ſtatuo, ſi Domini hæc mens erat, vt vos ad ſe vocaret, veſtram illam diuturniorem detentionem ab ipſo deſtinatam fuiſſe, vt illius occaſione excitarentur plurimi, quos ipſos veſtro exitu demum ædificandos ſibi prouidit. Plura hîc non addo quibus vos exhorter, aut conſolari ſtudeam, cùm ſatis ſciam Patrem ipſum Cœleſtem ſuam ipſius conſolationum efficaciam vobis per ſe teſtatam reddere: vóſque etiam ſatis per vos ferri ad ſtudium & meditationem eorum, quæ verbo Dominus ſuis ipſe commonſtrat. Et illa etiam quæ extant virtutis ipſius in vobis habitantis documenta, omnino confirmant, ipſum adeò ad extremum vſque opus illud ſuum proſequuturum. Illud vobis conſtat, nos ex hac vita migrantes non in incertum ferri: tum quia de certiſſi-

Ex gall. Referenda ad initium anni 1553.

Ioan. 21. 18.

ma illa post istam euanidam cœlesti vita abundè estis persuasi, tum imprimis quòd plenissima adoptionis Domini gratuitæ fide instructi, ad illam vitam, iam non secus atque ad vestram hæreditatem & patrimonium contenditis. Et quòd ordinati estis à Domino Filij ipsius testes, illud peculiarem & præcipuam quandam tantæ veritatis notam vobis etiam apponit. Supereſt lucta illa, in qua demum non incedere modò, sed etiam currendo eniti nos iubet Spiritus Domini. Est quidem illud grauissimum tentationis genus, ac longè acerbissimum, vbi instat nobis & obuersatur oculis hostium veritatis ille effrenis tumor, atq; vbi eorum furor impotens ita despumat, dum nulla piis à Domino melior
Coloſ. 3. 3. spes affulget. Atqui si illud non excidit nobis, vitam nostram absconditam esse, ac nos mortuos hîc esse (vti perpetuus est sensus & vsus istius doctrinæ) perinde nouum non erit, quòd afflictiones perdurent. Cùm enim ita Domino visum est, nos aduersariis nunc quidem permittere: nostrum est etiam, si tempus illud redemptionis nostræ moram trahit, placidè nos tantisper continere. Porrò cùm idem ille iudicaturum se testetur gentem il-
Gen. 15. 14. lam quæ populum ipsius iugo seruitutis oppresserit, nolite dubitare, quin horribilis vindicta illos maneat qui tam impotenti audacia ipsius Maiestati insultarint, atque illos crudelissimè insectati fuerint qui nomen ipsius inuocarent. Vos modò illud Dauidis vobis
Pſ. 119. 109. ipsis applicate, quòd legem Domini non sitis obliti, etiamsi anima vestra per singula momenta sit in manibus vestris: cúmque Dominus ipse vita vestra in re tanti momenti vti statuerit, qualis est veritatis ipsius confirmatio, nolite dubitare, quin & ipsa futura sit illi quàm commendatissima. Instat verò illud tẽpus quo terra deteget sanguinem quem absorptum contegit, nos verò vbi caducis istis corporibus exuti fuerimus, in optatissimum statum reformabimur. Satis sit igitur quòd per nostrum opprobrium tantisper glorificetur Filij Dei nomen, atque in illo testimonio firmissimè acquiescamus, quòd verè nobis conscij simus, nobis ista non inferri alia de causa, quàm quia speremus in Deo viuo. Atq; illo argumẽto fas sit nobis insultare totius mundi ferociæ, dum ad illam spem contendimus, quæ nos demum in absconditæ nostræ vitæ pleniſſimã fruitionem intromittet. Valete fratres in Domino vnicè dilecti, ac vt nostri memoriam in vestris precibus vigere cupio ac postulo, ita etiam vestro nomine Dominũ oro, vt suo illo sancto præsidio vos complectatur, sua virtute confirmet magis ac magis, vobis reipsa patefaciat studium illud suum de salute vestra impensum, atque imprimis Spiritus sui dona adaugeat, vt ad ipsius gloriam ad extremum vsque vigeant & valeant in vobis .1. Februarij,
M. D. LVII.

Frater in Domino vobis
addictissimus I. C.

CALVINVS BVLINGERO S. D.

ETsi in excusanda mearum literarum raritate facilem te mihi præbes: atque etiam, quæ tua est æquitas, hoc mihi officium vltrò remittis: me tamen vel ignauiæ, vel securitatis nimiæ pudet, quòd erga te minus quàm vulgares quosdam amicos sedulus sim. Verùm hæc ratio est, quòd alij importunè flagitando, mihi torporem excutiunt: tu qui liberalius indulges, tacere pateris. Et sanè ita assiduis scriptionibus fatigor, vt propemodum sæpe, tædio fractus, literas ipsas oderim. Vtinam tua hæc moderatio apud alios valeret, vt parcius scribendo amicitiam fideliter colere liceret. Sed Galli nostri hac in parte plusquam inconsideratè me vrgent. Ita fit, vt vulgò satisfaciens pigritiæ me apud præcipuos amicos suspectum reddam. Adde, quòd nisi certa materia se offert, ineptire mihi videor, dum communia argumenta quasi procul accerso. Cæterum quòd vos pridem scripsisse commemoras, nec fuisse datum à me responsum, quid sibi velit, non assequor: nisi quòd suspicatus sum profectũ esse à vobis aliquid, quod ad me nõ peruenerit. Si quid tale fuerit, admonitus, quod mearum erit partiũ, non negligã. Quoniã nõnulli vel maligni, vel morosi, vel siniſtri homines concordiæ nostræ obstrepunt, si ita visum fuerit vobis, editam esse cuperem. Multa placidè tuli, præterij, deuoraui: sed, crede mihi, multis modis animaduerti quantopere Satanæ displiceret. Si edita fuerit consensionis forma, Saxonicis Ecclesiis id valde profuturum spero. Vos tamen pro vestra prudentia, quid melius sit, statuite. Ego, cùm plurimi exemplaria peterent, nunquam eò me adduci passus sum, vt prelo daretur: donec

donec permissu vestro fieret. Qua de re iam antè scripseram. Sed ex silentio cõieci, nondum vobis maturum videri tempus. Velim tamen iudicium vestrum mihi significes. De bulla gratum feciſti. Maior vsus fuisset, si biduo citius eã recepissem. Iam enim excudi cœperat præfatio, qua argumentum illud tractaui. Eius exemplar hîc habes, si fortè legere vacabit. Rogo tamen, vt prima quâq; occasione vnà cùm literis mittendum N. cures. Hoc boni est in bulla quòd Papa absque vllo simulationis fuco meram tyrannidem spirat. Ad preces itaque, vt dicis, nobis confugiendum est. Germaniam dicunt hoc anno à bellis intestinis quietam fore: quoniam Turca Ferdinandum vrget. Sed quia Domini est, sedare omnes armorum tumultus, ille inuocãdus est, vt indomitam alioqui hostium nostrorum rabiem cõpescat. Vale eximie vir, & frater mihi imprimis colende. Saluta meo & fratrum meorum nomine collegas tuos & familiam. Dominus vos tueatur, vobis adsit, vos gubernare pergat. Geneuæ, XIII. Calend. Martij, M. D. LI.

Ioannes Caluinus tuus.

MELANCHTHON CALVINO.

EX nundinis Francfordiẽsibus epistola ad me tua transmissa est, exempla verò editi scripti non sunt allata, tardius enim Francfordiam allata fuerant. Referendà ad annum 1543. Postea Bõnæ apud D. Bucerum nactus exẽplum, vidi τλω προσφώνησιν ad me, & subitò bonam partẽ disputationis euolui. Quòd autẽ honorifico testimonio ornaris, & de tota re, nõ solùm piè, sed etiam eloquẽter disseruerit, de vtraq; re, videlicet de mea gratitudine, & de ipsa disputatione corã nos, vt soliti sumus quoties vnà fuimus, prolixè colloqui posse optarim: etsi enim tantùm vel ingenij vel doctrinæ mihi nõ arrogo quãtùm tribuis, & nos imprimis in Ecclesia agnoscere imbecillitatẽ nostrã decet: tamen beneuolentia erga me tua vehementer delector, tibíq; gratiã habeo, quòd in scripto luculento tanquam in illustri positam loco extare significationem amoris erga me tui voluisti. Gratum mihi & illud testimonium tuum esse ingenuè fateor, quòd me & amare & quærere simplicitatem dicis. Nam prædicare bona conscientia possum fuisse hoc meũ studiũ, cũ initio harum cõtentionum, multa horridius & intricatius disputarẽtur, vt excerperẽ res vtiles, eásq;, ex illa caligine euolutas, quãtùm possem, planè & dextrè recitarem, nec rarò illud Euripidis mihi venit in mẽtem, Ἐ'σθλὸν τὸ σαφὲς, & ἄσοφον τὸ μὴ σαφὲς: nec nihil periculi adij dum quædã præcidi confragosiora: retinui verò & illustraui vtilia, quod tamen verecũdè feci, ne irritatis vehementioribus ingeniis, discordias magis inflammarem. Fuit enim hoc quoque mihi curæ, nostrum, hoc est Ecclesiæ consensum, in maiori-b9 causis vt tuerer. Vides enim quã multæ aliæ causæ vtilissimæ motæ sint: vt autem ducũ ars est leuiora & πάρεργα interdũ relinquere, ne impediantur in persequendis necessariis, ita nobis videndum est de quibus rebus maximè dimicandum sit. Pontifices maiori spe quàm vnquam suas εἰδωλομανίας propugnãt. Arbitrantur enim stultitia nostrorũ Principũ nostra dogmata ruitura esse, quos vidẽt implicari bellis ciuilibus, & irritare Carolum hactenus cessantẽ & quasi fugitantem bella Germanica. Etsi hoc tanto malo moueor, quod quidem sæpe prædixi vaticinans, οὐ μαντικῇ, ἀλλὰ φιλοσοφίᾳ τινὶ εἰκάζων, cùm Principum πολυπραγμοσύνην & alios morbos viderem: tamen scio Deum inter fatales Imperiorum tumultus Ecclesiã suam seruare mirabiliter. Non igitur frangamur animis, sed dum possumus, sonemus, vt conuersus latro in cruce, doctrinã de Filio Dei, déq; arcana sapientia, quæ est Ecclesiæ propria, de magnitudine humanę infirmitatis, de pœnitẽtia, & fiducia promissæ misericordiæ propter Filium, de vera inuocatione & veris Ecclesiæ virtutibus, de mysteriis non pulluendis, de Ecclesię politia, non illa quam fingunt Pontifices, sed qualis fuit Prophetarum & Apostolorum, denique de vita æterna. Ad harum maximarũ rerum doctrinam ornandã transferas velim eloquentiam tuã: quæ & cõfirmare nostros, & terrere aduersarios, & sanabiles iuuare poterit. Cuius est enim oratio hoc tẽpore in disputando, vel neruosior, vel splendidior? Nostra vel propter ingenij infirmitatẽ, vel propter eas ærũnas quib9 cõsumpta est naturę vis, si qua fuit, est squalidior. Magnopere igitur gaudeo Diuini tus te ad Euãgelij explicationem excitatum esse, téq; illa Apostoli voce adhortor quã scribit ad Timotheũ μὴ ἀμέλει, τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος. Etsi autẽ videor ὀτρύνειν ἀπεύδοντα, tamẽ ad confirmãdos animos hę mutuę seu cohortationes, seu cõsolationes, pẽrtim in Ecclesia aliq9 cõducũt, vt Paul9 se ait velle συμπαρακληθῆναι aliorũ piorum officiis ac cõmonefactione, sa- 1. Tim. 4. 14. Rom. 1. 12.

tis vbiq; est hostium qui Domino bellum inferunt, qui nos delere conantur, eò sit firmior consensus noster, συμφερτὴ γὰρ ἀρετὴ κρείσσων. Fortassis nostra Germania paulò pòst à Turcis vastabitur, quod si fiet, eò magis vobis alibi in locis tutioribus studia literarum excitanda erunt, & pugnandum vehementius, vt in reliqua Europa Euangelij lucẽ accendatis, & retineatis. Quòd ad quæstionem de prædestinatione, habebam amicum Tubingæ doctum hominem Franciscum Stadianum, qui dicere solebat, se vtrunque probare, euenire omnia, vt Diuina prouidentia decreuit & tamen esse contingentia. Sese hæc conciliare non posse. Ego cùm hypothesin hanc teneam, Deum non esse causam peccati, nec velle peccatum, postea contingentiam in hac nostra infirmitate iudicij admitto, vt sciãt rudes Dauidem sua voluntate vltrò ruere, & eũdem sentio, cùm haberet Spiritum sanctum, potuisse eum retinere, & in ea lucta aliquam esse voluntatis actionẽ. Hæc etiam si subtilius disputari possunt, tamen ad regendas mentes hoc modo proposita, accommodata videntur. Accusemus ipsi nostram voluntatem cum labimur, non quęramus in Dei consilio causam & contra eum nos erigimus, sciamus Deũ & velle opitulari, & adesse luctantibus: μόνον θέλησον, inquit Basilius, in θεὸν προ απαντᾶ. Excitetur ergo cura in nobis, & laudetur Dei immensa bonitas, quũ & promisit auxilium & præstat. Sed petentibus, vt inquit Domin⁹, hoc est iis qui promissionem intuentur. Nam à verbo Dei ordiendum est, nec repugnandum promissioni, sed ei assentiamur, nec disputemus antea, tunc nos adsensuros esse, cùm arcanum decretum Dei nobis monstratum fuerit: adsentientem autem Deus adiuuat, qui per verbum est efficax. Hæc non scribo vt tibi tradam quasi dictata, homini & eruditissimo ac peritissimo exercitiorum pietatis. Et quidem scio hęc cum tuis congruere, sed sunt παχύτερα, & ad vsum accommodata. Hæc Bonnæ scripsi apud D. Bucerum, cùm eò accersitus est vt Ecclesias in Diœcesi Colonien si, emẽdaret. Hęc cõsilia Deo piis votis cõmendes. Rogo autem, vt mihi significes, an hanc epistolam acceperis. Nam si intellexero certò ad te perferri meas literas, scribã sæpius. Αντίδωφον tibi debeo, quare & grati animi significatione ostendam. Bene vale. x i. Maij. 1543 Philippus Melanchthon.

CAL. RICHEBVRGIO SVO S. D.

Refer ad annum 1540.

VM mihi primus de morte Claudij ac Ludouici filij tui allatus esset nuntius, sic toto animo confusus fui, vt multos dies nihil aliud possem quàm lugere. Ac tametsi coram Deo vtcunque me sustinebam iis adminiculis, quibus in aduersis nos instruit: apud homines tamen nullus ferè eram. Certè ad omnia officia, non multò magis idoneus mihi videbar, quàm si fuissem semimortuus. Hinc enim mœrebã optimum & fidelissimũ amicũ, mihi alienissimo tẽpore fuisse ereptum: cuĩcũ tãta mihi erat familiaritas, vt nobis duobus nihil potuerit esse cõiunctius. Inde subibat alius dolor optimę spei adolescẽtẽ filium tuũ primò ætatis flore esse sublatũ: quẽ loco filij diligebã, quia me, nõ secus ac patrẽ alterũ, viciſſim colebat. Hunc acerbissimũ luctũ excipiebat grauis, & anxia de iis, quos nobis superstites D. reliquerat, solicitudo. Domũ huc illuc disiectã esse audiebã. Malherbij periculũ cũ ipsius causa me valde affligebat, tum etiã de reliquiis admonebat. Cogitabã fieri nõ posse, quin vxor esset vehemẽter cõsternata. Carolus verò tuus mihi assiduè ob oculos versabatur. Nã qua præditus est ingenij bonitate, qua in fratrẽ ac præceptorẽ nõ charitate modò, sed pietate quoq; sẽper fuit, minimè dubiũ mihi erat, quin totus in squalore & lachrymis esset. Vna hæc cogitatio me nõnihil subleuabat, quòd secũ habebat fratrẽ meũ, quẽ illi in hac calamitate sperabã fore nõ minimo solatio. Verùm id etiã nõ poterã reputare, quin simul in mentẽ veniret, ambos nõdum euasisse periculũ. Ita donec subsecutæ sunt alterę literæ quæ Malherbium extra vitæ discrimẽ laborare, Carolũ, fratrẽ meũ, vxorẽ, & alios saluos esse nuntiarẽt, mœrore, & molestia tãtùm nõ oppressus fui: nisi q. corã D. vt iã dixi, ne prorsus cõciderẽ, precibus & sãctis meditationib⁹ quæ nobis ab eius verbo suggerũtur, me fulciebã. Hæc ideò commemoro, ne ideo minoris tibi sint meæ exhortationes, quibus nunc te solari cupio, quia facile esse cogites, in alieno dolore fortem se exhibere: ego verò hîc non iacto in alieno dolore fortitudinem, sed quum mihi singulari Dei beneficio datum sit, vt ab eo, qui mihi tecum penè ex æquo communis fuit aliqua ex parte vel liberarer vel leuarer, quibus remediis vsus sum, quæque mihi plurimùm prodesse sensi, ea tibi, quoad per epistolam, & breuem epistolam licet, communico. Quanquam hac in re sic mihi habenda est tristitiæ tuæ ratio, vt interim mihi cum grauissimo ac constantissimo viro negotium esse meminerim. Neque enim me latet, quib⁹ ad patientiã, moderationẽm q; perpetuò seruandã pręsidiis sis instructus. Ne illas quidẽ cõsolationes, quę inter ciuiles homines

vsum

vſum habent,adhibere placet.Ne mortuum defleas,quē mortalē genueras: vt eam animi magnitudinem præſtes luctuoſo caſu, quam ingenium & natura præclarum, & optimis artibus excultum,quam ætas, quam multarum rerum peritia,quam denique exiſtimatio poſtulat:vt vitæ anteactæ recordatione te ſoleris. Illis,inquam,& aliis eius generis exhortationibus apud te ſuperſedeo. Vnum enim certum eſt ac firmum conſolationis genº, in quo te,ac tui ſimiles acquieſcere decet, quod ex interiore illo pietatis ſenſu manat, quo te abundare ſcio. Hoc ergo tibi omnino agendum eſt, vt mentem ad eas cogitationes reuoces,quę nobis ab optimo magiſtro in pietatis ſchola dictātur,ac ſuggeruntur.Eas hîc recēſere non eſt neceſſe,cū tibi ſint perinde ac mihi familiares. Et tamē pro ſingulari tua pietate,& ea quā mihi defers beneuolētia,nō illibēter fortè in meis literis recognoſces quę tibi alioquin ſpōte occurrunt.Filiū, quem apud te depoſuerat,D.recepit.Hîc ſublatæ ſunt vanæ illæ & prauæ ſtultorū hominū querimoniæ.O cæca mors, ô iniqua fata, ô Parcę inexorabiles,ô crudelis fortuna.Dominus qui in hac vitæ ſtatione ad tēpus eū locauerat, euocauit.Quod à D.factū audimus,ſimul cogitemus nō temere,nō fortuitò,nō extraneo aliquo impulſu,ſed eo cōſilio, quo nō modò nihil niſi quod rectū & iuſtū: ſed nihil etiam niſi quod bonū, ac ſalutare nobis prouidet,ſtatuit,ac facit. Vbi iuſtitia,& æquitas, illic nefas eſt reclamare. Vbi verò cum ęquitate illa,noſtra quoq; vtilitas cōiuncta eſt,cuius ingratitudinis foret,nō placido,moderatóq; animo ſuſcipere,quidquid patri noſtro placuerit? Quanquā in ipſa Dei prouidētia ſatis amplā leuationē habēt fideles, quidquid acciderit. Nihil enim eſt quod nos magis exanimet, q̄ dum his quæſtionibº nos fatigamus. Cur nō aliter?Cur in eū locum?bene hæc,& appoſitè dicerētur,ſi quid à nobis admiſſum eſſet reprehēſione dignū. Verùm vbi culpa noſtra abeſt,eiuſmodi querelis nullus eſt locus. Deus eſt igitur,qui filiū abs te repetiit,quē ea lege tibi educādum tradiderat,vt ſuº ſemper eſſet. Et ideo ſuſtulit,quia & illi è mundo emigrare: & hac orbitate vel te humiliari, vel tuā patientiā ꝓbare vtile erat.Hāc vtilitatē ſi nō intelligis,primū rogādus Deus, vt tibi oſtēdat. Si celādo vult te etiānum magis exercere,permittēdum vt plus ſapiat,q̄ mētis tuæ imbecillitas aſſequatur. Quātùm ad filiū attinet, ſi cum animo tuo reputes, quā difficile ſit hoc deploratiſ.ſæculo rectū vitæ curſum tenere,beatū iudicabis, qui antequā tot diſcrimina, quæ iā illi imminebāt,per ætatē obeūda eſſent,maturè liberatus ſit. Perinde enim eſt, acſi quis turbulēto,& tēpeſtuoſo mari,anteq̄ in altum feratur,celeriter ſe in portum recipiat. Neq; em̄ ſic Dei beneficiū eſt lōga vita,vt aliq̄d nobis depereat, ſi paucorū annorū ſpatio diſiuncti ad meliorē vitā traducimur.Iā verò quia D. ipſe,qui noſter omniū Pater eſt,Ludouicū filij loco eſſe voluerat: hoc tibi pro immēſa ſua benignitate largitus eſt, vt præclarū educationis tuæ fructū ante eius mortē caperes: vnde eā quoq; benedictionē ſcires ad te pertinere:Ero Deus tuus,& ſeminis tui. Fuit à prima pueritia, quātùm anni ferre poterāt optimis ſtudiis inſtitutus.In iis iā mediocres progreſſus fecerat,vt magnā ſpē de ſe nobis in poſterum faceret.Mores ſuos,& viuēdi rationē bonis omnibº approbauerat,ſi quādo lapſus erat nō modò ſe patiebatur admoneri,& obiurgari,ſed ſe quoq; monitis præbebat docilē,& obſequentē.Erat quidē interdū vehemētiore ingenio, ſed nō vſq; ad pertinaciā.Itaq; impetus illi qui modū excedebāt,paruo negotio frangebātur.Quod verò plurimi faciēdum eſt nobis,pietatis rudimēta ſic imbiberat, vt & verā Religionis intelligentiā haberet, & timore Dei nō fictò fideliter eſſet imbutus.Hæc ſanè tā præclara Dei beneficētia in tuā ſobolē meritò plus valere debet ad leniēdā mortis acerbitatē, quā mors ipſa ad dolorē infligendū. Quātùm ad me attinet, ſi nunq̄ huc ſe liberi tui contuliſſent, nullo nūc mœrore ex Claudij,& Ludouici morte afficerer.Nunquā tamē efficiet grauiſſimº hic luctus,quē vtriuſq; cauſa ſuſtineo,vt me illius diei pœniteat,quo ad nos Dei manu appuli,magis quā proprio cōſilio adducti,à me in amicitiā recepti ſunt,quę nō modò ad extremū perſeuerauit,ſed aucta magis in dies fuit,ac cōfirmata.Quo igitur exēplo fuerunt,mecum vixiſſe gaudeo. Et quia moriendū illis fuit,apud me quoq; mortuos eſſe gaudeo:vbi quietiores Deo animas reddiderūt, quā ſi in his locis mori cōtigiſſet, vbi plus moleſtiæ ab eorū importunitate ſēſiſſent)à quibº iuuari oportuiſſet, quā ab ipſa morte.Nunc autē inter pias exhortationes, in ipſa nominis Dei inuocatione ſanctæ illæ animæ in Chriſti conſortium euolarunt. Nec vellem iam omni vacare luctu ea mercede, vt mihi fuiſſent incogniti. Erit enim mihi ſancta vſque in finem eorum memoria: atque etiam vt confido,ſuauis. At quid prodeſt, inquies, filium optimæ ſpei extitiſſe,cùm in primo ætatis flore correptus ſit? Quaſi verò non hoc meritus ſit Chriſtus morte ſua,vt viuis dominetur,& mortuis! Etſi illius ſumus, (vt eſſe nos oportet.) cur non vitæ, & mortis ha-

beat in nos arbitrium? Quamlibet ergo breui, opinione vel tua, vel mea, filius tuus vixerit, nobis satis esse debet, quòd cursum quē illi Dominus destinauerat, impleuit. Proinde ne putemus in flore periisse, qui coram Domino maturuerat. Dico autem ad maturitatem peruenisse omnes, qui à Domino hinc euocantur: nisi fortè cum eo litigare placet, quasi ante tempus aliquem rapiat. Hoc quidem de omnibus verum est: sed in Ludouico certior alia est, & magis propria ratio. Eò enim ætatis progressus erat, vt veris documentis sese Christi membrum approbare posset: hoc fructu edito, extinctus est & nobis sublatus. Imò ex hac fluida, & euanidę vitæ vmbra in veram immortalitatē receptus est. Neque te eū perdidisse existimes, quē in beata resurrectione in regno Dei recuperabis. Sic enim vixerāt, sic mortui sunt ambo, vt non dubitē apud Dominum esse: pergamus ergo ad hāc metam, quam attigerunt. Non dubium quin illos & nos simul indiuidua societate tunc colligaturus sit Christus, in illa incomparabili gloriæ suæ participatione. Caue igitur filiū lugeas, vt perditum, quem agnoscis conseruari à Domino, vt perpetuò tuus maneat, qui precariò tantùm fuerat tibi ad momētum temporis cōmodatus. Nec parum solatij ex eo accedet, si bene expendas, quid relictum tibi sit. Habes superstitem Carolum, de quo id iudicium habemus omnes, vt nemo sit nostrum qui non sibi talem filium cupiat. Ne putes hoc me dare tuis auribus: vel aliquid in tuam gratiam amplificare. Hoc nec mei ingenij, neque mei moris est. Simpliciter ergo dicam, quod reuera sentio, & quod apud extraneum quemlibet dicturus essem. Excellere adolescentem illum primò singulari pietate, ac vero Dei timore, qui est sapientiæ nostræ summa: deinde humanitate ingenij, morū suauitate, rara modestia, & continentia. Neque hoc illi ex rumore vel auditu tribuo. Semper enim intentus fui, vt ipsius ingenium perspectum haberem. Hoc enim discriminis inter duos fratres, quum ambo viuerent, notaui. Ingenij celeritate præstabat Ludouicus, sed hic solida rerum intelligentia, & iudicio longè antecedebat. Promptior ille ad proferendum quòd legerat, vel audierat. Hic tardior, & verecūdior. Paratior ille & expeditior, tum ad capessendas artes, tum ad omnes vitæ actiones. Hic consideratior, & constantior: atque id etiam ferebat corporis constitutio. Siquidem Ludouicus, vt erat sanguineus, plus habebat hylaritatis, & alacritatis. Carolus qui in melancholia nonnihil cōmunicat, tanta facilitate se non exerit. Modestiæ & comitatis hic semper plus habuit, quæ in eo etiam mirificè eluxit, quòd potuit sua tolerantia fratris ferociam domare. Hæc quoque in eo longè superiora: Moderatio, grauitas penè virilis, & in tota vita quædam veluti æquabilitas. Talis ergo filius quantùm valere debeat ad eleuandam orbitatis (qua te nunc Dominus afflixit) molestiam, tuipse iudicabis, & ita iudicabis, vtne in hac re sis Deo ingratus. At difficile est, inquies, patrium amorem, ita vel excutere, vel supprimere, vt nullum ex filij interitu dolorem capiam. Ego verò id abs te non contendo, ne doleas. Neque enim hanc philosophiam discimus in schola Christi, vt eam quam nobis Deus indidit, humanitatem exuendo ex hominibus lapides fiamus. Hæc omnia eò duntaxat spectant, vt iustissimo tuo mœrori modum & quasi temperamentum adhibeas. Vt persolutis quæ naturæ, & paternæ pietati debentur lacrymis, tibi in lugendo minimè indulgeas. Neque tamen ideò me interpono, quò tuæ prudentiæ, constantiæ, animíque celsitudini diffidam. Sed tantùm ne meum tibi officium hîc deesset. Quanquam si literæ istæ superuacuæ erunt, (quòd mihi credibile est) pro tua tamen eximia humanitate boni consules, hanc meam solicitudinem nimis fortasse anxiam: sed ideò venia non indignam, quòd ab immodico meo erga te amore proficiscitur. Quinetiam Philippum, & Bucerum rogaui, vt meis literis suas quoque adiungerent: quia hoc tibi non ingratum fore officium sperabam, si beneuolentiæ erga te suæ testimonium aliquod tibi redderent. Vale clarissi. vir, & mihi plurimùm in Domino obseruande. Christus Dominus te, familiámque tuā conseruet, ac Spiritu suo semper vos omnes dirigat, donec peruenias, quò Ludouicus, & Claudius præcesserunt.

CALVINVS FARELLO S. D.

Gratia tibi & pax à Domino frater animo meo dilectissime.

Refer ad annū 1538. aut circiter.

ANTa tumultuariè Basilea me proripui, vt quas ad te literas relicturū me promiseram, inter innumeras cerebri mei tricas mecum abstulerim. Neque iam res vlla præ manibus scriptione digna erat. Triduò postquam appuli, non defuit nuntius, & erat iam oblatum nonnihil argumenti. Sed quòd timebam ne literas periculosè committerem, malui hucvsque differre. N. suo more rescripsisse, non inficiatus est Bucerus. Nam hoc vnum causatus est cur mihi non recita-

ret,

ret,quia nollet mihi fruſtra ſtomachum mouere.Hinc collige quantùm amarulentiæ fuerit,quòd ille indicauit pro ſua prudentia non poſſe à me ſine grauiori offenſione trãſmitti. S. interim placidã eius comitatem deprædicat.Spem enim ducit, poſſe nobis & ipſum & Senatores,qui infeſti hactenus fuerunt,nobis reconciliari: ſi priores beneuolentiam literis declaremus. Quod vt eſt perquam ridiculum, Bucerus pro nihilo habuit. Finge id ſperari poſſe. Vnde tamẽ inciperemus?An nos quaſi offenſionis auctores illos mitigare ſtudebimus? Atq; vt non detrectemus id quoque, quis erit offenſarũ purgandarũ tenendus modus? Ego verò neque ita emendatum iri præterita, neque in poſterum ritè prouiſum iri cenſeo.Siquidem, vt coram Deo & eius populo fateamur,imperitia,ſocordia,negligẽtia,errore noſtri factum ex parte eſſe, vt Eccleſia nobis commiſſa tam miſerè collapſa ſit: ex officio tamẽ noſtro eſt, innocentiã puritatémque noſtram aſſerere aduerſus eos, quorum fraude,malignitate,improbitate,nequitia,eiuſmodi ruina procurata fuit. Libenter ergo apud Deum & pios omnes fatebor,dignam fuiſſe noſtram tum inſcitiam, tum incuriam,quæ tali exemplo caſtigaretur:culpa noſtra corruiſſe miſeram illã Eccleſiã,nunquã ſum conceſſerus.Longè enim aliter ſumus nobis conſcij in Dei conſpectu. Neque enim quiſquam hominũ eſt, qui nobis vllam culpæ portiunculam tranſcribere queat. Iã in futurum quis non videat ludibrio nos expoſitũ hac ratione iri?Nemo enim nõ protinus clamaret, nihil probri nos recuſare, modò reſtitueretur. Sed D. vt ſpero meliorem viam aperiet. Neque enim ſcribere deſiit Bucerus:cuius auctoritas contemni ab illis non poterit:contemni autem apparebit,niſi tandem aliquid ei concedant.Hæc porrò illi eſt ſpes vltima,vt ſi conuentum non impetrabit, vſque ad ver proximum, vel tunc ſaltem remedium inueniat.Et fortè ita expedire Dominus prouidet, quò interim melius omnia matureſcant. Concionem habui die Dominico: quæ vt omnium fratrum elogiis fuerat apud plebem commendata,multos habuit vel auditores, vel ſpectatores.In animo eſt fratribꝰ, ſi videbunt aliquam Eccleſiolæ faciẽ extare, Cœnæ quoq; miniſterium concedere. Cùm apud Mediomatrices omnia Religioni infeſta forent, & Senatu in eius excidium coniurato, & admittentibus fũrioſè ſacrificis, illuc quoque ſex Anabaptiſtarum ad excitanda noua offendicula penetrauit. Duo in Moſellam præcipitati, tertius exilio cũ ſtigmatis ignominia mulctatus.Quantùm aſſequi potui coniectura, tonſor ille & comes Hermanni vnus eorũ fuit. Vereor ne lues iſta latè inter ſimpliciores graſſata ſit ea in vrbe. Dominus te reliquóſque ſeruos ſuos ſibi conſeruet, opúſque ſuum per manus veſtras fortunet. Eos omnes mihi ſaluta.Nominatim Thomam & alios qui tecum mihi hoſpites fuerunt.

Caluinus tuus.

Illvstriss. Principvm. atq. ordinvm Imperii Proteſtantium ad Franciſcum I. Galliæ Regem Epiſtola.

SAlutem & obſequium noſtrum Sereniſſime atque Chriſtianiſſime Rex. Quoniam ea beneuolentiæ ſigna Regia dignitas veſtra nobis ſemper exhibuit,quæ argumẽto eſſe poſſint,Regiam Maieſtatẽ Veſtram optimo eſſe, & amiciſſimo erga nos animo. Aliquando etiam experti ſumus apud Regiam Celſ. Veſtram noſtras preces non parum habuiſſe momenti. Itaque nunc etiam de quorundam priuatorum incolumitate,qui partim in variis regni veſtri locis,præſertim Gratianopoli, & aliis Prouincię vrbibus capti tenentur,partim cum paruis liberis miſeri reliquerunt ſuas domos,& in cauernas fugere coacti ſunt, propterea quòd doctrina Chriſtiana idem ſentiunt quod Eccleſię noſtræ profitentur: ſcribẽdum & apud Regiam Celſ. Veſtram intercedẽdum duximus. Magno dolore afficimur,quòd cùm negarinon poſſit multos veteres abuſus hærere in Eccleſiis: ita tamen exarſerit iracundia paſſim,vt & ſalutares ſententię obruantur, & non ſolùm homines priuati, ſed etiam gentes totæ veniant in periculum. Quæ cùm ſupplices fiunt Regiæ Celſ. Veſtræ,exiſtimet Regia Celſ. Veſtra non nos tantùm,ſed ipſam Eccleſiam Chriſti lugẽtem iacere ad pedes ſummorum Regum & opem implorare ac petere, ne lux exorientis Euangelij extinguatur, & vt modeſtis hominibus ac Chriſti membris parcatur.Scimus hos qui propter piam doctrinam ſunt in odio,interdum prægrauari aliis criminibus, ac dici ſeditioſos. Vidimus autem confeſſionem ærumnoſorum illorum oblatã Curiæ Gratianopolitanæ, & purgationem obiectorũ criminũ.Quare magis deprecandũ eſſe pro eis duximus,quia doctrinæ

confessio pia est,& haud dubiè pura sententia Catholicæ Ecclesiæ Christi, quam & nos profitemur. Oramus igitur Regiam Cels. Vestram, vt tum captorum illorum, tum aliorum,si qui propter eadem causas periclitantur, vitæ parcat, eósque dimittat incolumes. Audimus quidem nonnullis ita veniam concedi, vt abiiciant confessionem doctrinæ, quam ipsi piam esse non dubitant:quod cũ facere ipsa morte sit acerbius,oramus vt Reg. Cels. Vestra id quoque propter Deum mitiget.Neq; ignorat Maiestas Vestra, quàm graue sit aliquid præsertim in Religione contra conscientiam approbare. Erit hæc clementia grata Deo & habebit prẹmia diuinitus,sicutPsal.inquit,Beatus qui intelligit super egenum & pauperem,in die mala liberabit eum Deus. Quare vt hac in re erga miseros illos, vbicunque sint,se clementem præstet Regia Maiestas Vestra, etiam atque etiam oramus. Idque erit tum nobis, tum omnibus istis qui nobiscum eandem Religionem profitentur, maximi beneficij loco, præsertim si intelligamus illos nostra intercessione fuisse liberatos: & apud bonos omnes non vulgarem clementiæ & moderationis laudem Regia Dignitas Vestra obtinebit. Hæc si impetrabimus, quemadmodum bona spes est, studebimus vicissim, quibus poterimus officiis memores & gratos animos testari, optantes vt Deus Opt.Max. Cels. Vestram diu seruet incolumem & florentem. Datæ Ratisponæ xxiii.Maij,Anno Christianæ salutis M.D. XLI.

Principes,Legati,Status & Ordines coniuncti Augustanæ Confessionis iam Ratisponæ congregati.

Oratio Legatorvm Pontificis ad Principes Germanos habita Naumburgi die v. Februarij, M. D. LXI.

Alter Legatvs.

QVm summus Pontifex ad sacrosanctæ regimẽ Ecclesiæ vocatus esset, in eam statim curam pro suscepto munere Pastorali incumbere cœpit, quomodo corrupti mores emendarentur,vt esset tandem pax Ecclesiæ, & idem sentirent omnes Nationes. Cúmque tam ad mala sananda, quàm ad bona consequenda,nullũ aliud remedium quàm sacri OEcumenici Cõcilij celebratio supereresset,habita matura deliberatione cum ordine Cardinalium, Sacrum tandem Tridenti ad festum Pascatis Concilium celebrandum, auctoritate diuinitus sibi tradita decreuit. Vt verò ad notitiã omnium Principum id perueniret,& ipsi eandẽ curã susciperẽt, suáq; studia ad cõsulendum Germaniæ trãquillitati Pontificię solicitudini cõiungerent, ablegauit hos nuntios suos, qui pro amore & studio, quo inclitam Germanię nationem semper prosequut⁹ est, eiúsq; vnitatẽ dilexit, Pij Põtificis nomine singulos cõueniremus, rogaremus,hortaremur,& obsecraremus vt ad Cõcilium hoc accederent,cum plena mãsuetudinis ac pacis omnia ibi sint futura,omnes ibi auditos,ac in rebus iustos benignè exauditos iri.Petántq; vt iidem Principes piam hanc solicitudinẽ, progressum habere velint,cùm Põtifex nihil aliud studeat,nisi vt cõcordia & pax Ecclesiæ restituantur. Paratus est idẽ Põtifex saluum cõductum Principib⁹ in amplissima & tali forma dare, qualis vnquã data fuit, aut excogitari potest. Petit quapropter Põtifex ac hortatur vt singuli Principes Legatos suos cũ plenis mandatis eò mittant, vt Principũ studio sedatis Ecclesię dissidiis (tot enim de Religione opiniones,quot capita:& tot Euangelia,quot doctores) Ecclesiæ suum decus restituatur,vna fides vbique seruetur, & vnus Deus ab omnibus colatur.Cætera Principes ex Collega audituros.

Alter Legatvs.

ILlustrissimi Principes cùm eadem mandata vtrique nostrûm summus Pontifex dederit, non arbitror repetenda quæ à Collega iam appositа sunt, at explicandas censeo Ecclesiæ calamitates.Nemo est enim qui ignoret,quò res deducta sit, & quò relabatur. Aliud ex alio malum exoritur, hostibus Christiani nominis ad perniciem Reipub.aditus datur.Huic obuiam vt eatur,opus est. Postulant hęc pericula,suadet temporis opportunitas,Pij Pontificijs benignitas,& studium vt nulla vnquam pacis conciliandæ

ciliandæ commodior occasio oblata, aut dari posse videatur, pacata Republ. Christiana, ac Pōtifice diuinitus dato, cuius studium singulare est erga Principes, solliciti de animarum salute; & vt Ecclesiæ pax & tranquillitas restituatur. Hæc sunt quæ paucis exponenda censuimus.

Responsio Principvm ad Legatos Pontificios.

REuerendi viri: Illustrissimi Sacri Romani Imperij Electores & Principes, Illustrissimorum Electorum & Principum Legati ac Consiliarij, ad orationem vestram, qua Pontificis Romani mandata Celsitudinibus ipsorum exposuistis, hoc responsi vobis dari iusserunt. Non dubitare se quin multi omnium gentium in toto orbe terrarum, viri docti, sapientes & pij iamdudum meliorem Ecclesiæ statum optarint, & nunc quoque anxia ad Deum vota faciant, vt tandem doctrinæ puritas restituatur, & tetri in Ecclesiam abusus inuecti pia emendatione tollantur. Quod ipsum Pontificibus Romanis in sua iurisdictione præcipuè curæ esse debet, qui Ecclesiæ titulum tam longo annorum spatio magnificè sibi arrogarunt. Verùm quibus ipsi potissimum rebus semper occupati fuerint, nimirum regni cupiditate, regnisque committendis, & superstitionibus in Ecclesia cumulandis, magis quàm illustrandæ gloriæ Dei, sanandisque Ecclesiæ morbis, obscurum bonis omnibus non est, & multos Pontificio nomini addictos viros sapientes fateri necesse est. Mirantur autem Illustrissimi Electores ac Principes reliquorúmque Legati, qua vel opinione persuasus vel spe fretus Pius Papa, missa hac Legatione, Celsitudinibus suis Concilij indictionem obtrudere, eósque Tridentum vocare ausus fuerit. Neque enim Pontificem & vos ignorare quam Religionem status Augustanæ Confessionis amplectantur, quibúsque de causis Ecclesias suas, iuxta synceram Euangelij doctrinam repurgare, & se ab eo cœtu, qui oppressæ doctrinæ cœlestis veritate, suam potius quàm Christi gloriam quærit, seiungere coacti sunt. Sic igitur Pontificem ac vos statuere Illustrissimi Principes volunt: non agnoscere se Romanæ sedis auctoritatem, certísque Diuini ac Humani Iuris indubitatis testimoniis Celsitudinibus suis persuasum esse, Concilij indicendi ius Pontificem Romanum non habere. Iudicis enim officio fungi, & controuersias dirimere, eum à quo dissensiones & distractiones in Ecclesia ortæ sunt, quíque manifestam veritatem crudeliter oppugnat, fas non esse & humana dictat ratio, nec non Diuini humaníque iuris scripta testantur. Iniustè etiam oratione vestra sese taxari Illustrissimi Principes affirmant, quòd nullam fidei certitudinem habeant, sed tot nunc sint Euangelia quot doctores. Extat enim non solùm de omnibus fidei articulis, perspicua ipsorum Confessio Imperatori Carolo V. Augustæ anno xxx. exhibita: verùm etiam variis hactenus editis scriptis cœlestis doctrinæ veritas illustrata ac propagata est. Quibus autem erroribus Romana nunc Ecclesia imbuta, quámque tetris abusibus & superstitionibus vera Euangelij doctrina oppressa sit, vt Ethnicæ quàm Christianæ Religioni similior esse videatur, vniuersi orbis terrarum querelæ testantur. Cúmque non errore lapsi nec temeritate, curiositate aut prauis cupiditatibus, sed seuerissimo Dei mãdato, quo præcipitur idôla fugienda esse, impulsi Germaniæ Principes, discesserint à Romana Ecclesia, constanter in ea sententia perseueraturi, nullas sibi à Romano Pontifice leges præscribi patientur. Nullius enim auctoritatem, vel iurisdictionem quàm Imperatoris sui Ferdinandi Cæsaris agnoscunt: cuius Legatis quam ipsi de Concilio OEcumenico ac generali celebrando spem ac sententiam habeant, coram hîc exposuerunt. Quòd verò ad vos attinet, ita vobis omnino persuadeatis, Celsitudines ipsorum volunt nisi Pontificiæ legationis munus obiissetis, omnia ipsorum clementiæ & beneuolentiæ studia & obsequia vobis ex clarissimis Venetorum familiis ortis præstituros fuisse, tum quòd erga Ampliſſimam Venetorum Rempublicam animo affecti sunt beneuolo, tum verò etiam quòd vos ob generis nobilitatem, doctrinę ac sapientiæ laudem fauore suo dignos esse ipsi profitentur.

QVÆ DEINCEPS SEQVVNTUR, Theologica ferè sunt, & ad Responsa magis pertinent.

De Dei nomine et illivs recta acceptione, propter Inuocationis vsum maximè.

Ex Gall. QVum de Deo tantùm loquimur sine vlla notæ appositione, tum nobis considerandus est in sua simplici essentia, vt Deus vnus.

Quum de Iesu Christo tantùm loquimur non adiecta Patris mentione, tum ille agnoscendus nobis est, vt Deus manifestatus in carne. Hoc autem sic habet: Deum assumpsisse naturam nostram, vt in illa habitet, tanquam in templo Maiestatis suæ: atque hoc ita procedit, vt vnio naturarum diuinæ atque humanæ constet, quæ etiam vnitatem personæ constituat.

Quum de Deo & de Iesu Christo simul loquimur, tum sub Dei nomine intelligẽdus est nobis Pater: Christus autem statuendus est, vt Caput ac Dominus, qui nobis à Patre ordinatus sit, vt nobis dominetur atque omne ius in nos habeat.

In summa siue de Deo cogitemus siue loquamur, non est hęrendum nobis in nuda infinitæ ipsius essentiæ consideratione. Periculosa enim est eiusmodi cogitatio, quia mens humana illa hebetatur. Ad Christum igitur nos statim conuertere oportet, in quo Pater sese reuelauit & aperuit nobis.

Quum de Scriptura loquimur, distinguendum est inter Vetus & Nouum Testamentum. Quamuis enim Lex & Prophetæ à Christo emanarint, quatenus ille semper fuit Angelus, ille magni cõsilij, & summus Patris legatus, per quem sese Deus communicauit hominibus: vsus tamen non obtinet, vt dicamus Christum hoc vel illud dixisse per Mosen aut per Dauidem, sed simpliciter Deum id dixisse, quia nempe Christus eo tempore manifestatus nondum fuerit. Tenẽdum est igitur ex Petri doctrina, sanctos omnes Prophetas per os Christi locutos esse: itémq; ex Paulo, Christum ducem populi extitisse in deserto, ac per eius manum legem datam fuisse: sed tamen ex vsu recepto Scripturæ, cùm aliquid ex Veteri Testamento proferendũ erit, non dicemus, Christus hoc dixit per Isaiam vel per Mosen: sed potius Deus dixit, aut Spiritus Dei. Noui testamenti alia est ratio, quia Christus veniens in mundum ordinatus est nobis à Patre magister ac doctor, à quo omnẽ veritatem acciperemus. Atq; ita à nobis haberi & nominari debet auctor totius doctrinæ Apostolorum, vt Paulus testatur in sese loqui Christum.

1. Petri 1.
1. Cor. 10.

Quòd ad inuocationẽ attinet, aut Dei tantùm nomẽ edimus, nõ expressa Christi mentione, aut addim⁹, vt Deus Pater nos exaudiat Christi nomine, quẽ ipsi Mediatorem proponimus. Si nomen Christi ore quidem non exprimimus, animo tamen & intelligentia supplendum illud nobis est. Non quòd illa nobis cogitatio etiã obuersari debeat, semper nos Patrẽ implorare per illum nostrum intercessorem, sed quia illud pro fundamẽto & principio cõstitutum nobis semper esse debet, nõ aliter esse nobis aditũ ad Deum, quàm si ad illius maiestatem ille aditum faciat, qui sese adeo demisit, vt humilitati nostræ sese accommodaret.

Si Patrem nominatim imploramus, vt nos exaudiat Filij nomine, sic nobis cogitãdum est: ita nempe Christum sacrificio illo mortis suæ aditum nobis ad Patrem patefecisse ad nos illi sistendos cum fiducia, vt nunc etiã illius eiusdem sacrificij virtute intercedat pro nobis, orationibus nostris gratiam conciliet, atq; illatum effectum nobis impetret. Neque verò imaginanda nobis ille quidem Christi genibus Patris aduoluti status, vt inter homines fieri solet, sed eo vno satis nobis sit quòd habeamus ipsum patronum, qui nostro nomine Patrem interpellet, qui nostras orationes admittat & Patri offerat, nobísque & audientiam impetret & gratiam. Audientiam dico vt illius nomine sit nobis facultas inuocãdi Patrem vt & ab illo audiamur: fauorem verò, vt ita quę à Patre petierim⁹ ipsius gratia obtinea-

obtineamus. Ac proinde hîc esse debet pij viri sensus, cùm Deum precatur Christi nomine: si mihi ad Deũ accedendũ esset sine vllo deductore vel medio, nũquam ad præcelsam illam maiestatem pro mea humilitate peruenirem. Iam verò vbi constat mihi seruatoris mei sponsio, qua mihi manum porrigit, non erit mihi difficilis accessus.

Si hęc cogitatio veniat in mentẽ, quomodo Christus Deus cùm sit, intercedat apud Patrem: quum idem eundẽ precari videri posset, quod à ratione est alienissimũ, hæ duę considerationes adhibendæ sunt, quibus illi difficultati obuiam eatur. Prima est, sic vnum esse Deum verum, vt tamen in vna illa Deitate distinctio personarum tenenda sit: Patris nimirum, Filij & Spiritus sancti. Ita nihil est absurdi, si ad personam Patris nos conuertimus inter precandũ. Altera verò, quòd Christus assumens nostram naturam, vt in ea redẽptionem nostram impleret, hoc Mediatoris munus suscepit, quod exerceret demum intercedendo pro nobis in ea natura, quam assumpsit à nobis.

Quum ad Christum orationem dirigimus, aut petimus vt ad Patrem nos ipse, vt Mediator, deducat, atq; illud præparationis instar habet, vt ad Patrẽ perueniamus: aut sic illũ oramus vt propria virtute nobis adsit, vt is in quem omnis potestas collata sit, in quo habitet omnis plenitudo Deitatis, quique adeo sit Deus noster æternus manifestatus in carne: Atque vtraque inuocandi Christi ratio & legitima & sancta est.

Confessio Calvini de Trinitate propter calumnias P. Caroli.

QVm in Dei Maiestate considerãda mens humana per se omnino cæcutiat, neque quidquã possit, quàm & infinitis erroribus sese inuoluere, & miris tricis implicare & altissimis demum tenebris immergere, si iuxta captus sui tenuitatem Deum imaginari conetur: istud bonorum omnium pace ac venia facturos confidimus, si Deum nusquam quæramus nisi in eius verbo, nihil de ipso cogitemus nisi cũ eius verbo, de ipso nihil loquamur nisi per eius verbũ, Hęc verò sobrietas & reuerentia si in familiari sermone commendatur, in quo multa effutiri solent non antè pręmeditata: vbi quis publicam edere fidei suę confessionẽ hac de re instituit, nulla adhiberi satis diligentia potest, & in sententiis concipiendis & in delectu verborum habendo vt nihil in ea deprehẽdatur, quàm ipsissima scripturę veritas exquisitis ac solennibus verbis religiosè comprehẽsa. Nemo ergo nobis succenseat, si Confessionem quam piis omnibus volumus approbatam ita moderamur, vt non ex variis hominum placitis consarcinata, sed ad rectam scripturæ normam diligenter exacta sit. Siquidem hîc nobis succurrere debet, quod tradit Apostolus; fidem esse ex auditu, auditum verò per verbum Dei. Rom. 10. 17

Iam si Religionis Confessio nihil est, quàm conceptę intus fidei testificatio, vt solida sit & syncera, ex puris Scripturæ fontibus petitam esse oportet: neque verò Confessionem duntaxat eam recipimus, quæ ex solis scripturæ verbis superstitiosè contexta sit & consuta: sed iis verbis conscribendam esse contendimus, quæ & sensum habeant intra Scripturæ veritatem limitatum, & quàm minimum habeant asperitatis, qua piæ aures offendi queant, nec Deo quidpiam affingant sua Maiestate indignum. Quem modum in ista nostra Cõfessione, quia tenere studuimus, bonis omnibus ac cordatis viris non dubitamus studium nostrum probatum iri.

Deum vnum quem nobis Scripturæ prędicant credimus & adoramus: talẽ etiam concipimus, qualis illic nobis describitur: nempe essentiæ æternæ, infinitæ & spiritualis, qui & solus in seipso vim subsistendi à séque ipso habeat & eam creaturis omnibus largiatur. Anthropomorphitas cũ suo corporeo Deo, Manichęos item, cũ duobus principiis explodimus: in vna tamen Dei essentia Patrem cum æterno suo Verbo & Spiritu agnoscimus: qua nominum distinctione dum vtimur, neque tres imaginamur Deos, perinde acsi aliud quiddam esset Pater quàm Verbum: neque rursum nuda esse epitheta intelligimus, quibus à suis operibus variè designetur Deus, sed vna cum Ecclesiasticis scripto-

ribus in ſimpliciſſima Dei vnitate ſentimus has eſſe tres hypoſtaſes, id eſt ſubſiſtentias: quæ tametſi vna eſſentia cõſtant, non tamen inter ſe confunduntur. Itaque tametſi vnus Deus eſt, Pater cum verbo & Spiritu ſuo, non tamen aut Pater verbum eſt, aut verbum ipſum Spiritus. Atque in hanc ſententiam confirmandam extant ſolida Scripturæ teſtimonia. Filius enim illic & Iehoua nominatur, & Deus fortis, & Deus in ſæcula laudandus, quem adorant omnes Angeli Dei, & cuius thronus in ſæculum ſæculi eſt ſtabilitus. Tum omnia illi deferuntur, quæ niſi in vnum verum æternum Deum nullo modo competere poſſunt. Nam vt nuncupatur ſalus, iuſtitia, ſanctificatio noſtra: ita fiduciam ſpémque omnem in ipſo reponere & eius nomen inuocare docemur, quæ practica notitia certior haud dubiè eſt qualibet otioſa ſpeculatione. Illic enim pius animus Deum præſentiſſimum conſpicit & penè attrectat, vbi ſe viuificari, illuminari, ſaluari, iuſtificari ac ſanctificari ſentit. Quare iiſdem etiam è fontibus ad confirmandam Spiritus ſancti diuinitatem probatio petenda eſt. Longè enim à creaturis alienum eſt quod illi Scripturæ tribuunt, & nos ipſi certa pietatis experientia diſcimus. Ille enim eſt, qui vbique diffuſus omnia ſuſtinet, vegetat & viuificat, qui in fidelibus habitans ducit eos in omnem veritatem, regenerat, ſanctificat, & olim ad plenum viuificabit. Nec verò cùm de ipſo Scriptura loquitur, à Dei appellatione abſtinet. Paulus enim nos eſſe templum Dei ex eo colligit, quia Spiritus eius habitat in nobis. Petrus verò Ananiam reprehendens quòd Spiritui ſancto mentitus eſſet, non hominibus mentitum eſſe dicebat, ſed Deo. Iam cùm fixum illud maneat Deum vnum eſſe, non plures, Verbum & Spiritum non aliud eſſe, quàm ipſam Dei eſſentiam conſtituimus. Et ſanè ſi in vnius Dei fidem ac religionem baptizamur, cum nos profiteamur Deum habere, in cuius nomen baptizamur. Ex quo Patrem, Filium, & Spiritum in vna Dei eſſentia contineri planè conſtat. Quandoquidem in nomen Patris & Filij, & Spiritus ſancti baptizamur. Rurſum & quædam Patris à Verbo, Verbi à Spiritu diſtinctio Scripturis demonſtratur. Perſpicuum enim eſt quod dicitur, Patrem per Filium omnia creaſſe, eundem in hunc mundum miſiſſe, in mortem expoſuiſſe, à mortuis excitaſſe, dediſſe illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt niſi quis Dei verbo repugnare ex profeſſo velit, non auſit tergiuerſari. Nam nec in terram deſcendit Pater, nec carnem noſtram induit, nec mortem ſubiit, nec excitatus eſt. Iam & ſe à Spiritu differre ſignificabat Chriſtus, cùm alium Conſolatorem ſe miſſurum pollicebatur. Porrò ſimpliciſſimam Dei vnitatem adeò non impedit iſta diſtinctio, vt Filium inde probare liceat vnum eſſe cum Patre Deum, quia vno ſimul cum eo Spiritu conſtet. Spiritum autem non aliud eſſe à Patre & Filio diuerſum, quia Patris & Filij ſit Spiritus. Summa hæc ſit, Nos in illa quam ſuper confeſſi ſumus æterna ſpirituali infinita Dei eſſentia Patrem cum Verbo, aut Verbum cum Spiritu non confundimus. Arrij dementiam, qui æterna Filium diuinitate ſpoliabat, ſimul & Macedonij qui per Spiritum dona gratiæ duntaxat in homines effuſa intelligebat, improbamus & execramur, nihilò magis Sabellij errori aſſentimur qui nullam in Patre, & Filio, & Spiritu diſtinctionem admittebat. Quòd ad Chriſtum peculiariter attinet, duabus ipſum naturis conſtare affirmamus. Nam antequam carnem indueret, verbum illud æternum fuit ex Patre ante ſæcula genitum, verus Deus vnius cum Patre eſſentiæ, potentiæ, maieſtatis, adeóque Iehoua, qui à ſeipſo ſemper habuit, vt eſſet, & aliis ſubſiſtendi virtutem inſpirauit. Siquidem ipſe de ſe teſtatus eſt gloriam qua in carne illuſtratus eſt, ſe ab initio apud Patrem poſſediſſe, antequam mundi iacerentur fundamenta. Quod ipſum & Paulus docet, dum in forma Dei fuiſſe ſcribit, per formæ vocabulum maieſtatem intelligens. Potentiam verò ſuam ipſe aſſerit his verbis, Ego & Pater operamur. Húcuſque Scripturæ etiam paſſim idem docent, per eum creatum eſſe orbem, in ipſo vitam fuiſſe, & eiuſmodi plurima. Neque operæpretium eſt hîc pluribus immorari. Nam ſi Deus eſt, omnia in ſe continet quæ Dei ſunt. Proinde ſtolidiſſimè mentiebantur Arriani, qui quum Deum faterentur, Dei ſubſiſtentiam illi adimebant. Verbi quoque appellatione non intelligimus, fluxam & euanidam vocem, quæ in aere emittatur, cuiuſmodi & oracula Patribus edita, & Prophetiæ fuerunt: ſed perpetuam ſapientiam apud Deum reſidentem, vnde oracula & prophetiæ omnes prodierunt. Non enim minus Spiritu Chriſti loquuti ſunt veteres Prophetæ, quàm Apoſtoli, & quicunque veritatem Dei hominibus adminiſtrarunt.

niſtrarunt. Iam verò ſecundum tempus redemptionis noſtræ manifeſtationi definitum, verbum caro factum eſt, non quòd in carnem verſum fuerit, ſed quia ex virgine carnem aſſumpſit, vt verum eſſet ac germanum Dauidis ſemen, & qui Filius erat Dei, filius hominis factus eſt. Sic autem coniunctã humanitati diuinitatem aſſerimus, vt ſua vtrique naturæ ſolida proprietas maneat: & tamen ex illis duabus vnus Chriſtus conſtituatur. Itaque Scripturæ tametſi proprietates illas diſtinctè nobis conſiderandas proponunt, dum Chriſto interdum, quod ſolius eſt Dei, interdum quod hominis eſt, tribuunt: earum tamen coniunctionem quæ in Chriſto ſubeſt, tanta religione exprimũt, vt eas quandoque inter ſe communicent: vt cùm ſanguine Dei acquiſitam Eccleſiam, Act. 20. & Filium hominis in cælo fuiſſe dicunt, quo tempore adhuc in terris agebat (qui tropus veteribus ἰδιωμάτων κοινωνία dictus eſt) verum omnium clariſſimè veram Chriſti ſubſtantiam enarrant illi loci, qui ſimul vtranque naturam complectuntur, quales in Euangelio Ioannis extant quamplurimi. Chriſtum ergo verum Deum, & verum hominem Dei Filium eſſe aſſerimus, etiam ſecundum humanitatem, etſi non ratione humanitatis. Iſtud enim & ſcripturis diſertè conſignatum, & veteris Eccleſiæ conſenſu receptum eſt. Eos omnes, qui diuinæ in Chriſto maieſtatis veritatem aut euertere, aut imminuere aut obſcurare conati ſunt, vt ſacrilegos deteſtamur. Marcionitas qui ſpectrum illi pro corpore affingebant: Manichæos item qui cœleſti carne præditum ſomniabant, procul reiicimus. Nec Apollinari aſſentimur, qui dimidiam humanitatis partẽ illi detrahebat. Neſtorij denique errorem damnamus, qui ab humanitate diuinitatem diſtrahens, duplicem Chriſtum comminiſcebatur. Io. 3.

Confessio fidei de Eucharistia quam obtulerunt Farellus, Caluinus, & Viretus, cui subscripserunt Bucerus & Capito.

Vitam ſpiritualem quam nobis Chriſtus largitur, non in eo duntaxat ſitam eſſe confitemur, quòd Spiritu ſuo nos viuificat, ſed quòd Spiritus etiam ſui virtute, carnis ſuæ viuificæ nos facit participes, qua participatione in vitam æternam paſcamur. Itaque cùm de communione quam cum Chriſto fideles habent, loquimur, non minus carni & ſanguini eius communicare ipſos intelligimus quàm Spiritui, vt ita totum Chriſtum poſſideant. Siquidem cùm apertè teſtetur Scriptura, carnem Chriſti verè nobis eſſe cibum, & ſanguinem eius verè potum: ipſis verò nos educari oportere conſtat, ſi vitam in Chriſto quærimus. Iam nec exiguum quiddam, aut vulgare docet Apoſtolus, cùm nos carnem de Chriſti carne, & oſſa ex oſſibus eius eſſe aſſerit: ſed eximium noſtræ cum ipſius corpore communionis myſterium ita deſignat, quod nullus verbis ſatis pro dignitate explicare queat. Cæterum iſtis nihil repugnat, quòd Dominus noſter in cœlum ſublatus, localem corporis ſui præſentiam nobis abſtulit, quæ hîc minimè exagitur. Nam vtcunque nos in hac mortalitate peregrinantes in eodem loco cum ipſo non includimur, aut continemur, nullis tamen finibus limitata eſt eius Spiritus efficacia, quin verè copulare, & in vnum colligere poſſit, quæ locorum ſpatiis ſunt diſiuncta. Ergo Spiritum eius vinculum eſſe noſtræ cum ipſo participationis agnoſcimus, ſed ita vt nos ille carnis & ſanguinis Domini ſubſtãtia verè ad immortalitatem paſcat, & eorum participatione viuificet. Hanc autem carnis & ſanguinis ſui communionem Chriſtus ſub panis & vini ſymbolis, in ſacroſancta ſua Cœna offert, & exhibet omnibus, qui eam ritè celebrant iuxta legitimum eius inſtitutum.

Svbscriptio Bvceri, Capitonis et Aliorvm.

TAnc ſententiam optimorum fratrũ & Symmyſtarũ noſtrorũ G. Farelli, Io. Caluini, atque P. Vireti, vt orthodoxam amplectimur, neque vnquam ſenſi Chriſtũ Dominũ in ſacra Cœna præſentẽ localiter aut vbique diffuſum: verũ & finitum habet corpus & in gloria manet cœleſti. In hac autẽ nihilominus eſt per verbũ ſuũ atq; ſymbola: hîc ſiſtit ſe nobis cum ipſo iam in cœleſtia per fidẽ ſubleuatis, vt panis quẽ frãgimus, & calix per quẽ Chriſtum prædicamus, ſit nobis verè corporis & ſanguinis eius communicatio. Præterea vt errorem in Eccleſia non ferendum agnoſcimus, nuda & inania Chriſtum ſtatuere in ſacra ſua Cœna ſymbola, & non credere hîc ipſum quoque corpus, & ipſum ſanguinem Domini percipi, hoc eſt ipſum Dominum verum Deum & hominem.

Martinus Bucerus ſua manu ſcripſit,
Wolfgangus Capito ſubſcripſit.

De voce Trinitatis et de voce Personae.

QVoniam vôces iſtas Trinitatis & perſonarum plurimùm Eccleſiæ Chriſti commodare intelligimus, vt & vera Patris, Filij, & Spiritus ſancti diſtinctio clarius exprimatur, & contentioſis controuerſiis melius occurratur ab his vſque adeò non abhorremus, vt libenter eas amplexemur, ſiue ex aliis audiendæ, ſiue à nobis vſurpandæ ſint. Itaq; quod antea à nobis factum eſt, in poſterum quoque operam daturos, quoad licebit recipimus, ne earum vſus in Eccleſiis noſtris aboleatur. Nã neq; ab iis, inter ſcribendum vel in Scripturæ enarrationibus, in cõcionibus ad populum, abſtinebimus ipſi, & alios docebimus ne ſuperſtitioſè refugiant. Si quis autem præpoſtera religione teneatur, quominus eas vſurpare libenter auſit, quanquam eiuſmodi ſuperſtitionem nobis non probari teſtamur, cui corrigendę non ſit defuturum noſtrum ſtudium: quia tamen non videtur nobis hæc ſatis firma cauſa, cur vir alioqui pius & in eandẽ religionẽ nobis ſenſu cõſentiẽs repudietur, eius imperitiã hac in parte eatenus feremus, ne abiiciamus ipſum ab Eccleſia, aut tanquã malè ſentientẽ de fide notemus. Neq; interim malignè interpretabimur, ſi Bernẽſis Eccleſiæ Paſtores eos ad verbi miniſterium admittere non ſuſtineant, quos compererint voces iſtas aſpernari.

Qvod Calvinvs in Confessione oblata Lavsannae Chriſtum Iehoua appellarit declaratur.

QVòd Chriſtum eſſe Iehoua aſſerimus, qui à ſeipſo ſemper habuit vt eſſet: ea particula quoniam nonnihil obſcura quibuſdã viſa eſt, ne quis offendatur quo ſenſu à nobis poſita ſit, breuiter indicabimus. Cùm de Chriſti diuinitate ſermo eſt, quę Dei propria ſunt iure etiã illi deferuntur, quia tum in vnius Dei eſſentiã reſpicitur, præterita diſtinctionis mentione: quæ eſt inter Patrem & Filiũ, qua ratione vera dicitur Chriſtũ eſſe Deũ vnicũ & æternũ à ſeipſo exiſtẽtẽ. Neq; huic ſentẽtiæ iſtud obſtat quod verè quoq; ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus eſt traditũ: Verbũ ceu Filiũ Dei à Patre eſſe etiã ſecundũ æternã ſuam eſſentiã. Quin hæc perſonarũ notatio locũ habet vbi Patris & Filij diſtinctio cõmemoratur. Nomẽ autẽ Iehoua eſt diuinitatis elogiũ, quod nõ minus Patrẽ, Spiritũ, quàm Filiũ cõplectitur. Sic Cyrillus qui ſæpiº Patrẽ Filij principiũ vocare ſolet, pro ingẽti tamẽ abſurdo ducit dialogo 3. de Trinitate, niſi Filius à ſeipſo vitam & immortalitatẽ habere credatur. Idẽ docet, ſi ineffabili naturę propriũ eſt vt ex ſeipſa ſit, in Filiũ id iure cõpetere. Quinetiã lib. Theſauri 10. ratiocinatur Patrẽ à ſeipſo nihil habere, niſi Filius etiã à ſeipſo habeat. Nec quẽquã mouere debet, quod paulò antè perſonarũ notitiam explicãdo diximus nos illic tradituros, quæ ad Chriſtum peculiariter attineãt. Satis enim conſtat non aliò ſpectare illã diſtinctionem quàm ad incarnationis myſterium, cuius ſpecialis eſt ratio à Trinitatis diſcretione. Alioqui nec Iehoua ibidem dicendus fuiſſet, cùm diuinitatem ſeorſum à Patre non habeat.

Responsvm Genevensis Ecclesiae contra Stancarvm.

ANtehac rogati à fratribus Polonis, quomodo ſit Chriſtus Mediator, an ſcilicet, vt eſt Deus & homo, an verò humanæ tantùm naturæ reſpectu, breuiter & tamen dilucidè ſententiam noſtram expoſuimus, in quo veritas ipſa nos coegit damnare & refutare Stancari commentum. Poſtea impulit nos iuſta neceſſitas ad edendum illud reſponſum, non tam odio Stancari, vel vt eum

vt eum grauaremus inuidia,quàm vt effugeremus siniſtros quoſdam rumores: vt facilè eſt in rebus turbatis lucem tenebris inuolui. Porrò nullam querimoniæ cauſam habet Stancarus,ſi ſecum expendit,quàm atrociter vexauerit Philippum Melãchthonem, cuius memoria in pretio & honore eſſe debet apud omnes bonos. Certè omnis modeſtiæ & humanitatis oblitus eſt,cùm hominem tam probatæ pietatis,quàm de Eccleſię bene meritum atrocibus conuitiis lacerauit: vt ſubinde Arrianum & hæreticum vocare non dubitet. Hæc intemperies niſi grauiter nos offenderet,ingrati eſſemus & Deo, & fideli eius ſeruo. Si pergat Stancarus ſui eſſe ſimilis,eadem expectanda eſt nobis merces. Neque tamen conuitiando quidquam nos lædet: quin potius ſibi plus aſperget dedecoris. Deum tamen ſuppliciter rogamus, vt Spiritu manſuetudinis tandem ipſum flectat ac frænet ad piam docilitatem. Ipſumque hortamur, vt ſeipſum colligere incipiat, neque ita poſthac indulgeat ſuæ iracundiæ & violentiæ. Quòd ſi tantopere eum oblectant paradoxa,quæ ædificationem Eccleſiæ peruertunt, ſaltem ingenio ſuo temperare diſcat, & vehementiam illam, in qua nimius eſt, frænare. Quòd ad rem ipſam ſpectat,videndum primùm quid ſignificet nomẽ Mediatoris. Nam certè λόγος æternus iam ab initio ante lapſum Adæ,& alienationẽ ac diſſidium humani generis à Deo,fuit Mediator. Atq; hoc ſenſu,niſi fallimur, vocatur à Paulo primogenitus omnis creaturæ. Et Ioannes cùm aſſerit in ipſo fuiſſe vitã,modũ cõmunicationis oſtẽdit, quo ex fonte alioquin abſcõdito manauit ad homines Dei gratia. Ergo quatenꝰ integro adhuc rerũ ſtatu caput Angelorũ & hominũ fuit Chriſtus,iure cẽſetur Mediator,qualẽ nũc quoq; electi Angeli experiũtur &agnoſcũt. Defectio autẽ hominis fecit,vt expiatione opus eſſet ad nos Deo recõciliãdos. Itaq; cõſiderãdus eſt Chriſtꝰ Mediator cũ ſacrificio ſuo,quo placauit irã Dei,vt in ſpem nos beatæ vitæ,à qua excideramus,reſtitueret. Mediatorẽ verò eſſe docemus,non vnius tantùm naturæ reſpectu, ſed quatenus Deus eſt manifeſtatus in carne. Quæ fides in rationibus firmis & validis fundata eſt, quas etſi aliqua ex parte explicuimus in priore noſtro reſponſo,hîc tamen iterum ſummam colligere expedit.

Primò conſtat nõ eſſe credendũ niſi in Deũ. Atqui iubet Chriſtus diſcipulis in ſe credere,quomodo? vel qua ratione? Nẽpe vt cõtinuò pòſt ſequitur, nõ modò quia eſt veritas & vita,ſed quia via eſt ad Patrẽ. Quòd ſi in Chriſtũ Mediatorẽ credendũ eſt, certè munus hoc complectitur ſimul duas naturas: deinde cùm Chriſtus ſummũ imperiũ obtineat in cœlo & in terra,vt eſt Mediator,quod minimè quadraret ſoli humanæ naturæ, colligimus nomen Mediatoris, nõ propriè,niſi toti perſonæ tribui. Nã certè omnes ſiſti ad eius tribunal, quia ſcriptum eſt: mihi flectetur omne genu, nõ cadit in humanã naturam,& tamen accommodatur à Paulo ad perſonam Mediatoris. Si excipitur, Regnum fuiſſe ei datum à Patre: reſpondemus, quamuis nihil in diuinitatem nouum conferri poſſit: nihil tamen eſſe abſurdi,ſi Chriſtus totius perſonæ reſpectu, augeri & ornari dicatur. Et certè idem Deus qui iurat coram ſe flectendum eſſe omne genu, negat etiam ſe daturum gloriam ſuam alteri. Separatũ igitur hoc accipere homo nõ potuit,vt eſſet mũdi iudex,idq; apertè ſonãt Pauli verba. Cui enim dicit eſſe datum illud ſummũ nomẽ,niſi Dei Filio,qui cùm eſſet Patri æqualis,ſeipſũ exinaniuit,forma ſerui accepta? videmus vt totã perſonã,quę conſtat duabus naturis,Paulus nobis ſtatuat ante oculos. Tertia ratio. Propriũ eſt Mediatoris Deo nos cõiũgere,cùm id nemo pręſtare queat,niſi qui vnũ eſt cũ Deo: nemo etiã idoneus eſt ad obeundũ munus Mediatoris,niſi qui homo eſt ac ſimul Deus. Minor autẽ probatur ex Chriſti verbis: vt vnũ ſint nobiſcũ, ſicut tu Pater & ego vnũ ſumus. Eodẽ pertinet quod alibi dicit: ſicut Pater habet vitã in ſeipſo,ita & Filio dedit vitã habere in ſeipſo. Nec repugnat Dei nomẽ,quominꝰ toti perſonæ hoc ritè applicetur,quia nihil minꝰ cõſentaneũ eſt quàm in carne reſidere vitã, quæ nõniſi in Deo quærenda eſt. Quarta ratio. Sicuti verò ratiocinatur Apoſtolus Chriſtum vt nobis eſſet frater, oportuiſſe fieri participem carnis noſtræ & ſanguinis: ita ex oppoſito rectè colligitur, vt nos ad Patrem vſque reueheret, oportuiſſe prius Deũ eſſe. Quis enim finis eſt noſtræ adoptionis,quam per ipſum conſequimur,niſi tandem participes ſimus diuinæ naturæ, ſicut teſtatur Petrus? Id autẽ quomodo præſtaret,ſi ſubſiſteret infra ordinem Angelorum? Nec verò in ipſum inſiti efficimur Filij Dei alia ratione, niſi quatenus nobis datus eſt Mediator. Atqui hinc pendet adoptionis gratia, quia in nos trãſfert,quod habet ipſe naturaliter. Itaq; ad implẽdas Mediatoris partes nõ ſuffice ret,niſi eſſet vnigenitus Dei Filius. Ac proinde Apoſtolus ad probãdũ eius Sacerdotiũ, teſtimonio hoc vtitur: Tu es Filius meus,ego hodie genui te, Vnde probè cõficitur,ſi in-

Ioan.14.2.

Rom.14.

Philip.2.

Ioan.17.

Ioan.5.

2.Petri 1.

ſeparabilis eſt Filij dignitas à Sacerdotio, non aliter idoneũ eſſe Mediatorẽ, niſi quia ex Deo genitus. Nec verò abſq; Diuinitatis reſpectu, cẽſeri poteſt Dei Filius. Ideóq; in Sacerdotij honore cõprehenditur & diuina natura. Quod ipſum cõfirmat Paulus, vbi dicit fuiſſe declaratũ Filiũ Dei in virtute. Nam cùm elogio illo, definiat Mediatoris perſonã, duas certè ſimul naturas cõprehendit. Iam quod aſſerit alibi Chriſtus, Ego in Patre, & Pater in me, non poteſt de ſola natura humanâ prædicari. Atqui illic ad viuum exprimitur imago Mediatoris. Imò totum Ioannis Euangelium eiuſmodi eſt ſententiis refertum, vbi quæ ſibi vendicat Chriſtus, alteri naturæ non conueniunt, ſed reſpiciunt in totam perſonam. Ac ſe omnibus nodis expediet quiſquis tenebit Chriſti mentem, quia videbit, nefas eſſe, quæ vtriq; naturę communia ſunt elogia, ſeparatim vel diſtinctè ad alteram trahere. Neque tamẽ interea quæcunque annexa ſunt Mediatoris officio, vel eius ſunt partes, vtrique naturæ cõmunia facimus. Quando enim ſine morte & ſanguinis effuſione non peragitur expiatio, Mediatorem oportuit mori. Hoc fatemur peculiare eſſe humanitati: ſed quoniã aliud eſt mors, aliud effectus mortis, reconciliatio quæ morte peracta eſt, perperam tribuitur ſoli humanæ naturæ. Ideóque dicit Apoſtolus,
Heb. 9. 14. Chriſtum per Spiritum obtuliſſe ſeipſum, qua voce admonet non conſiderandum eſſe ſimpliciter, vt hominẽ, vt efficacia & fructus mortis eius nobis pateat. Similiter iuſtitiã nobis acquirere ſua obedientia, & ita fieri Patris ſeruum, Mediatoris proprium fuit: quòd tamen perperam aſcriberetur diuinæ naturæ, ſed ipſa iuſtitiæ acquiſitio, vim ſuam nihilominus à diuina natura mutuatur. Vtrunque verò apertè coniungitur in ipſo complexu, cùm dicit Chriſtus, pro his ſanctifico meipſum. Nam cùm ſanctificari carni conueniat, ſanctificare autem Deo, vtrunque membrum, non niſi in tota perſona reperitur. Ex oppoſito etiam fatemur quædam ſic eſſe diuinitati propria in ipſo Mediatore, vt ad humanam naturam tranſferri non debeant, niſi per idiomatum communicationem. Dicit alibi Chriſtus, Ego animam meam à me ipſo pono, loquitur, vt Mediator: neque tamen vt homo, quia arbitrium vitæ & mortis nullus à ſeipſo habet, præter vnum Deum, & hoc eſt ſatis perſpicuum. Longè etiam fallitur in illo Pauli loco, Vnus eſt Deus & vnus Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, quia non alio conſilio poſitum eſt hominis nomen, quàm vt nobis familiaris eſſet ad Patrem acceſſus: neque tamen negamus ſub Patre totam Deitatem comprehendi & Deum vnius eſſentiæ. Nunc apparet ad officium Mediatoris requiri, vtriuſque naturæ coniunctionem: neque tamen quæcunque ad Mediatoris perſonam ſpectant, promiſcuè ad vtranque naturam trahenda eſſe: quod argumentum plenius exequitur Caluinus libro 2. Inſtitutionum cap. 14. Quod ab aduerſa parte obiicitur abſurdum, nullum eſt: Nempe cùm Mediator ſit inter Deum & homines, Chriſtum fore Deo inferiorem reſpectu Deitatis, ſi ad eum Mediatoris nomen extenditur. Nam dum ita locatur Chriſtus in medio gradu, non agitur de eius eſſentia, nec ſubtiliter diſputatur quid ſit, ſed ad Dei conſilium, quod veteres œconomiam aut diſpenſationem vocarunt, attendere conuenit. Si quæratur de eſſentia, ſcimus in Deo nihil eſſe minus & maius. Sed quia pro infirmitatis noſtræ captu, apparuit æternus Dei Filius, vt medius eſſet inter nos & Deum, in ipſa Mediatoris perſona & officio, apoſitè ad regulam pietatis dicitur Patre inferior. Hoc ſenſu non dubitant Prophetæ conuertere nomen Iehouæ cum titulo Angeli, quemadmodum apud Oſeam dici-
Mal. 3. tur cap. 12. Præualuit Iacob Angelo, mox ſubiicitur, Iehoua Deus exercituum, Iehoua memoriale eius. Apud Malachiam paulò aliter, Veniet Adonai, quem quæritis in templum ſuum, & Angelus fœderis, quem expetitis. Eodem tamen recidit ſenſus, quando Dei legato & Mediatori non modò defertur ſummum imperium, ſed aſſeritur etiam diuina maieſtas, vbi dicitur in templum ſuum venturus. Quod deinde obiicitur, ſi commune eſt diuinitati Mediatoris officium, neceſſe eſt fore, vt apud ſeipſum Chriſtus intercedat, facilè diluitur: quia etſi roget Chriſtus in Mediatoris perſona, id tamen peculiari modo reſpicit humanam naturam. Quanquã hîc rurſus ſenſus noſtros ad Dei conſilium dirigere neceſſe eſt. Nõ inſectamur quidem neque præciſè reiicimus illud Auguſtini, Mediatorẽ apud Filium & Spiritum ſanctũ intercedere, vt cum Deo reconciliemur in gratiã, à quo ſumus alienati. Nã certè vnica & ſimplex Dei eſſentia in tribus perſonis conſiſtit. Sed meritò apud nos pluris eſt ratioloquẽdi, quam dictauit cœleſtis ille Magiſter. Multis quidẽ locis Deitatẽ ſuã Chriſtus extollit, nuſquam tamẽ docet ſe à ſecũda perſona vel tertia fuiſſe miſſum. Nihilò etiã magis ſe apud Spiritũ intercedere,

ſed

sed apud Patrem. Itaq; nihil tutius est, quàm profanis argutiis & speculationibus valere iussis, mētes nostras defixas tenere in illa admirabili dispensatione, in qua dicitur Pater Filiũ vnigenitũ misisse, vt in eo nobis esset propitius, & ei⁹ Aduocati patrocinio exorabilis. Imò cùm barbaries grassata est in toto mũdo, vulgare tamẽ illud dictũ, opera Trinitatis esse indiuisa, quia per se durius erat, interposita restrictione correctum vel mitigatum fuit: nẽpe cùm addita fuit particula, intrinsecus. Nos verò ruditatis nostræ conscij, extrinseca operatione contenti simus, qua se Deus ad exiguum intelligentiæ modulũ attemperat. Ita sine offensione Christus medius locabitur inter nos & Patrẽ. Neq; tamẽ quidquã decedit ex immẽsa eius gloria, tametsi sub velo humanitatis, (obscurius autẽ) cernatur, donec cõpleto Mediatoris cursu, Patri subiiciatur Christus in natura humana, & liquidò in se vel immediatè refulgeat diuina eius essentia & maiestas. Hæc sobrietas si nõ arrideat curiosis hominibus, sed ãdis tamẽ modestis & piis mẽtibus satis supérq; erit. Nemo quidẽ quantumuis proteruus rixator, aliud nobis exprobrare poterit, quàm ob mysterij reuerentiã, quæ laudi ducenda est potius quàm vitio, simplicitati nos studere. Nũc discutere promptũ est, quæ obtẽdit Stancarus, in sententiæ suæ cõfirmationẽ. Definitionem sumi posse dicit ex loco Pauli, Mediator vnius nõ est, Deus autẽ vnus est. Atqui si prudẽter expẽderet cõtextũ, videret illic cõferri Gentes cũ Iudæis, quòd sicet Christ⁹ nõ tãtùm olim Iudæos recõciliauerit Deo, sed nunc quoq; Gẽtes vocet in societatẽ eiusdẽ gratis. Expositio enim, quã adducit, frigida est, atque insipida, sicut nec firmũ est, quod adiungit, nõ opus esse Mediatore nisi vbi est dissidium. Ostẽdimus enim nuper electos Angelos Deo per Christũ vniri, qui tamẽ nunquã discordes fuerunt. Sed quia in eo nõ vertitur cardo quæstionis: fateor Christum nobis proponi, & debere à nobis suscipi Mediatorẽ, quatenus Deum nobis suo sacrificio placauit. Cæterum, quòd nomẽ Deitatis accipit Stãcarus, vt probet tres personas fuisse offensas: iterum rogero, malè & insciтè ab eo negligi dispensationis mysterium, quod Scriptura vbiq; cõmendat. Ac mirum est eum non attendere ad manifesta, quæ citat testimonia. Quòd si propriè loquẽdo, & vsitato Scripturæ more, Mediator est Christus inter nos & Deum Patrẽ, arguta illa speculatio nihil aliud quàm inuoluit & obscurat, quod esset alioqui perspicuũ. Longè etiam fallitur in illo Pauli loco, Vnus est Deus & vnus Mediator Dei & hominũ, homo Iesus Christus, quia nõ alio cõsilio positum est hominis nomẽ, quàm vt nobis familiaris esset ad Patrẽ accessus: neq; tamẽ negamus sub Patre cõprehendi totam Deitatem, & Deum vnius essentiæ in tribus personis, fuisse placatum. Sed profundo illo & incomprehensibili arcano omisso, tantùm reputamus illud quod didicimus ex Scriptura & sacro Christi ore. Neque enim hæc magis inter se pugnant, λόγον & æternum Dei Filium Patri esse æqualem & Mediatorẽ esse minorẽ Patre, quàm altera duo, λόγον per se & seorsum efficere personã in diuinis, & tamẽ vnã Christi & Mediatoris personã cõstitui ex duabus naturis. Ac insciтè argumẽtatur Stãcarus. Si Christus in duab⁹ naturis Mediator, est minor Patre, ergo secundũ vtramq; naturã, quãdo paulò antea docuimus, quòd verè atq; aptè cõpetit in totũ complexũ, nõ deberi distrahi ad naturas, sicut medius hic gradus, quẽ tenet Christus redemptor, nihil derogat prorsus diuinę eius essentię. Rationes quas adducit ex officio Mediatoris, nihilò plus habent momẽti, quia ducũtur à parte ad totũ. Dedit se Christus pretiũ redẽptionis: recõciliauit omnia in cruce carnis suæ: Agnus est, qui tollit peccata mũdi: Datus est propitiator per fidẽ in sanguine eius. Nẽpe etsi hęc omnia pręstitit secundũ humanã naturã, nõ tamẽ inde cõficitur, eius tãtùm respectu esse Mediatorẽ, quia expiatione & sacrificio nõ absoluit Christus omnes officij sui numeros. Quid enim est mortẽ vincere? quid est resurgere in virtute Spiritus, & vitã recipere à seipso? quid est nos Deo vnire? & vnũ esse cum Deo? Hæc certè extra Deitatem non reperientur in humana Christi natura. Et tamen in rationem veniunt, vbi de Mediatoris officio agitur. Atque vtinam animaduertat Stancarus ad verba, quæ recitat, Deum non peperciſſe vnigenito Filio. Neq; enim si in vtraq; natura Filius est, id habet à sua humanitate. Iam si Dei nomen tres personas signat, & nimis pertinaciter vrget, sequitur Christũ tam suum quàm Spiritus sancti Filium esse. Hæc sola antithesis, si eam reuerenter expendere non grauetur Stancarus, eum à multis nodis expediet: Nempe dum Mediator se cum patre confert, à quo missus est, atque etiam vbi Paulus Deum in carne manifestatum vocat, cõsilium eius est, Mediatorem nobis statuere: quem & mox subiicit iustificatum esse in Spiritu, apparuisse Angelis, prædicatum fuisse Gentibus & receptum in gloriam. Hinc magis petenda erat simplex & genuina definitio. Idem

Ioan. 3.

Tim. 3. 16.

planè elicitur ex 3.ad Coloſſenſes capite, vbi reconciliatio per carnem ita deſcribitur, vt Diuinitas locum ſuum retineat in primatu & plenitudine. Aut ergo probet Stancarus Chriſtum ſedere ad Patris dexterã, vt nos Spiritus virtute defendat ac tueatur, Angelis commendet ſalutis noſtræ cuſtodiam, Diabolum & totum mundum ſubigat, non eſſe ex officio Mediatoris, aut agnoſcat ex ſacrificio & interceſſione ſe perperam inferre, Mediatorem non eſſe Dei Filium, niſi quatenus homo eſt. Antè oſtendimus cur Paulus de Mediatore differens, diſertè adſcribat nomen hominis, nempe vt excuſſo metu, blandè nos ad eum inuitet. Neque enim ſubtiliter diſputat de eſſentia, ſed fiduciæ materiam ſuppeditat, ne dubitemus ad eum confugere, qui frater noſter eſt. Miramur autem quo prætextu in ſenſum ſuum torqueat quod antè demonſtrauimus optimè nobis ſuffragari, Chriſtũ cùm in forma Dei eſſet, ſeipſum exinaniuiſſe. Hæc, inquit, Regula eſt ſoluendæ quæſtionis: ſit ſanè ita, nam libenter amplectimur. Sed ſi vnigenitus Dei
Philip.2. Filius, qui Patri æqualis erat ſeipſum exinaniuit, certè in duabus naturis eſt Mediator: ac ille idem, qui factus eſt obediẽs vſque ad mortẽ, euectus eſt accepto nomine ſuper omne nomen, vbi omnis lingua cõfiteatur, quòd ſit in gloria Dei Patris. Porrò qualis hæc ſit gloria & quomodo intelligi debeat, potius reſpõdeat ipſe Chriſtus quàm nos. Pater,
Ioan.17. inquit, glorifica Filiũ ea gloria quã habui apud te ab initio, ante mũdi creationem. Fatebitur profectò Stancarus præpoſterum fore votum, ſi carnem ſolam poſtulet Chriſtus ornari & illuſtrari æterna Dei gloria: quòd ſi hoc nonniſi toti perſonæ aptatur, hinc ritè colligere licet, quem citauit locum, non aliò referri poſſe. Dum ad Patres ventum eſt, ſpecioſos quidem colores inducit, vt eos habeat cauſæ ſuæ patronos ac ſuffragatores. Verùm ſi extra contentionem quæritur, quid ſenſerit Auguſtinus, nulla nobis cum eo eſt diſſenſio. Fatemur quidẽ compluribus locis, Chriſtum ab hoc pio Doctore fieri Mediatorem, quatenus homo. Agnoſcimus etiam eius verba, tam ex libro 10.de Ciui.Dei, quàm ex aliis. In forma ſerui eſt ſacerdos & idem ſacrificium, in hac ſe obtulit, in hac oblatus eſt, ſecundũ hanc Mediator eſt. Sed interea nõ diſſimulat neceſſariò requiri ad munus Mediatoris, vt ſit etiam Deus, vt lib.1. Confeſſionum cap.penultimo, vt Mediator eſſet, oportuit aliquid ſimile habere Deo, aliquid hominibus, ne in vtroque hominibus ſimilis, longè abeſſet à Deo, aut in vtroque Deo ſimilis, longè abeſſet ab hominibus: atque ita Mediator non eſſet. Similiter lib.9.de Ciui.Dei cap.10. Si omnes homines miſeri, quærendus eſt medius, qui non ſolùm homo, verùm & Deus ſit, vt homines ex mortali miſeria ad beatam immortalitatẽ traducat beata eius mortalitas. Item in Pſal.134. In iſta magna ſeparatione miſſus eſt Mediator, Non poteras ad Deum homo, Deus factus eſt homo. Si homo ſolùm eſſet, hoc ſequẽdo quod es, nunquam peruenires: ſi Deus ſolùm eſſet, non comprehendendo, quod non es, nunquam peruenires. Libro autem de ouibus, Non Mediator homo præter Deitatem, nec Mediator Deus præter humanitatem. Ecce Mediator, Diuinitas ſine humanitate non eſt mediatrix, Humanitas ſine diuinitate non eſt mediatrix. Sed inter Diuinitatem ſolam & Humanitatem ſolam, Mediatrix eſt Diuina humanitas Chriſti, & humana Chriſti Diuinitas. Non negamus etiam Cyrillum ſæpe ad naturam humanam referre, quòd Chriſtus ſit Mediator, ne ſcilicet obnoxiam Deitatem faciat ſubiectioni, quod Arriani vrgebant. Verùm alibi dexter eſt ac fidus dictorum ſuorum interpres Dialogo 2. de Trinitate, Mediator hac ratione intelligitur, quia oſtendit in ſeipſo collatas & vnitas Deitatem, & humanitatem. Nam Deo eſt cognatus, quandoquidem ex eo eſt, ac in eo, nobis quoque cognatus, quia ex nobis & in nobis. Vides vt ex duabus naturis conſtituat Mediatorẽ, & earum vnionem ad hoc munus neceſſariò flagitet. Nec diuerſa eſt Chryſoſtomi ratio. Etſi enim Mediatorẽ quæri vult in humana natura, negat tamen interceſſionem fore legitimam, niſi accedat & diuinitas. Ita in 2.cap prioris ad Timot. Mediator vtriſq; debet coniungi, quorum Mediator eſt. Id quippe Mediatoris proprium, fieri amborum participẽ inter quos ſe interponit. Niſi igitur conſors ſit paternæ naturæ Chriſtus, Mediator profectò nõ eſt. Ideo in Homilia de Aſcenſione tradit, non Angelum vel Archangelum, ſed ipſum Dei Filium deprecari. Et ſtatim additur expoſitio, quòd ſe medium iniecerit Chriſtus, vtrãque ſonando naturam. In eandem quoque ſententiam Ambroſius locum Pauli enarrãs, Quia vnus eſt Pater, non perſona, ſed indifferẽti natura, vt arbiter eſſet Dei & hominũ Filius Dei, aſſumpta carne homo natus eſt, vt Mediator eſſet Dei & hominum, homo Chriſtus. Id non eſt ſine Diuinitate, quia in Deo homo erat, & Deus in homine: & vt ex vtroq; eſſet Mediator, & vtrũq; recõciliaret. In ſe primùm hæc fecit, neq; enim poterat,

vnitate

vnitate ſerua ta Mediator ſeruari. Pluribus id perſequi neceſſe non eſt, modò ſemel admoniti ſint lectores, quoties occurrit apud veteres hoc loquendi genus, Chriſtum in carne eſſe Mediatorem, ſi excluſiuè accipitur, deprauari eorum germanũ ſenſum. De quæſtione propoſita libere & clarè ita reſpondendum cenſuimus. Ac maluiſſemus quidem omiſſo Stancaro, rei ſummam placidè explicare, ſed refutationem inuitis ipſe extorſit. Interea tamen in reſponſo noſtro nulla amarulentia, nulla contentio, vel pugnandi cupiditas pios, & humanos lectores offendet.

Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ Geneuenſis. Ioannes Caluinus omnium nomine.

SVMMA QVÆDAM DOCTRINÆ de Miniſterio Verbi & Sacramentorum, cuius auctoris nomen adſcriptum non erat.

I.

TOtius Miniſterij Euangelici finis eſt, vt nobis à Deo fonte omnis fœlicitatis per peccatum ſeiunctis, ac proinde perditis, Chriſtus communicetur, vt vitam æternam ex ipſo hauriamus: omnes denique cœleſtes theſauri ita nobis applicentur, vt non minus ſint noſtri quàm ipſius Chriſti.

1. Theſſ. 2. 12. *Vocauit nos per Euangelium in participationẽ gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

II.

Communicationem hanc fatemur eſſe [a] myſticam, & rationi humanæ incomprehenſibilem & [b] ſpiritualem, quòd eius effector ſit Spiritus ſanctus: qui cùm ſit virtus Dei viuentis, procedens à Patre & Filio, omnipotentiam ei adſcribimus, qua non imaginariè, ſed potentiſſimè, & veriſſimè nos Chriſto capiti noſtro coniungat, vt ſimus caro de carne eius, oſſa de oſſibus eius, & ex viuifica eius carne vitam æternam in nos transfundat.

a Epheſ. 5. 32. *Myſterium hoc magnum eſt, loquor autem de Chriſto & de Eccleſia.*

b 1. Cor. 6. 17. *Qui adglutinatur Domino, vnus ſpiritus eſt.*

Auguſt. Epiſt. 57. ad Dard. *Peccatum factum eſt relicto Deo: iuſtitia non fit ſine Deo. Acper hoc non moueremur, niſi per carnalem propaginem de membris illius veniremus, nec viueremus, niſi per ſpiritalem connectionem membra huius eſſemus.*

III.

Quòd autem cofitemur Spiritum ſanctum huius coniunctionis eſſe effectorem, certo innititur fundamento, huic nimirum: Quicquid [a] Pater aut Filius [b] operantur ad ſalutem adducendis fidelibus, id per Spiritum ſanctum vtranque perſonam operari teſtatur ſacra Scriptura: Et non aliter [c] Chriſtum in nobis habitare, quàm per ſuum Spiritum, neque alio modo ſe nobis communicare, quàm per eundem Spiritum.

a Ioan. 14. 16 *Ego rogabo Patrem, & alium Conſolatorem dabit vobis, Spiritum illum veritatis, quem mundus non poteſt recipere, &c.*

Et Paulò pòſt. 25. *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens, Paracletus autem ille Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis.*

b Ioan. 15. 26. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre meo, Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtabitur de me.* Item Ioan. 16. 7. *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego abeam. Nam niſi abiero, Conſolator ille non veniet ad vos: ſin autem abiero, mittam eum ad vos.*

c Rom. 8. 9. *Vos autẽ non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſiquidẽ Spiritus Dei habitat in vobis. Quòd ſi quis Spiritũ Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Ibidẽ paulò pòſt: 11. *Si Spiritus eius, qui excitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, per inhabitantem eius Spiritum in vobis.* Item paulò pòſt 14: *Quotquot Spiritu Dei ducuntur, hi ſunt Filij Dei.* Item 1. Cor. 6. 19. *Neſcitis quòd corpus veſtrum templum eſt Spiritus ſancti, qui habitat in vobis, quem habetis à Deo?* Item 1. Cor. 3. 16. *An neſcitis quòd templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

IIII.

Ad efficiendam hanc cõiunctionem Spiritus ſanctus duplici vtitur inſtrumento, præ-

dicatione Verbi,& administratione Sacramentorum.

V.

Quum dicimus Spiritũ sanctũ externo ministerio vti vt instrumẽto,sic intelligimus: Tam in prædicatione verbi quàm in vsu Sacramẽtorum duos esse Ministros,qui distincta habeant officia.Minister [a] externus administrat verbum vocale,& sacra sigilla quæ externa sunt,terrena & caduca. Minister verò internus, qui est Spiritus sanctus liberè agit internè,dum in quorumcunque vult cordibus arcana sua virtute communicationem cum Christo per vnam fidem operatur.Quæ communicatio res est interna, cœlestis & immarcessibilis.

a 1.Cor.3.6.7. *De toto ministerio ita loquitur Paulus: Quis est Paulus? Quis est Apollos? nisi Ministri per quos credidistis:& vt cuique Dominus dedit: Ego plantaui. Apollos rigauit, sed Deus dedit incrementum. itaque neque is qui plantat est aliquid, neque is qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.*

VI.

In prædicatione verbi Minister externus verbum vocale porrigit & auribus percipitur. [a] Internus Minister Spiritus sanctus rem quæ per verbum annũtiatur, vtpote Christum,quorum vult mentibus,verè communicat, ita vt non sit necesse Christum æquè atque verbum per corporis organa recipi,sed arcana sua virtute hanc coniunctionem operatur Spiritus sanctus, creando in nobis fidem, qua facit nos viua membra Christi veri Dei & veri hominis.

a Act. 16.14. *Quædam mulier nomine Lydia,ex vrbe Tyatirorum quæ purpuram vendebat, Deũ colens,nos audiuit,cuius Dominus aperuit cor,vt attenderet iis quæ dicebantur à Paulo.*

VII.

In Baptismo [a] Minister externus baptizat externo elemento, vtpote aqua, quæ corpore percipitur. [b] Internus Minister Spiritus sanctus baptizat sanguine immaculati agni, adeò verè vt etiam toto Christo vero Deo & vero homine induat eum qui baptizatur. Galat.3. ita vt non sit necesse Christum corporis organis recipi,vt abluantur animæ nostræ ipsius sanguine,sed sufficit arcana & potentissima Spiritus sancti operatio.

a Mat.3.11. Ioan.1.26. *Ego baptizo vos aqua ad pœnitentiam.*

b Tit.3.5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.*

1. Cor.6.11. *Et hæc eratis quidam,sed abluti estis,sed iustificati estis,sed sanctificati estis in nomine Domini Iesu,& per Spiritum Dei nostri.*

VIII.

In Cœna Domini Minister externus porrigit externa symbola, panem Domini, & vinum Domini, quæ organis corporis nostri accipiuntur, comeduntur & deglutiuntur. [a] Minister internus Spiritus sanctus, non per organa corporis externa, sed arcana sua virtute mẽtes fidelium tam verè támque efficaciter pascit corpore & sanguine Domini in vitam æternam,quàm verè sciũt se pane & vino pasci ad vitam hanc caducam sustinendam.

a 1.Cor.10.3.9. *Omnes eandem escam spiritualem ederunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt:bibebant enim ex spirituali sequente petra:petra autem erat Christus.*

IX.

Vt corpore Christi pascamur in vitam æternam, non vult Christus vt credamus corpus suum aut sanguinem suum descendere de cœlo super altare, aut circum altare, in panem aut sub panem,aut non procul à pane:non magis quàm in Baptismo opus est,vt vera membra corporis Christi fiamus ipsum corpus Christi de cœlo in aquam aut sub aquam descendere,aut non procul ab aqua stare:quemadmodum nec in verbo vocali tali corporis descensu est opus,vt totius Christi fiamus participes,sed satis potentiæ Spiritui Domini, qui a Patre Filióque procedit, inesse credimus, vt verè nos in Baptismo eius corporis faciat membra,quod est & manet in cœlo. Et in sacra Cœna eodẽ corpore manente in cœlo magis ac magis nos nutriat per arcanam atque efficacissimam potentiam suam & virtutem.

Hæc doctrina, quòd corporis Christi nullus fiat descẽsus aut illapsus,visibilis aut inuisibilis,fundata est in clarissimis Scripturæ sacræ testimoniis. Quatenus enim Christus est homo,testatur Scriptura eũ recessisse,Lucæ 24.51.abiisse,Ioan.14.4. mũdum hunc reliquisse,Ioan.16.28.sublatum esse,Act.1. 11.in sancta ἀχειροποίητα, Hebr.9. 11. & 24. contineri cœlo ad tempus vsque restitutionis omnium, Act.3.21.

Nec

Nec pugnant cum hac doctrina verba Christi, Hoc est corpus meum quod pro vobis,&c. Nam ipsius Christi optimus interpres est D. Paulus, qui hoc interpretatur, panis quem frangimus: verba Christi,est corpus meum, interpretatur, est communicatio corporis Christi. 1.Cor.10.

Iam autem antè demonstratum est, vnicam hanc esse communicandi rationem, qua per Spiritum sanctum eius simus participes,qui effector est huius communicationis,cùm sit virtus Dei viuentis à Patre Filióque procedens.

Consentit etiam hæc doctrina cum Symbolo Apostolico siue articulis fidei, quorum inuiolabilis & simplicissima inter pios omnes constare debet certitudo: his nimirum: Ascendit in cœlum, Sedet ad dexteram Dei omnipotentis, Inde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos.

Hos articulos fidei ita vt nos intellexit D. August. Tom.2. Epistola 57. ad Dardanum, in qua hos articulos Confessionem Christianam appellat, & vetat ne ab ea recedamus. Noli dubitare,inquit, ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est: memoritérque recole & fideliter tene Christianam Confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, Ascendit in cœlũ,Sedet ad dexteram Patris, Nec aliunde quàm inde venturus est ad viuos mortuósque iudicandos. Et sic venturus est, illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum: in eadem carnis forma atque substantia, cui profectò immortalitatẽ dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatem adstruamus hominis, vt veritatẽ corporis auferamus.Non est autem consequens vt quod in Deo est,ita sit vbique vt Deus,nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur & sumus:nec tamen sicut ille vbique sumus, sed aliter homo ille in Deo,quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est,& vtrunque vnus est Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo. Hactenus Augustinus.

Consentit etiam & cum articulo, de assumpta vera humana natura[a],cuius omnes conditiones,excepto peccato spõte Christus in se recepit, &[b]post glorificationem immortalitatem carni suæ dedit,naturam non abstulit.

a Hebr.4.15. *Non habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, absque peccato.*

b Luc.24.39. *Videte manus meas, & pedes meos,nam ego ipse sum. Contrectate me & videte, nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

August.in Ioan.Hom.5.a *Secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi: Secundum carnem verò, quam verbum assumpsit, secundum id quod de Virgine natus est, secundum id quod à Iudæis prehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis inuolutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, Non semper habebitis vobiscum. Quare? quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & deducentibus ipsis videndo non sequẽdo, ascendit in cœlum, & non est hîc. Ibi est enim, Sedet ad dexteram Patris, & hîc est, non enim recessit præsentia maiestatis. Aliter: Secundum præsentiam maiestatis semper habemus Christum: Secundum præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis: Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus, modò fide tenet, oculis non videt.*

Consentit etiam cum articulis fidei de Diuina natura Christi, de omnipotentia, & de Spiritu sancto. Credimus enim verè nobis & potentissimè præstare Christum[a] per suum Spiritum, quod promittit, licet omnipotentiam ipsius ad euertendum illum articulum fidei pertinere non credamus: vt corpus Christi non ascenderit in cœlum, & non sedeat ad dexteram Dei, quin potius multò magis credimus ita demum verè stabiliri omnipotentiã & articulos nostræ fidei, dum arcana & incomprehensibili virtute Spiritus sancti opus hoc in nobis multò certius fieri credimus, quàm si corpus Christi è cœlo super altare descenderet, manibus Ministri porrigeretur, & ore corporis nostri comederetur. Tantò enim certior ac potentior est Spiritus sancti operatio, quantò Creator ipse omnibus creaturis quantumcunque excellentibus est superior.

a 1.Cor.15. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem: extremus Adam in Spiritum viuificantem.* Hactenus.

Cal. Mycronio Contra Mennonem.

TV verò, integerrime frater, minimè literis tuis me obtundis, quibus interpellari gratum est ac iucundum. Tantùm cuperem lætius tibi dari argumentum, vt mihi gaudium tuum commune esset: Sed quando ita Domino nos exercere placet, curas, quæ te publica Ecclesiæ causa angunt, inter nos cõmunicari molestum esse non debet. Vtinam verò ad te iuuandum facultas voto par suppeteret. Cæterum quidquid in me est operæ ac subsidij, libenter tibi impertiar. Mennonis doctrina quam ex deliriis Manichæorum hausit, mihi nõ erat incognita. Fallacias non ita penitus tenebã: quibus vt obuiam eas fatendum est ac dilucidè explicandum, sicuti te fecisse non dubito, Christum Deum manifestatum in carne, verum esse Dei Filium. Et quanquam nomen Filij, propriè in diuinam naturam competit, & ad eam refertur, hominẽ tamen illũ ex virgine genitũ propriè Filiũ vocari. Quia quatenus Mediator est & caput Ecclesiæ Deus & homo, Filium Dei natura esse oportet, vt adoptionis gratia nos sibi cõiungat. Cæterum inde præposterè colligitur, genitum esse hominem ex Patris semine, quia propter arcanam sacrámque vnionem diuinitatis cum carne, totus Christus verè dicitur Filius, sicuti præcipuè ex Pauli verbis primo ad Rom. capite, Item etiam nono liquet. Quibuscunque enim cauillis ludat Menno, perspicuus est sensus, Filium Dei esse ex semine Dauidis secũdum carnẽ. Item, Christum, qui Deus est benedictus in sæcula, ex Iudæis originem trahere secundum carnem. Itaque frustra locos arripit, vbi vocatur Christus homo Dei Filius: quia in totam Christi personam nomen hoc meritò confertur. Quòd autem è cœlo venisse Christus dicitur & à Patre exiisse, ad carnis essentiam perperã trahitur. Quia etsi inde colligere licet Christum verum esse Deum, hoc tamen non tam de substantia sua, quàm de officio prædicat: quia testari vult nihil se tradere nisi diuinum.

Porrò argumenta quibus orthodoxa doctrina probatur, diluere volens, nihil aliud quàm friuolis cauillis elabitur. Si in carnem mutari potuit Spiritus, quia Deo sunt omnia possibilia, ergo & Pater verti in carnem potuit. Quòd si demus, vbi erit illud? Cœlum & terram ego impleo. Tota enim diuinitas esset corpus vnum, quod loco comprehendi necesse est. Iam si corporea fuisset diuinitas in Christo, falsò dixisset Deũ esse Spiritum. Item à resurrectione sua, Spiritum carnẽ & ossa non habere. Nam si excipiat Menno, mutatum fuisse Spiritum in carnem, vt desineret esse quod erat, nihil absurdius fingi potest. Peribit enim æternitas essentiæ spiritualis. Adde quòd si ex Dei semine penitus est Christus homo, iam non vna nec simplex erit Dei essentia, sed in partes secabitur: atque ita in Deo erit diuisio, quam Menno inter duas Christi naturas non admittit. Quod obiicit non fore alioqui verum illud Ioannis, verbum carnem esse factum, quia fieri non significet assumere, nugatoriũ est. Nam certè Apostolus 2. ad Hebr. cap. à Ioanne non dissentit: qui tamen assumendi verbo vtitur. Et satis constat huius locutionis ratio: quia & fieri rex dicitur, qui antè homo priuatus fuit: quia incipit esse quod antè non erat. Itaque verè & aptè vbi carnem induit Filius Dei, dicitur caro factus.

Putidum est effugium, dici Filium hominis, quia hominibus promissus est. Secundum verò commentum adducens Menno, satis declarat effugia se quærere. Palàm verò est Hebraico more vocari Filium hominis verum hominẽ. Nam Christus haud dubiè phrasin linguæ suæ retinuit. Quid autem per filios Adam intelligi conueniat, extra controuersiam esse debet. Ac ne longius abeamus, locus Psalmi octaui quem ad Christum Apostoli accommodant, omnem controuersiam dirimit: Quid est homo quòd memor es eius, aut Filius hominis quia visitas eum? Quod de masculino genere nugatur, colore prorsus caret: quia Filius hominis vocatur, cuius origo verè ex Adam fluxit.

Cùm dicimus oportuisse in carne nostra expiari peccata mundi, frustra hoc principium cõuellere nititur Menno: quod clarè à Paulo asseritur 5. ad Rom. cap. Nam quod contrà obiicit, neminem ex carne peccatrice prognatum potuisse legem implere, solutio petenda est ex 8. ad Rom. cap. vbi docet Paulus expiationem factam in similitudine carnis peccatricis. Naturam enim hominis nõ à principio fuisse corruptam notum est, sed vitio accidentali. Quid ergo obstat quò minus Filij sui carnem Deus sanctificare potuerit?

Argumentum etiam illud firmum manet, Nisi fuerit generatio hominis Christi, nouam fuisse creationem. Nam quod excipit non fuisse nouas creationes quoties miraculo ali-

lo aliquid in nouam naturam mutatum est, importunè huc torquetur, quia nõ potuit essentia Dei mutari, sicuti creaturæ, & detestabile commentum est fingere Dei essentiam in Patre esse Spiritum, in Filio esse corpus.

Argumentum quod sumitur à donorũ participatione impudenter transilit. Nam inde certè ad nos pertinet quidquid Christo contulit Pater: quia caput est ex quo totum corpus per iuncturas connexum simul coalescit. Imò non aliter conueniet quod dicitur: Spiritum ei datum esse absque mensura, vt de plenitudine eius hauriamus omnes. Nisi fortè Mennoni absurdum non est, Deum in sua essentia aduẽtitio dono locupletari. Hac etiam ratione dicit Christus ipse, Ioan. 17: Ego propter eos sanctifico meipsum. Improbè igitur mentitur nusquam hæc in Scripturis legi.

Quantùm ad testimonium Mosis spectat, si probè expenditur, magis premit Mennonẽ quàm vt se expedire queat. Neque enim de vno dũtaxat Christo illic sermo habetur, sed de toto humano genere. Verum quidem est partam esse à Christo victoriã, sed generaliter pronuntiat Deus posteros mulieris superiores fore Diabolo. Vnde sequitur, Christum ex humano genere esse progenitum. Totum verò sensum peruertunt Cabalisticę Mẽnonis allegoriæ, quòd mulier dicatur Ecclesia, quia consilium Dei est, Euam quam alloquitur, bona spe erigere. Hoc etiam loco solutionum varietas tortuosum & lubricum anguem ostendit. Interim victorem serpentis ex muliere quæ ἄσπορος est, promitti dicens, nequaquam se extricat. Nisi enim semen esset in muliere, falsa esset promissio. Gen. 3.

Testimonia vbi Christus semen Abrahæ & fructus ventris Dauidis vocatur, nimis improbè corrumpit. Nam si allegoricè positum esset nomen seminis, Paulus certè 4. ad Gal. cap. hoc non tacuisset. Clarè autẽ & sine figura affirmat, non esse plures Abrahæ filios redemptores, sed vnum Christum. Fateor ex genealogia non aliter colligi Christum esse filium Dauidis, nisi quia ex virgine genitus est. Sed nimis superbè, vt impium suum errorem stabiliat Menno, euertit naturæ elementa, mulieres contendens esse ἀσπόρους.

Octauum argumentum de genealogia Christi sophisticè eludit. Etsi enim Matthæus non recenset Mariæ parentes sed Iosephi: quia tamen de re tunc vulgò comperta verba facit, satis habet ostendere Iosephum ex Dauidis semine ortum esse: cum satis constaret Mariam ex eadem esse familia. Magis etiam vrget Lucas, salutem à Christo allatam toti generi humano cõmunem esse docens, quia Christus auctor salutis ex Adam communi omnium Patre sit progenitus.

Aptè ex Matthæi verbis colligitur, quia ex Maria genitus est Christus, procreatum esse ex eius semine. Sicuti etiam cùm dicitur Booz genitus ex Rahab, similis notatur generatio. Nec verò Matthęus hîc Virginẽ quasi canale describit, per quod fluxerit Christus, sed hunc mirificum generandi morem à vulgari discernit, quòd per eam ex semine Dauidis genitus fuerit Christus. Eadem enim ratione qua Isaac ex Abraham, Solomon ex Dauide, Ioseph ex Iacob, similiter Christus ex matre genitus esse dicitur. Sermonis enim seriem Euangelista contexit.

In decimo argumento suam impudentiã nimis turpiter prodit. Quomodo enim quadrabunt, secũdum carnem Christum esse ex semine Dauidis, & tamen non aliter vocari Filium, nisi quia promissus est ac donatus? Nam postquam Filium Dei nominauit Paulus, continuò pòst subiiciens, secundum carnem esse ex semine Dauidis, distinctum certè aliquid à Diuina essentia notat. Sic & nono capite Deum benedictum prædicans, seorsum ponit, secundum carnem ex Iudæis descendere. Iam nisi verè genitus esset ex semine Dauidis, quid valebit locutio illa, vt sit fructus ventris eius & ex lumbis descenderit? Stultè autem obiicit, non posse dici naturalem Dauidis filium, quia verbum factum est caro, quia constat non alio sensu hoc dici, nisi quia carnem induit & manifestatus est in carne. Mulieri nõ esse generatiuũ semen dicit Menno: sed quis prẽter cõmunem omniũ sententiã indocti hominis figmento credet? Quanquã mirum est tic ipsum verũ miraculum negare, dum falsissimum portentũ de suo affingit, in quo admirabilior sit Dei potẽtia, si verũ esset quod persuadet, æternam Dei essentiã mutatã esse in mortale corpus. Nugatoriũ etiam est quod repetit non posse doceri certò Mariam esse genitam ex semine Dauidis: quia Matthæus probare volens Christum esse genitum ex semine Dauidis, dum hoc vno contentus est, ex Maria esse genitum, certè pro re confessa sumit, Mariam fuisse consanguineam Ipseph. Quod autem adducit semen pro posteritate sumi, nimis dilutum est: quia non simpliciter vocatur semen, sed dicitur esse ex semine. Impudentia etiam minimè tolerabilis est, clarum in verbis Pauli sensum peruertere, vt Christũ ex semine Daui-

dis factum, vel formatum esse neget.

Quòd ad vndecimum argumentum spectat, fateor Ecclesiã spiritualiter esse carnẽ ex carne Christi &c. Sed vicissim dico, vt hoc fieret, Christum sumpsisse ex hominibus carnem, in qua se pro ipsis sanctificaret.

Christum vocari cœlestem è cœlo, quia inde carnem attulerit, omni ratione caret: idque antithesis clarè euincit. Terrenus enim homo, tantundem valet atque animalis: cùm tamen animam ex terra profectam nõ esse satis liqueat. Itaque nihil certius quàm cœlestem vocari Christum, viuificantis Spiritus respectu.

Secundo ad Philip. cap. non inficior, quin forma hominis sit vilis & abiecta conditio: sed ex toto contextu facilè colligitur in vera hominis natura exinanitum fuisse Christum. Quid enim hoc sibi vult, figura repertum fuisse tanquam hominem, nisi quia ad tempus non resplenduit diuina gloria, sed tantùm apparuit humana species? Atq; huc pertinet exaltatio: quia disertè nouam gloriam adeptus fuisse dicitur Christus, quia seipsum exinaniuit.

Vtcunque locum ex 2. ad Hebr. cap. torqueat, non tamen extricare se potest. Ex vno esse dicit auctorem sanctitatis, & eos qui sanctificantur, nempe ex Deo. Atqui potius intelligi naturæ cõmunicationem ex contextu euincitur. Continuò enim pòst subiicit Apostolus, Ideo non erubescit eos vocare fratres. Si autem prius dixisset, fideles ex Deo esse, in tanta dignitate quænam esset erubescentiæ ratio? Sed ideo non erubescere dicitur Christus, quia pro immensa sua gratia ad sordidos & ignobiles se aggregat. Frustra autem obiectat Menno, impios alioqui fore Christi fratres: quia scimus filios Dei non ex carne & sanguine, sed ex Spiritu nasci per fidem. Proinde fraternam communicationem non facit sola carnis societas. De pueris insciтè nugatur, quando simpliciter intelligit Propheta, cuius testimonio vtitur Apostolus, seruos vel discipulos. Nec minus temere garrit, Mariã fratris sui fore matrẽ, si Christus secundum carnẽ frater noster sit, cùm plus satis trita sit phrasis Hebraica, Fratres vocari consanguineos quoslibet. Tametsi autem Apostolus hunc honorem assignat solis fidelibus, quòd ex vno sint cum Christo: non tamen sequitur, quò minus ex eodem fonte nascantur increduli: quemadmodum vbi dicimus Christum factum esse hominem vt nos faceret Dei filios, non extenditur hæc locutio ad quoslibet: quia fides media interponitur, quę nos in Christi corpus spiritualiter inserit. Nimis impiè & sceleratè obiicit, debuisse Christum statim ab initio ex Adam nasci, cùm primogenitus sit inter fratres. Primogenitura enim nõ ad ætatem, sed ad gradum honoris & virtutis eminentiam refertur.

Argumentum decimumquintum minus insciтè eludit. Clara sunt Apostoli verba, Quando pueri participant carnem & sanguinem, eorum quoque participem fieri Christum oportuit. Quod de natura humana dictum est, Menno sine ratione & sine pudore ad peccatum torquet. Improbius etiam est, quòd relatiuum pluralis numeri tantùm ad carnem restringit, & eam fictitiam: ac si nihil diceret Apostolus, Christum eiusdem nobiscum naturæ socium & consortem statuens. Nec quidquam est momenti in eius cauillo, Christum fore peccatorem ex peccatoribus, si verus homo sit: quia non concedimus naturæ corruptelam fuisse in Christo, sed docemus absque vitio creatũ fuisse hominẽ.

Locus ex secundo ad Hebræos, vbi dicit Apostolus, Christum sumpsisse semẽ Abrahæ, impium Mennonis & Serueti commentum repudiat, quòd receperit Christus in gratiam homines. Nam illic Apostolus vt gratiã amplificet, qua dignatus est Christus humanum genus, Angelos cum hominibus comparat, quòd scilicet prætulerit Angelis homines, hominũ naturam induendo. Nam si per semẽ intelligit posteros, idem & de Angelis fateri cogetur: nempe sobolem ab illis procreari, ac si mentitus esset Christus, dicens nos Angelis similes fore post resurrectionem. In præsenti verbi tempore futilis est argutia. Nam vsitato more δεικτικῶς loquutus est Apostolus, vt clarius tam insignem gratiam ante oculos nobis poneret.

De vtraque in Christo natura non modò insciтè garrit, sed confusè omnia permiscẽs, secum ipse pugnat. Tradit Petrus nos diuinæ naturæ fore consortes, sed hoc nonnisi ad
2. Petri 1. qualitatẽ referri potest: quatenus scilicet renouabimur in cœlestẽ gloriã. Alioqui corruptibile hoc nostrũ corpus fieret tum Deus. Quomodo autẽ nõ horret Menno & abominatur mutationem carnis peccatricis in Dei essentiã, cùm tantopere refugiat, quod tamen absurditate caret, Filium Dei carne nostra fuisse indutum? Adde quòd secũdum Petri mẽtem societas diuinæ naturæ præsentem hominum naturam, quatenus infirma est, abo-

est, abolebit. In Christo autem longè diuersa ratio, qui simul & semel Deus & homo fuit. Iam verò si humanam substantiam Christo tribuit integram & puram ab omni labe, qualis in Adam fuit ante lapsum, sequitur non ex Dei semine progenitam fuisse Christi carnem, sed ex homine: nisi dicere fortè malit vel de nihilo vel ex terra creatam fuisse. Cur dictum Athanasij improbet, Christum constare ex duabus naturis, sicut homo personaliter constituitur ex anima & corpore, monstranda est ratio, cur tam apta similitudo displiceat.

Si locum Petri tergiuersando inuoluit, vbi Christum dicit mortuum esse carne, viuificatum Spiritu, non miror. Quomodo enim se expediet, cùm virtutem qua carebat Christi caro, Petrus Spiritui adscribat? Durius etiã eum premit Pauli dictum, vbi Christum asserit passum fuisse pro infirmitate carnis: quia si diuina fuit Christi caro, infirma fuit diuinitas. Huc etiam pertinet quòd Christus passiones nostras & affectus sustinuit, similis per omnia nobis factus excepto peccato. Nam si dolori, & timori, cunctis denique nostris infirmitatibus subiecta fuit Dei natura, iam neque sol lucidus erit, sed totus cœli & terræ ordo informe erit & horrendum chaos.

Quidquid blaterat vt probet non esse mulieribus generatiuum semen, refutatione indignum est. Atque hoc potius medicis relinquo tractandum. Rationum tamen quas adducit, ea est futilitas, quæ nullo negotio refelli queat.

Onan filius Iuda semen effudit in terram. Idem nusquam legitur de muliere. Quasi verò reuelandis mulierum pudendis hic nebulo se oblectet.

Vir immundus dicitur, de quo egreditur proiectio seminis. Nimis stultè infert nõ contingere mulieribus immundum fluxum. Nam hac ratione nulla esset natiua immundities in fœminis, in cuius remedium solis viris data est circunciſio.

Sapientiæ septimo, coagulatus dicitur homo sanguine ex semine viri. Hinc contẽdit mulieri adscribi, quod eius proprium est, nempe sanguinẽ. Quasi verò aliud sit sperma quàm sanguis ad generandum concretus. Vnde sequitur fœtum tam ex mulieris, quàm viri substantia coalescere.

Locum Pauli, vbi docet non esse virum ex muliere, sed mulierem ex viro, scelestè hic nebulo corrumpit: quia illic minimè dubium est tractari de principio humani generis, non autem de continua propagatione, cuius statim altero membro meminit Apostolus, vbi dicit virum esse per mulierem.

Quod obiicit, Aaron & Ioiada duxisse vxores ex tribu Iuda, ac inde colligit confusam tunc fuisse tribuum discretionem, si inesset mulieri generatiuum semen, nimis frigidum est. Satis enim notum est quantùm ad politicum ordinem spectat, censeri progeniem ex virili semine. Superior tamen sexus dignitas non facit, quò minus in generando coeat semen mulieris. Hæc quoque solutio ad omnes genealogias extenditur. Sæpe, vbi catalogum hominum recenset Scriptura, solos viros nominat, an ideo dicendum est mulieres nihil esse? imò pueris ipsis notum est, mulieres sub viris comprehendi. Hac quoque ratione dicuntur fœminæ párere suis maritis, quia familiæ nomen penes masculos semper residet.

In mysterio Ecclesiæ pueriliter prophetatur. Neque enim si Ecclesia dicitur mater nostra, ideo protinus in carnali & spirituali generatione singulæ partes inter se respondent.

Creatio nequaquam ostendit quod vult Menno, mulieres carere semine. Nam sicuti ex viro creata est prima mulier, ita ex vtroque geniti sunt posteri.

Stultè à voce seminis ratiocinatur. Nam si semẽ homin is manu iactum terra excipitur, non inde sequitur, in coitu viri & mulieris idem valere. Quin potius contendere licebit, quia matres olim genitrices vocatę sunt, semen earum ad generationem concurrere. Alioqui auunculi cum nepte sua perperam vetitũ esset coniugium Lege Dei, quia nulla esset consanguinitas. Viro etiam liceret sororem vterinam in coniugium accipere, modò ex altero patre esset genita.

Non minus etiam inepta est ratiocinatio, quum dicit liberos censeri ex patrum conditione vel nobiles vel ignobiles. Sicuti enim virilis sexus præstantiæ hoc conceditur, ita etiam in seruitute partus ventrem sequitur, secundum Iurisconsultos. Vnde colligere promptum esset, ex materno semine fœtum procreari.

Nec minus barbara est illatio Mennonis, si semen conferant mulieres, fore patres sui fœtus: quia mater non minus parens vocatur, quàm pater. Quum ergo parentum com-

mune sit nomen, in patris & matris nominibus sola notatur sexus distinctio.

Vltimum argumentum per se euanescit. Sicuti enim fateor vim passiuam mulieribus adscribi, ita dico promiscuè de mulieribus idem prædicari quod de viris. Neque enim Gal.4.4. Christus ipse factus dicitur per mulierem, sed ex muliere. Vnde apparet quomodo sine vlla verecundia latret hic canis. Quòd autem per ludibrium quærit, an dicere velimus ex semine menstruali virginis procreatum esse Christum, scire rursum ex eo velim, an nõ in sanguine matris coaluerit Christus: siquidem matris partibus functam esse Mẽno ipse alibi non negat.

Solutiones quas colligit, Scripturæ testimonia non euertunt, vbi mulieribus tribuitur semen. Neque enim eadem vel æqualis est fœminæ ac terræ conditio. Et quum dicitur quispiam esse ex semine mulieris, non potest intelligi sub hac voce posteritas. Tertio autem capite Geneseos totum humanum genus semen mulieris non alio sensu vocatur, nisi quia verè ad generandum cooperatur mulier. Locus etiam 11. cap. ad Hebræos non tam facilè elui se patitur, quòd Sara virtutem acceperit ad seminis proiectionem, quia apertè verbum illud sonat emitti semen à mulieribus: & clara est allusio inter παραβολὴν, & verbum λαμβάνεσθαι. Quòd ad Christum attinet, non efficiet sola & nuda promissio, vt dicatur prodiisse ex lumbis Abrahæ & Dauidis.

Absurda quibus nos grauare conatur, improbis calumniis referta sunt. Nisi concedat Sermonem Dei ab initio fuisse eius quoque Filium, Deus tunc non fuit Angelorum pater: & tamen antequam nasceretur, matre caruit. Nos verò Christum hominem, qui ex Maria natus est, Dei non minus quàm hominis filium esse concedimus, licet diuerso respectu. Neque enim instar Nestorij duplicem fingimus Christum, sed perso-
1.Tim.3.16. nam vnam constituimus ex duabus naturis, vt sit verè Deus manifestatus in carne. Doctrinam nostram hac in parte si respuit, Paulum ex quo verba mutuàmur, deridеat.

Quòd Christum crucifixum contendit esse vnigenitum Filium Dei, nos quoque idem docemus. Sed interea non tollitur distinctio, quam Christus ore suo diserтè asseruit, corpus suum appellans Templum. Quomodo enim Templum esset Deus ipse, vel eius essentia? Deitatis ergo domiciliũ esse colligimus. Quò etiam spectat illud Pauli, habitare in eo plenitudinem Deitatis corporaliter.

Quòd Christum diuidi calumniatur in Deum & hominem, si Deum & hominem esse dicimus, nullo negotio discutitur. Neque enim distinctio laceratio est. Eiusdem etiam impudentiæ est, quòd dicit Christum hoc modo conflari ex pura & impura natu-
Rom.8.3. ra, ex benedicta & maledicta: quia Paulus damnatum esse in carne peccatum pronuntians, prudenter nos ad similitudinem carnis peccati reuocat.

Pueriliter ratiocinatur, si per arcanam Spiritus operationem genitus fuit Christus ex matris semine, non fuisse igitur impurum semen mulieris, sed viri duntaxat. Neque enim ideo immunem ab omni labe facimus Christum, quia tantùm ex matre sit genitus, sed quia sanctificatus est à Spiritu, vt pura esset generatio & integra, qualis futura erat ante lapsum.

Quod postea subiicit, totam Adæ sobolem absque exceptione sub peccato concludi, ideóque, Christum, si ex hominibus originem traxerit, non posse eximi à communi lege, facilè soluit antithesis qua vtitur Paulus ad Rom. cap.5. v.12. Sicuti per vnũ hominem peccatum, & per peccatum mors, ita in gratia vnius hominis Christi abundauit gratia. Item 1.Cor. 15.v.47. Nec obstitit accidentalis corruptio Adæ, quò minus purus & integer ex eo nasceretur Christus.

Iam firmum etiam illud est, nec Mennonis cauillo eluditur, quoties de Christi puritate nos admonet Scriptura, notari veram hominis naturam: quia superuacuum esset dicere, purũ esse Deum. Sanctificatio etiam de qua loquitur Ioan. 17.v. 19. in natura diuina locum non haberet. Nec verò duplex fingitur Adæ semen, quamuis nulla ad Christum cõtagio peruenerit, quia hominis generatio per se immunda aut vitiosa non est, sed accidentalis propter lapsum. Itaque nihil mirum, si Christus per quem restituenda erat integritas, à vulgari corruptione exemptus fuerit.

Frustra garrit Menno, si ex Mariæ semine progenitus sit Christus, illam fore patrem & matrem, quasi ad vulgarem regulam exigi debeat generatio, in qua Deus memorabile arcanæ & incomprehensibilis suæ potentiæ specimen edidit.

Illud porrò axioma quod tam audacter subinde obtrudit, ἄπορον fuisse Mariam, probatione indiget, quia & philosophiæ & experientiæ repugnat.

Idolo-

Idololatriam esse contendit, Deum in carne manifestatum adorare: nos verò negamus: cuius superbiæ est, nos suis placitis adstringere?

Quod obiicit, si ex Maria progenitus sit Christus, Gentilem magis quàm Iudæum fore genere, quia progeniem ducat per fœminas à gentibus, eiusdem est futilitatis. Quasi verò Ruth proauia impediat, quominus censeatur Dauid Abrahæ filius.

Quod etiam pro absurdo nobis obtrudit, si sermo Dei carnem induit, fuisse igitur angusto terreni corporis ergastulo inclusum, mera est procacitas: quia etsi in vnam personam coaluit immensa Verbi essentia cum natura hominis, nullam tamẽ inclusionem fingimus: quia mirabiliter è cœlo descendit Filius Dei, vt cœlum tamen non relinqueret: mirabiliter in vtero virginis gestari, in terris versari, & in cruce pendere voluit, vt semper mundum impleret, sicut ab initio profanæ etiam insciticæ est, fingere verbum in morte ipsa à carne separatum. Sed velim rursum scire ex Mennone, quàm bene conueniat, essentiam Dei quam cœlum & terra non capit, exiguum corpus esse factum, quod in vtero virginis & in sepulchro latuerit. Nodum hunc si potest expediat, quomodo Deus eodem momento vbique fuerit Spiritus, & in terra fuerit homo palpabilis.

Hoc sanè video, nihil hoc asino posse fingi superbius, nihil petulantius hoc cane.

CALVINVS CONTRA OSIANDRVM.

SI fuisset vltrò moderatus, prodesse Ecclesiæ Dei poterat, sed dum ardet ostentandi acuminis studio, nulla religio vel modestia, vel etiam verecũdia eum tenuit, quin omnia conuellere tentaret. Atque ita dum suis speculationibus indulget, peruersis deliriis genuinam & simplicem pietatis doctrinam variè corrupit. Sed alia commenta nunc non attingam. In explicanda fidei iustificatione meris præstigiis se ipsum fascinauit, & alios delusit. Admittit quidem quod negare ausus non est, remissionem peccatorum intercedere in homine iustificando: sed in primo & summo gradu locans spectrum essentialis iustitiæ, quod ipse finxit, nihil aliud relinquit gratuitæ Dei acceptationi, quàm vt sit inferior quædam appendix. Essentialem iustitiam sibi nulla ratione imaginatus est. Nam etsi eò trahit Scripturæ testimonia, quæ Deum in nobis habitare asserunt, & nos vnum cum ipso fieri: nihil tamen inde probatur, quàm arcana Spiritus virtute, dum coalescimus in Christi corpus, vniri simul Deo. Adde, quòd essentialis illa communicatio ex Manichæorum deliriis sumpta est. Nec video quomodo excusari possit hoc absurdum, essentialem Dei iustitiam esse accidens, quod adesse nunc homini possit, nunc abesse. Quanquam longa refutatione opus non est, si principium illud tenemus, iusticiam hominis in ipsa creatione fuisse rectitudinem, ad quam formatus erat, vt in singulis animæ partibus, adeóque in ipso corpore fulgeret Dei gloria. Quum ergo luce intelligẽtiæ præditus esset homo, & voluntate compositus in obsequium Dei, & eadem symmetria esset in singulis facultatibus, dicimus hominẽ fuisse iustum. Hac descriptione nõ contẽtus Osiander, Christũ fingit non modò fuisse Idæam, sed primarium exemplar, vt Adam essentialis esset eius imago. Hinc commentum hoc, in quo ita se inebriauit, vt à nullis absurdis sibi caueret.

Nunc postquam alienatus est homo à Deo, eum dicimus restitui iustitia, & sanctificatione, quarum prior gratuitam reconciliationem significat: altera renouationem hominis. Ergo quod ad voces spectat, perperam Osiander regenerationẽ cõfundit cum iustitia. Fixum enim manet illud Pauli, verã iustitiæ definitionem poni à Dauide his verbis, Rom.4.6. Beatus vir cui non imputat Deus peccata. Dicit Osiander, iustificari nos non tantùm obedientia, quàm Christus præstitit, & satisfactione qua defunctus est pro expiandis peccatis: sed diuina æternáq; eius iustitia. Longè aliter Paulus, qui simpliciter affirmat, iustificari nos obedientia vnius hominis, & alibi æqualiter pronuntiat datũ esse nobis Christum in redemptionem, & iustitiam. Item factum esse sub Lege, vt nos à maledictione Legis redimeret. Hæc porrò est iustitia, de qua vbique disserit, deleto reatu, recipi nos à Deo in gratiam. Et certè ad humanam Christi naturam refertur illud, Propter eos sanctifico me ipsum. Adhæc si caro Christi verè est cibus, & sanguis eius verè est potus, colligimus non aliter iustificari nos in ipso, nisi quatenus est propitiator. De reconciliatione, quàm inscitè, ac peruersè loquatur Osiander, satis supérque patet ex vno Pauli loco, Erat Deus in Christo mundum reconciliãs sibi, non imputans hominibus pecca- Rom.5.19. 1.Cor.1.30. Gal.4.4. 2.Cor.5.19.

2. Cor. 5. 16. 21. ta. Notanda est etiam quæ mox subiicitur iustitiæ ratio, Eum qui peccatum non nouerat, peccatum pro nobis fecit, vt iustitia Dei essemus in illo. Hæc breuis admonitio sanis & modestis lectoribus, vt spero, contra Osiandri præstigias muniendis sufficiet. Neque enim longum volumen scribere nunc vacat, nec expedire iudico.

BLAVRERVS CALVINO. S. D.

EGo tibi tuísque omnibus omnia fœlicia ac fausta in vnica solidáque cõmuni salute nostra Iesu Christo pro ineuntis nunc noui anni lætis auspiciis totis animis precor, mi colendissime charissiméq; Caluine. Scripsi ad te proximis nundinis Lugdunensibus per Ioannem Linerum Sangalleum, mercatorem istac transiturum, qui rediens sanctè affirmabat suapte manu meas tibi esse redditas. Nihil verò vicissim abs te quod ad me perferret accepisse: quod ego sanè hoc ægrius tuli, quo maiori desiderio tuas expectaueram, ex quibus intelligerem, quibus rationibus illorum quorundam conscientiæ confirmandæ sint, qui in eadem flagitia, post toties perceptum Cœnæ Christi Sacramentum, subinde sunt relapsi, cùm tamen seriò nunc velle videantur resipiscere. Interim autem de impetranda peccatorum remissione, non satis fiduciæ sibi sumentes, quòd dicant nulla eius rei in sacris literis exempla extare, quibus in omnibus aliis, quę doceat, aut polliceatur, tantopere abundet. Ego profectò quanquam longissimè absum à veteri ista hæresi, quæ relapsis pœnitentiã pertinaciter negabat, quacum etiã veteribus Ecclesię doctoribus nonnullis negotium fuit: nec quidquam dubitem omnibus quantumuis sæpe lapsis & relàpsis, etiam in eadem grauissima peccata, aditum tamen ad gratiæ thronum, vt misericordiam consequantur, & gratiam inueniãt, modò cum fiducia accedant, patere: ingenuè tamen fateor, cùm fluctuantes illi adeò exempla desiderent ac flagitent, nulla me habere quæ proferam. Neque enim Dauidis, Petri, Pauli, latronis, aut peccatricis illius Euangelicæ exempla recipiunt, quorum singulorum longè fuerit alia ratio. Ad te igitur, mi pręter cæteros semper mihi venerande charissiméque frater, confugio, vt hîc mihi tu adsis, quod facilè scio poteris, pręsenti quapiam huius difficultatis discussione, ne ipse aliis, magno ipsorum periculo desim. Scribes autem, per Iesum Christum te obsecro, vel exempla, si quæ fortè nosti, quæ animo meo nulla ex scripturis succurrunt: vel certè rationem aliquam iuxta fidei analogiam affer, cur nihil tale in scripturis nobis sit proditum, vt ex iis tãdem angustiis boni quidam homines: (sic enim mihi videntur) simul autem & ipse quoque liberemur. Tu, ita me Christus amet, primus & solus es cui de hoc scribere visum est, quando nihil dubito, te imò Dominum per te pro data tibi gratia, mihi, quæ animis nostris satisfaciant, perplexósque expediãt, magna nostra consolatione, responsurum. Bene vale anime mi & fatiscentem senectutem meam, quò magis atque magis in Christo ad æternæ vitæ nunquã intermoriturã beatitudinem fœliciter reuiuiscat piorum votorum auxilio, strenuè adiua. Vituduri, V I I. Idus Ianuarij. M. D. LX. Sed quid Viretus? quid verò Beza noster? Doctiss. & optimi viri. Bezã valde miror nihil vel de Colignio, vel Galli rebus ad nos perscribere. Salutabis vtrunq; mea vice quàm potes honorificè & amãter cum D. Archigrammateo vestro Michaele Roseto, pariter & omnibus qui istic nos in Domino diligunt, quibus strenæ loco longissimę ætatis curricula, omnium corporalium & spiritualium bonorum concursu fœliciter fluẽtia, à nato mundi Saluatore (quæ vox augustius quiddam ac diuinius quàm Seruator sonat) impetrata cupio ac omnibus animi mei votis opto, ipsorum me sacris precationibus diligentissimè commendans.

Tuus Ambrosius Bl. verùm ita vt nullus sit magis.

CAL. BLAVRERO DE RELAPSIS IN EADEM PECCATA.

IEmpestiuè domi meæ indicauerat Iacobus Linerus, venturos hodie mercatores, qui literas meas tibi reddendas fideliter curarent: sed famuli mei obliuione factum est, vt tardius fuerim admonitus. Itaq; si me ad breuitatẽ coget temporis angustia, dabis veniam, præstãtissime vir, & ex animo venerande fra-

de frater. Quomodo in bonam ſpem erigi poſſint eorum conſcientiæ qui in eadem ſæpius peccata relapſi ſunt, perinde me rogas, acſi mihi ſuppeteret melior ratio, quàm tibi, qui doctrina, vſu, & peritia me ſuperas. Verùm vt intelligas nihil mihi eſſe pluris, quàm vt tibi morem geram, poſthabito pudore aliquid tentabo. Ac primò tibi aſſentior, nullum in Scriptura reperiri ſingulare huius rei exemplum. Neque enim legimus vllum hominem, poſt datum pœnitentiæ ſignum, eiuſdem delicti reatu ſæpius implicitum fuiſſe. Verùm vt fateor non parum valere exempla ad doctrinæ confirmationem, ita ſi hoc adminiculo carent, in ea vna acquieſcere tutò nobis non minus licet. Quid ergo Scriptura doceat, nunc videndum. Prophetæ certè ad pœnitentiam paſſim hortantur, non qui ſemel deliquerant, ſed qui obſtinato Dei contemptu ruere non deſiterant in omne ſcelerum genus, vel poſtquam ſimulauerant pœnitentiam, ad ingenium poſtea redierant. Sæpe enim fraudis, aut malæ fidei accuſant Iſraelitas, quòd falſò & doloſè præ ſe tulerint Dei timorem, quo vacui erant: & fallaci conuerſionis prætextu Deum & ſeruos eius eluſerint. Tamen ad pœnitentiam vocando, ſpem quoque proponunt veniæ impetrandæ. Hoc cùm omnibus ferè Prophetis commune eſt, tum luculentius ex Ieremiæ lectione patebit. Nec verò fruſtra Deus in Lege ſacrificia, nunc totius populi, nunc priuati cuiuſlibet nomine quotidie repeti voluit, tam pro ignoratiis, quàm pro voluntariis delictis. Niſi enim parata fuiſſet expiatio peccatoribus qui ſæpius lapſi erant, non fatigaſſet eos inanibus figuris. Adde quod, Deum hypocritis & præfractis exoratũ fuiſſe vt ignoſceret, ex Pſalmo 78. colligitur: iam vbi cum ſuo Euangelio illuxit Chriſtus, non ſemel atque iterum duntaxat propitium fore Deum promiſit, ſi offenſus eſſet, verùm toto vitæ curriculo ſuos ad deprecationem confugere iuſſit. Si non fruſtra ex illius ore & præſcripto quotidie oramus vt remittat nobis Deus peccata, ſpes recõciliationis dubia eſſe non debet. Nec verò ipſe idem magiſter, dum fratribus ſeptuagies ſepties ignoſcendum eſſe docet, plus indulgentiæ à mortalibus exigit, quàm à Deo ſperare velit, qui miſericordia omnes ſuperat. Hac ratione Paulus quamuis ſeuerè queratur de Corinthiis, qui antè peccauerãt, neque pœnitentiam egerant de immunditia, libidine, impudicitia: non tamen gratiæ veniam præcidit, ſed metuere ſe dicit, ne cogatur ſuo aduentu eos lugere. Atque huc pertinet Pauli locus de perpetua legatione, qua ſibi Deus Eccleſiam ſubinde reconciliat. Fideles enim non exteros illic alloquitur. Et Ioannes Chriſtum nobis aſſignans aduocatum, qui nobis Deum propitiet, beneficium hoc non reſtringit ad diem vnum, ſed cõtinuationẽ deſignat. Sicuti etiã Daniel in illa ſolenni precatione, qua obtinuit ſinguläris vaticinij donũ, peccata peccatis fuiſſe cumulata non diſſimulat, & quidẽ cõtinuo peruicaciæ tenore prouocatã fuiſſe Dei vindictã. Deniq; vbi in ſymbolo ſubiicitur poſt Eccleſiam remiſſio peccatorũ, fiduciæ materiã nobis dari ſtatuẽdum, nẽ deſinamus ad mortẽ vſq; in Dei clementiã recũbere. Interea tamẽ acriter ſtimulãdi ſunt omnes, prout quiſq; ſe peculiaribus vitiis obnoxiũ eſſe nouit, ne ſibi indulgeant, ſed potius attenti ſint ad exhortationẽ Pſalmi: Hodie ſi vocẽ eius audieritis: atq; vt meminerint quàm grauiter excandeſcat Deus aduerſus eos qui trahũt funiculũ iniquitatis. Etſi nihil ferè eſt, quod ſcripſi: ſentio tamẽ pro modulo penuriæ meæ lõgius prouectum eſſe, quàm oportuit: præſertim quia mihi cũ homine prudentiſſimo & apprime exercitato negotiũ erat. De rebus noſtris prolixius & magis dextrè ſcripſiſſet Beza, niſi aliis curis fuiſſet diſtractus. Ipſe & cõcionãdo & legẽdo ſtrenuã operã impendit. Nihilò ſegnius in partes ſuas incũbit Viretus, qui aliquãtò vegetior eſt, quàm ſolebat. Me verò continuis ferè morbis addictũ puto: ita ſcilicet alij alios excipiunt. Videor quidẽ aliquid præſtare: verùm vt prælectionibus, cõcionibus, aliiſq; partibus mei muneris ſufficiã, cogor decũbere bonã tẽporis partem. Niſi me paululum recreet veris temperies, vale dicã poſthac lucubrationibus. Moleſta eſt crurũ debilitas, ſed magis infeſta eſt imbecillitas ventriculi. Nuper etiam largum ſanguinis ex pulmonibus profluuium me propè ſuffocauit. Ergo non minus me ad migrandũ incitat valetudo, quàm te ſenectus. Inter alias cauſas mihi ideo erit dies ille iucundior, quòd in hæreditatẽ noſtrã recepti mutua noſtra amicitia fruemur. Quò magis vota noſtra cõiungere par eſt, vt nos cœleſtis Pater ſimul colligat. Statũ Galliæ, partim quia valde turbulẽtus eſt, partim quia lugubris & calamitoſus, vix attingere audeo. Sciuiſti, vt opinor, Regẽ quia audierat bonã partem Senatus Pariſiẽſis ad fratres noſtros mitius tractandos propenſam eſſe, impulſu Cardinalis, veniſſe in Curiã, ac ſententias rogaſſe. Quum cenſerent quidam non tam atrociter ſæuiendum, neque

2. Cor. 12. 19 & 20.

2. Cor 5. 18. & ſeq.

1. Ioan. 2. 1.

Dan. 9. 6.

Pſal. 95. 8.

tamen causam probari sibi ostenderent: vnus liberè & cordatè patrocinium causæ suscepit, neque dubitauit Regis excandescentiæ se opponere. Res Henrico indigna visa est, suo conspectu non percelli Cõsiliarios. Itaque se extremo impetu propipiens, illum iussit in arcem trahi. Sex horis postea in carcerem alij sex coniecti, qui tamen moderatores fuerant, imò dissimulatione prodiderant salutis doctrinam. Quidam honore sunt priuati: aliis multa imposita: vnus tenetur. Ille verò in quem Rex exarserat, nuper exustus fuit. Virum modis omnibus egregium fuisse hostes quoque prædicãt. Pollebat singulari iuris scientia, ingenio, & iudicio. Raræ erat probitatis. Alias eius virtutes cõmendabat eius humanitas. Nepos erat Cancellarij à Burgo: & fratres eum inuitum traxerant ad gradum illum, quum priuatæ vitæ esset cupidior. Viri reuerentia & dignitas iudices tenuit diu suspensos. Coacti tandem sunt imperio Cardinalis supplicio addicere. Cùm sententia crudelis pronuntiata esset, vt viuus cremaretur, prostratus in terram egit Deo gratias, qui tanto eum honore dignatus esset, vt pro defensione æternæ veritatis mortem oppeteret. Quatuor horis hilari vultu mortẽ expectauit. Vbi ad locum supplicij ventum est, quanquam eum quadringẽti satellites circundabant: fuerunt tamen qui obseruarent, eum sponte acsi dormitum iret, togam & tunicam exuere. Sed quia laqueum collo iniecerat carnifex, admonuit nõ opus esse, quia lento igni erat ex more vstulandus. Respondit carnifex, aliud sibi esse mandatũ, vt eum strangulãdo cruciatum minueret. Iam vltimam precationem fuderat: iterum tamen in genua procumbẽs gratias Deo egit. Iam sesquimensis elapsus est ab eius morte. Plures deinde fuerunt exusti. In singula momenta varij nobis ingeruntur terrores. Vtinam ex his documentis probè discamus, quid sit vita hominis super terram: ego præsertim cuius torpor non potest satis expergefieri. Vale.

Ad quaestiones et obiecta Iudaei cuiusdam.

1 *Iud.* QVære, quomodo vos dicitis Iesum venisse, vt mundaret homines à peccatis, & vt educeret eos à gehenna, quum ille dum occisus est, auxerit peccatum Iudæorum, qui cruci affixerunt eum? Nam non potest inueniri maius peccatum, quàm suspensio Dei.

Cal. Quære vicissim, quomodo lex data esse dicatur in salutem, quum tamen & transgressiones & reatum auxerit. Constat enim Iudæos statim irritum fecisse pactũ Dei, & iustitiam legis violando iram Dei magis in se prouocasse. Imò quære, quomodo fœdus Dei quod singulare bonitatis testimonium fuit, & adoptio qua filios Abrahę sibi in peculium assumpsit, multis causa fuerit duplicis interitus: sicuti Ezechiel Israelem Sodoma & Gomorrha peiorem esse pronũtiat, hac sola de causa, quòd salutem sibi oblatam contempserit. Hinc certè apparet, improbis istis canibus nihil aliud curæ esse, nisi vt maledicant

Ezech. 16. 51

Porrò ad eorum quæstionem facilis est responsio, venisse quidem Filium Dei, vt Iudæis primùm, deinde & toti mũdo lucem vitæ afferret: sed tam Iudæos ab initio, quàm maiorem hominum partem sua malitia lucem vertisse in tenebras. Neque mirum est vel nouum, sic homines abusos esse Dei gratia, vt sibi exitiale redderent quod destinatum erat eorum saluti. Certè quum Deus se populi Redemptorem fore promittit, simul tamen denuntiat se fore in lapidẽ offendiculi Regno Israel & Iuda. Quomodo hęc inter se conueniunt, nisi quòd Deus verè & nõ fallaciter gratiam offert, vnde pendet solida populi fœlicitas? Sed increduli dum illam respuunt, duplex sibi accersunt exitiũ: cuius rei documentum extitit in Dauide, qui Rex in hunc finem creatus fuit, vt postea ex eo proueniret Messias: & tamen vocatur lapis reprobatus à præcipuis architectis.

Psal. 118.

Adde quod in persona Iesu, Messiæ nostri, nihil accidit, quod non prædixerint Iudæis Prophetæ de Messia: ac præsertim Isaias, qui magnificè extollere volẽs, quam per illius manum gratiam populo suo daturus erat, ita præfatur, Quis credet sermoni nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Dicturus erat paulò pòst, Messiam reconciliaturum homines Deo, vt salui fierent, sed prius exclamat, magnã partem, cæcitatis suæ causa, priuatum iri tanto bono, quia virtus Domini sepulta illis erit & incognita. Alibi etiam clarius duo hæc coniungit, parum esse vt Messias restituat desolationes Israel; sed fore salutem Iehouæ vsque ad fines orbis: & tamen non fore plenam restitutionem Israelis, quia bona pars ad Deum non redibit. Denique perinde loquuntur Iudæi

Isa. 53. 1.

Isa. 49. 6.

acti

acsi nunquã gens eorum ingrata fuisset Deo,& ex medicina mortiferum sibi venenum fecisset. Certè exitum & reditus libertatem illis Deus ab exilio Babylonico promittens, memorabile gratiæ specimen in illorum salutem edidit. Atqui maior pars impio contemptu culpam suam & reatum duplicauit: longè enim illis satius fuisset, non redimi, quàm abiicere & pro nihilo ducere tantum Dei beneficium. Sed hoc modo impleri vaticinium Isaiæ oportuit,Si fuerit populus tuus vt arena maris,reliquiæ saluæ fient. Atque vt finẽ faciam, primùm redẽptio luculẽtè ostendit oblatam Dei gratiam non semper hominibus prodesse: quin potius fieri bis noxiam, vbi indignè profanatur. Deus certè per manum Mosis populum eduxerat, vt omnium esset seruator. Atqui scimus horrendis vindictæ exemplis sæpius contra multa millia fulminasse: tandem immensa illa multitudo, exceptis duobus,miserè consumpta in deserto periit. An non melius reprobis fuisset, nunquam egressos esse ex Ægypto? imò nunquam esse natos, quàm sic Dei manu prosterni? Isa.1.

2. Quęre, quum scriptum sit in Matthæo,Nõ veni vt detraherem,&c.Et in lege Mosis habetur, Die autem octauo circũcidet carnem præputij sui. Item,Omne præceptũ quod præcipio tibi hodie,obseruabitis & facietis: non addes nec minues ex eo. Quod si ita est, constat quòd legem Mosis dissoluerit. *Iud.*

Quęre viciſſim, quum lex Mosis vetet quidquam operis fieri die septimo, quomodo eodem die iubeat masculos infantes circuncidi? Item quomodo Moses diem vnum è septem Deo sanctificari iubeat: Isaias autem sub Christi regno promittat continua Sabbatha,& continuas Neomenias,nisi quòd in Circuncisione ostendit Deus opera sua eximi à communi lege: Isaias verò aliquid excellentius promittens,quàm sub lege exhibitũ fuerit Iudæis, significat præceptum de Sabbatho fuisse vmbratile? *Cal.* Isa.66.

Plenior autem quæstionis solutio hæc est, quum voluerit in vno tantùm altari Deus sibi offerri sacrificia, Ezechiel tamen promittit sub regno Messiæ altaria in Ægypto, & Assyria fore: quum nefas alibi fuerit quàm Hierosolymæ Dei faciem quærere, & illi offerre sacrificia: Isaias tamen templum illi fore in Ægypto dicit. Et Malachias discrimen omne locorum tollit his verbis, Offeretur incensum nomini meo in toto orbe. Certè clara externi cultus mutatio sub regno Messiæ ostenditur: neque tamen hoc modo dissoluitur lex,vel apex vnus ex eo minuitur: quin potius hæc vera est legis sanctio,non fuisse in veteribus figuris obiectum oculis inane spectaculum, sed eorum quæ significabant, exhibitam in Christo substantiam. Nunc videndum, quorsum Deus Sabbathum instituerit,nempe vt Symbolum esset sanctificationis, vt docet per Mosen & Ieremiam. Sequitur ergo præceptum illud inter vmbras numerandum esse. Quid enim mirum,si exorto sole cesset stellarum lumen? Atque hæc est cœli & terræ nouitas, de qua Isaias concionatur. Isa.19.19. Mala.1. 11. Esa.51.

3. Quęre,si Deus est,quare se ipse vocat filium hominis, quum in multis locis Scripturæ moneat nos lex,ne Deum similem faciamus homini: vt, Deus non est homo vt mentiatur,aut filius hominis vt illum pœniteat. Præterea dicit Dauid,Nolite cõfidere in Principibus, in homine &c. Item,Maledictus qui confidit in homine. Hęc autem omnia fuerunt in Iesu,qui vocatur filius hominis. *Iud.*

Quęre, cur Deus in Cantico Mosi vocetur vir bellicosus? Cur Ezechiel in illa memorabili visione memoret iudicem in solio sedentem esse similem filio hominis? Cur sibi tot ies Deus nares,oculos,manus,& pedes attribuat? Cur Ieremias de Filio Dauidis locutus, pronuntiet nomen Iehouæ in eum competere? Cur Isaias Meschiam vocet Immanuel, Patrem futuri sæculi, Deum fortem? Cur in Psalmo quoque Meschiam sub Solomonis persona ornetur nomine Elohim? *Cal.* Exo.15.3. Ezc.7.& 9. Psal.45.

Cæterum solutio quæstionis minimè difficilis est. Lex Deum vetat fieri similem homini,nempe ne sub hominis imagine pingatur eius maiestas. Alioqui & igni, & soli, & leoni,& vrso, & lapidi se comparat, quæ vel bruta sunt animalia, vel mortua elementa. Porrò in Meschia Deus non factus est similis homini: sed carnem humanam induens, ita factus est homo,vt integer in æterna sua & immutabili natura maneret. Neque enim vt somniant Iudæi,credimus Deum esse mutatum,sed in carne manifestatum,& interea sui similem. Ita non fuit ex vulgari hominum ordine mendax,aut vanitati obnoxius,sed ratione Deitatis veritas in æternum permanens: neque in eo tanquam in homine mortali fiduciam locamus,sed quia corpus eius Deitatis templum est,in quo habitat perfecta Dei gloria: & quatenus Deus est,in humanam naturam viuificam Spiritus sui potentiam trã-

transfundit. Nam certè locis compluribus non alibi salutis fiduciam Deus seruis suis
Gen.49.10. proponit,quàm in Meschia, sicut in vaticinio Iacob apud Mosen, In te Gentes sperabunt. Vnde sequitur quod dixi,eundem esse Deum fortem & verum Immanuel, & Filium hominis,qui est ex progenie Dauid.

Iud. 4. Quære,scriptum est in Isai.cap.66.17.Qui comedunt suillam,aut abominationem, aut murē vel mustelā vnà cōsumētur, dicit Dominus. Ergo suilla nunquā est permissa.

Cal. Quære vicissim,quum scriptum sit apud Isaiam,qui immolat bouē, perinde acsi hominem occideret,qui ouem mactat, perinde acsi interficeret canem, si quis inde colligat,Deum semper abominatum fuisse sacrificia, quo cauillo effugient Iudæi? Solutio autem ex abrogatione legalis cultus pendet,cuius ignorantia Iudæi tam stultè nugantur. Tenendum erat hoc principium,in omnibus ceremoniis quas præcepit Moses, in-
Exo.25.40. star regulæ fuisse illi exemplar, quod Deus ostenderat in monte. Iam quum exemplar illud in Meschia fuerit exhibitum, nihil absurdi est,si aduentu suo vmbras omnes aboleuerit.

Iud. 5. Quære,quare vos affligitis die sexto,quo crucifixus est,vt dicitur, quum crucifixione eius & pœnis sitis liberati ex gehenna. Debuistis potius festum agitare, epulari, & gaudere.

Cal. Quære vicissim,quare in die festo expiationis Iudæi ex Legis præscripto animas suas affligant? quum tamen celebrent suam cum Deo recōciliationem. Decebat enim ipsos quoque cum lætitia potius epulari.

Nullo autem negotio refellitur eorum cauillum. Fatemur si quibus propositum est diem mortis Christi sanctificare ieiunio & luctu,superstitiosē hoc modo & perperam fictitium cultum instituere. Nec verò corruptelam,quæ regnauit in Papatu defendimus: sed interim nihil obstat,quò minus tota vita fideles redemptionis suæ memoriam cum gaudio & canticis celebrent:& tamē cum gemitu suppliciter coram Deo reatum suum deplorent.

Iud. 6 Quære,quid fecit Iesu vltra reliquos viros sanctos? Nam Henoch & Elias ascenderunt in altum. Mose mutauit aquā in sanguinem, dulces reddidit aquas amaras, deduxit Israelem per medium maris. Elisæus fecit fontem olei,ex quo impleta sunt multa vasa,curauit lepram Naaman,& suscitauit duos mortuos: nihilominus tamen non credimus,quòd illi fuerint dij,sed viri iusti.

Cal. Quære,an Moses hominem mortuum suscitauerit,quod fecit Elisæus:qui tamē Mose fuit inferior. Fateri etiam cogentur Mosen Iosue discipulo suo maiorem fuisse:neque tamē cursum solis moratus est, vt diem vnum efficeret ex biduo. Vnde sequitur,perperam de personæ excellentia iudicium fieri ex nudis miraculis.

Puerilis autem hæc obiectio facilè soluitur,quia non modò quærēdum erat, quæ miracula ediderint Prophetæ,sed qua virtute. Christus autem quum discipulos maiora facturos dicit,quàm quæ ipse fecisset, nō eos sibi vel præferre,vel æquare voluit:quia penes vnum ipsum manet gloria operum, quæ sic per manum hominum exequitur, vt solus verè sit auctor. Quinetiam dicimus quæcunque Moses edidit miracula & post eum Prophetæ, propriè manasse à Christo: quia fuit Angelus ille, quem Moses prædicat ducem populi & custodem. Quòd si qua sani gustus particula in Iudæis esset, statim agnoscerent quanta sit Christi præstantia & dignitas supra Mosen etiam in miraculis. Non enim cœlesti pane, quo nos Christus pascit, Patres aluit Moses in vitam æternam, & spiritualem. Sed vt profani sunt homines, imò impuri canes, nihil mirum, si ad gustandas cœlestes delicias sint prorsus insipidi. Cum bruto itaque suo stupore omittendi sunt.

Iud. 7 Quære,quòd vos dicitis,illum esse Filium Dei,quum reperiamus in multis locis,Is-
Psal.2 7. raelitas vocari filios Dei, vt filij estis Domino, est minimè verum, aut omnes Israelitæ sunt Dei.

Cal. Quære vicissim, quum promiscuè Israelitæ omnes sint filij Dei, cur peculiari elogio ornetur Dauid, vbi de ipso Deus pronuntiat, Filius meus es. Item, cur alibi Solo-
2.Sam.7.14. monem extollat supra omnes reliquos, his verbis, Ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.

Iam satis refutata esset friuola eorum quæstio, nisi quòd pauca verba docendis simplicibus addere libet. Vocantur Angeli filij Dei. Idem nomen ad Reges & iudices transfertur: Dauidi autem tribuitur singularis priuilegij loco, cuius etiam respectu

Angelos

Angelos ipſos ſuperat. Colligitur ergo, inter Filios Dei plures eſſe diſtinctos gradus. Quare nihil mirum, ſi Meſchia ſupra omnes emineat. Filium verò vnigenitum dicimus, & quidem natura, per quem adoptionis gratiam cõſequimur, vt reputemur ipſi quoque inter Dei Filios.

8. Quære, quomodo fuit Meſſias veſter Rex pacis, quum toto illius tempore fuerit lis, & ab hinc non quieuerit mundus à bellis. Scribitur tamen: Multitudini dominij & pacis non eſt finis, Iſa. 6. 7. Et Ieſu dicit, Non veni vt ponerem pacẽ in terra, ſed gladium: quod ſi ita eſt, eius verba contradictoria ſunt verbis Prophetarum. *Iud.*

Quære viciſſim, quando venerint Reges ex terris longinquis, & facti fuerint tributarij populo Iſraelitico: quando coaceruatæ fuerint omnium gentium opes, vt cederent in prædam Iudæis: quomodo dicat Iſaias extento vexillo redituros ab exilio in patriam eſſe: vbi ſit ſplendor ille Templi ſecundi, quem pollicitus eſt Aggæus. Certè niſi iſtis nebulonibus ludibrio eſſent omnes Prophetæ, totáque Religio, longè alia reuerentia expenderẽt quidquid de ſuis beneficiis pronuntiat Deus. *Cal.*

Solutio quæſtionis eſt, quòd allata per Chriſtum pace non fruitur mundus, culpam alibi non hærere, quàm in hominibus ipſis quibus magis placuit, ſacrilegum bellum aduerſus Deum gerendo, ſeipſos turbare. Neque tamen obſtitit eorum prauitas, quò minus Meſſias & munus ſuum, & muneris titulum retinuerit. Nec verò ſrpax nõ eſt impiis, ideo ſua virtute priuatus eſt ille: imò quia ſpreta ab illis fuit reconciliatio cum Deo, oportuit horribili Dei vindicta in cæcum furorem impelli, vt mutuò inter ſe confligerent. Primi hominum Iudæi ſua peruicacia monſtrarunt ſe cum Deo pacem nolle. Meritò igitur ſua ipſi viſcera crudeliter ad vltimam vſque patriæ cladem laniarunt. Sequuti poſtea ſunt alij, quiſque ſuo ordine: quia nulla gẽs fuit extra hanc noxam. Sed eò melius experti ſunt fideles Chriſtum eſſe pacis principem, quia inter tam graues & atroces bellorum motus, quietis tamen & tranquillis animis Deum inuocarunt. Atque hanc pacem commendat Iſaias, cui ſubſcribunt omnes Apoſtoli, dum hunc præcipuum fidei fructum eſſe docent, vt Deo propitio freti, non amplius tumultuemur, ſed pacatis animis ſemus inter mundi agitationes. Quòd autem ſe Chriſtus afferre bellum potius dicit, quàm pacem, id eſt accidentale: quia mundi impietas diſſidia accendit, ex quibus graues pugnæ emergunt. Luc. 21. 36.

9. Quære, Si Deus eſt, quare texit ſeſe carne, & quare non venit apertè, vt palàm innouaret legem ſuam, vt non perirent homines huius ætatis? Maior enim eſt numerus eorum qui pereunt propter huius ignorantiam, quàm eorum qui redempti ſunt. Obſcuritate enim ſeparantur ab illo, ne in illum credant. *Iud.*

Quære viciſſim, cur Deus qui cœlos inhabitat, voluerit latere inter Cherubim? & cur ſibi domicilium ſub pellibus elegerit? cur ſacrum fœderis ſui Symbolum inſculpi voluerit pudendis hominum membris? cur elegerit Regem populo ſuo ex tugurio ignobili, & caulis ouium, qui etiam domi ſuæ contemptus, ab alijs reſpueretur? cur obſcurum & tenuem riuulum Siloe potius elegerit, quàm celebres ac rapidos fluuios? & Iudæis exprobret, quòd externæ magnitudinis pompam appetant? *Cal.* Gen. 17. 10. Iſa. 8. 6.

Facilè autem refellitur eorum petulantia Iſaiæ verbis, qui Meſſiam proponit deformẽ, multiſque probris fœdatum, ac ſine vllo decore, plagis afflictum, & diuinitus humiliatũ, à quo ferè omnes oculos auertant. Certè quin Meſſias viua ſit imago gloriæ Dei, non audebunt Iudæi negare. Quî fit ergo vt Rex, per cuius manum potentiam ſuam exerere vult Deus, tam ſordidus, imò inſtar leproſi deformis prodeat? Belluæ autem iſtæ pro ſua ſuperbia Deum ad leges ſuas adigere cuperent. Quaſi verò vel non viderit quid optimum eſſet factu, vel per incogitantiam prædixerit ſibi ita placere. Atqui pietatis ſobrietas hoc ſaltem requirit, vt Dei arbitrio longè plus deferant homines, quàm propriæ imaginationi. Oblatrant iſti canes, perite maiorẽ hominum partem, quia Chriſti obſcuritate offenſi, ab eo abhorreant: quaſi fruſtra exclamet Iſaias obſcuram fore eius notitiam, quia paucis reuelabitur Dei virtus. Et tamen verum eſt quod docet Apoſtolus, refulſiſſe in eo gloriam vnigenito Dei Filio dignam. Verum eſt etiam Euangelium in quo refulget cœleſtis Dei Maieſtas, non eſſe obſcurum niſi reprobris qui pereunt. Mirum autem eſt cur querantur non magis conſpicuum fuiſſe Dei fulgorem in Chriſto, quorum patribus tolerabilis non fuit aſpectus Moſis, donec velata eſſet eius facies. Iſa. 53. 4. 5. 6. Iſa. 53. 1. Ioan. 1.

10. Quære, quemadmodum fuit Iona in viſceribus piſcis tribus diebus, & tribus noctibus, ſic fuit Ieſu in terra tribus diebus & tribus noctibus? Hoc nõ eſt verum. Nam etiam *Iud.*

ſecundum verba veſtra fuit tantùm in terra tribus diebus,& duabus noctibus.

Cal. Quære viciſſim,quomodo ſæpe totum populum nemine excepto perfidiæ & implæ defectionis accuſent Prophetæ. Nam ſi ita eſt, vbi reſiduum ſemen? quomodo dicatur totus populus Ieremiam flagitaſſe ad necem:quum tamẽ certum ſit, fuiſſe ſaltem nonnullos qui ſaluum optarent.

Ad quæſtionem breuis eſt ac expedita reſponſio. Satis notum eſt quàm trita ſit etiam in Lege & Prophetis ſynecdoche, dum pars pro toto, vel totum pro parte ſumitur. De numero dierum ne ipſi quidem Iudæi litem nobis mouere audent. In noctibus putant magis plauſibilem eſſe calumniã,quia ante initium tertiæ noctis reſurrexit Chriſtus.Sed quum nox ſit quaſi diei acceſſio,non dubitauit Chriſtus tres dies, & totidẽ noctes pro triduo ponere,quò melius aptaret exemplum Ionæ ad præſentem cauſam.In re autem quum nulla ſit ambiguitas,de verbis cauillari nugatorium eſt. Si excipiant non quadrare ſimilitudinẽ,quia dimidio ferè plus temporis tranſegerit Ionas in ventre piſcis,quàm Chriſtus in ſepulchro: reſponſio iterum facilis eſt, in exemplis plenam conformitatem exactè non requiri,nec abſurdum eſſe,ſi quid diſſimile notetur.

Iud. 11. Quære,quum ſcriptum ſit, Non videbit me homo, & viuet, quomodo Ieſu fuit Deus,vt eum omnes homines viderint: & ne vnus quidem mortuus eſt ex his omnibus qui viderunt eum?

Cal. Quære viciſſim,quomodo viderit Iacob Deũ facie ad faciem, nec mortuus ſit? quomodo Deus ſeruum ſuum Moſen diſcernat à reliquis Prophetis, quia familiariter facie ad faciem cum eo loquatur:non autẽ per viſiones,& ſomnia? quomodo toti populo apparuerit in nube,& columna ignis? quomodo viſibilem gloriæ ſuæ formam oſtenderit Ezechieli,& Iſaiæ,qui tamen ſubita morte ideo extincti non ſunt?

Si qua perditis iſtis hominibus eſſet ingenuitas, puderet ipſos tam craſſis obiectis pugnare,imò effutire putidas nugas refutatione prorſus indignas. Negat Deus immẽſam gloriã ſuæ diuinitatis humano ſenſu poſſe capi:quod ſine controuerſia fatentur omnes. Ergo notitiã ſui accommodat captum,vel menſurã piorũ attemperat,vt ipſum videant:nec tamen pleno adhuc aſpectu potiãtur.In Chriſto autẽ viua ſua imagine apparuit,quatenus tam facultas quàm ſalus piorum ferebat.Tunc autem videbunt eum qualis eſt, dum ei ſimiles erunt.Hoc verò brutum ſtuporem ſpirat,quòd Deum in Chriſti perſona viſum fuiſſe garriunt,acſi diuina eius eſſentia carneis oculis conſpicua fuiſſet.

Iud. 12 Quære,ſcriptum eſt,quòd quicunque fidem habuerit in Ieſu,etiam tantùm quantùm ſunt grana ſinapi,poterit iuxta eius verbum,tranſferre montem è loco ſuo.Nos autem videmus etiam ſanctiores eorũ,qui ne leuem quidẽ rem facere poſſunt.Ergo quãtò minus reliquũ vulgus?Quòd ſi ita eſt,nulla eſt in eorum manu neque dominatio,neque potentia,qua poſſint quidquam præſtare,quamuis credant in eum.

Cal. Quære,quum ſcriptum ſit de mõte Zion,hæc requies mea in ſæculum ſæculi,hîc habitabo quoniam elegi eam,quid ſibi velit vaſtitas & deſolatio,quę tot iam ſæculis duraũit?Quære iterũ,quid ſibi velit,quòd miſerè diſſipati per totum orbẽ vagãtur,& proſtrati in ruinis ſuis iacent,quũ Iſaias pronuntiet redemptos eſſe ab exilio Babylonico, vt rui nas mundi totius inſtaurent,& in corpus ſuum colligant omnes diſperſos?

Si granum ſalis vel ſanæ intelligentiæ in iſtis pecudibus eſſet, ſine cõtrouerſia veriſſimum eſſe cognoſcerẽt Chriſti dictũ,in quo abſurditatem venãtur. Quod obiiciunt,cur Chriſtus ſuis diſcipulis dixerit notandum eſt,nempe vitio eorũ fieri exprobrãs,vt miracula edere fruſtra tentarẽt.Quid ergo ſi fateamur dono miraculorũ, quo ſuos inſtruxit Chriſtus,nos propria culpa deſtitui?Pudẽda quidẽ nobis eſt hæc cõfeſſio: ſed cur potius in crimen trahetur ille,qui æterna eſt Dei veritas,& luculentis documentis ſe in hoc dicto veracẽ oſtendit,potius quàm vanis coloribus tegatur noſtra infidelitas,quæ Dei gratiæ viam præcludit. Quanquã aliud ſimul tenendũ eſt, fidẽ de qua nunc agitur,non illã eſſe cõmunẽ,quã piis omnibus & Chriſti membris affert adoptionis Spiritus:ſed qua oportuit Apoſtolos iiunctũ ſibi munus amplecti, nempe vt nouam Euangelij doctrinã, quæ nondũ publico cõſenſu recepta erat, miraculis ſancirẽt. Idẽ verò donũ nequaquã promiſcuè ad omnes pertinet. Sicuti enim ſatis fuit in monte Sinai ſignis & prodigiis ſemel cõfirmari Legem dum promulgata fuit: ſic abundè ſufficere debuit Euangelium per triginta annos continuis miraculis fidem & auctoritatem acquirere. Nam Prophetas ſingulos non legimus hac virtute fuiſſe præditos: quia expedire Deo viſum non eſt. Quidquid verò ſpiritualium bonorum Chriſtus ſuis confert, non mirum eſt à profanis iſtis

istis pro nihilo duci, qui ad omnes cœlestis vitæ partes gustandas plusquàm insipidi sunt.

13. Quære, si Messias vester Deus est, quare inequitauit bestiæ pollutæ, quum scriptum sit in lege, Neque oues neque boues pascent è regione montis illius. Quid igitur? si prohibuit ne bestiæ quidem mundæ pascerent, quantò magis ne immundæ? Is autem ipsemet insidet bestiæ pollutæ. *Iud.*

Quære vicissim, an sanctus Rex & Propheta Dauid super mulum equitando sese polluerit? an alij præterea sancti homines, quorum passim occurrunt in Scripturis exempla, quoties asinis vecti sunt, maculam contraxerint? *Cal.*

Primùm quando ne Diuinis quidem vaticiniis parcit eorum petulantia, non videtur operæ pretium pluribus verbis eam refutare. Quemcunque sibi tandem Messiam fingãt, non de alio quàm de Messia locum Zachariæ exponere licebit, Lætere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi, equitans super asinum, &c. Quid cum Propheta litigando proficient? imò an non pudida ista subsannatio satis conuincit quod prius dixi, non tam ludibrio illis esse Christum nostrum, quàm legem, & omnes Prophetas? Nam si Zachariæ sunt discipuli, nodum hunc nobis expediant. Nimis autem insulsa est cauillatio, prohibitas fuisse in legis promulgatione bestias ab accessu montis: quia si Deus locum illum sibi ad paucos dies segregare voluit, vt neq; homo, neq; vllum aliud animal illuc accederet, nõ ideo excluditur Messias à communi vitæ humanæ vsu. Quid autem contagionis in eo reperient, si filius Dauidis super asinum conscenderit? Nec verò dubium est quorsum spectauerit Zacharias, nempe venturum Redemptorem, qui non fulgeat regia pompa & apparatu, sed pauper sit, & quasi vnus ex vulgo. Zach.9.

14. Quære, quare esuriit Iesu? Si dixeris propter carnem, nos vidimus Mosen, qui fuit etiam caro, & sanguis, & ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus quum accessit Diuinitatem, nec esuriit: hic autem, qui erat ipsemet Deus, quare esuriit caro eius? *Iud.*

Quære, cur Angeli apud Abraham comederint? quomodo vexati fuerint contumelioſè à Sodomitis? quomodo dicat Deus Mosen sibi obstare, ne vindictam quam statuit exerceat? *Cal.*

Nullius apud istos porcos momenti solutio est, Christum ideo esuriisse, quia carnem nostram induens, simul famem, & humanos alios affectus, excepta tantùm omni corruptela, induit. Rationem afferunt, quia non idem legatur de Mose. Sed an putant sanctum Prophetam postea rediisse ad solitum victum, nisi eum cogeret naturæ infirmitas? Luxuria enim alioquin fuisset, alimenta superfluo abusu consumere. Quid de Elia quoque sentiunt? Nam certè quum de vtroque disertè pronuntiat Spiritus quadraginta diebus ieiunasse, satis ostendit non longius pertulisse ipsos inediam. Christus ergo ad prædicandum Euangelium se accingens, exordium à ieiunio quadraginta dierum fecit, ne Mose vel Elia esset inferior. Ita liquidò apparuit, cœlesti virtute eximi à necessitate cibi & potus, cui subiecti sunt cuncti mortales. Sed quia non minus vtile erat, fratrem à nobis agnosci, cui nobiscum humanæ vitæ conditio esset communis, ad ea quæ propria sunt hominis, statim reuersus est. Non quòd in eo dominatæ sint humanæ infirmitates, nisi quatenus mero suo arbitrio se submisit, vt nobis esset similis.

15. Quære, si agnus Paschatis designabat Iesum, sequitur multos Iesus nascendos & suspendendos. Nam non præcepit filiis Israel, vt vnum tantùm agnum Paschatis acciperent. *Iud.*

Quære, an nihil significauerint omnes victimæ, quæ in Templo immolabantur? Nam si ita esset, nihilò præcellerent Ægyptiis superstitionibus. Deinde scimus Mosi præceptum esse, vt omnia formaret ad exemplar quod in monte videret. Atqui Diuinum illud fuisse negare non audebunt. An ideo concedent plures, imò innumeros esse Deos? Quære etiam, quum Pascha memoriale & pignus fuerit redemptionis, an totidem fuisse dicent redemptiones, quot agnos per singulas familias Deus iussit mactari? *Cal.* Exo.25.40

Nos verò liberè profitemur quod dictat ipsa pietas, non modò agnum Paschalem fuisse Christi figuram, sed & omna sacrificia: quia nimis crassè somniant Deum adipis fœtore, vel aspersione sanguinis vel pecudum cæde placatum fuisse hominibus, & talibus piaculis purgata fuisse peccata. Ergo in toto legali cultu aliquid præstantius adumbrauit Deus. Sed hinc pluſquàm stolidè colligunt, plures nobis reperiendos

Christos. Nam vt scirent Patres sub Lege nondum se stare in perfecto gradu, voluit Deus in quærenda reconciliatione ad eadem illos remedia confugere. Si ad expiationem efficax fuisset bouis aut vituli immolatio, satis fuisset vno tãtùm sacrificio defungi. Sed repetitio admonuit, in figuris illis nihil esse perfectum. Eadem ratione dicimus Sacerdotes omnes gestasse Christi personam: ideóque plures fuisse, quia mors honore singulos priuabat. Christus autem, qui ideo resurrexit à mortuis, vt perpetuo Sacerdotio fungatur, vnicus est. Ne longior sim in re plusquam facili, apud sanos omnes fateri licebit, Regnum quod erexit Deus in familia Dauidis, ab ipso vsque ad omnes eius successores, futuri Messiæ fuisse præludium. Nemo tamen vsque adeò desipiet, vt nobis propterea exprobret plures esse Christos.

Iud. 16 Quære, Accipite hunc panem, hoc est corpus meum: & hoc vinum, est sanguis meus pro nouo fœdere, quomodo factum est hoc? Aut fregit frustum carnis suæ, & dedit illis: aut eius corpus factum est ex pane & vino, dedítque illis ex reliquiis, & hoc est corpus, quod comederunt & biberunt.

Cal. Quære vicissim, quando inuitat Deus omnes per Isaiam, vt gratis ad satietatem bibant lac & vinum, & mel comedant, an lacte vel melle corruptibili saginare tantùm vult suorum ventres? Quære item, quando in Psalmo dicitur, Satiabis eos copia domus
Psal.36.9.10 tuæ, & fluuio deliciarum tuarum potabis eos, an cœlestem vitam Propheta alimentis sustineri intelligat?

Quæstionis solutio ex pura & dextra verborum Domini interpretatione pendet, quæ si crasso commento sub Papatu fuerunt corrupta, non est cur propter hominum inscitiam rectæ fidei insultent istæ bestiæ. Christus certè neque frustulatim secuit corpus suum, neque illud ex pane & vino conflauit: sed tamen spirituali modo vescendum dedit Apostolis, sicuti quotidie arcana Spiritus sui virtute facit, vt caro sua cibus sit noster. Dicimus ergo verè comedisse Apostolos carnem Christi, nõ qualiter comedí solet caro ex macello empta, sed quia non aliter animas ipsorum aluit Christus, sicuti nostras quotidie alit in spiritualem vitam, quàm pane & cibo corpus pascitur.

Iud. 17 Quære, quorsum angustia animæ eius propter mortem? Si dixeris id esse propter carnem quæ pauet, nónne ille dicit, angustia animæ meæ, non autem, angustia carnis meæ? Item, nullus est qui nesciat, carnem non loqui, nec scire quidquam, sed esse tanquam lapidem, nisi adsit vis Spiritus.

Cal. Quære, si caro sensu & motu omni caret, quomodo dicat Isaias, Videbit omnis caro
Isa.40. gloriam Dei? Cur dicat Moses, Omnis caro corrupit viam suam? imò cur vbique tota Lex carni adscribat, quæcunque in hominem competunt?

Hinc verò planum fit, quàm sine iudicio arrodant rabiosi isti canes, quidquid ex nouo Testamento proferri audiunt. Nihil notius est, vel magis tritum, quàm sub carnis voce designari homines: atque ita tam animam, quàm corpus comprehendi. Quòd ergo Christũ mortẽ exhorruisse in carne dicimus, ad humanam eius naturã refertur: quia fieri non potuit, quin verus homo naturaliter mortem refugeret: mœrorem interea hũc & angustias pertulit in anima, quia corpus induendo simul animam passibilem assumpsit.

Iud. 18 Quære, si est Filius Dei, & si Pater, & Filius vnum tantùm sunt, necessariò etiam eadem est eorum voluntas. Ipse tamen quum oraret ante Patrem suum, dixit, Pater mi, si fieri potest vt non bibam calicem hunc, fac: sin minus, fac vt est bonum in oculis tuis: non fiat secundum voluntatem meam, sed secundum voluntatem tuam. Ergo non sunt eorum voluntates similes.

Cal. Quære vicissim, quomodo Deus pronũtiet se nolle mortẽ peccatoris, reprobos tamẽ exitio destinans, Mosi dixerit, Miserebor cuius miserebor, & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero. Nam discrimen omne in seruandis vel perdendis hominibus ad arbitrium suum reuocans, se non omnibus spiritum resipiscentiæ dare ostendit. Quære etiam, quomodo pœnitẽtiã Deus sibi tribuat, quasi mutabilis, vel parũ prouidens. Quid enim fugiet eorum proteruiam, dum sibi tam licentiosẽ Dei mysteriis obstrepere permittunt?

Solutio huius quæstionis ex principio Iudæis incognito pẽdet, quia percussi sunt spiritu vertiginis & amentiæ. Quòd Christus idem est cũ Patre Deus, non obstat quò minus homo factus, humanos affectus susceperit. Distincta ergo ei fuit à Patre voluntas, quia nihil à se alienum esse voluit, quod esset hominis proprium. In Deum verò non cadit vel spes, vel metus, vel gaudium, vel tristitia. Denique nisi caput hoc fidei nostræ

ſtræ euertãt, Chriſtum eſſe Deum & hominem, fruſtra & ſtultè de voluntate duplici contendunt.

19. Quære, ſi ille fuit Deus, quare dum oraret dixit Patri ſuo, vt faceret voluntatem ſuam? Hinc apparet quòd non haberet potentiam in manu ſua, qua quidquam poſſet facere: ſed tantùm faciebat ex voluntate Patris ſui, non autem ex potentia ſua. *Iud.*

Quære, quum Angelus qui ad Abraham & Loth deſcendit, ſe faciat iudicem Sodomæ, omnémque Dei potentiam ſibi vendicet: paulò pòſt tamen neget ſe quidquam poſſe facere, donec Loth fuerit egreſſus, an hominis arbitrio alligata erat virtus Dei, & ligatæ eius manus donec mortalis homo annueret? Hîc verò nihil nobis obiectant quod non intrepidè Apoſtolus prædicet, Chriſtum ex infirmitate carnis mortuum eſſe, qui reſurrexit in virtute Spiritus. In Chriſto ſemper nobis obſeruãdum eſt Mediatoris munus, quod præſtare non potuit ſine obſequio, ſicuti nec obſequio potuit defungi, quin ſe humiliaret. Chriſtus ergo ſecundum hominem non modò infirmus eſſe ſuſtinuit, ſed aſſumpta ſerui forma, exinaniuit ſeipſum, non quòd ex æterna eius virtute quidquam deceſſerit, vel fuerit imminutum, ſed quia quietam ſe continuit eius Diuinitas, donec in hominis perſona plenam obedientiam Patri ſuo præſtaret. Hoc modo conueniunt duæ iſtæ ſententiæ, Ego à me ipſo animam meam pono & iterum ſumam eam: Item, Pater glorifica Filium tuum. *Cal.* 1. Pet. 3. 18. Ioan. 10. 17. Ioan. 17. 1.

20. Quære, quare dixerit, datum eſt mihi omnẽ dominium cœli & terræ? Quis enim dedit ei? ſi eſt Filius Dei & Deus, vt vos dicitis, non erat opus dono. Nõne enim totus mundus illius eſt? *Iud.*

Quære, quomodo dicatur populus Iſrael fuiſſe Dei ſanctificatio, dum ex Ægypto redemptus eſt, ſi Dei ſanctitas neque mutuatur quidquam ab hominibus, neque vel principium vel finem habet. Quære etiam, cur Deus, in cuius manu eſt rerum omnium copia, dicitur accepiſſe dona ab hominibus deuictis acſi ſe hoſtium ſpoliis ditaſſet? Quære item, quomodo in Pſalmo Rex dicatur vnctus fuiſſe oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis: qui tamen ibidem vocatur Elohim, qui in ſolio æterno ſedet? *Cal.* Pſal. 68. Pſal. 45.

Certè niſi Chriſtus cum hominis perſona inopiam noſtram vel nuditatem in ſe ſumpſiſſet, ſuperuacua eſſet iſta donatio, de qua loquitur. Nec verò Deitatis ſuæ intuitu precarium ſe imperium habere dicit Chriſtus: ſed prædicat qua imperij gloria ornatus fuerit ſecundum hominem, ſicut alibi, Pater glorifica Filium gloria quam apud te obtinuit, antequam creatus eſſet mundus: quibus verbis ſatis ſupérque diluitur putidum hoc cauillum: quia gloriam quæ prius abſcondita fuit ab oculis hominum, diſtinctè petit in carne patefieri. Eodem quoq; modo Paulus optimè diſtinguit, quia ſeipſum exinaniuit, datum ei fuiſſe nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt coram eo flectatur omne genu. Ioan. 17. Phil. 2.

21. Quære, quemadmodum caro & ſpiritus ſimul ſunt homo, ſic ſecundum verba veſtra Diuinitas & humanitas ſimul ſunt Meſſias. Quod ſi verum eſt, quum eſt occiſa humanitas, occiſa eſt deitas. Fuit enim Ieſu ſecundum verba veſtra, Deus & homo, & occiſus eſt. Ergo occiſa eſt eius deitas. Si autem occiſa eſt eius deitas, is non fuit Deus. Nam Deus non occiditur. *Iud.*

Quære, quum mortui ſint omnes ſancti Patres, an credant eorum animas vnà cum corporibus extinctas eſſe: & quum toties Scriptura dicit ſanctos dormiiſſe, an putent vno interitu animas cum corporibus inuolui? imò quum Scriptura dicit Abſalom proceræ fuiſſe ſtaturę, Dauidem autem puſillæ inter fratres ſuos, an corporum menſuram ad animas ſimul transferat? *Cal.*

Verum eſt quod vulgari prouerbio iactatur, nullum ſimile eſſe idem. Sed porci iſti ſic omnia naturæ elementa peruertunt, vt nulla apud eos ratio locum inueniat. Dicimus, ſicuti anima & corpus hominem vnum efficiunt, ita Chriſtum ex duabus naturis conſtare: non quòd ſimilitudo omni ex pate conueniat, ſed quia apta & concinna eſt ad exprimendam perſonæ vnitatem. Cæterum vt demus, quod poſtulant nihil eſſe diuerſum: præpoſterè tamen inferunt Chriſti Diuinitatem cum carne fuiſſe occiſam. Nunquid enim Tyranni olim quum in ſanctos ſæuirent, trucidarunt eorum animas? An Abel quum occiſus fuit à Cain, totus periit? Quod ſi ſuperſtes & illæſa fuit eius anima poſt mortem, quæ tamẽ pars hominis erat, cur non potius intacta fuiſſet Chriſti Diuinitas in morte, licet naturæ humanæ vnita eſſet?

22. Quære, Si venit in terram vt traderet ſeipſe vinculis & morti pro vobis, quare dixit quòd Iudas Iſcariot tradidit illum, ſi ideo venerat vt iudicaretur & damnaretur? *Iud.*

Quęre viciſſim, quomodo dicat Iob ablata ſibi fuiſſe bona à Domino, quibus tamẽ eum *Cal.*

Isa. 10. prædones spoliauerant? quomodo dicat Deus se sibilo excitare Ægyptios, & Assyrios armare suo nutu, & omnes esse instar securis in manu sua: interim tamen prauos eorum conatus damnet, séque pronuntiet fore vltorē? Quære deniq;, quid de suo Messiah sentiant ipsi. Pronuntiat enim Isaias positurum animā suam pro sacrificio, vt infirmitates populi
Isa. 53. sustineat: dicit cæsum à Deo & vulneratum. Certè vel fateri cogentur ipsum periturum sua manu, vel mortem ab alijs percussoribus illatum iri.

Ex eo quem nunc citaui Isaiæ loco liquet, nihil in his duabus sententiis esse dissidij, vt sponte se offerat Messias ad mortem, & tamen ab impijs occidatur. Nā ideo morte sua nos Deo reconciliauit, quia eius obedientia sepultæ sunt ac deletæ nostræ iniquitates. Sacrificium igitur volūtarium esse oportuit: arcano autem & admirabili Dei cōsilio factum est, vt idem qui sponte mortem obibat, ab impijs traheretur ad crucem. Sic Deus qui statuerat populum suum redimere ex Ægypto, Mosi iniunxit hoc munus, & simul Pharaonem excitauit, cuius contumacia magis illustraret nomen suum. Ergo Christus sic Patri obsequium præstitit ad expianda mundi peccata, vt tamen proditoris sceleri non cōsenserit,
Iud. 23 Quære ab iis qui dicunt, quòd pro occisione Iesū nos sumus in hoc exilio, quod nō est verum, quū ante mortem eius essemus in exilio. Et quamuis ita esset, quum scriptum sit, quòd in hora mortis eius illum petiisse à Patre, & dixisse, Pater mi condona illis quod faciunt, quia illi nesciunt quid faciant. Si autē Pater & Filius idem sunt, & est illis eadem voluntas, esset certè condonata hæc iniquitas, quum ille ipsemet condonaret.

Cal. Quære vicissim, quum Deus optet sanam mentem Iudæis, vt finem suum intelligant:
Deu. 32. 29. quomodo tamen cæci maneant & vecordes, quia in manu Dei fuit sanam mentem qua priuati erant, restituere? Quære item, quum dicat apud Isaiam se contentum esse septuaginta annorum exilio, perpetua misericordia velle prosequi Iudæos, cur tam seuerè vindicet nunc in eorum filios?

Primò meretur eorum perdita obstinatio & indomabilis, vt immensa miseriarum congerie sine fine & modo oppressi, omnes exhilarēt suis malis, nemo autem eorum misereatur. Quale enim est huius stuporis portentum, quòd iam tot sæculis assiduè palàm infesta Dei manu attriti, de causa tam securi sunt? Constat ex Prophetis quàm horrenda scelerum omnium colluuies grassata fuerit in populo illo longè ante exilium. Iam centum
Isa. 1. 10. antè annis principes Sodomæ, & populum Gomorrhę nominauerat Isaias: ex eo non cessarunt Diabolica sua duritie prouocare in se Dei vindictam: Deus tamē postquam septua-
Isa. 40. 2. ginta annorum exilio eos multauit, dicit se duplicem pœnam exegisse de peccatis eorū.

RESPONSIO D. CALVINI AD ALIQVOT LAELII SOSINI Senensis quæstiones. 1555. Nonis Iunij Geneuæ.

Responsio ad primam quæstionem.

REgula vulgaris est, quæ subalterna sunt, non pugnare. Ergo nihil obstat, quò minus gratuita sit hominū iustificatio ex mera Dei misericordia: & simul interueniat Christi meritum. Atque ideo nostris operibus aptè tam gratuitus Dei fauor, quàm Christi obedientia opponitur, vtrunque suo ordine. Nam Christus non nisi ex Dei beneplacito quidquā mereri potuit, sed quia ad hoc ordinatus est, vt iram Dei sacrificio suo placaret, suáq; obedientia deleret transgressiones nostras. In summa, quando ex sola Dei misericordia, quæ hunc nobis constituit salutis modum, dependet meritum Christi, non minus aptè, quàm illa, humanis omnibus iustitiis opponitur.

Probationes.

Ioan. 3. Ita Deus dilexit mundum, vt Filium vnigenitum daret, vt quisquis credit in eum non pereat. Videmus vt priorem locum teneat Dei dilectio, tanquam summa causa, vel origo: sequatur fides in Christum, tanquam causa secunda, & propior. Si quis excipiat, Christum non nisi formalem esse causam, nimiùm extenuat eius virtutem. Nam si fide, quæ in ipsum recumbit iustitiam cōsequimur, salutis nostræ materia in eo quærenda. Quod plu-
1. Ioan. 3. ribus locis clarè probatur: Non quòd priores dilexerimus eum, sed ipse nos prior dilexit, ac Filium suū misit ἱλασμον pro peccatis nostris. Clarè his verbis mōstratur, Deū, ne quid suo erga nos amori obstaret, recōciliandi modū statuisse in Christo. Ac magnū pōdus habet nomē placationis: quia Deus ineffabili quodā modo, quo tēpore nos amabat, simul ra-
1. Ioan. 1. mē erat infēsus nobis, donec recōciliatus est in Christo. Quò pertinēt omnes istę sentētię,
Coloss. 1. Ipse expiatio est ꝓ peccatis nostris. Itē, Placuit Deo recōciliare per ipsū omnia erga se pacificans

cificãs per sanguinem crucis eius per ipsum,&c.Item,Erat Deus in Christo mundum sibi reconcilians, non imputans hominibus peccata.Item,Gratos nos habuit in dilecto Filio. Itẽ, Vt ambos in vnum hominem reconciliaret Deo per crucem.Ratio huius mysterij ex 1. ad Ephes.capit.petenda est,vbi postquam docuit Paulus,nos in Christo fuisse electos,simul addit,nos in eodem gratiam esse adeptos.Quomodo cœpit Deus fauore suo complecti quos ante conditum mundum dilexerat,nisi quia amorem suum exeruit,vbi reconciliatus est Christi sanguine:Nam quia Deus fons est omnis iustitiæ, necesse est, vt homo quandiu peccator est, illum habeat hostem, & iudicem. Quare principium amoris est iustitia, qualis à Paulo describitur, Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt essemus iustitia Dei in ipso Significat enim gratuitam iustitiam adeptos Christi sacrificio, vt Deo placeamus, qui natura sumus filij iræ, & per peccatum alienati.

1.Cor.5. Ephes.1.2. Ephes.2. Rom.5.

Quòd autem verè Christus sua obedientia nobis gratiam apud Patrem acquisierit, ac promeritus sit,ex pluribus Scripturæ locis certò & solidè colligitur. Nam teste Paulo, reconciliati sumus, & reconciliationem accepimus per eius mortem. Atqui reconciliatio locum non habet,nisi vbi offensio præcessit.Sensus ergo est,Deum cui propter peccatum eramus exosi, morte filij sui placatum fuisse, vt nobis sit propitius. Ac diligenter notanda est quæ paulò pòst sequitur antithesis. Sicut per transgressionem vnius peccatores constituti sunt multi,sic per obedientiam iusti constituentur. Sensus enim est, sicut Adæ peccato alienati à Deo sumus, & destinati ad interitum: ita Christi obedientia nos in fauorem recipi tanquam iustos. Nec futurum verbi tempus præsentem iustitiam excludit, sicuti ex contextu apparet. Nam & prius dixerat χάεισμα ex multis delictis esse in iustificationem. Cæterum, quum diximus Christi merito partam nobis esse gratiam, hoc intelligimus, sanguine eius nos fuisse mundatos, & eius mortem expiationem fuisse pro peccatis: Sanguis eius emundat nos à peccato. Hic sanguis est qui effunditur in remissionem peccatorum. Si hic effectus est fusi sanguinis, vt non imputentur nobis peccata, sequitur eo pretio satisfactum esse iudicio Dei. Quò pertinet illud Baptistæ, Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Nam omnibus legis sacrificijs Christum opponit, vt impletum in eo solo doceat, quod figuræ illæ monstrarunt. Scimus autem quod passim dicat Moses, Expiabitur iniquitas: peccatum delebitur, ac remittetur. Denique in veteribus figuris optimè docemur,quæ sit mortis Christi vis & efficacia.Et hanc rem Apostolus dextrè sumpto hoc principio in Epistola ad Hebræos explicat, Quòd remissio absque sanguinis effusione non fiat Vnde colligit Christum in abolitionem peccati per suum sacrificium semel apparuisse. Item, Oblatum esse, vt multorum tolleret peccata. Dixerat autem prius, non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per sanguinem proprium semel intrasse in sancta, æterna Redemptione inuenta. Iam dum in hunc modum ratiocinatur, Si sanguis vitulæ sanctificat secundum carnis puritatem, multò magis sanguine Christi purificari conscientias ab operibus mortuis, facilè patet nimis extenuari Christi gratiam, nisi eius sacrificio vim expiandi, placandi, & satisfaciendi concedimus, quemadmodum paulò pòst addit, Mediator hic est noui Testamenti,vt morte interueniente in redẽptionem præcedentium delictorum,quæ manebant sub lege,promissionem æternæ hæreditatis accipiant qui vocati sunt. Præsertim verò expendere conuenit analogiam, quæ à Paulo describitur, Quòd pro nobis factus sit maledictio,&c. Superuacuum enim, adeóque absurdum fuit onerari Christum maledictione, nisi vt quod alij debebant persoluens, iustitiam illis acquireret. Clarum est etiam Isaiæ testimonium, Quòd castigatio pacis nostræ Christo imposita fuit,& liuore eius nobis obtigit sanitas. Nisi enim satisfeciisset pro peccatis nostris Christus, non diceretur placasse Deum, pœna cui eramus obnoxij,in se recepta. Cui respondet quod ibidem sequitur,Propter scelus populi mei percussi eum. Accedit etiam Petri interpretatio, quæ nihil ambiguum relinquet, Quòd peccata portauerit super lignũ. Onus enim damnationis,quo leuati sumus,dicit in Christum esse reiectum.Nec obscurè pronuntiant Apostoli pretium soluisse,quo nos à reatu mortis redimeret.Iustificati gratia ipsius per redemptionem quæ est in Christo, quem posuit Deus ἱλαστήριον per fidẽ,quæ est in sanguine eius.Gratiã Dei in hoc cõmendat Paulus,quia redẽptionis pretiũ dedit in Christi morte. Deinde iubet nos confugere ad eius sanguinem,vt iustitiã adepti coram Dei iudicio stemus.Idem valet istud Petri,Redempti non auro, & argento,sed pretioso sanguine agni immaculati. Neque enim congrueret antithesis, nisi pro peccatis satisfactum esset hoc pretio. Qua

Heb.9. Heb.9.15. Isa.53. Isa.53.8. 1.Pet.2. Rom.3. 1.Petr.1.

1.Cor.2. ratione Paulus dicit nos pretioſè emptos eſſe. Non ſtaret etiam alterum Pauli dictum,
1.Tim.2. Vnus Mediator, qui ſe dedit ἀντίλυτρον, niſi reiecta in eum eſſet pœna, quam meriti era-
Coloſ.1. mus. Ideo Paulus redemptionem in ſanguine Chriſti definit Remiſſionem peccatorum:
acſi diceret iuſtificari nos, vel abſolui coram Deo, quia ſanguis ille in ſatisfactionem reſ-
Coloſ.2. pondet. Cui & alter locus conſonat, Deletum fuiſſe in carne chirographum, quod e-
rat contrarium nobis. Solutio enim vel compenſatio notatur, quæ nos à reatu abſoluit.
Galat.2. Magnum & his verbis Pauli ſubeſt pondus, Si iuſtificamur ex operibus legis, ergo gratis
Chriſtus mortuus eſt. Nam hinc colligimus à Chriſto petendum eſſe, quod lex conferret ſi quis eam impleat: vel quod idem eſt, nos conſequi per Chriſti gratiam, quod Deus
operibus noſtris in lege promiſit, Qui fecerit hæc viuet in ipſis. Eodem ſpectat quod
Galat.4. poſtea tradit, Deus Filium ſuum miſit legi ſubiectum, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Quorſum enim ſubiectio hæc, niſi quòd iuſtitiam nobis peperit, ſuſcipiens præ-
Rom.4. ſtandum, cui nos ſoluendo non eramus? Hinc illa iuſtitiæ imputatio ſine operibus,
de qua Paulus diſſerit: quia ſcilicet accepta nobis fertur quæ in ſolo Chriſto reperta fuit
Ioan.6. iuſtitia. Nec certè alia cauſa vocatur caro Chriſti cibus noſter, niſi quia in ea reperimus
vitæ ſubſtantiam. Ea porrò vis non aliunde prouenit, niſi quia in iuſtitiæ noſtræ pretium
Epheſ.5. crucifixus fuit Filius Dei. Sicut dicit Paulus, quòd ſeipſum tradiderit ſacrificium in o-
Rom.4. dorem bonæ fragrantiæ. Et alibi, Mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Inde conficitur, non modò per Chriſtum ſalutem nobis datam eſſe, ſed Patrem nobis eius gratia nunc eſſe propitium. Nam ſolidè in eo impleri
Iſa.37. non dubium eſt, quod per Iſaiam ſub figura pronuntiat Deus, Propter me faciam, &
1.Ioan.2. propter Dauid ſeruum meum. Cuius rei optimus teſtis eſt Apoſtolus, quum dicit, Remittuntur nobis peccata propter nomen eius. Nam etſi non exprimitur Chriſti nomen:
Ioannes tamen ſuo more ſub pronomine ἀυτὸς eum deſignat. Quo etiam ſenſu pronun-
Ioan.6. tiat Dominus, Sicuti ego viuo propter Patrem, ita & vos viuetis propter me. Cui reſpõdet
Philip.1. quod dicit Paulus, Vobis datum eſt propter Chriſtum, ὑπὲρ χριστοῦ, non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro eo patiamini.

Reſponſio ad ſecundam quæſtionem.

Quanquam in fidem non illuminantur, nec Euangelij efficaciam verè ſentiunt, niſi qui præordinati ſunt ad ſalutem: experientia tamen oſtendit reprobos interdum ſimili ferè ſenſu atque electos affici, vt ne ſuo quidem iudicio quidquam ab electis differant. Quare nihil abſurdi eſt, quòd cœleſtium donorum guſtus, & temporalis fides illis tribuitur: non quòd vim ſpiritualis gratiæ ſolidè percipiant, ac certum fidei lumẽ: ſed quia Dominus vt magis conuictos & inexcuſabiles reddat, ſe inſinuat in eorum mentes, quatenus ſine adoptionis Spiritu guſtari poteſt eius bonitas. Si quis obiiciat, Nihil igitur ampli⁹ reſtare fidelibus, vnde certò adoptionem ſuam æſtiment, Reſpõdeo, quamuis magna ſit ſimilitudo, & affinitas inter Dei electos, & qui fide caduca ad tempus donantur: vigere tamen in ſo-
Rom.8. lis electis fiduciam illam, quam celebrat Paulus, vt pleno ore clament, Abba Pater. Ergo
Galat.4. vt ſolos electos ſemine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, vt nunquam diſpereat ſemen vitæ eorum cordibus inſitum: ita ſolidè in illis obſignat adoptionis ſuæ gratiã, vt ſtabilis & rata ſit. Sed hoc minimè obſtat, quin illa inferior Spiritus operatio curſum ſuum habeat etiam in reprobis. Interea docentur fideles ſolicitè & humiliter ſeipſos excutere, ne pro fidei certitudine obrepat carnis ſecuritas. Adde quòd reprobi nunquam ſenſum gratiæ niſi confuſè percipiunt, vt vmbram potius apprehendant, quàm ſolidum corpus: quia peccatorum remiſſionem Spiritus propriè in ſolis electis obſignat, vt eã ſpeciali fide in vſum ſuum applicent. Meritò tamen dicuntur reprobi Deũ credere ſibi propitium, quia donum reconciliationis licet confuſè, nec ſatis diſtinctè ſuſcipiunt: nõ quòd vel eiuſdem fidei, vel regenerationis participes ſint cum Filiis Dei: ſed quia commune cũ illis principium habent. Nec verò nego, quin hucvſque eorum mentes irradiet Deus, vt eius gratiam agnoſcant: ſed ſenſum illum à peculiari teſtimonio, quod reddit ſuis electis, ita diſtinguit, vt ad ſolidum effectũ & fruitionẽ non perueniant. Non enim ideo ſe propitiũ illis demõſtrat, quia verè ex morte ereptos in cuſtodiã ſuã recipiat: ſed tãtùm illis demõſtrat præſentẽ miſericordiã. Viua autem fidei radice ſolos electos dignatur, vt in finem vſque perſeuerent. Ita diluitur obiectio illa, Si verè gratiam ſuam demonſtrat Deus, hoc perpe-

perpetuò fixum esse: quia nihil obstat quò minus præsenti gratię suę sensu, qui postea euanescat, Deus aliquos illustret.

Responsio ad tertiam quæstionem.

Quanquam fides Diuinæ erga nos voluntatis notitia est, & certa de eius veritate persuasio, non mirum tamen est, Diuini amoris sensum in temporariis euanescere, qui licet fidei sit affinis, ab ea tamen multum differt. Voluntas Dei immutabilis est, fateor, & semper eius veritas sibi constat. Atqui nego hucvsque progredi reprobos, vt in arcanam illam reuelationem penetrent, quam solis electis Scriptura vendicat. Nego igitur eos vel Dei voluntatem vt est immutabilis, capere: vel eius veritatem constanter amplecti: quia in sensu euanido subsidunt: sicuti arbor non satis altè plantata, vt viuas radices agat, temporis successu arescit, licet per aliquot annos non flores tãtùm & folia emittat, sed etiam fructus. Denique sicuti primi hominis defectione deleri potuit ex eius mente & anima Dei imago: ita mirum non est, si quibusdam gratiæ suæ radiis reprobis illuceat, quos postea extingui patitur. Nec verò quidquam impedit, quò minus leuiter alios tingat Euangelij sui notitia, alios penitus imbuat. Hoc interim tenendum est, quantumuis exigua sit ac debilis in electis fides: quia tamen Spiritus Dei certa illis arra est, ac sigillum suæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse eius sculpturam: reprobos verò tali luce aspergi, quæ postea dispereat: neque tamẽ fallacem esse Spiritum, etiamsi semen quod in eorum corda iacit, non viuificet, vt semper maneat incorruptibile, sicuti in electis.

Responsio ad quartam quæstionem.

Quùm ex Scripturæ doctrina, & quotidiano vsu constet reprobos interdum affici Diuinæ gratiæ sensu, quoddam mutui amoris desiderium in illorum cordibus excitari necesse est. Sic in Saule ad tempus viguit pius affectus, vt eum amaret, à quo paternè se tractari sciens, aliqua eius bonitatis dulcedine capiebatur. Sed quemadmodum radicitus non hæret in reprobis paternus Dei amor, ita non solidè eum redamant vt filij, sed mercenario quodam affectu ducuntur. Nam soli Christo hac lege datus est Spiritus ille amoris, vt eum membris suis instillet. Nec certè longius quàm ad electos patet illud Pauli, Diffusa est charitas Dei in corda nostra per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: nempe charitas, quæ illam quam suprà attigi inuocationis fiduciam generat. Dico etiam Deum mirabiliter irasci filiis suis quos amare non desinit: non quòd apud se eos oderit, sed quia eos terrere vult iræ suæ sensu, vt superbiam carnis humiliet, torporem excutiat, ad pœnitentiam solicitet. Itaque eodem tempore & iratum sibi vel peccatis suis, & propitium cõcipiunt, quia non fictè iram eius deprecantur, ad quem tamen cum trãquilla fiducia confugiunt. Rom. 5. 5.

RESPONSVM AD QVAESTIONEM D. TOSSANI Ministri Monsbelgardensis.

Si Sacramentorum administratio Ministro interdicetur.

VAde re rogati sumus à fideli Christi seruo & optimo nostro symmysta D. Tossano, nos inuocato Domini Spiritu ita respõdendum censuimus. Primò videmus duas potissimùm rationes esse, quæ Tossanum solicitãt ad migrandũ. Nam quia Sacramentorũ administratio illi eripitur, quæ pars est Ministerij, quo hactenus functus est in Ecclesia Monsbelgardensi, ita se munere abdicatum existimat. Deinde quia dimissi sunt reliqui fratres, quos in eadem functione habuit collegas, veretur ne locum docendi retinendo, multis offensionẽ pariat: acsi se ab illis disiungat, quibuscũ fuit illi vocatio cõmunis, ac multi interpretentur priuatis eũ ratio nibus potius cõsulere, quàm publico Ecclesiæ bono. Cùm ante mensem nos cõsuluissent omnes simul fratres, quidnam sibi agendum esset, ita respondimus. Vt proditor est qui volens cedit, ac stationẽ suam deserit: sic resistere vbi vi cogimur, nostrũ non est, nisi fortè nos ad subeundum discrimen nominatim vocaret Ecclesia. Vestra autẽ ratio lõgè diuersa est. Nam quãdiu fuistis Pastores, non defuit gregi vestra sedulitas, ac solicitudo. Nunc cùm perseuerandi studium nihil profuturum sit, ac ne oues quidem ipsę quibus obstricta est vestra fides, sibi vtile cẽseant vos vltrà tẽdere, perfuncti sanè estis. Hæc exceptio si recipitur, soluta erit prior difficultas. Flagitatur enim Tossani opera, tum ab Illustriss. Principe Referendũ ad annum 1549. Pag. 82.

Christophoro,tum ab ipsa plebe. Ergo quandiu Ecclesiam habet cui prodesse queat, si eam deserat,non videtur ritè neque ex officio facere. Si hac conditione retineretur, vt liberam purè synceréque docendi facultatem nefaria aliqua pactione, vt alij permulti fecerunt,sibi minueret, centies mori præstaret,quàm dicendi locum tanti redimere.Sed nunc vbi integra Christi confitendi libertas permittitur, nulla est causa cur se eximat. Quòd autem ministerij sui parte aliqua priuatur,tametsi dolenter ferendum est, non tamen ideò in totum liberata est eius fides erga Ecclesiam: sicuti nec penitus abdicatus est suo numere. Nã si Pastoris mun⁹ omni ex parte explere nequeat,magnũ tamẽ est,si Doctorem præstet.Et cùm Sacramenta veluti accessiones verbi sint, illis sublatis verbum etiam cuius præcipuæ sunt partes vltrò abiicere, nimis absurdum esset. Prudenter itaque venerandi fratres nostri Ecclesiæ Argentinensis Pastores admonent, Ecclesiam ad tempus foueri verbo posse, vtcunque Sacramentis careat.Si Tossano hactenus nulla cum Ecclesia Monsbelgardensi necessitudo fuisset, magnopere illi optandum foret, vt ad liberum docendi munus, nullo adhuc concesso Sacramentorum vsu admitteretur. Imò suũ illic Ministerium hac ratione auspicatus est, & aliquandiu Doctoris personam sustinuit, priusquam obtineret quæcunque sunt ex Pastoris officio. Nunc quia potestas tenebrarum eovsque inualuit, vt per suos eripiat Satan,quod hactenus habuit Christi beneficio, quid superest nisi vt ad priorem illum cursum redeat, fidelémque in docendo & monẽdo operam impendat, donec quæ nunc collapsa sunt,rursum Dominus instauret?Olim cùm tyrannorum sæuitia expulsi essent ex suis Ecclesiis sancti Pastores, clàm tamen eas visitabant,ac interdum etiam habitu militari,vt refert Eusebius. Quare hæc facultas quæ Tossano datur,multò minus repudianda est, vt quib⁹ hactenus fuit Pastor,nũc se Doctorem exhibeat. Ita munus obibit Deo probatum, & Ecclesiæ salutare, vtcunque dimidia pars solitæ administrationis sit ablata. Huc pertinent Prophetarũ exempla,qui templo euerso,& erepto ad tempus sacrificandi ritu, docẽdi tamen partes exequi non destiterũt. Hæc fuit quidem ipsorum querimonia, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? cùm tamen hoc populo carmen dictarent, ita obibant docendi munus. Ita vbi violenter spoliamur Sacramentorum vsu,adeò non debet Pastor relicta statione abiicere docendi curam, vt hîc maximè instare debeat, & quodammodo docendi studium & assiduitatem duplicare,si liceat. Sic ergo statuimus. Dum ita priuatur Tossanus Sacramentorum ministerio,vt tamen Illustrissi. Princeps docendi locum illi offerat, & populus flagitet eius operam: non esse hoc genus missionis, quod fidem eius liberet, quin Doctoris officio incumbere debeat,quandiu docendi libertas illi concessa fuerit. Nec tantùm iudicamus hoc expedire, sed etiam omnino necessarium ducimus, nisi à Dei vocatione cui hactenus paruit,subducere se volet. A quo consilio quia certò persuasi sumus eum toto animo abhorrere, non difficulter adductum iri confidimus vt maneat. Porrò quod timet,ne improbi iactent ventris potius cura retineri eum, quàm ædificandę Ecclesiæ studio,ea sanè suspicio quantùm in nobis est,sedulò est cauenda. Verùm si eum adstrictum tenet iustæ vocationis Religio,sicuti nos sentimus,qualiscunq; futura sit hominum opinio :constanter tamen pergere in eo debet, quod intelligit Deo probari.Nos quidem satis experimur quanta sit sæculi nostri ingratitudo. Quanquam hoc quoque incommodum senserũt omnes Dei serui,vt benefaciendo malè audirent. Sed hodie magis quàm aliàs vnquam regnat hoc vitium. Itaque non debet expectare frater noster Tossanus, vt omnibus probet quòd summa Religione instituerit,etiamsi nullum mortis periculum recuset.Erunt semper ignaui & nihili homines,qui desidiæ suæ tędium fallent eum calumniando. Nec verò, si ędificandæ Ecclesiæ occasionem sibi oblatam non respuit, ideo se disiungit à fratribus suis, qui ea priuantur. Quin potius eum hortari fratres debent, ne quod residuum est lucis,patiatur sua culpa extingui. Hoc enim seruos Christi decet, quò magis os sibi obstructum vident,studere modis omnibus atque adniti, vt in aliorum linguis resonet pura Euãgelij doctrina, & eorum voce ipsorum silentium quasi sarciatur. Núc Deum oramus,vt quemadmodum fideliter consulimus fratri nostro Tossano ,quod arbitramur ex re Ecclesiæ esse,ita vt eius animum confirmet ad subeunda fortiter certamina quæ illi proposita esse cernimus. Non miramur si in rebus tam impeditis animo perplexus hęreat. Non miramur etiam, si in hac subita Ecclesiæ dissipatione, varię eum cogitationes agitant. Non miramur postremò, si in hac temporum iniquitate, támque peruersis ac malignis hominum iudiciis æstuat atque alternat in hac deliberatione, dum satisfacere omnibus cupit. Sed illi gratulamur,quòd suas omnes cogitationes,omniáque

studia

ſtudia in vnum hunc finem dirigit, primùm vt Deo obſequatur, deinde vt ſe totum Eccleſiæ impendat. Hoc ſingulare eſt Dei donum, quòd nihil aliud ſpectat vel cupit, quàm vt conſcientiæ ſuæ tranquillitati ſit conſultum. Quòd autem ſibi proprióque iudicio diffidens, fratrum conſiliis permittit ſe regẽdum, in eo piam ipſius modeſtiam, vt par eſt exoſculamur. Et nos certè hîc non aliud ſecuti ſumus, quàm quod Dominus ipſe Spiritu verbóque ſuo dictauit: quemadmodum hûc ſumus auſpicati, vt mẽtes linguáſq; noſtras gubernaret. Atque huius modeſtiæ fructum vt ſperamus, non pœnitendum feret, quòd vocationis ſuę certior factus, ad ſuſtinẽdos quoſuis impulſus longè erit inſtructior: & fretus piorum auctoritate, minus erit obnoxius calumniis improborum. Infirmis certè ſatisfactum erit vbi intellexerint, ideo ſtetiſſe ipſum in ſua Eccleſia, vt fratrum conſiliis acquieſceret. Iam prętet Eccleſię reſpectũ, nos quàm plurimùm mouet cordatiſſimi Principis Religio, quem ſic videmus affectum, vt nihil omittat, quò ſaltem pars aliqua regni Chriſti ſalua in ipſius ditione maneat. Hęc heroica animi magnitudo, cùm illi cœlit° data ſit, eam pro ſua virili adiuuare Toſſani officium eſt. Nos quoque breui fore ſperamus, vt viam aliquam per quæcunque obſtacula inueniat Dei benedictio, ad promouendum tam præclari inſtituti curſum, ne ſucceſſu tandem careat. Geneuæ, XI. Calend. Martij M. D. XLIX.

Io. Calvinvs N.

Si omnis diſciplinæ ſtatus tolerabilis negabitur.

Tiamſi hactenus tolerabilis fuiſſet ἀταξία, quę tibi mouit hoc certamen: iam tamen eò deducta res eſt, vt liberum tibi non ſit meo iudicio, ea lege manere, vt tam grauibus malis nullum adhibeatur remedium. Sed quia in re perplexa adhuc ambigis quænam moderatio tenenda ſit, meámque ſententiam audire cupis, ſic accipe, ſi ſacra myſteria profanare nefas eſt, certè quæcunq; occurrant offendicula, ad excuſandum ſacrilegium non ſufficient. Quærenda igitur definitio eſt, ex qua certò ſtatuere liceat quouſque pateat iſta profanatio. Porrò in re clara & obuia non eſt tantopere laborandum. Nam qui paſſim, nullóque delectu, vel diſcrimine quoſlibet admittit ad Sacramenta, quin ea profanet non dubito. Fateor quidem nunquam ita purum eſſe vſum in Eccleſia, qui eorum ſanctitati omni ex parte reſpondeat: & nos plus ſatis experimur quàm procul abſit noſtra ratio à mũditie quæ optanda eſſet: ſed aliud eſt ſacros theſauros alieniſſimis quibuſque proſtituere, quàm indignis permittere, qui arceri legitimo iudicio nequeunt. Nimia fuit auſteritas in veteribus. Atqui minus reuerentiæ deferri ſactis noſtris, quàm ſcimus olim habitum fuiſſe impuris ſuperſtitionibus, pluſquam indignum eſt. Ergo niſi inter nos vigeat diſcrimen aliquod, vt prohibeantur qui ſine craſſa Dei iniuria admitti nequeũt, pro cõfeſſo ſumo tam Baptiſmum quàm Cœnam profanari. Fideiuſſor enim quî recipiẽdus ſit ab Eccleſia alienus, non video. Sed pios malorum culpa priuari iniuſtum eſt. Scio vt à publica excommunicatione abhorruerit Auguſtinus. Nam quum vulgò regnaret tunc in Africa ebrietas, quadam ad Valerium Epiſtola morbum hunc lentis remediis ſanandum potius eſſe exiſtimat, quàm excommunicatione, quæ totam Eccleſiam conuellat ac diſſipet. Semper tamen videndum eſt, ne fræno laxato foueatur peccandi licentia. Ego vt concedam nimium rigorem eſſe temperandum: impunitas tamen nullo modo ferenda eſt. Nullam ergo eſſe legem, quæ Cœnæ & Baptiſmi ſanctitatem cuſtodiat, ne vtrunque myſterium contemptui & ludibrio expoſitum ſit, remiſſio eſt minimè excuſabilis. Quòd excipis nihil priuatim tentandum eſſe: neque etiam hoc mihi probatur, vt Paſtor re nondum cognita, ſe officio abdicet, ſpontéque deſerat ſtationem ſuam: verùm qui ſyncero ædificandi ſtudio præditus erit, hoc ſaltem teſtabitur ſibi fas non eſſe, ad ſacram Chriſti Cœnam promiſcuè admittere qui palàm ſe canes eſſe oſtendunt, & excuſſo pudore, quaſi ex profeſſo contumeliam irrogant Dei myſteriis. Nec verò paucorum hominum arbitrio acquieſcet, donec populum ipſum cognouerit iugo nolle ſubiici: tunc ſequetur deliberatio, quo iure obſtrictum teneant Chriſti ſeruum, qui ordinem Diuinitus præſcriptum palàm recuſant. Certè vbi rogando, & hortando nihil proficitur: ac fruſtra etiam cõqueſti ſumus nos Religione conſtringi ne pergamus ſcientes & volentes ſacra Dei myſteria profanare: in tam confuſa or-

dinis perturbatione quomodo ſtare nobis liceat neſcio. Etſi autem cunctatio reprehenſione non caret, ingenuéque fatendum, ſerius quàm decebat hanc cauſam ſuſceptam eſſe, vel non ſatis ſtrenuè, & viriliter fuiſſe defenſam: non alia tamen quàm nimiæ lenitatis culpa obiici poterit, quæ omnium qui contumaciter obſiſtunt, crimen duplicat potius, quàm inuidia oneret Chriſti ſeruum, qui ſua tarditate oſtendit, vt populi ſaluti conſuleret, ſe nimis fuiſſe timidum. Nec verò feruoris & præcipitantiæ calumniam vllo argumento melius diluere optarem ſi tuo eſſem loco, quàm ingenua iſta confeſſione: vidiſſe quidem ab initio quàm turpis & pudenda eſſet iſta profanatio ſacrorum: ſed ſperaſſe quum adoleuiſſent, correctionem aliquam: atque hanc fuiſſe tolerantiæ cauſam, quia malebas profectu ſenſim ad docilitatem formari, quàm eos repente cogere in ordinem: interea nō tacuiſſe quales te anguſtiæ premerent, donec videres meliorem rerum ſtatum: nunc ſerius & vehementius vrgere, quia hoc tibi neceſſitas extorquet. Hoc ſi nunc liberè teſteris, conſtantérque poſtea inſiſtas, nec finem vrgendi facias, vel remedium malis iſtis inſanabilibus inueniet Deus: vel te expediet, vt certò tibi ſis conſcius quidquid alij obſtrepāt, nihil temere abs te fuiſſe tentatum. Quòd ſi tibi elapſa fuerit hæc occaſio, timendum eſt, ne poſthac ſentias alio te quàm ſanctæ vocationis vinculo teneri conſtrictum.

CALVINVS N. S. D.

Si infans ſine Baptiſmo per occaſionem deceſſerit.

Ex Gall. PErlatum eſt ad me de tua orbitate ex morte filij, cui & alter dolor acceſſit, quòd nonnulli ex piis fratribus offendiculum ex eo conceperint, quòd ſine Baptiſmo infans è vita exceſſerit, cùm tibi per tempus hoc præſtare licuiſſet. Quòd ad primum attinet, non eſt quòd diutius inſiſtam vt te conſoler propter illius theſauri amiſſionem, cuius diuturnam fruitionē ſperare poteras. Sic enim de te exiſtimo, vt teipſum per te remedia illa adhibere dolori tuo nō dubitem: adeóque iam eouſque illa tibi applicādo profeciſſe, vt ad Dei nomen glorificandum te cōparaueris, ex quo didiciſti nihil nobis accidere poſſe melius, quàm vt volūtatem noſtram illius arbitrio ſimpliciter ſubiiciamus. Maximè vbi ipſe nos ea gratia dignatus eſt, vt pro ſuis agnoſcat in vita & morte, qui ipſi & viuunt & moriuntur. Quòd ad alterum verò, fateor oblatam ſcandali occaſionem piis omnibus, ſi tua ceſſatione vel neglectu infans ſine Baptiſmo exceſſit. Baptiſmus enim res magis ſacra eſt & auguſta, quàm vt vllo modo contemni debeat. Quare non modò ij ferendi non ſunt, qui Baptiſmum negligunt, ſed & illi non probandi, qui iactatione quadam & oſtentationis cauſa, rei ſanctæ adminiſtrationem in multos dies protrahunt. Tuum eſt igitur aperire conſilium & mentem tuam fratribus, vt ſcandalum ipſis oblatum tollas. Neque verò dubito, quin re ita percepta, habeant in quo acquieſcant. Si tibi fuiſſet propoſitum diutius illic viuere vt alij faciunt, peccatum à te fuiſſet, niſi infantem ad Baptiſmū quam primum offerres. Etſi verò illi etiam non ſunt excuſandi, qui iſtic offerunt ad Baptiſmū liberos, vbi ſuperſtitionibus Papiſticis polluantur: non poſſunt tamen reiicere notam illam Chriſtianiſmi, qualis etiam iſtic extat, quin hoc ad Dei ipſius contemptum pertineat. Tibi autem lōgè aliud erat propoſitū. Cùm enim hoc antè præcepiſſes, cogitabas de vxore adhuc prægnante in veram Eccleſiam deducenda: aut ſi parturitio prius interueniſſet de matre cum partu abducenda, vt ex Dei ordinatione purè infans tingeretur. Atq; illud fuiſſet luculentum teſtimonium non contemptus Baptiſmi, ſed legitimæ reuerentiæ, cùm illum ſyncerum ex Domini ordinatione filio tuo ita procuraſſes. Illa igitur dilatio cùm pars quædam ſit Confeſſionis fidei tuæ, vbi à fidelibus audita fuerit, illos amplius non offendet: cùm ſi res ex voto ſucceſſiſſet, nihilò magis dilatio illa, quàm tua ipſius profectio coniuncta damnari potuiſſet. Fieri poſſe quidem exiſtimo, vt non deſint qui non approbent illam demigrationem à natali ſolo, quia ſe talibus exemplis perſtringi ſentiant: qui ſi in eo peccant, temere alios tentant exemplo ſuo ſubiicere, quaſi legem illis viuendi ex ſuis moribus figant. Ab illis verò, qui ea quæ recta ſunt, probant, neq; adhærent malo, facilè exiſtimo hoc etiam probatum iri, vt perinde liceat Chriſtiano homini conſulere filio ſuo, vt ad ſyncerum Baptiſmum in Eccleſia Chriſti percipiendū abducatur à Papatu, atque vt pater ipſe illinc emergat. Tantum tibi Dominus licere noluit. Cauſam ipſe nouit. Sanè ita te humiliare illi placuit.

placuit. Nec tamen factum per se damnationem meretur, quum propositum tuum sanctum fuerit & laudabile. Atqui infans ita priuatus est signo salutis, Baptismo nempe. Nego tamen illius coram Deo deteriorem esse conditionem. Quamuis enim Baptismus sit sigillum adoptionis nostræ: inscripti sumus tamen in libro vitæ, tũ mera gratia Dei nostri, tum illius promissione. Cedo enim quo nomine Filij nostri seruantur, nisi ex illo verbo, Ego sum Deus seminis tui. Ac nisi illud verbũ ad eos pertineret, ne ad Baptismũ quidẽ admittendi essent. Iam si eorũ salus Dei promissione nititur, & fundamentũ illud idoneum est ex seipso, non est existimandũ perire omnes pueros, qui sine Baptismo è vita excedunt. Sic enim sub cõmendatione signi illius gratię Dei, De⁹ ipse afficeretur iniuria & cõtumelia, & eius veritati derogaretur, quasi salus nostra ipsius fulta promissione non satis consisteret. Cùm igitur nullus in te neglectus Baptismi deprehẽdatur, priuatio illius infanti nocere nõ potuit, quũ antè excesserit, quàm tibi cõmodè ad Baptismũ offerre liceret. Quare nulla scandali occasio supereſt, nisi qui sibi ipsis vltrò molestiam inde accersent. Tu verò piis omnibus hoc ita se habere significabis, vnde sibi satisfactum nouerint. Dominus te & vxorem præsidio suo tueatur, Spiritu sancto confirmet, atque in bonum magis ac magis promoueat. v i. Septemb. M. D. LIIII. Gen. 17. 7.

CALVINVS N. S. D.

Vbinam Baptismus rectè administrari possit.

ROgatus sententiam de pueris ad Baptismum Ecclesiæ veræ offerẽdis, vbi Ecclesia ipsa latet adhuc, & vix potest pro locorum iniquitate & tẽporum conuenire, dixi: Cùm quis sub Papatus tyrannide non modò ipse ab illius pollutionibus abstinet, sed etiam liberos suos Domino offerre, & baptizãdos iuxta Domini institutum curare studet, zelum illum & sanctum esse & laudabilem. Magna est enim indignitas, vbi tam singularis thesaurus, liberi nempe à Domino nobis donantur, ita illos pollui sinere apertis superstitionibus quas homines in sacrum Baptismum inuexerunt. Imprimis autem obseruandum est, cùm istud Sacramentum complectatur sacram & solennem introductionem in Ecclesiam Dei, sitque testimoniũ cœlestis nostri municipatus, in quem adscribuntur illi quos Dominus adoptat sibi, fas non esse administrare Baptismũ, nisi in cœtu fideliũ. Non quidẽ, vt tẽplum requirat, sed vt vbivis numerus aliquis fideliũ conueniat, qui Ecclesiæ corpus efficiat, & qui baptizat pro Pastore agnoscatur. Si enim infans clàm baptizetur & nullis adhibitis testibus, illud neque responderet ordini à Domino posito, neque Apostolorum exẽplo. Oportet igitur infantẽ baptizari in cœtu aliquo, qui quidẽ cœtus profiteatur sibi nihil esse cõmercij cũ Papisticis pollutionibus. Cũ illi, de quibus relatũ est, sic cõuenire poterũt in nomine Domini, etiãsi exiguus sit illorũ numerus qui ita cõuenient, oramus Deum vt rectum illum zelum ipsis adaugeat, quem iam contulit, vt se & suos Deo Patri consecrent & Domino nostro Iesu Christo. Qua in re nos etiam illis quibuscunque modis dabitur, defuturi non sumus. 1. Octob. M. D. LIIII. I. Caluinus. *Ex gall.*

KNOXVS CALVINO S. D.

Ad disciplinam Eccles. interrogata.

QVæ sit rerũ mearũ conditio, fratres in Christo colendiss. quibus armis & machinis impetiti fuimus & simus, & quomodo Dei auxilio tuti hactenus inimicis nostris nõ cessimus, vos docere potest hic frater non mihi soli, sed vniuersæ Ecclesiæ propter pietatem charus. Quẽ vt viscera mea precor suscipite: eidem significantes quæ sit vestra de subscriptis articulis sententia.

1. An ad Baptismũ admitti debeant spurij, idololatrarũ & excõmunicatorũ filij; priusquã vel parentes per resipiscẽtiam sese subdiderint Ecclesiæ, vel ij qui ex huiusmodi prognati sunt, Baptismum petere possint.

2. Vtrũ monachis & sacrificulis Papisticis, qui neq; Ecclesiæ Dei seruiunt, neq; propter habitudinẽ seruire possunt, annui reditus persoluẽdi sunt, etiamsi errorem pristinum ore fateantur.

Hæc quia nego, plus æquo seuerus iudicor, non à solis Papisticis, verumetiã ab iis qui sibi veritatis patroni videtur. Plura scribere vetant febris qua crucior, laborum moles qua premor, & Gallorũ bombardæ, qui vt nos opprimant nunc appulerunt. Aderit suis is, cuius causam tuemur. Memores nostri sitis in precibus. Gratia vobiscum. Raptim XXVIII. Augusti. M. D. LIX. Vobis addictiss. Io. Knoxus

CAL. D. IOANNI KNOXO SCOTO, DE LIBERIS ad Baptismum admittendis.

SI expectatione tua tardius, integerrime frater, literis tuis respondeo, qui eas attulit conterraneus tuus optimus mihi erit testis, pigritiam non fuisse causam moræ. Ipse quoque satis intelligis, quàm rara scribendi commoditas nobis detur, quia rebus turbatis difficiles sunt in patriam tuam omnes accessus. Non mihi solùm, sed piis omnibus quos lætitiæ meæ feci participes, audire iucũdum fuit de vberrimo laborum tuorum successu. Porrò vt miramur incredibilem successum tam breui temporis spacio, ita ingentes pariter agimus Deo gratias, cuius singularis Dei benedictio hîc refulget: quæ & amplam fiduciæ materiam in futurum tempus suggerit, & proinde ad superanda quælibet certamina animare vos debet. Quia non ignoro, quàm strenuus sis hortator, & quid facultatis ac neruorum Deus ad has partes obeundas tibi contulerit, fratres stimulare superuacuum esse duxi. Interea non aliter sumus periculis vestris anxij, quàm si communis esset militia: & quod vnum supereſt, vota nostra cum vestris coniungimus, vt cœlestis Pater hostes vestros furentes, amẽtia & cęcitate percutiat, eorum consilia dissipet, conatus omnes & apparatus frangat. Certè in classe armanda multum laborant: præcipuè ob nummorum penuriam. Draconi tamen certius est omnia miscere, quàm non aliquid moliri.

De quæstionibus quarum solutionem postulas, postquam retuli ad collegas meos, de communi sententia ita respondendum censuimus. Meritò quæris, an idololatrarum & excommunicatorum liberos ad Baptismum admittere liceat, donec resipiscẽtiam parentes sint testati. Semper enim attentè cauendum, ne profanetur mysterij huius sanctitas: quod fieri certum est, si promiscuè alienis conceditur, vel quisquã recipitur, sine idoneis sponsoribus, & qui numerari queant inter legitimos Ecclesiæ ciues. Sed quia in recto Baptismi vsu respicienda est Dei auctoritas, ac eius institutio pro certa ratione valere debet: hîc imprimis expendere conuenit, quos Deus sua voce ad Baptismum inuitet. Promissio autem non sobolem tantùm cuiusque fidelium in primo gradu comprehendit, sed in mille generationes extenditur. Vnde etiam factum est, vt pietatis interruptio, quæ grassata est in Papatu, vigorem & efficaciam Baptismi non abstulerit. Origo enim spectanda est, & ipsa Baptismi ratio, & natura ex promissione æstimanda. Nobis ergo minimè dubium est, quin soboles ex sanctis & piis atauis progenita, quamuis apostatæ fuerint aui & parentes, ad Ecclesiæ tamen corpus pertineat. Sicut enim praua & vesana superstitio fuit in Papatu, Iudæis & Turcis furari vel eripere liberos, & mox ad Baptismum ingerere: ita vbicunque non prorsus intercidit, vel extincta fuit Christianismi professio, fraudantur iure suo infantes, si à communi Symbolo arcẽtur: quia iniquum est, cùm Deus ante annos trecentos vel plures, adoptione sua eos dignatus fuerit, vt quæ deinde sequuta est parentum impietas, cœlestis gratiæ cursum abrumpat. Deniq; sicuti non recipitur quisq; ad Baptismum, vnius duntaxat patris sui respectu, vel fauore, sed propter continuũ Dei fœdus: ita vnius parentis odio ab Ecclesiæ ingressu prohiberi infantes, nulla ratio patitur. Interea fatemur necessariam esse sponsionem. Nihil enim magis præposterũ quàm inseri in Christi corpus, quos non speramus fore eius discipulos. Quare si nullus ex cognatis appareat qui fidem suam obliget Ecclesiæ, ac curã suscipiat docendi infantis, lusoria est actio, & Baptismus polluitur. Verùm quisquis ex infantibus offertur, legitima pactione interposita, cur reiici debeat non videmus. Adde quòd alia est nunc renascentis Ecclesiæ ratio, quàm ritè formatæ & compositæ. Dum enim ex horrenda dissipatione colligitur Ecclesia, quoniã possessio Baptismi per longã ætatum seriem ad nos vsq; viguit, retinenda est: successu autẽ tẽporis corrigẽda quæ obrepsit licẽtia, & cogẽdi parẽtes, vt suos ipsi liberos offerant & primi sint spõsores. Nã si inter principia seuerè exigitur summa perfectio, valde timendũ est, ne multi hac occasione cupidè arrepta, in sordibus suis iaceãt. Fatemur quidẽ nihil debere nobis tanti esse, vt vel tãtillum deflectamus à linea diuinitus nobis præscripta: sed putamus nos breuiter ostẽdisse, si reiicimus à Baptismo quos cõstat esse Ecclesiæ domesticos, nimis seuerã fore prohibitionẽ. Itaq; dũ melior expectatur progressus, ac vim suam obtineat disciplina, recipiãtur infantes qua diximus lege, vt promittãt sponsores, curæ ac studio sibi fore probã syncerámq; eorum institutionẽ. Quanquã interea non negamus, idololatras, quoties nascũtur ipsis liberi, acriter monendos & stimulandos esse, vt se Deo verè addicant: excommunicatos etiam vt se reconcilient Ecclesiæ.

Monachis

Monachis & sacrificulis victum ex publico non deberi certum est, vt in otio inutiles degant. Si qui ergo apti sint ad ædificandam Ecclesiam, in partes laboris vocentur. Sed quia maiori ex parte indocti sunt,& omni dexteritate carent,humaniter cum illis videtur esse agendum. Nam etsi nullo iure exigere possunt alimenta,qui nullam Ecclesiæ operam impendunt:durum tamen esset,cùm per inscitiam & errorem laqueos induerint, & partem ætatis consumpserint in desidia,eos spoliari. Monendi quidem sunt, vt iusto potius labore victum sibi quærant,quàm vt deuorent quod Ecclesiæ ministris & pauperibus est destinatum. Media etiam ratio tenenda,vt ex opimis sacerdotiis pars aliqua in sanctos vsus erogetur. Interim tamen dum sacras oblationes recuperet Ecclesia per illorum mortem,non videtur de annuo reditu certandum:nisi quòd monendi erunt,precariò & tolerantia,non approbatione ipsos retinere,quod nunquam iure adepti sunt. Hortandi etiã ne sibi nimiùm indulgeant, sed contenti frugali victu, restituant potius Ecclesiæ quod suum est,quàm eam sinant destitui fidis Pastoribus,vel sinant Pastores ipsos esurire. Vale eximie vir & frater nobis charissime. Totum piorum cœtum cupimus salutari nostro nomine, Deúmque precamur, vt vos omnes Spiritu suo vsque in finem gubernet, virtute sustineat,præsidio tueatur. Geneuæ, VIII. Nouembr. M. D. LIX.

VATELLVS CALVINO S. D.

Ad discipl. Ecclesiast. interrogata.

PAter in Christo charissime ac venerãde,ex multis causis quę me vt has ad te literas darẽ adduxerunt, vna est præcipua,quam primã omnium quàm breuissimè potero expediam. Proximis superioribus diebus huc venerunt Principes Duces, Bipontinus,& Wirtembergensis,Principis nostri tutores. Hîc quum essent,horum Ecclesiastæ & Consiliarij aliquot, nobis omnibus verbi Ministris conuocatis, rursus proposuerunt ordinationem illã Ecclesiasticam, iam antea tribus circiter abhinc annis nobis propositã:quæ tribus potissimùm capitibus absoluitur. Primum caput est de doctrina:quæ ea esse iubetur in hac Ecclesia, quæ à Prophetis & Apostolis est tradita,atque adeo in confessione Angustana explicata. Secundum de ceremoniis est,& ritibus formulisque catechizandi,Sacramenta administrandi, nuptiis benedicendi,& publicarum precum. Tertium disciplinam complectitur.

Quòd ad primum & tertium attinet,vtrunque recepimus, addita explicatione articuli de Domini Cœna,partim ne signa tantùm nuda in ea recognoscere, partim ne absurdam impanationis opinionẽ admittere videremur. Secundum reiecimus. Quod quàm ęgrè tulerint præsides,tibi negotia huiusmodi non semel experto cogitandum relinquo. Præcipua tamen controuersia de priuato Baptismo fuit:priuato inquam Baptismo,id est, ab obstetricibus administrato,quem in hanc Ecclesiam reuocare ita apud se constituerant,vt nullum non mouerent lapidem (quod aiunt) quò nos in suam raperent sententiam. Sed frustra. Porrò ne victi omnino constantia nostra iudicari possent, tandem hoc ἀμετάθετον immutabile, quem recessum postremum vocant,nobis obtruserunt. Principes hũc priuatum Baptismũ,ordine bono,per viros ad huiusmodi negotium transigendum idoneos,instituent. Interea vetant & interdicunt vobis,ne quis vestrûm aduersus illum clamet,neve à Cœna Domini,aut Ecclesiæ gremio,eos reiiciat,qui ab honesta aliqua matrona fuerint baptizati. Hæc postrema fuit reformatorum nostrorum oratio.

Cæterũ an hoc Principes facturi sint necne,pro certo nondum teneo. Sed quoniã minæ illæ prorsus negligendæ non sunt:ne fortè ex improuiso vim suam exerãt,iam quęro, Num idonea & sufficiens sit occasio Ministerij abdicandi, si nobis aut insciis, aut inuitis & reclamantibus,baptizandi potestas mulieribus in hac Ecclesia concedatur.

Est & aliud de quo necesse est vt te consulã, propterea quod cõsilij quoque ambiguũ me reddit. Ditiones tres angustæ quidẽ,sed iuris primarij & summi,anno proximè elapso in Principis nostri manũ redierunt. Principes tutores, vt significatũ nobis fuit,statuerunt in singulas illas ditiones Ministros ex nostro cœtu selectos mittere,qui ,donec aliter prospectum fuerit, relictis sacrificis,Missis,& idololatria, illic cõcionabuntur, & Sacramẽta, iis qui illa volẽt, administrabunt. Dic nunc obsecro,num cõsilium illud accipere,improbareve prorsus,an intactum potius relinquere debeamus:ne fortè singuli audiamus,Gregem tuum cura non alienum. Quidquid sit,tamen ex te scire aueo,quid dicere aut facere debeant,qui ex nobis in ditiones illas cum illis conditionibus ablegabuntur. Hæc sunt

de quibus tuam ſententiam audire cupio, ne quid in iis vel temere, imprudentius quàm par tit audendo, vel perfidè turpiter conniuendo, deſignem.

Neque verò ego ſolus hoc in negotio hæreo. Sunt & alij quinque Symmyſtæ mei, tui amantiſſimi, qui conſilio tuo, non minus quàm ego iuuari percupiunt.

Hi omnes mecum confeſſioni fidei Eccleſiarum Geneuenſis & Gallicanarũ ſubſcripſerunt, & vniuerſam doctrinã, quam Dominus ſcriptis tuis non minus Chriſtianis quàm eruditis, diſpergi & diuulgari voluit, orthodoxam & ſynceram eſſe fatentur, atque idcirco approbant: hac præſertim ratione moti, quòd eam ex canonico literarum veteris & noui Teſtamenti promptuario deſumptam eſſe ſatis ſupérq; conſtet. Vnde iudicamus tuam illam non eſſe, ſed Domini, qui te eiuſdem diſpenſatorem eſſe voluit, & præconem conſtituit. Itaque vt eundem Chriſtum æternũ Dei omnipotentis Filium cum Eccleſiis Geneuenſi & Gallicanis amplectimur, ita idem cum iiſdem ſentimus in Domino.

Qui vtinam faxit, vt in hac confeſſione ita perſeueremus, vt eam nõ ſolùm ore & ſcriptis: verumetiam vita & moribus ad extremum vſque ſpiritum, conſtanter & intrepidè teſtemur ac profiteamur. Amen.

Hæc de me & Symmyſtis meis pluribus fortaſſe quàm erat neceſſe. Non quòd vererer, ne vni tantùm prudentiam tuam conſulenti conſilium denegaturus eſſes: ſed vt pluribus alacrius dones, quod vni tantùm alacriter daturus fueras. Atque hæc ſunt quæ de conſilio nobis in commune neceſſario, quod à te petimus, ſcribenda habui.

Supereſt vt ad alia leuia quidem, ſed tamen negotij aliquid mihi faceſſentia meæ feſtinent literæ. Hîc ſunt non pauci qui vita defunctorum mentionem facientes verba hæc addere ſoleant: Cui Deus bonam & fœlicem det reſurrectionem. Scimus quidem vanas & impias eſſe preces, quæ pro defunctorum ſalute funduntur. Sed quoniam huiuſmodi optatum ad carnis reſurrectionem, quam fides noſtra ſperat, reſpicit, illud hactenus reprehendere nondum ſum auſus. Itaque ſcire velim, an homini Chriſtiano in Religione bene inſtituto ita loqui liceat. Et ſi licet, quatenus id facere poſſit.

Præterea Muſculus in ſuis locis cõmunibus, & Bulingerus in ſua locorum cõmunium reſolutione iſtic excuſa, fidem à Deo petendam eſſe aſſerunt. Neque tamen Muſculus fidei nomine, fidei incremẽtũ intelligit, vt qui eos qui puſilla fide ſunt, adhortetur ad dicẽdum in ſuis ad Deũ precibus: Domine adauge nobis fidẽ. An Bulingerus idẽ addat, affirmare non poſſum: quia nec ſatis memini, nec librum præ manib⁹ habeo, vt amiſſam memoriã recuperẽ. Sed ambos in fide petẽda conſentire ſcio. Quomodo autẽ hinc me euoluere queã, non video. Nam quî fieri poterit vt id à Deo petã, ſine quo nihil ab eodẽ petere poſſim, quod exorẽ: Quiſquis enim Deũ ſine fide orat, fruſtra orat. Imò ſic orãdo peccat, quum quidquid fit ſine fide, ſit peccatum. Adde quòd nemo eſt qui poſſit Deum Patrẽ ex animo appellare, niſi prius fidei dono de paterno Dei in ſe amore, & ſui in Filium adoptione, certior ſit factus. Ego interea auctorum illorum auctoritatem conuulſam nolim, nec ſcio an vlla ſit ignota mihi ratio qua defendi poſſint. Quare te oro vt quidquid ſcrupuli in hoc mihi eſt loco, illud vno verbo mihi adimas.

Quòd ad luſiones, quibus homines tempus fallere ſolent, attinet, etſi optandum eſſet vt ab illis Chriſtiani omnes, qui de omni verbo otioſo rationẽ ſibi reddendam eſſe ſcire debent, prorſus abſtinerent: tamen vix ac ne vix quidem populus hic vnquam adduci poterit vt hoc præſtet. Itaque ſinimus illum bõbardulis & arcubaleſtis ſeſe oblectare & exercere. Sed dubito an perinde liceat pyramidulas, chartas, & fritillos, vel animi relaxãdi gratia, permittere. Quod ſi licet, quatenus id licitè fieri poſſit, ſcire peruelim.

De iactu lapidum planorum ad metam, & pila palmaria vſque adeo animi dubius non ſum, propterea quod arte conſtant, & corpori exercendo proſunt. Sed an diebus profeſtis ſiue operariis ludi illi cõcedi debeãt, aliquatenus ambigo. Nã ſi iis qui opifices non ſunt & ſine manuũ labore viuunt, denegentur, reſpõſum habebũt paratum: ſi nobis licet die Dominico, quia à laboribus & manuum operibus ceſſatur, ludere, illud idẽ hodie quoq; nobis licet: diebus enim quibuſlibet laborum & operum ſumus immunes. Sin concedantur, pauci erunt qui illorum numero ſeſe non inſerant, addentes ſe habere vnde illo die viuant, etiãſi manibus ſuis nihil lucrentur. Itaque conſilio tuo hîc quoque mihi opus eſt.

Choreæ & ſaltationes ſunt hîc auctoritate Magiſtratus interdictę. Vnde fit vt nullæ, aut pauciſſimę publicè inſtituãtur. Sed in tricliniis in quib⁹ nuptialia cõuiuia agi cõſueuerũt, ſaltari audimus, nec poſſumus quidquid clamemus, malũ illud auellere. Iã verò quęro, nũ melius & maioris ędificationis eſſet, dieb⁹ profeſtis nuptias celebrari q̃ Dominicis, quẽadmodum

modũ in Ducatu Wirtẽbergenſi fieri audio. Nam etiãſi diebus profeſtis ſaltabitur, nulla tamen inde ſequetur diei Dominici profanatio. Hæc ſunt quæ familiariter, tanquam patrẽ benignũ alloquens, proponẽda habui, ad quæ ſingula vbi, ſi tibi eſt otium & ſi vis, reſponderis, maximo certè & grauiſſimo me leuaueris onere. Dominus Deus & Pater noſter cœleſtis Spiritu ſuo ſancto ſemper te regat & gubernet, Eccleſiæque ſuæ in columem quàm diutiſſimè conſeruet, per dilectum Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſibi coæternum, coeſſentialem, & Regni cœleſtis ab æterno conſortem. Amẽ, Amen. Dabat Montbelgardi, x i. Calendas Octobris. M. D. LXII.

Tuus omnino obediens filius
Matthæus Vatellus.

Io. Calvinvs Vatello s.

PRolixæ tuæ epiſtolæ breuiter reſpondere me cogit temporis anguſtia, integerrime, & ex animo colende frater. Mihi paulò ante meridiẽ reddita fuit. Duabus pòſt horis ad conſeſſum Eccleſiaſticũ profectus ſum. Illinc tertia ſum egreſſus. Adhuc cum fratre noſtro colloquebar, dum aduenĩũt rurſus Collegæ. Ergo breuitati quam extorquet neceſſitas, ignoſces. Conſiliarios Principum ita præciſè vobiſcum egiſſe, non miror: quia eorum morem pridẽ cognoui. Quòd in capite de ſacra Cœna diſertè addita fuit exceptio, rectè & prudenter factum. Quãlibet enim moroſi ſint, apud eos periculoſior eſt ſimulatio, quàm ingenua libertas. Articulo autẽ de diſciplina, quæ apud vos nulla eſt, quin ſubſcribere licuerit, nõ video. In Baptiſmo craſſum illũ abuſum, qui nõ niſi ex bruta ignorãtia manauit, & obrepſit inter multas errorũ tenebras, improbari omnino neceſſe fuit. Si acquieuiſtis imperio, peſſimo laqueo vos induiſtis. Primùm turpe fuit tacere: deinde ſi liberè vt oportet, in illã baptiſmi profanationẽ inuecti deinde fueritis, vos crimine leuitatis adcóq; perfidiæ onera bũt. Atqui tacere nefas erit, quibus baptizandi munus à Chriſto ſit iniunctũ. Dixit mihi frater, vos iterũ profeſſos eſſe, illã corruptelã nõ poſſe à vobis ferri. Certè ſilentio veſtro eã fouere cõſentaneũ nõ eſt: neq; tamẽ ſpõte Eccleſia deſerẽda eſt, niſi illi vos abdicẽt. Pergite in curſu vocationis veſtræ. Si tantillũ ſuis tyrãnicis edictis abducere vos conentur, intrepidè oſtẽdite vobis pluris eſſe Dei auctoritatẽ. Si deinde vos exturbẽt, cedẽdũ erit violẽtiæ. Dãda interim opera, vt teſtatũ illis ſit, vos iugũ quod Chriſti ſeruis nõ eſt tolerabile, nequaquã ſubituros. Paſtores qui iam certis Eccleſiis addicti ſunt, ad aliàs nouas traduci rectũ nõ eſſet, niſi ordine id fiat. Cæterũ, ſi id vtile cenſuerint fratres, Seniores, & Principũ Conſiliarij, nulla ratio, meo iudicio impedit, quominus nouis ditionibus Chriſto acquirendis operã ſuã impendãt, qui vocati fuerint. Expoſuit mihi frater, timẽdũ eſſe, ne reſpuatur illic doctrina, quia id vno in loco iam cõtigit. Ergo hac tãtùm lege experiamini. Reiicere enim, qui nullũ adhuc cõtumaciæ aut obſtinationis ſignũ dederũt, nõ ſatis humanũ foret. Deniq; eiuſmodi electio peræq; legitima eſt, acſi pro cõmuni vtilitate, qui in pago Miniſter fuit, in vrbem trãſferatur. Sic enim ſua cuiq; tenẽda eſt ſtatio, ne ſimus loco affixi, vbi aliter de nobis ſtatuit Eccleſia, cuius auctoritati parendũ eſt. Nemo cupidus ſit migrationis, neq; ambiat nouã prouinciã, neq; ſpõte locũ mutet, neq; etiã aſſentiatur eorũ libidini qui Eccleſiæ ordinẽ turbari moliuntur. Verùm vbi finis ille propoſitus eſt, propagãdi Regni Chriſti, præſtò ſint omnes ad obſequiũ. Precationis formula, vt Deus bonã & fœlicẽ reſurrectionẽ det mortuis, quia ad regulã bene precandi nõ quadrat, repudietur. Tale quidẽ votũ quin cõcipere liceat, nõ cõtẽdo. Si amicus ſepeliatur, vel de eius morte allatus ſit nuntius, optabo, vt vltimo die cœleſtis gloriæ meæ ſit particeps. Nulla in hoc voto ſuperſtitio. Verùm alia in precibus tenẽda ſobrietas, ne quid temere excidat: nec quidquã poſtulemus, niſi præeunte Dei verbo. In hoc enim principio acquieſcere cõuenit: Quomodo inuocabũt in quem nõ crediderũt? Ergo qui Rom. 10. 14.
ſibi vel minimùm indulgent in fingendis poſtulationibus, metas tranſiliunt. Quidquid verò ad præcipuum illud ſacrificium vitiandum tendit, à piorum conſuetudine longè remotum velim. Quare vt ab omni fæce purgatus ſit Dei cultus, maturè occurrere expedit, ne in communem vſum admittatur quod à vera pietate degenerat.

Incredulos à Deo petere, vt in fide illuminentur, prorſus eſt abſurdum. Nulla enim oratio, niſi in fide ſit fundata, Deo probatur. Et fides clauis eſt, quæ nobis ſola ianuam a-

perit ad precandum: adeóque inuocationis est mater: & scitè probat Augustinus, Cor-
Act.10.4. nelium fide fuisse præditum, quia dicit Angelus preces eius fuisse exauditas. Apud eos tamen, qui sibi in torpore nimis indulgent, obiurgatio locum habet. Tu fidem non habes? pete vt detur: modò fixa maneat doctrina, sola fide nobis aditum ad Deũ patefieri. Ergo quos tu nominas, arbitror duriusculè fuisse loquutos, vt ignauiam eorum expergefacerent, qui à suo vitio captant excusationis prætextum.

Quòd ad lusus spectat, cupio moderationem teneri. Primùm ne quæstus inde fiat, vel lucrandi illecebra stultos homines implicet. Ad hæc ne modum excedãt, vel sumptu, vel assiduitate. Leges ergò ferendæ essent, vt fratri exposui, quæ vitia quantùm fieri posset, coercerent: Ne lucrum quis reportet: ne quod in conuiuium destinatur, grauet lusores: ne sæpius id fiat, & quæ prudenter legislatores cauenda prospicient. Interea nostræ partes sunt, animaduertere si quis tempus & se ac sua consumat ludendo: neque ferre dissolutam illam licentiam, quæ excommunicatione castiganda est, auctore Paulo, 2. Thess. 3. Quanquam nuptiarum prætextu diem Dominicum indignè profanent multi: præstat tamen liberos dies permittere, modò seuerè omnis petulantia reprimatur. Qua in re summa vigilantia opus est. Vale optime & colende frater. Dominum Quadratum & Tabellionem, & tuos Symmystas qui nobiscum sunt in syncera fide coniuncti, plurimùm salutabis meo nomine. Collegæ etiam mei vobis omnibus multam salutem precantur. Dominus tibi adsit, te gubernet, sustineat sua virtute, labores tuos benedicat. Geneuæ, XXV. Septembris. M. D. LXII.

CALVINVS MENSONI POPPIO S.

Ad disciplinam Ecclesiasticam responsa.

SI meas occupationes cognosceres, optime frater, non esset mihi petenda breuitatis venia, si fortè votis tuis non satisfacio. Vix enim credas, quàm onerosum sit ac negotiosum munus quod sustineo, & quàm multa aliunde publicè & priuatim ad me distrahendum accedant. Iam verò quintum mẽsem febris quartana me in cubiculo captum tenet, maiori etiam temporis parte lecto affixum. Etsi enim paulatim mitescit, sic tamen debilitauit & animum, & corpus, vt multis laboribus non sufficiam.

Quod quæris de indoctis Pastoribus, qui etiam ad discendum propter ignauiam adduci nequeunt, vel etiam qui impura vita contaminant Ecclesiam Dei, nec sæpius admoniti resipiscunt, sintne excommunicandi: an quia conniuet Magistratus & cessat, tolerandi sint, ego ita sentio. Postquam frustra expertus es remedia quæ extremam seueritatem debent præcedere, agẽdum esse cum aliis fratribus & Symmystis, quibus cordi est rectus ordo, ne diutius patiantur sordibus istis pollui Dei sanctuarium. Ad hanc rem conuentu opus esset, non Pastorum modò, sed eorum quibus à Principe mãdata est Ecclesiæ cura, vt communis sit deliberatio. Si spes aliqua correctionis appareat, sperãdum ad tempus erit cum gemitu: sin verò longius progredi vos coget eorum peruicacia, rogandi erunt disciplinæ præfecti, quibus auctoritas data erit vt vobiscum in paucorũ abdicationem consentiant, quæ cæteris terrorem incutiat. Ac ne immodicus videri possit rigor, colligenda erunt crimina, ex quibus palàm fiat, vel insanabiles esse morbos, vel superioribus offensis non esse parcendum, quia non sint in Pastore tolerabiles. Hoc quoque si demum impetrari non poterit, hoc vnum restare arbitror, vt liberè denuntietis, etiamsi eos vel foueat, vel toleret Magistratus: vobis tamen nullam posthac coniunctionẽ cum ipsis fore, nec iam vobis esse loco fratrum. Hæc excõmunicatio fortè Magistratum expergefaciet, ne ita torpeat: saltem conscientias vestras pacabit, quia partibus vestris eritis defuncti.

De secunda quæstione ita sentio: curandum esse imprimis, vt publica auctoritate excommunicatio in Ecclesia vigeat. Atque in hanc rem strenuè incumbere cordatos Pastores necesse erit. Si ad hunc consensum adduci Magistratus non poterit, sicuti omnes ferè à iugo abhorrent: non tamen frangantur repulsa pij Pastores, neque ab incepto cursu desistant: sed constanter profiteantur sibi fas non esse diutius profanare sacra mysteria. Porrò indignam & minimè ferendam esse profanationem, dum promiscuè quoslibet admittunt: vt porcis etiam & canibus pateat Christi mensa.

Quòd

Quòd ad filiòs improborum ſpectat, legitima Eccleſiæ gubernatio poſtulat, ne ad Cœnam accedant, niſi examinati. Erit autem in examine ratio, qua arceantur ſi indigni ſunt, donec profectum aliquem oſtenderint.

Negligentiam in liberis inſtituendis excommunicatione punire, durum mihi videtur. Obiurganda quidem eſt parentũ ſegnities: ſtimulandi ſunt modis omnibus: adhibẽdæ etiam minæ: ſed vbi neq; manifeſta impietas, neque contemptus, neque grauius crimen cernitur, lenitatem rigori præferri ſatius eſt. Atque hæc omnino regula in cenſuris Eccleſiaſticis tenenda eſt, ne auſteritas humanitatem ſuperet.

Quantùm ad pueros attinet, ſi adoleuerint, aſperius corrigẽda erit eorum proteruia. Neq; enim veniam meretur tam diſſoluta intemperies, de qua narras. Cæterum vbi ducunt vxores, hoc fræno cohiberi expediet, non alia lege benedici eorum coniugium, niſi ſe ad bonam frugem redituros promittant. Quòd ſi redierint ad ingenium, leuitas eorum & perfidia bis reos faciet.

Quoniam baptizãdi licentia, quam ſibi fœminæ arrogant, nihil aliud eſt quàm craſſa ſuperſtitio, ſtulta illa & temere ſuſcepta actio pro nihilo ducenda eſt. Paſtorum ergo officium eſt eas compeſcere: interea legitimo Baptiſmo cõſecrare infantes, qui ſtulta & præpoſtera æmulatione nihil aliud quàm polluti fuerunt. Plura in libello quodam meo reperies, cui titulus eſt, Appendix ad rationem reformandæ Eccleſiæ.

Quod rogas an digni ſint Eccleſiaſtica cõmunione, qui eam colere negligunt aliẽdis pauperibus, cùm ſuppetat facultas. Reſpondeo amicis monitionibus, non præciſo imperio hîc eſſe locum. Videmus enim vt ſibi temperet Paulus, nihil extorquens ab inuitis, ſed tantùm blandè rogans, vt ſubueniant egenis fratribus: neque id ex neceſſitate, ſed prout tulerit animi promptitudo, vt ſit benedictio non tenacitas: quia hilarem datorem diligit Deus. Ergo hoc charitatis officium hortando quidem vrgere cõuenit, voluntaria tamen relinqui debet liberalitas. 2. Cor. 8. 9. & deinceps.

Quos intelligas reſilire, vel rigore diſciplinæ, vel crucis ignominia offenſos, nõ ſatis aſſequor. Nã ſi meticuloſi tãtùm ſint ac frigidi, Chriſti exemplũ erga eos inſtar Legis nobis proponitur, dũ ex Iſaia 42. 3. refert Matt. 12. 20. Ellychniũ fumigãs nõ extinguet, calamum quaſſatũ non confringet. Sin verò palàm diſceſſionẽ ab Eccleſia faciunt, ac eos Euangelij pudet, vel tædet, nullo modo admittendi ſunt ad ſacram Cœnam.

Qui admoniti ſubinde ad eadem vitia relabuntur, nec finem peccandi faciunt, imò Eccleſiam ludunt vanis pollicitationibus, eos ſeuerius tractandos iudico, nec ſimplicibus verbis agendum, vbi verba dare non deſinunt. Nam ſi hæc lenitas impunè feratur, ad obſtinationem & impudentiam poſtea tranſiliet.

In rudibus difficile eſt perpetuã legẽ tradere: ſed hîc nõ vulgari prudẽtia opus eſt, vt diſcernat Paſtor inter tarditatẽ qua plurimi laborãt, & inter ſocordiã, quæ vulgò craſſa ignorãtia vel affectata dicitur. Multi enim reperiũtur Idiotę ſatis aſtuti in priuatis negotiis, ſatis acuti ad lucrũ captãdũ, & ad dãnũ vitãdũ perſpicaces, qui neverbo quidẽ ad teſtandã pietatẽ idonei ſunt. Ergo quos ita videmus ſpõte indociles incuria magis & cõtẽptu, quàm ingenij penuria, prohibẽdos à ſacra Cœna nõ dubito, donec pudefacti ſtudiũ ad diſcẽdum applicẽt. In aliis ſemifatuis modũ hunc tenẽdum cẽſeo, ne admittãtur niſi modicè ſaltẽ rudimẽtis imbuti: vt formulã precãdi ſciãt, confeſſionẽ fidei, Legis præceptа, ſalutem ſibi eſſe repoſitam in vno Chriſto fateantur, eúmque vnicum Mediatorem agnoſcant, finem etiam Baptiſmi ſui, & vſum Cœnæ non prorſus ignorent.

Qui ſuſpenſi à ſacra Cœna proteruè iudicium Eccleſiæ reſpuunt, hac ſua cõtumacia declarãt ſe extraneos: ac proinde nihil ſenioribus reſtare video, niſi vt Magiſtratum extimulent ad eos durius coercendos. Nam in pœnis Eccleſiaſticis vltima eſt excommunicatio. Quòd verò ad cenſuras ſpectat, nota eſt illa Pauli admonitio, non eſſe noſtrum de his qui foris ſunt iudicare. 1. Cor. 5. 13.

Optandũ quidẽ eſt, vt præter diẽ Dominicũ pauci retineãtur dies feſti: nã vt tollãtur è medio ſuperſtitionũ reliquię, ſemper ad hoc vitiũ plus æquo propenſi erunt homines. Hodie autẽ maior pars feriis Papatũ fouere appetit. Vt tamẽ obuiã eatur diſſidiis, cauẽdũ eſt, ne quiſq; proprio arbitrio ferias abrogãs æmulationẽ accẽdat. Sed qui malũ hoc ſanatum cupiunt, ſtudeant in eundẽ cõſenſum fratres ſuos adducere. Hoc ſi impetrari nõ poterit, ſinguli quoad citra tumultũ fieri poterit, paulatim ex ſuperuacuo numero re ſcindant, quas videbunt magis eſſe noxias, quò facilius ſibi concilient populi ſuffragia.

Pauperes, quibus Eccleſiæ liberalitas ignauiæ eſt occaſio, eleemoſynis minimè alen-

dos esse, tum communis sensus dictat, tum etiam clarè docet Paulus. Nam vbi pigros ventres otióque deditos excommunicari iussit, tandem subiicit, Qui non vult operari, neque comedat. 2. Thes. 3. 10. Vale eximie vir, & mihi colende frater. Geneuæ, IIII. Calendas Martij. M. D. LIX.

Io. Cal. N. S. D.

Quî liceat participare cultui Romanæ Synagogæ.

QVia de quæstionibus quas moues, iam decẽ ferè annis ex variis partibus exhibita fuit molestia: neq; hoc trecentis responsis adeptus sum, vt quiescere in posterũ liceret, nihil melius esse duxi iusto tædio victus, quàm locũ dare superioribus meis scriptis, ne implacabilis multorũ curiositas frustra me cõficeret. Quare si breuiter tibi & concisè respondeo, nõ solùm temporis angustiis, quibus tamen constringor, adscribas: sed conceptæ pridẽ deliberationi. Nam si quibus ita pruriunt aures, vt nouis quotidie responsis oblectare se cupiãt, facilè patiar aliunde petere. Nec mihi inter tot negotia, & assiduos propè morbos tantùm suppetit otij, vt publicè & priuatim scribẽdo omnibus morem gerã. Rogant quidã, Si Apostolis licuit hora precationis in templũ ascendere: deinde etiam Paulo solennẽ ritum sanctificationis obire: cur non etiam hodie nobis fas sit preces miscere cum Papistis? Primò tenendũ est, quæ tunc apud Iudæos preces vigebant, fuisse puras, & formatas ad præscriptum Legis. Nec verò, si Papistæ puram orandi formam conciperent, mihi religio esset templum cum ipsis ingredi. Atqui illos minimè decuit aggregare se ad eorũ cœtũ, qui Christum crucifixerant. Respondeo actionem per se piam & sanctam non corrumpi vitio hominum: sicuti dicere soleo, ne omnes quidem Angelos si Missæ intersint, posse eluere eius sordes sua sanctitate: nec rursum Diabolos omnes posse sua præsentia efficere, quò minus sacra Cœna dum celebratur ex Christi instituto, suam puritatem retineat. Certum tamen est, non omnibus precandi horis Apostolos veniisse in templum, quia in ædibus priuatis agebant sacros conuentus: sed vt oblata illis fuit spes ædificãdi, hac occasione fuisse vsos. Nõ ergo data opera frequentarunt templum, vt Genti suæ in publicis & quotidianis precibus essent socij: sed quia probabile erat, loci reuerentia magis dociles ac morigeros fore ad excipiendam Euangelij doctrinam, qui in locis profanis minus fuissent attenti. Atq; id in Paulo clarius perspicitur, qui certè nulla religione impulsus votum suscepit, sed tantùm vt purgata qua falsò grauatus fuerat suspicione, ianuam sibi ad spargendum Euangelium patefaceret. Neque enim sponte hac ceremo-
Act. 21. 23. nia fuisset defunctus: neque rogatus est ab Iacobo, vt ita Deum coleret, sed vt testatum faceret infirmis fratribus se non esse apostatam à Lege Mosis. Interea liberum illis fuit & templũ ingredi, & sacra oblatione testari suam pietatẽ: quia non alius erat finis, nisi vt profiterentur se Deum Israelis colere. Iam emergit altera quæstio, Si aduentu Christi abolitæ erant Legis vmbræ, cur eas adhuc sectati fuerint? quæ facilè soluitur, si tenemus quandiu stetit templum, fuisse sacrum domicilium cœlestis doctrinæ, & illic Deum ritè fuisse adoratũ. Sic enim finem legalibus ceremoniis imposuit Christus, vt eas abrogãdo non prorsus statim damnauerit quasi impias & pollutas, donec per Euangelium clarè innotuit. Si excipias, lucem Euãgelij tunc satis fuisse conspicuam, res ipsa palàm docet, multis adhuc incognitum fuisse Christum: alios verò sic fuisse illustratos eius radiis, vt tamen abessent à pleno fulgore. Hinc apparet inter legales ritus, & Papales ceremonias latũ discrimen. Nam quũ illi ab origine sua puri sanctiq; fuerint, has constat Satanæ artificio fabricatas esse ad extinguendã Christi lucem. Vnde colligere promptũ est, à suo principio vitiosas esse. Itaq; Legis abrogatio dextrè intelligi debet, quia fidelibus Christi seruis templũ, & ritus per se medios & indifferentes non antè deserere necesse fuit, quàm partibus suis defuncti essent in promulgãdo Euangelio. Interea certũ est, quoties in templũ venerunt, habitam ab illis fuisse rationẽ infirmæ plebis: sicuti quocũq; venissent solenne fuit, adire synagogas non orandi causa, licet interpositæ quoque fuerint preces: sed quia illic maior erat frequẽtia hominũ, & animi ad discẽdũ melius præparati, vt docẽdo prodessent. Quod obiicitur, Nisi in nomine Messiæ orarent, peruersas fuisse eorũ preces. Respondeo, vt erãt à patribus instituti, in nomine Messiæ licet incogniti orasse. Et certè effectu ipso patuit, quũ tam facilè, & alacri animi prõptitudine ad Christũ trãsierint permulti, occultũ in illis fuisse pietatis semen. Et probabile est, fidẽ à Paulo
2. Tim. 1. 5. laudari in matre Timothei Eunicha, & auia Loide, antequã Euãgelio imbutæ essent, vt bonæ

bonæ illius radicis fructus fuerit ad Christũ conuersio. Vmbras Legis nõ simpliciter cõcedo veritati fuisse cõtrarias, nisi quatenus perperã à superstitiosis,& præfractis Christo vel permixtæ vel oppositæ fuerunt. Qui verò more patrio sacrificabant Iudæi ante acceptam Euãgelij lucem,socij piorum omniũ fuerunt in legitimo Dei cultu : quia fixum illud manere debet,figuras legales veteri populo datas esse,donec illucesceret Christus: quod paulatim factum est. Adde quòd plerique gustatis Euangelij rudimentis,vtcũque non aliunde iustitiã peterent,quàm à Christo,& in eius sacrificio locarent spem salutis: non tamen eovsque statim progressos liquet,vt omni dubitatione se eximerent. Vitiosa quidẽ & reprehẽsione digna fuit illa infirmitas, sed quã ad tẽpus tolerabilẽ fuisse Paulus docet:quia minimè propositũ illis erat,Christo quidquam detrahere:seddurum erat & asperum,protinus discedere à consuetudine diu recepta. Iam quum de ceremoniis legalibus agitur, prudenter adhibendum est discrimen inter sacrificia ex quibus peteda erat expiatio, & alia exercitia,quorum liberior fuit vsus: sicuti hodie à friuolis quibusdam & leuiculis ceremoniis longè distant aliæ, in quibus apparet manifesta & crassa impietas. Nam in pacificis,&similibus primas olim tenuit gratiarum actio. Vt demus, Christo adhuc incognito, licitum figuræ vsum fuisse, vel nõ satis perspicuè cognito,excusabilem:non ideo fidelibus ad Christum conuersis fas fuisset oblato sacrificio se expiare,vt voto Eucharistico (nec eo simpliciter ad testandam pietatẽ, sed præcipuè charitatis respectu,& purgandæ calumniæ perniciosissimæ causa) defungi, vt Paulo accidit auctore Iacobo Ierosolymis. Interea semper illud tenendum est, non eodem esse gradu ritus, qui puri ab initio postea veritatis sole adueniente obscurati & planè aboliti sunt. Vti Christianismus ita Iudaismo successit, vel qui ab vsu degenerarunt in vitium, vtidem Iudaismus superstitiosè & literaliter à Iudæis vsurpabatur iam olim, & superstitiones meras,quæ auctore Diabolo ad vitiandum Dei cultum fabricatæ sint. Nam si quis Legis ablutiones cum lustrali Papistarum aqua comparet, grauem Deo faciet iniuriam, qui veterem populum vtiliter signo illo exercuit,quum hac fœtida ablutione, Baptismum iterando quodammodo deleuerit mendacij pater. Vale optime & charissime frater. Nam epistolam hanc abrumpere me cogunt aliæ scriptiones. Dominus vos omnes protegat vmbra sua,gubernet Spiritu suo,virtute fulciat. XXI. die Iunij. M. D. LVIII.

Rom 14 &c.

AD QVAESTIONEM DE QVIBVSDAM ECCLESIAE RITIBVS.

CONfessioni publicæ adiungere insignem aliquam promissionem, quæ peccatores ad spem veniæ & reconciliationis erigat, nemo nostrum est qui non agnoscat vtilissimum esse. Atque ab initio hunc morem inducere volui:sed cùm offensionem quidam ex nouitate metuerent, nimium facilis fui ad cedẽdũ : ita res omissa est. Nunc verò nõ esset opportunum hîc quidquam mutare: quia antequam ad finem Confessionis ventum fuerit, magna pars incipit surgere. Quò magis optamus,dum vobis integrum est,populum vestrum ad vtrunque assuefieri.

In Cœna administranda aliquando Pauli verbis vsus sum: sed quia apud singulos repeti non poterant, quin longior mora iniiceretur, (si autem inter ipsam recitationem plures transirent,vix decimus quisque assequebatur quid vellem, nemo percipiebat integram sententiam) desistere malui. Iam verò singulis mensibus Cœnam celebrari maximè nobis placeret: modò ne vsus frequentior negligentiam pariat. Nam dum maior pars à communione abstinet,quodammodo dissipatur Ecclesia. Malîmus tamen singulis mensibus inuitari Ecclesiam, quàm quater dũtaxat in singulos annos:vt apud nos fieri solet. Quum huc primùm veni,nõ distribuebatur nisi ter quotannis : & quidem vt inter Cœnam Pentecostes,& Natalis Christi, septem toti mẽses intercederent. Mihi placebant singuli menses:sed quum minimè persuaderem, satius visum est populi infirmitati ignoscere, quàm pertinacius contendere. Curaui tamẽ referri in acta publica vitiosum esse morem nostrum,vt posteris facilior esset ac liberior correctio.

Cur Cœnam ægrotis negandam esse non arbitror,multæ & graues causæ me impellunt. Video interea quàm procliuis in multos abusus sit lapsus,quibus prudenter seduló que occurrendum esset. Nisi enim sit communicatio,perperam deflectitur à sacra institutione Christi. Conueniat ergo aliquis cœtus oportet ex cognatis, familiaribus, &

vicinis,vt fiat distributio ex mandato Christi: deinde coniuncta sit actio cum mysterij explicatione:nec quidquam à communi Ecclesiæ ratione diuersum. Promiscuè etiam huc & illuc deferre,valde periculosum est.Atque hîc difficillimum est cauere, ne alios superstitio,alios ambitio & vana ostentatio ad petendum solicitet.Itaque iudicio opus esset ac delectu,ne quibus daretur, nisi in magno vitæ discrimine. Panem tanquam sacrum è templo afferri præposterum est: gestari verò in pompa, nullo modo tolerabile. Valete eximij viri,& ex animo colendi fratres.Dominus vos tueatur, gubernet,ac benedicat perpetuò. Genevæ, XII. Augusti. M. D. LXI.

AD VARIAS SPECIES QVAESTIONVM.

QVoniam hic vir nobilis,qui & communes fratrum literas,& quas priuatim scripsisti,nobis reddidit,obseruande frater, quàm parum otij nobis ad scribendum suppeteret,aliqua ex parte cognouit, nõ multis verbis petemus vt nostræ breuitati ignoscas.Primo aduentu monitus fuit proximo biduo nullum fore nobis vacuũ tempus:hodie tandem respondere licuit. Quia verò non dubitamus,alias Ecclesias sedulò vobis operam nauasse,breuiter summam doctrinæ cõplexi sumus,de qua Stãcarus molestiã exhibet. Quòd si vtile sit,Epistolam nostrã promulgabimus,quæ consensus nostri apud omnes sit testis.Porrò caput vnũ quod illic reperietis,vos cõmonefaciet, nobis nõ probari quod de æterno Christi sacerdotio scribitis,acsi principio careret, quando Sacerdos nõ minus quàm recõciliator creatus est. Quare si nostro cõsilio obtẽperatis,aliquid in ea parte mutãdũ erit, ne ansam calumniãdi inde hostis arripiat: deinde & si in colligendis veterũ testimoniis vestra industria & dexteritas vnà cum eruditione & iudicio nobis non parũ placet: cupimus tamẽ aliquid ex cõgerie rescindi, ne improbus & loquax sophista ex ambiguis vel minus luculentis nebulas spargẽs,conspicuã lucẽ tergiuersando obscuret.Nomẽ etiã Ludouici Viuis interpositũ nõnihil de auctoritate minuet:quando neq; vetus est scriptor, & vix pietatis rudimẽta gustauit:tantùm abest vt censeri mereatur inter Theologos. Seorsum his de rebus vos monere visum est,ne vllis maculis aspersa sit vestra cõfessio, dum in publicũ prodibit. Alias de quibus nos consulitis quęstiones breuiter nos expedire cogit temporis angustia.Liberos qui ex scortatione progeniti sunt, ita demũ pro legitimis habẽdos esse iure ciuili sancitũ est,si pater cõcubina in vxorẽ ducta,hũc illis gradũ assignet, idq; testetur publicis tabulis.Hoc verò parẽtibus cõcedi rectũ ideo videtur,vt à vagis libidinibus tam viri,quàm mulieres se ad sanctũ coniugiũ recipiãt: atq; hæc aptissima est ad pœnitentiã inuitatio,& mutui inter cõiuges amoris cõciliandi pignus.Nã sicuti iustè vetãt leges,trãsferri ad nothos hæreditatẽ: ita quod subsequitur cõiugiũ, si quid fuit vitij aut defectus,abolet.Hinc pẽdet altera quęstio,an pro vxoribus habẽdæ sint cõcubinæ, quibuscũ nuptiæ celebrãtur.Certũ est ad eum vsq; diẽ damnandã esse societatẽ, & Ecclesiæ disciplina castigandã:non tamẽ protinus claudendã esse ianuã resipiscentiæ, vbi in legitimũ coniugiũ ambo cõsentiũt. Tertia quæstio videtur ex stupiditate eorũ nasci, qui nũquã gustu aliquo humanitatis fuerũt præditi.Negãt fas esse, pestis fugiẽdæ causa locũ mutare.Ergo non licebit eligere salubrẽ aerẽ.Ergo in ædibus nõ licebit prospectũ quoq; salubrẽ præferre. Ergo cauere à noxio fœtore nõ licebit. Ergo nulla cõtagio erit timẽda. Faceſſãt igitur paradoxa, quorũ finis est,exuere nos omni sensu. Interea nostri cõsilij nõ est,eorũ indulgere timiditati, qui obiecto periculi colore à vocatione sua discedũt: quẽadmodũ si vir vxorẽ,si maritũ vxor,si liberi parẽtes,aut vicissim parẽtes liberos suos deserãt,si Pastor Ecclesia relicta sibi cõsulat, si magistratus officio desit. Deniq; modò ne officiũ negligatur,nõ minus pestis contagio, quàm gladius aut ignis vitari potest. Vale eximie vir,& colende frater. D.tibi semper adsit, virtute sustineat, prudentia regat, & labores tuos benedicat. Amen.Genevæ, v. Idus Iunij. M. D. LX.

Io. CALVINVS GASPARI OLEVIANO.

An & quomodo Cœna ægrotis administrari possit.

ETsi pridem meam de Cœna ægrotis administranda sententiam rogasti, optime frater,ideo tamen nullum tulisti responsum, quòd te procul abesse putabam.Ita factum est,vt Crispino nihil literarum dederim. Et nunc cùm superiores literas clausissem,venit mihi in mentem, caput hoc fuisse omissum.

sum. Scio rem in disceptatione versari, quia non desunt vtrinque rationes. Mihi verò non est propositum, nunc eas sigillatim excutere, neque tempus suppetit. Ex natura quidem, fine, & vsu mysterij probè mihi colligere videor, non esse tanto bono priuandos qui vel diuturno morbo laborant, vel de vita periclitantur. Ad fidei confirmationem valet, tesseram accipere quasi ex Christi manu, qua certiores fiamus nos in eius corpore censeri, carne eius & sanguine pasci in spem æternæ vitæ. Itaque Cœnæ perceptio nos ad obeundas spirituales pugnas instruit. Iam si pius quispiam è mundo migrandum sibi videat, quia fieri non potest, quin oppugnetur ac vexetur multis tentationibus, meritò se armari cupiet ad sustinendos conflictus. An eripiendum est singulare adiumentum, quo fretus ad luctam alacrius descendat, & victoriam obtineat? Iam prohiberi quominus liceat profiteri & testatum facere pietatis consensum cum Ecclesia, durum est ac mali exempli, siue quis in lecto diu iaceat, siue morti sit vicinus. Atqui Cœna sanctæ inter Filios Dei vnitatis est Symbolum. Quamuis breuiter rem attigerim, agnoscis tamen quibus rationibus adductus, ægrotos non esse arbitrer à communicatione arcendos. Neque tamen ea de causa velim turbas mouere. Scis in hac Ecclesia alium esse morem. Acquiesco, quia vtile non esset contendere. Qui hanc administrationem non putant Christi mandato esse consentaneam, obiiciunt sacrum hoc epulum fuisse institutum, vt communiter illic vescerentur fideles, quod illis verum esse cõcedo. Sed quamuis nulla sit legitima Cœna, nisi communis: quæ tamen ægrotis dabitur, quia priuata non erit, adulterina non cẽsebitur. Nam certè partem vel appendicem esse constat publicæ actionis. Neque verò Paulus, dum Corinthios admonet, domum cuique suã esse in qua comedat & bibat, Cœnam excludit à priuatis ædibus. Tunc neque fidelibus patebant templa, neque vnquam permissum esset noua extruere. Sed tantùm à communibus epulis discernit spirituale mysteriũ, ne cùm illis misceatur. Cæterum diligenter cauendum esse fateor, ne qua obrepat superstitio, ne spes salutis externo Symbolo affigatur: deinde ne se ingerat ambitio, neve ebulliat præpostera curiositas. Parcè igitur & adhibito delectu, nec aliter quàm causa cognita, vellem Cœnam apud ęgrotos celebrari. Deinde ne à Christi institutione aliena foret vel minimùm deflecteret actio, nollem nisi in cœtu piorum, nollem absque doctrina & publico ritu. Fecit quorundam stultitia, qui panem ad ægrotos deferendo, tanquam ferculum in pompa gestãt, vt pij homines tanquam à corruptela non ferenda abhorreãt. Corrigendum ergo esset illud quoque vitium. Ego verò eorum timori facilè ignosco, qui ad præcauenda pericula ab actu non ita pręcisè necessario abstinendum censent: modò viciſſim agnoscant me non temere aliud sentire. Vale optime & integerrime frater. Saluta amicos. Dominus vos omnes conseruet, virtute inuicta fulciat, Spirituque suo gubernet vestra consilia & studia. Geneuæ, Calendis Decembr. M. D. LXIII.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS N. S. D.

Ad quasdam piorum fratrum controuersias.

ECclesiæ N. calamitas non paruo nos dolore affecit: sed quia nunc Deus, vt suos exerceat, laxare videtur Satanę & improbis fræna, patienter nobis ferẽda est nostra conditio. Rogandus interea, vt pro sua indulgentia teneri & pusilli gregis infirmitati parcat. Qui verò existimant infœliciter cum Ecclesia agi, quoties hostium furore, aut crudeli violentia impetitur, nondum tenent Christianæ militiæ rudimenta. Hinc illa dubitatio, quæ multorum animis obrepsit, eósque nunc occupat, An piis liceat nocturnos habere vel clandestinos cœtus. Videmus enim præcipuè iudicium fieri ab euentu, quo nihil est magis præposterum. Nuper quum absque molestia conuenirent, putarunt etiam absque controuersia gratum esse Deo suũ obsequiũ: nunc vbi exorta est persequutio, disputant an non pœnas luant suę temeritatis? Hoc modo mox etiam damnabitur fidei confessio, quæ impiorum rabiem magis accendit. Denique secundum istos censores, non expediet Christum sequi, nisi prospero successu. Non abs re Paulus ludibria Ismaelis in summo persequutionis gradu statuit: quia plus est periculi à subsannatione, & opprobriis, quàm ab armata sæuitia. Si rebus aduersis Gal. 4. 29.

premi nos vident impij,miseriis nostris insultant. Hîc si labascit nostra constantia,grauius verbis nocent,quàm gladio. Atqui tenendum erat illud Pauli, Quia speramus in Deum viuum,non tantùm persequutionem ferendam esse,sed contumelias. Veniat igitur nobis in mentem exemplum Christi,quem virulento isto telo vulnerare conatus est Satan,Sperauit in Deo,liberet eum si vult, ne titubemus quoties expositi videmur hostium libidini. Quòd si primo impetu vel attoniti fuerunt fratres, vel turbati, tuum est eos fulcire,ne prorsus concidant: vel etiam erigere,vt animos iterum colligãt: nec ideo deficiãt à sancto instituto,quia impiis illud occasionẽ dederit sæuiendi. Nam si res ipsa per se æstimatur,expedita erit responsio,non fuisse Apostolis vitio datos conuentus & priuatos,& clandestinos:& à quibus nihil differunt qui nunc sub Papatu habentur. Poterant tunc quoque maleuoli obiicere,non sine suspicione noctu & clàm conuenire viros & mulieres. Nec dubium est, quin multis calumniis grauati fuerint: & quum stationem Hierosolymæ haberent milites præsidiarij,potuit hoc videri tranquillitati publicę aduersum. Neque tamen propterea destiterunt. Videmus vt Petro capto, congregati
Act.12.12. fuerint apud viduam. Neque hîc colligere exempla operæpretium est, quia scitur hoc fuisse illis in quotidiano vsu: sicuti testantur historiæ,piis martyribus spelũcas fuisse pro templis. Hoc quanquam non paruæ vitæperationi fuit obnoxium, vt vel latrocinij, vel aliorum scelerum suspecti esse possent: quia tamen ita cogebat necessitas, magnis animis spreuerunt quæ vulgò iactari sciebant probra. Ita nunc armati sunt optima defensione fratres nostri,si permitterent Magistratus liberè & palàm inuocare Dei nomen, libenter in lucem se prodituros,nec quidquam se facturos occultè: sed quia prohibentur illorum tyrannide,rationem sequi quæ longissimè abest à tumultu. Idem sentiendũ de matrimoniis,quorum benedictio in Papatu,quam vocant,mera est profanatio. Et tãmen quod ad politicum ordinem spectat, non poterit clãdestinum vocari coniugium, cuius confectæ erunt tabulæ,sed eius sanctitatem superstitionibus pollui & fœdari nullo modo ferendum est. Quanquam nocturnæ sepulturæ non abs re legibus damnãtur: frustra tamẽ suam mollitiem hoc prætextu tegunt,qui in suorũ funeribus se inuoluunt ac permiscent receptis sacrilegiis. Eadem in Baptismo valere debet ratio. Nam etsi instat illis præsentissimũ periculum,non ideo tamen licebit quod manifestè Deus improbat. Scimus in Papatu corruptum esse multis sordibus,& ferè adulteratum Baptismum. Si nullus metus impediat,facilè inter omnes pios conueniet, parentibus fas non esse liberos suos infantes ad vitiosum Baptismum offerre. Ergo ex periculo captare excusationem nimis est friuolum, acsi inde res ipsa naturam mutaret. Scimus enim magis pretiosum esse coram Deo pietatis testimoniũ, quàm vt minis, vel terroribus cedere debeat, saltem vbi ad simulationem vsque progredi cogit nos metus,quæ tacita sit impietatum approbatio. Quare sicuti pro charitatis officio piis fratribus condolescimus: ita minimè nostrum est insolubili Dei lege eos soluere. Ac si olim nõ dubitarunt in Ægypto Iudaicæ mulieres,vt à gladio Pharaonis eriperent alienos infantes, sua capita offerre in
Exod.1.17. discrimen,turpe est parentibus terreri metu,vt suorum animas quantùm in se est,contaminent. Hæc ex collegij nostri sententia breuiter ad te perscripsi,eximie vir,& ex animo colende frater. Dominus te Spiritu suo semper gubernet,benedicat sanctos tuos labores, téque incolumem cum Ecclesia tibi commissa tueatur. Symmystæ quoque mei plurimùm salutant. Geneuæ.

CALVINO N. S.

Eiusdem cum superiori argumenti.

SI mihi ad manum fuisset fidelis nuntius quo tempore allatæ sunt tuæ priores literæ,statim responsurus eram: verùm vbi præteriit occasio, mora segniorem me reddidit. Et nunc ferè idem mihi accideret,nisi stimularet pudor: ignoscès tamen breuitati,ad quam me adstringet temporis angustia. De tristi Ecclesiæ vestræ dissipatione statim aduolauerat huc rumor: nec verò alium vnquã exitum tam pertinacibus Gallicæ Ecclesię dissidiis fore putaui. Nunc quando aliena culpa vobis luenda fuit,meliorem rationem non video,quam vt sedem exilij mutent pij fratres. Nec me latet, quàm molesta res sit, quàm graues futuri sint sumptus, quibus incommodis implicita sit migratio. Sed dum aduersæ partis truculentiam

tiam mecum expendo, quiduis potius ferendum: hoc, meo iudicio, optimum compendium esset. Si verò manere omnino cogat necessitas, nimium seruilis erit dissimulatio, professis Christi hostibus offerre baptizandos infantes, & de fide contraria tacere. Quid captent minimè obscurum est, nempe vt de pura quam profitemur doctrina, triumphos agant. An æquum est nos illis esse vel adiutores, vel ministros ad Dei veritatem pedibus calcandam? Excipis, penes ipsos ordinarium esse ministerium. Ego, vt taceam de indiuidua Cœnæ & Baptismi coniunctione, quam alius quispiam vrgeret, non existimo tanti esse quod sibi vendicant, quin profitenda sit ingenuè fides, ad cuius abnegationē obliquè pios trahunt. Faceſſat omnis personalis respectus. Scio enim Sacramentum non pēdere à dignitate ministri. Alia quæstio nunc vertitur, Liceát ne pro Pastore agnoscere qui palàm oppugnet sacræ Cœnæ vim, rectum vsum, & institutionem: deinde spontaneam dissessionem faciat à veris Christi Ecclesiis. Quanquam adeo præcisè non ago, sed tantùm exigo, vt qui infantem suum offert ad Baptismum, ingenuè profiteatur quod de Cœna sentit, ac simul testetur se fraternam coniunctionem colere cum omnibus Ecclesiis, quæ idem sentiunt. Atqui hanc conditionem non admittent. Proditor ergo, qui sciens & volens, impiam superbiam, & sacrilegum diuortium silentio suo ratum habet. Morbis meis & occupationibus ingoſces, si non accuratius de singulis differo. Adde quod summa rei, & simplici definitione contentus, ad minutissimos quosque scrupulos discutiendos non libenter studium meum applico. De miseris Galliæ perturbationibus malo vt te alij doceant. Vale eximie vir, & integerrime frater. Dominus te semper gubernet Spiritu suo, inuicta virtute sustineat, & incolumem tueatur. Salutant te plurimùm collegæ mei, ex quorum sententia tibi respondeo. Geneuæ, XVIII. Iunij, M. D. LXII.

Ioannes Caluinus tuus.

Io. Calvinvs N. N. s.

Eiusdem cum superiore Argumenti.

VEhementer nobis dolet, optimi fratres, acsi nō satis mali foret in misera tristique Ecclesiæ vestræ dissipatione, exorta esse inter vos certamina, quæ ad contentionem vsque erumperent. Quod eò nobis molestius est, quia ad reconciliandam gratiam tollendúmque dissidium non alia occurrit ratio, nisi vtrinque propria sententia cedatis: quod veremur ne difficilè sit à vobis impetrare. Certè in literis vestris deprehendimus quod agnouit ille in Iliade Homeri, peccari intus & extrà. Putat vna pars post clausa templa, vsque ad vltimam litis decisionem manendum nihilominus fuisse in statione. Alij autem contendunt fas non fuisse diutius subsistere in eo loco, vbi per summum probrum oppressa fuisset veritas, & quodammodo in exilium pulsa. Nos autem non aliter possumus statuere, quàm rectè fecisse eos, qui statim collectis vasis illinc migrarunt. Quibus verò commodum non fuit aliò transfugere, eos misericordia potius, quàm insectatione esse dignos. Nam certè homines exteros hospitio affigere, acsi mancipia essent glebæ addicta, plusquam indignum esset. Fingamus integram adhuc stare Ecclesiam, priuatis tamen hominibus nulla esset religio solum vertere: quò magis concedendum est, vt locum deserant, vbi erepta sunt pietatis exercitia. Rursus eos, quibus domestica necessitas obstitit, ne se aliò conferrent, exagitare tanquam sanæ doctrinæ proditores, minimè humanum est. Quòd autem obiicitur, Vbi liberos suos offerunt ad Baptismum, ita eos Christum ludibrio exponere: fatemur quidem si dissimulent tam errores & deliria, quàm tyrannidem, & barbaram superbiam eorum, quibus baptizandi munus concedunt, se detestari, præuaricationem esse non ferendam. Certum enim est, nihil aliud venari vmbratiles illos ministros, quàm vt de Christo, & sana doctrina triumphum agant. Hęc eorum insolentia foueri à nobis non potest, quin simus in Christum contumelioſi. Verùm si intercedat ingenua confessio, qua refellatur eorum arrogantia, non videmus quid pios homines impediat, quò minus ab illis sinant liberos suos baptizari, quia ferre coguntur vt ordinarios ministros, quamuis non probent. Alia longè sacræ Cœnæ ratio est, quam nemo ex manu eorum sumet sine turpi sanæ doctrinæ abnegatione. In hac controuersia excutienda longius progredi non placuit: imò quæ hinc in-

de scripsistis consultò non attigimus,ne sedulitas nostra oleum camino adderet.Itaque vos rogamus & obtestamur,vt depositò litigandi studio,& sedato omni feruore vos mutuò amplexemini.Qui dura illa seruitute premuntur, gemant, & fratribus gratulentur quam alibi nacti sunt libertatem. Quibus verò iniquam illam dominationem effugere datum est,fratribus suis condolescant potius, quàm eos nimis præcisè vrgendo, examinēt.Interea quòd hanc moderationem tenere maluimus, quàm votis vestris obsequi, ignoscite.Dominus vos Spiritu mansuetudinis,& simul inuictæ fortitudinis semper gubernet,vósque iterum in vnum corpus colligat. Valete optimi, & nobis charissimi fratres. Geneuæ, XXVII.Octobris. M. D. LXII.

Io. Calvinvs N.N. s. d.

Ad Baptismum minus legitimè administratum.

LIteræ vestræ perquam nobis iucundæ fuerunt, optimi fratres, quòd tādem vobis concessus sit in vrbe locus,& data concionandi libertas. Hoc singulare beneficium aliis maioribus Deus cumulabit. Etsi autem vos manent noui & assidui conflictus,& breui fortè erumpet Diaboli furor,strenuè pergendum erit.Superioribus vestris literis hucvsque non respondimus: quia nemo se obtulerat,qui nostras tutò perferret. De quæstione autem proposita sic sentimus.Quia nemo priuatus Baptismi legitimus est Minister, huic malo seuerè occurrēdū esse:quia manifesta Baptismi est profanatio.Et quoniam hic mos peruersus ex superstitione traxit originem,dum salutis necessitas signo affixa fuit: eò minus fouēdum est duplex malum.Dubitanter hac de re loquitur Augustinus: Si quispiam priuatus baptizet, vbi cogit necessitas,aut nullum est,aut veniale delictum. Atqui nobis longè pluris esse
Mat.28.19. debet inuiolabile Christi mandatum: Ite, docete,baptizate. Hic nexus absque sacrilegio solui non potest.Accedit Apostoli sententia : Nemo vsurpat sibi honorem, sed qui
Heb.5.4. vocatus est. Adulterinum ergo Baptismum censemus, qui administratus est à priuato homine.Ac in Ecclesia rectè composita tolerabilis non esset hæc temeritas. Sed quia id apud vos inter principia contigit,ante restitutum Ecclesiæ ordinem,& rebus adhuc cōfusis,non tantùm errori danda est venia,sed ferendus est qualiscunque Baptismus: modò ne in exemplum trahatur,quod semel perperam gestum est.Nam in Ecclesię dissipatione multa Deus condonat,quæ nullo modo admittere fas esset in Ecclesiam bene ordinatam.Olim quum vitiata esset Religio,haud dubiè multis vitiis ac corruptelis implicita Circuncisio fuit:quam tamen iteratam fuisse non legimus,quum reuocaretur populus ad purum cultum. Ergo anxiè disquirere necesse non est, ac ne expedit quidem in omnes circunstātias,quæ innumeros scrupulos gignerent.Proinde quod ignouit Deus sub Papatu,nos quoq; sepeliamus. Nunc vbi de vero Baptismi vsu admonita fuerit Ecclesia,quòd pugnaret cum Christi instituto pro nihilo ducēdum esset, ac de integro baptizandus qui pollutus fuerit profana aspersione.De mulierum Baptismo, aliud est nostrum iudicium.Nam quia prodigiosa fuit audacia, vt se præter naturæ legem mulieres ad hoc munus ingererent,minimè dubitamus quin securè tale flagitium repudiandum sit.Interea periculum nō est, ne vulnerentur infirmæ conscientiæ:nisi quis nimia curiositate frustra sibi molestus sit:quia nemo est qui sciat se à muliere fuisse baptizatum: deinde quia veteri decreto Cōcilij Carthaginensis prohibitæ sunt fœminæ ab officio baptizandi,neminem offendet nouitas,quæ metuēda esset in viris. Valete optimi & integerrimi fratres.Dominus vos gubernet spirituali prudentia,virtute sustineat, & omnibus donis locupletet.Multam salutem precamur Senioribus,& toti Ecclesiæ. Geneuæ, XIII.Nouembris. M. D. LXI.

Si qva ratio generalis Concilii Christianis dari possit.

VT finem tandem habeant turbæ & dissidia,quibus Ecclesiam scissam & laceratam esse videmus,opus est libero & generali Concilio.

Libertas in tribus capitibus continetur,in loco,in personis,in modo,vel ratione procedendi

Quantùm

Quantùm ad locum, nisi tutus pateat accessus omnibus qui audiendi sunt, vt illic de rebus controuersis disceptent, satis notum est clausam esse ianuã libertati. Vrbs ergo deligẽda erit media inter omnes regiones, vnde vẽturi sunt qui interesse debẽt Concilio. Deinde necesse erit Principes vicinos, per quorum ditionem transeundum erit, promittere & iurare salúum conductum omnibus qui illuc conuenient.

Quantùm ad personas, iniquissimum esset solis Episcopis permitti sentẽtias decisiuas: cùm satis supérq; notum sit, eorum causam tractari, in qua idonei nõ possunt esse iudices.

Deinde vt auctoritas, quam sibi vendicant, illis concedatur: nemo tamen eorum liber est: quia iureiurando adstricti sunt ad obsequium Papæ, & Rom. sedi sunt addicti, quod ex diametro pugnat cum libertate.

Commodum remedium esset, si deligãtur homines ex ea parte quæ Ecclesiæ reformationem tam in doctrina, quàm in moribus cupit & flagitat: quibus etsi non esset vox definitiua, vt loquuntur, liberum tamen esset intercedere omnibus decretis & determinationibus verbo Dei minùs consentaneis: vt iis etiam daretur audientia & admitterentur protestationes. Ipsi verò ostenderent iustas sibi esse cõtradicendi rationes, quò minus acquiescerent Episcoporum placitis.

Maximè verò intolerabile est, Papam præsidere Concilio tanquam caput, præsertim in hac noua qualitate, vt ab eo & eius arbitrio dependeant omnia. Atque vt primũ locum obtineat omnium permissu, ante omnia tamen ratio postulat, vt se submittat Concilio per omnia, iurétq; se obseruaturum quidquid illic statutum fuerit: atque hoc modo se abdicet dominatione quã sibi antehac arripuit, vt tantùm sit vnus ex aliorum numero. Rursum adigendi essent Episcopi ad proprium iusiurandum, se obsequentes fore Dei verbo, nec rationem habituros præsentis status: acsi quæ inuentæ fuerint corruptelæ tam in doctrina, quàm in ceremoniis & moribus, earum se minimè patronos fore vel fautores.

Modus procedendi omnino frustratorius esset, si mos qui nuper inualuit retineretur: nempe vt quicunque reformationem postulant, vel ore vel scripto exponerent suam doctrinam: deinde ipsis absentibus Prælati quod libitum esset, decernerent. Necesse igitur omnino est, omnes adesse, vt quidquid malè & inscitè deliberare vellent Episcopi, corrigere liceat: atque ita integrum sit cunctis erroneis opinionibus obiicere rationes claras & validas.

Operæpretium etiam est ante omnia, statuere quem ordinem sequi conueniat: nempe vt primo loco excutiantur articuli doctrinæ, de quibus inter partes non conuenit: inde transitus fiat ad ceremonias: postremò de regimine Ecclesiæ agatur.

Capita doctrinæ, de quibus hodie litigatur, sunt de cultu Dei: an scilicet ad vnicam & simplicẽ normã Scripturæ exigi debeat, an verò fuerit in hominum potestate & arbitrio leges ferre: Deinde an eorũ traditiones animas obligent mortis reatu: Sub hoc capite cõprehenduntur vota, prohibitio coniugij, confessio auricularis, & res similes. Deinde quærendum erit, & definiendum vbi fundata sit salutis nostræ fiducia: meritóne operum, an gratuita Dei misericordia seruemur. Hinc pendet materia liberi arbitrij, satisfactionum, purgatorij, & similium rerum. Fidei certitudini annexa est Dei inuocatio, & secum trahit quæstionem de intercessione sanctorum.

In secundo capite, quod est de ceremoniis, disputandum erit de congerie rituũ, quam mutuati sunt ab vmbris legalibus: simul de numero Sacramẽtorũ, & eorũ accessionibus.

Tertium caput, de regimine Ecclesiæ, continet definitionẽ officij Episcopalis: vt sciatur quinam sibi iure & meritò hunc titulum vendicent. Huc etiam pertinent gradus, ordines, primatus, & alia similia.

Iam verò non sufficeret habere Concilium, nisi vniuersale fuerit: siquidem animus est sedare & placare motus omnes, & contentiones, quibus turbatur Ecclesia. Verũ quidem est, singulos Reges & Principes, vt suarum ditionum turbis remedium inueniant, posse cogere Nationale Concilium, si vicini suum consensum & studia non adiũgant. Verùm si partiale Concilium cogatur, quod nomen vniuersalis obtineat, id nihil aliud erit quàm ignem magis ac magis accendere, augere pugnas, & creare nouos tumultus. Quare penitus necessarium est, eos omnes qui reformationem expetunt, in Concilium quod habebitur consentire, vt ita tota Christianitas coalescat: qui verò sanctam vnitatem & concordiam refugient, vt schismatici reputentur.

AD QVAESTIONES CIRCA DISCIPLINAM ECCLESIAE RESPONSA.

HAc vbique astutia molitur Satan Christi Ecclesiam pessundare, quando puram doctrinam quę est veluti anima, prorsus extinguere nō potest, vt fracta & soluta disciplina, neruos corporis incîdat, vnde luxatis membris paulò pòst sequatur tristis dissipatio. Atque vtinam probè expenderent, quicunque iugo reiecto permitti volunt cuique effrænem licentiam, hoc modo se quærere ruinam Ecclesiæ, & vastitatem. Certè non tantùm moderationi studerent, sed placido, mansuetóque spiritu, se ipsi quoque subiicerent communi disciplinę. Sed quoniam hac de re prolixius disserere non est nobis propositum, breuiter literis vestris respōdebimus, optimi & integerrimi fratres. Vbi no primùm consulitis, An adigēdi sint ad fidem suam publicè testandam, qui se in Ecclesiam admitti postulant: deinde sententiam nostram rogatis de ipsa confessionis apud vos receptæ forma: tādem quęritis, An non excommunicandi sint è cœtu fidelium, qui vel sua contumacia, vel turpitudine vitæ ordinem peruertunt. Nos autem non videmus cur graue sit homini, qui inter Ecclesiæ domesticos censeri vult, Christo capiti insolidum nomen dare. Quod fieri non potest, nisi diserte subscribat syncerę pietati, & ingenuè errores damnet, quibus syncera Religionis corrumpitur. Iam errorum detestatio sæpe ex circunstantia temporum pendet. Quia provt nouas turbandi rationes excogitat Satan, prudenter occurrere necesse est. Scimus quantopere nobis commendet Paulus, vnitatem Spiritus, in vinculo pacis. Ephes. 4. 3. Porrò ad fouendum & retinendum inter pios consensum, plusquam necessaria est illa solennis fidei professio. Denique quicunque optabunt Ecclesiam Dei stare incolumē, non ægrè ferent, hoc adminiculo eam fulciri. Non putamus esse, qui litem moueant de generali illa professione: sed frigeret illa, nisi distinctè quisque tam hæreticis, quàm peruersis dogmatibus renuntiet. Iam in forma vestræ confessionis, nihil animaduertimus, quod non sit sacris Dei oraculis & fidei orthodoxæ consentaneum. Itaque summam doctrinæ quæ illic habetur, libenter probamus. Tantùm vellemus Epistolam ad Hebræos non adscribi Paulo, quum firmis argumentis persuasi simus alium esse auctorem. Neque tamen volumus nostro suffragio obstringi conscientias, vel quasi præiudicio ligari Ecclesiam, quominus liberū sit singulis in mediū proferre, si quid eos à subscriptione impediat. Etsi autem nobis displicet eorum morositas, qui ob leues scrupulos, à publico cōsensu discedunt: si quis tamen verbum aliquod durius, vel locutionem amplecti nequeat, modò conueniat de re ipsa, tolerari fortè poterit eius infirmitas, ne ob res quasque minimas scindatur Ecclesia. Hortamur interea pios omnes, ad hanc modestiam & sobrietatem, vt potius quisque ad reliquos omnes accedat, quàm sua peruicacia speciē præbeat tentandæ religionis. Cæterùm, non aliter cōsistet Ecclesiæ incolumitas, quàm si ad eam purgandam, frænandas libidines, tollenda flagitia, corrigendos peruersos mores vigeat excommunicatio: cuius moderatum vsum quisquis recusat, præsertim admonitus, se ex Christi ouibus non esse prodit. Valete eximij viri, & nobis ex animo colendi fratres. Dominus semper vobis adsit, vos gubernet suo Spiritu, & virtute sua confirmet ad implendum sanctæ suæ vocationis cursum. Geneuæ, 111. Nonas Martij.

Ioannes Caluinus fratrum nomine.

COELIBATVM IN MINISTRO NON ITA REQVIRENDVM ESSE.

Gratia tibi & Pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, frater mihi plurimùm in Domino obseruande.

SOlemus, si quando ad eos scribendum est, quibuscum nulla nobis familiaritas aut necessitudo intercessit, diligēter principiò excusare ac deprecari, ne vel temeritatis vel importunitatis, ea in re notemur. Ego tamen, etsi de facie prorsus tibi sum incognitus, satis causæ habere mihi videor, cur te meis literis sine vlla eiusmodi excusatione cōpellare audeam. Præterquā enim quòd Christus noster, quem vno spiritu colimus & confitemur, satis firmum intimæ amicitiæ vinculum nobis esse debet: cùm mihi singularem tuam erga me beneuolentiam

lentiam N. exposuisset, non dubitaui quin officij mei vicissim esset, similem erga te animi mei sensum, quo possem modo, testari ac declarare. Præcipuè verò mihi fiduciam addidit, quòd & referebat te scriptis meis oblectari, & tibi non ingratum fore officium hoc promittebat, si priuatas à me literas acciperes. Obtemperaui igitur, eóque libentius, quòd me tibi non vulgariter obstrictum iudicabam, propter istud tam propensum in me studium: nec habebam in præsentia quod referrem, nisi hoc vnum quòd ille postulabat, & mihi facilè erat præstare. Fidem porrò non dubiam habui eius testimonio, quòd apud te annum vnum educatus totum animi tui sensum hac in re perspectum habere potest. Ergo, vt iam dixi, cùm tu mihi aditum ad te non difficilem patefeceris, diutius in longiori excusatione non immorabor. Principiò hoc tibi certum esse velim, nihil me magis cupere, quàm & interiorem habere tecum amicitiam, & eam quibus licebit officiis confirmare. Ita enim mihi dotes tuas prædicauit pius hic frater, vt te inter eos facilè recenseam, quibus plurimùm debent, quicunque Christi esse volunt. Quò pauciores hodie boni sunt, eò maiore in pretio bonitas ipsa nobis esse debet, vbicunque apparet. Tu verò, vt audio non exiguum & prudentiæ & synceritatis, & sanctitatis specimen in eo præbes, quòd cùm munus periculi & laboris plenum ingenti difficultate istic sustineas, ita te geris, vt piis ac cordatis omnibus abundè satisfacias. Proinde meritò & istas tuas virtutes suspici, & te in Domino amplecti ac colere debent, quibus cordi est Ecclesiæ ædificatio. Quantùm ad me attinet, vtinam luculentiore aliquo documento ostendere possem, quantopere te amem, quantúmque tibi deferam. Quod tamen vnum mihi restat, polliceor tibi meas ad Deum preces tèstes fore eius charitatis, quam humanis officiis experiri non potes. Interim Ecclesiis vestris ex animo gratulor, quibus præter synceriorem doctrinam, tot egregia bona contulit Dominus. Neque enim paruo æstimandum est, quòd tales habent Pastores à quibus regantur & ordinentur, quòd adeò bene moratæ sunt, quòd adeò præclara forma cõstitutæ, quòd optima disciplina præditæ, quam iure vocare possumus optimum atque adeò vnicum retinendæ obedientiæ vinculum. Nos enim magna nostra molestia experimur quid valeat, dum eam desideramus, nec vlla ratione possumus ad eam peruenire. Hæc res facit, vt sæpe animo vacillẽ ac minus strenuè functionẽ meam exequar. Quinetiam desperarẽ prorsus, nisi succurreret Ecclesiæ ædificationẽ semper esse opus Domini, quod ipse virtute sua prosperabit, etiamsi nos adminicula omnia deficiant. Est tamen hoc magnum rarúmque bonum, adiuuari tam necessario præsidio. Itaq; Ecclesias nostras tum demum ritè suffultas arbitrabor, vbi isto nexu colligatæ fuerint. Cæterum cõfessionem vestram quæ nuper fuit edita, inspexi tantùm. Percurrere nondum per opportunitatem licuit. Habet tamen ab iis viris testimonium, quorum iudicio facilè acquiesco. Tamen in commendatione cœlibatus cuperem vos esse paulò parciores. Ignoscès hac in re meæ simplicitati, quòd liberè tibi exponere non dubito, quid mihi non ita placeat. Video consilium vestrum non omnino destitui aliqua ratione. Coniugio qui implicìti tenentur, minus sunt ad opus Domini expedìti: vt magnopere ab hac remora solutos esse expediat, qui se totos volunt Domino consecrare: deinde ipsa continentia non minimam sacro ministerio dignitatem cõmendat. Postremò non vi nec tyrãnicè adigitis ad cœlibatũ qui in functione sunt Ecclesiastica: sed quod iudicatis in rem esse Ecclesiæ, simpliciter illis consulitis, ac suadetis. Atqui, vt fatear, coniugium multa & varia impedimenta secum trahere, à quibus optandum sit liberos esse Christi seruos: non tamen eiusmodi esse cõcedã, quæ ab officio illos reuocẽt. Tum vicissim obiiciã, cœlibatũ quoque suas habere incommoditates: eásque non paruas nec vnius generis. Nondũ de cõtinentiæ difficultate loquor. Sed dico cœlibes non minoribus nec paucioribus distrahi auocamẽtis, quàm cõiugatos: aut certè parum esse discriminis, quin vtrique ex æquo distrahantur. Quòd si etiã cõstaret nihil cœlibatu liberius, coniugio nihil esse magis impeditum: obstare tamen id nõ debet, quominus necessitati cõsulatur. Certũ est autẽ, coniugio multos vtiliter carere non posse, qui sunt præ aliis ad ministerium idonei. Ad secundum respondeo, Dominum optimè omnium prouidisse, quibus ornari dotibus suum ministerium conueniret. Videmus autem longè abesse, quin cœlibatum inter eas commendarit. Quod non imperatis eam certa lege, probo. Sed vide ne illud ipsum legem sit præscribere, minoris æstimare eos qui vxores duxerint, quòd videantur nonnihil ornamenti amisisse. Neque in veteri Ecclesia lex erat, quæ cogeret. Sed ita inualuerat præpostera cœlibatus admiratio, vt coniugium in Episcopis dedecore no- 1. Tim. 3. 1. Tit. 1.

taretur. Postea sensim irrepsit Legis seueritas, quæ innumeras malorum formas nobis peperit: quid boni attulerit, non possum iudicare. Proinde semper vereor, ne periculosum ut immodicum haberi cœlibatui honorem, quo boni viri à coniugio absterreantur, etiam vbi vrget necessitas. Non abs re igitur cupere mihi videor, vt si qua est hac in re apud vos austeritas, mitigetur: non quia vobis in præsentia obsit: sed quia multùm obesse posteris poterit, quibus scis esse consulendum. Quòd si rationes vestræ ita nunc habent, vt periculum aliquod ex Pastorum coniugio vobis immineat, initam esse rationem velim, qua obuiaretur. Cogor iterum veniam huius meæ rusticitatis petere. Non enim mihi temperare potui, quin timorem meum hac in re breuiter indicarem: superuacuum illum fortassis: sed tamen non de nihilo conceptum. Atque vt intelligas me priuatam causam hîc nõ agere: ego quem cœlibatui tam opere infestũ vides, vxorem nunquã duxi: & an ducturus aliquando sim, nescio. Quòd si duxero, hoc consilio faciam, vt expeditior à multis tricis Domino vacare possim. Neque in ista actione incontinentiæ meæ prætextum capto, quam obiicere mihi nemo potest. Verùm occasionem cogitandi volui tibi præbere. Neque enim dubito, quin si animum semel ad hanc consultationem seriò adieceris, pro tua singulari prudentia longóque vsu, prouisurus sis quid sit maximè salutare: & quod optimum factu visum fuerit, facturus. Quantùm ad hanc functionem cui præfectus es, sic te eam administrare confido, vt nullius exhortatione opus habeas. Magis optarẽ abs te admoneri, si quando tibi occasio daretur, & tãtùm otij haberes. Interim, quod sponte scio te facere, cõseruandæ vnitati studeas, obtestor. Tempora ipsa nos satis docent, quàm necesse sit fideliter in Domino conspirare, quò ita iunctis animis aduersus Satanam omnésque eius ordines militemus. Dominus Iesus te conseruet, frater integerrime, & mihi in Domino reuerende. Rogo vt meo nomine salutes, quos sperabis æquo animo salutem accepturos.

AD QVAEDAM DOCTRINAE CAPITA ALIQVATENVS infermentata.

Ex Gall. DIlectissimi fratres, quia redditæ nobis fuerunt literæ vestræ quarto mense postquam datæ fuerant, mirum vobis videri non debet, quòd tardius expectatione vestra ad illa responsum à nobis acceperitis. Vt ad rem veniamus, valde nobis dolet quòd ita sursum & deorsum agitari vobis cõtingit: & vbicunq; pedem tuleritis, Satan cõminiscatur aliquid, quo vobis nouas mo-
1. Cor. 4. 11. lestias inferat. Atqui non alia fuit Patrum conditio vt de se testatur Paulus, quòd & ipse & reliqui pij incertis sedibus vagarentur. Etsi igitur solum sæpe vobis vertẽdum sit, & mutari subinde quòd ad corpus contingat: discenda est nihilominus vera animi statio & spiritus constantia. Atque illa doctrina in vsum deducenda est, quæ filiis Dei peregrinandum esse in mundo tradit: quę etiam omnibus piis communis est, quamuis illius experientiam vnis præ aliis D. constare velit, dum illos huc & illuc circũducit. Vobis interea ipsi & condolemus, & ex animo vestræ quieti si qua nobis ratio ad manum esset, consultum vellemus. Et tamẽ hæc nostra συμπάθεια erga vestras miserias efficere non potest, vt vos liberemus ab officio: atq; vt hoc nobis accideret, nihil aliud esset, quàm vobis imponere vanis blanditiis, neque hoc vobis ipsis vtile foret. Imò & ipsi scitis eò magis augeri nostram coram Deo condemnationem, cùm ab hominibus absolui studemus. Nõ aliud igitur supereſt, quàm vt purè & simpliciter aperiamus vobis, quid nobis videatur de eo quod est à vobis propositum. Ac primùm quidem valde mirati sumus, cùm audiuimus, in ea confessione quæ requiritur à vobis, nihil videri vobis inesse quod Dei verbo directè repugnet. Atque in eo existimamus metu vobis præstrictos fuisse oculos. Nam in articulo Baptismi, damnantur nominatim, qui existimant infantes à natiuitate esse sanctificatos. Et quòd ad Cœnam, dicunt Iudam non minus corporis Christi participem fuisse, quàm Petrum. Idem illud, quod Christus in sua humana natura vbique sit, vti ipsi videtur, cùm Deus sit & homo: quasi vnitas personæ confusionem diuinæ & humanæ naturæ afferret. Quòd affertis ista non esse propriè cõfessionem fidei, nihil aliud est, (quod cum bona venia dictum sit) quàm effugium, ad dissimulandum malũ vel contegendum. Porrò Dominus non est sophista, vt sibi eludi eiusmodi cauillationibus sinat. Vtcunque igitur aliud nomẽ vel titulũ scripto illi imponatis, testamini tamẽ cum solenni iureiurãdo, ita vestram fidem habere. Atq; vt ad Deum vsq; nõ ascendatur, tamen

tamen apud homines etiam ita ſpondendo bilingues eſtis, vt perfidiæ notã euitare non poſſitis. Vt enim bona ſit illorum intentio, à quibus vobis iſta proponũtur: nõ eſt hoc tamen ſatis, ſi ad rectum finẽ per media minus licita tẽditis. Petimus igitur à vobis per Dominũ, ſi ad tempus ita cõſopiti fuiſtis, vt nũc ſeriò expergefiatis. Vt enim ſyncerè dicamus quod res eſt, non poteſt ſcriptum eiuſmodi admitti, quin ſimul obliquè abrenuntietur Dei veritati, quæ vna nobis nõ quauis ſtatione modò, ſed vita ipſa charior debet eſſe. Hoc eſt autem remedium, ſi ita reponatis, Baptiſmum infantibus ſuperfluũ nõ eſſe, quia promiſſione ſanctificati ſint, cùm Sacramentũ ſit confirmatio neceſſaria propter humanam infirmitatem, vt ita promiſſio ſecum trahat comes ſacramentum, nedum vt illius contemptum inuehat. In articulo de Cœna ſic reponatis: Subſtantiam veri corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, vti ex vtero virginis illam ſemel accepit, præſentem eſſe in Cœna tam fidelibus quàm infidelibus: & quamuis ſoli fideles reuera & efficaciter percipiant, non minus tamẽ infideles reos teneri corporis & ſanguinis Domini, quia Sacramentum polluerint. Item horum verborum loco: Reiicimus doctrinam illorum qui tradunt non percipi Chriſtum niſi ſpiritualiter, reponatis, qui tradunt non percipi niſi Spiritum Chriſti, carne nimirũ & ſanguine excluſis. Scriptum eſt enim, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et quamuis illa perceptio ſpiritualis ſit, non ideo minus tamen ſit reipſa, neque in ſola phantaſiã vel opinione conſiſtit. Item horum verborum loco: Chriſtũ ſecundum naturam humanam ſedere: Confitemur Chriſtum ita eſſe in cœlo ſecundum humanam ſuam naturam, vnde & illum expectamus, vt tamen pro infinita ſua virtute quæ ſeſe vbique porrigit, ex quo ad dexteram Patris conſedit, poſſit nos incomprehenſibili modo verè paſcere corpore & ſanguine ſuo, ſine vlla mutatione loci. Vbi fit mentio Sacramẽtariorum, ſic illud nomen interpretandum erit, vt per illud intelligantur qui aut tollunt vim Sacramentorum, aut vſum corrumpunt.

Si Episcopvs vel Cvratvs ad Ecclesiam ſe adiunxerit.

ROgatus ſententiam de Epiſcopis, Curatis, & aliis eiuſmodi graduatis quos vocant, ſi quos Dominus ea gratia dignaretur, vt ad Eccleſiam ſeſe adiungerent, quomodo ſeſe erga illos gerendum ſit: illam ita hîc in pauca contuli, vt à lectoribus breuitatis veniam deprecer: cùm præter ſummas temporis anguſtias, quibus hæc dictare cogor, catarrho quoque afflictus ſim, qui me lentiorem & tardiorem omnino reddit. *Ex Gall.*

Si ergo acciderit vt quis ex Papatu cui animarum cura commiſſa fuerit: Epiſcopus nempe vel Curatus, Domini gratiam perceperit, vt puram Euangelij doctrinam profiteatur, ſi minus idoneus ad Paſtoris munus deprehẽdetur, neque ea quæ requiritur præditus ſcientia & dexteritate, temere fecerit omnino ſi tantæ rei ſeſe immiſcere voluerit. Fructus igitur conuerſionis ipſius in eo extabit, ſi ſe omni ea cura abdicauerit, atque ita agnoſcat nimis craſſum illum abuſum, quod prius titulum inanem ſine re geſſerit. Ac proinde ſucceſſori idoneo decedat, qui legitimè inſtituetur: ipſi ſatis erit ſi ouis locum teneat in grege Domini.

Si verò quis iſtiuſmodi, doctrina & dexteritate & affectu etiam prędituſ erit ad porrò etiam docendum, primùm omnium edat fidei confeſſionem, ac ſanctè teſtetur ſe puræ & ſynceræ Religioni adhærere: deinde verò agnoſcat ſuam illam vocationem cum mero abuſu fuiſſe coniunctam: petat nouam approbationem: ac nominatim irritum profiteatur, quòd auctoritatæ Papæ inſtitutus prius fuerit, ac ſimul abrenũtiet illicitis omnibus mediis & repugnantibus ordini, quem Dominus Ieſus Chriſtus in Eccleſia conſtituit.

His præmiſſis nõ video quid obſtet, quominus ille admittatur ad munus Paſtoris, modò promittat & reipſa præſtet fidem, quæ ad munus fungendum requiritur: ac præſertim vt ſeſe coniungat cum cœtu Miniſtrorum, qui verbum purè docent, ſeſéque ſubiiciat diſciplinæ & politiæ, quæ inter ipſos locum habet. Quòd ad ſuperioris ipſius vitæ memoriam attinet, illa ſepulta maneat: neque quidquam illi tum admiſſum imputetur, tantùm vt admoneatur officij in poſterum legitimè præſtandi. Si obiicitur Pauli canon ille, quo traditur eligendum Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe opor- 1. Tim. 3. a.

tere, respondeo non hîc agi, meo quidem iudicio, de simplici vel absoluta electione, sed de approbatione vel restitutione ad certũ munus propter interuenientẽ corruptionem. Quemadmodum enim istiusmodi obtinuerunt tum gradum illum & titulum Pastorum ad suum iudicium: ita sanè vbi sese ipsi offerunt ad munus illud deinceps præstãdum, non malè illis ab Ecclesia conceditur, quod ab ipsis antè minus legitimè vsurpatũ erat. Duo sunt in illo statu summa vitia. Vnum, quòd non recta ratione instituti sint ad munus Ecclesiasticum. Alterũ, ꝙ de illo gradu sese ipsi deiecerint, dum nihil eius præstiterunt, quod ad rem pertineret. Sed illud non facit, quominus agnoscantur prò Ministris ordinariis, vbi sese Ecclesiæ coniungere paratos ostendunt: atq; ita de nouo confirmentur demum, ad corrigendum præcedentem defectum.

Imprimis autem. hîc vltrò citróque ambitio cauenda est. nam vt in nullius gratiam ordinem Ecclesiæ fas est conuellere: ita etiam ea seueritas adhibenda non est, quæ opinionem quandam afferat, quasi emolumentum priuatum hîc quæratur: vt vocabulum
1.Cor.11.16 illud φιλονεικίας quod hîc adhibet Paulus, eò pertinet: sic expeditum erit in istiusmodi negotiis, vt nemo studeat obtinere vnus præ aliis in Ecclesiæ ministerio adeundo, vel suscipiend. Si qui se in viam redire velle testantur, hoc iudicio sibi iniuriam fieri querũtur, peccant maximè. Constat enim non posse haberi pro Christianis Pastoribus, nisi prius abrenuntient Sacerdotio Papali, ad quod prouecti erant, vt Christũ sacrificarent: quod est blasphemiæ genus omnibus modis detestandum. Præterea etiam requiritur vt apertè profiteantur, se abstinere omnino velle ab omnibus illis superstitionibus & fœditatibus, quæ simplicitati Euangelij repugnant. Quomodo enim sanctam Cœnam administrabunt, nisi ab illa Missæ abominatione alieniſſimos sese ostendant? vt neque Baptismi idonei Ministri esse possunt, nisi apertè reiectis illis corruptelis, quibus ex parte hominum deprauatus fuit. In summa non possunt admitti pro Pastoribus ab Ecclesia, nisi sese ad officium præstandum ipsi obstringant.

His præsuppositis, istiusmodi Episcopi partes erunt, dare operam quantùm in se erit, vt omnes Ecclesiæ quę ad ipsius Episcopatũ pertinent, ab omnibus erroribus & idolorũ cultibus repurgẽtur, dum ipse exemplo præibit omnibus Curatis suæ diœcesis, atque ipsos inducet ad admittendam reformationẽ, ad quam Dei verbo inuitamur: & quæ tũ statui, tũ vsui primitiuæ Ecclesiæ omnino respondet. Simul etiã demonstret, se non probare illos qui verbo Dei obedire detrectauerint: vti altera ex parte suum consensum cum veris Dei seruis testetur, & fraternam cum eis coniunctionem colat. Quòd attinet ad bona illa, quæ temporalia vocantur, siue in iurisdictione, siue in reditu annuo consistant: quamuis illorum origo ab ea corruptione emanarit, quæ nullo modo ferenda sit cum ministerij spiritualis pura simplicitate: quandiu tamen res ita confusæ manent, poterit quodam finendi modo ipsis possessio relinqui, adhibita illa exhortatione. Videant quomodo ea dispẽsent quæ Deo dicata nouerint, tum vt ne profanent res Deo sacras, tum vt sese in modestia contineãt, quæ veros Episcopos deceat. Quod reliquum est, si istiusmodi, ita suis prouentibus & dominiis addicti sint, præstaret contentos esse nomine Protectorum Ecclesiæ, operam dantes vti verbum Dei annuntiãdum à Ministris susciperetur, ac cultus Dei sartus tectus maneret: vt interea ministerio sese non immiscerent, sed illi adesse studerent, vt inspectione quadam nomine & auctoritate regia freti vel subnixi. Atque eo casu, etiamsi illic subesset infirmitas, quæ non esset excusabilis, tolerandi essent tamen, dum pro honoratis Ecclesiæ membris, cui sese impenderent, haberentur.

Io. Calvinvs N.N. s. d.

Ad diuersos articulos.

Ex Gall. Dilectissimi fratres, quia ad singulas Ecclesias quæ apud vos sunt, hoc scriptum spectat maxima ex parte, commodissimum duximus nostras ad vos literas communes dare, non tam vt labori parceremus, quàm ne multum verborum frustra singulis literis insumendum esset: ac præsertim vt ita persuasi sitis, nos diuersis literis nihil diuersum respondere, cùm nostrum consensum omnibus perinde constare velimus. Primùm igitur, quia accepimus quibusdam non probari, cùm de fide interrogantur, vt si minus instructi deprehẽdantur, ad Cœnã non

non tantisper admittantur, donec melius profecerint, petimus ab illis, quibus iste rigor non placet, in nomine Domini, ne sibi in malo suo indulgeant: neque etiam hoc capiant, vt indulgeatur illis, quod ad ipsorum exitium pertineret. Nota esse debet illa Apostoli sententia inter Christianos: sacrilegij teneri quicunque panem Domini indignè comederint. 1.Cor.11. Vt verò quis illo dignè vtatur, requirit vt sese quisque probet: vbi satis docet, non debere ad istam mensam accedere, qui ad sese probandum non sunt idonei. Quisquis igitur non antè institutus in fide, temere ad Cœnam accedit, iram Dei prouocat: vt qui ita indignè verantur accedere, non habeant quod querantur, dum ita illorum salus potius procuratur. Acsi quisque satis saperet, sibi quisque iudex idem esset: sed quia multi parum sibi attendunt, expedit certum ordinem extare in Ecclesia, vti nunquam non hoc obtinuit, ne profanentur Sacramenta. Vbi enim promiscuè omnes admittuntur sine delectu, contemptus est quem Dominus tolerare nō potest. Dominus ipse Cœnam solis discipulis distribuit. Quare quisquis non est institutus in Euangelij doctrina, non debet accedere ad Domini institutum. Nemo igitur molestè ferat, dum ipsius Christianismus probatur saltem tenuissimè, cùm ad Cœnam admittendus est. Idem etiam statuendum est in toto statu & ordine disciplinæ, quæ in Ecclesia vigere debet, ne admittantur illi qui indigni iudicati fuerint. Scimus hoc nouum videri illis qui non tenent discrimen inter iugum Domini nostri Iesu Christi, & Papatus tyrannidem: sed vestrum est potius inspicere quæ sit Domini voluntas, vt illi vos submittatis, quàm vt fræna laxetis vestris affectibus. Nam & infidelium olim exemplum hîc nobis incutiat pudorem oportet. Vtcunque enim illi non eam reuerentiā adhibuerint in suis superstitionibus, quæ à nobis præstanda est in Sacramentis: hoc tamen habuerunt pro confesso, ab illis arcendos esse, quicunque aliquo crimine polluti censerentur. Cùm verò Cœna Domini alicui interdicitur, ne se perpetuò excludi existimet, neque coniici in desperationem, sed hoc fieri vt sese deiiciat, vtque alij per illum discāt. Cùm igitur hoc totum Dei verbo præscribatur, petimus à vobis per Dominū, ne vos subiicere pudeat rei de qua compertū habetis, quàm recta quámq; sancta sit. Non est etiā nobis dubium, esse apud vos delectos homines & constitutos ad corrigenda scandala, ad monendos qui peccauerint, atq; illos agnoscēdos qui sese honestè gerunt. Qui autem ad ea munera vocantur, eam humanitatem eámque moderationem præ se ferre debent, ne censuræ prætextu quis infametur, aut prematur calumniis, falsis delationibus aut suspicionibus. Atque hoc attingimus nominatim, vt ita admittantur quæ fient admonitiones, vt is ad quē pertinebunt, audiatur etiam si quam excusationem habeat, ne aperiatur fenestra detrahendi, & molestia afficiendi innocentes. Sic igitur expediet aliquē pro officio deferri apud Seniores, vt delato sese purgare liceat: ac si innocēs comperiatur, delator seorsim corrigatur vt minus circunspectus: sin verò malus animus ad delationem calumnioſam ipsum impulit, illud esset planè intolerabile. Vestrum est autem orare Dominum, vt quos ad istud munus elegistis, illos Spiritu suo regat cum vera prudentia, manſuetudine, zelo, rectitudine. Vos verò ipsos finite frænis illis contineri, quibus omnes opus habemus, & quorū est inspicere in alios, primi illi & corrigātur & castigētur.

Inter alia vitia quæ multi sibi condonari vellent, vnum est: nempe vt liceret ipsis beneficia illa Papatus, quæ vocant, retinere, vel de illis negotiari, quod omnino extra disceptationem damnandum est. Crimen est enim quod Christianismo diserte repugnat, si quis sese talibus sacrilegiis contaminet. Alterū est non tanti momenti in speciem, offerre nempe infantes ad Baptismum Papisticum, aut prosequi funera mortuorum. At qui vbi illi, qui hoc sibi licere aut nō imputari volunt, seriò seipsos excusserint, ac Deum iudicem sibi posuerint ante oculos, facilè in seipsos ferent sententiam. Satis enim est notum vobis, quàm fœdis & detestandis superstitionibus, adeóque meris Satanæ ludicris, fœdatus sit Baptismus in Papatu. Vt quisquis offert illic infantem, polluat ipsum quantùm in ipso est, non autem benedictionem Domini ipsi procuret. Participare etiam precibus quæ fiunt pro mortuis, hoc non aliud esse potest, quàm tantundem derogare vnico Christi Domini nostri sacrificio, quando purgatorium solis humanis satisfactionibus nititur. Videte igitur an illud sit excusabile, & an vbi quis ita scandalizauerit Ecclesiā, dissimulari debeat, aut pro leui delicto tolerari: ac nō potius eam reprehensionē mereatur, quæ illum moneat, vt sit cautior in posterū, cui tale aliquid acciderit. Scimus in quibus versemini angustiis, ac vobis quoque pro charitatis officio cōdolemus: sed quia nihil iuuaret à nobis absolui, finite in vos potius ex Dei verbo ferri sentētiam, vt totum

istud vestro bono & saluti cedat.

Audimus aliud inter vos disceptari, nempe an liceat cuiquã ingerere sese ad prædicationem eò loci vbi Ecclesia reformata extet, etiamsi ab Ecclesia hoc ratum habitum non sit. Atque vt quis ita se gesserit, an etiam liceat ad illum audiendum venire. Hîc autem oramus vt diligenter attendatis, vtcunque Dominus inter vos corpus aliquod Ecclesiæ constituerit, inde non sequi, multa non esse toleranda in ἀταξίᾳ publica quæ istic adhuc viget, quæ in Ecclesia bene constituta ferenda non essent. Non loquimur de illis actionibus, in quibus peccatur in Deum, quæque ipsius verbo repugnant. Sed quum miseri Papistæ sint, vt oues dispersæ, vbi Dominus excitat certos homines, qui illos ex dissipatione colligant, tantùm abest vt talem opem illis oblatam impedire ipsi debeamus, vt potius eo casu nobis vsurpandum sit illud Domini, vt habeamus pro nostris tum, qui non sint aduersum nos. Quia hîc non agitur de munere Pastoris, sed tantùm de illius opera, qui ita docet, vt sensim ad Christum adducat, qui erant prius dispersi. Non agitur etiam de ordine perpetuo, sed de medio quodam extraordinario, quo Dominus vtitur in confusione Papatus. Recordamini etiam illius Apostoli sententiæ, quòd qui non sunt Ecclesiæ domestici, ipsius regulæ & statutis non sint subiecti. Obseruandum denique quod alibi tradit idem Apostolus, offerri nempe gaudij materiam, vbi Euangelium promouetur, etiamsi hoc per occasionem fiat. Quamobrem nobis non videtur interdicendum fidelibus ab istorum prædicatione, modò illic extet proba & pura doctrina: absit autem precatio omnis superstitiosa, aut quæuis alia mixtura. Neq; tamẽ hoc eò pertinet, vt inde occasionem captent subducendi se à cœtu ordinario, aut etiã segnius conueniendi ad ordinarium Pastorem audiendum. Incitandi sunt potius & confirmãdi ad tenendum ordinem, in quem ipsos semel introduxit Dominus. Ac proinde attendite vobis, ne circunueniamini ab illis qui obliqua via tentãt abducere oues à grege, vt à pastu ordinario alienas reddant. Interea si qui illos adeunt non curiositate quadam illecti, neque vt à recta via declinent, tolerandi quidem illi videntur.

Luc. 9.

1. Cor. 5.

Philip. 1.

Grauius est verò quod quidam adeunt etiam conciones monachorum, qui verbum aliquod veritatis inspergunt suis mendaciis, vt ita gratiam sibi concilient. Quasi verò non ipsi nimis propensi ad vanitatem simus, & ad mendacia, vt noui Magistri quærendi sint, qui nos eò inducant. Neque immeritò illos punit Dominus, qui talibus mixturis delectantur: vt reipsa constat illorum plurimos, & à veritate deflectere, & Satanæ impostoris inflci. Neque id aliunde est, quàm ab ipsorum ingratitudine, quando puræ doctrinæ non acquiescunt, sed vento pasci cupiunt. Iusto verò iudicio Dominus istos inebriari sinit. In genere cauendum vobis, ne sitis ex eorum numero qui semper discũt, vt ait Paulus, & nunquam scientiam veritatis assequuntur. Memores etiam esse vos velimus illius Domini admonitionis, vt caueatis vobis à fermento Scribarum & Pharisæorum: quando ita nobis difficile est qui eo semel aliquando imbuti fuimus, vt eo verè expurgemur, ac nihil ex illa corruptione fæcis in nobis hæreat. Quid iis igitur fiet, qui inter illos etiam viuere cupiunt, atque ita sponte Deum tentant? Idem existimandum est de toto genere precularum, quas horas & patinostras vocant, & cæteris eiusmodi idololatriæ instrumentis. Sic enim idôla nobis prorsus esse debent execrationi, vt ne illorum quidem nomina nobis in ore sint, vt est in Psalmo XV I. Cui respondet & illud Ezechielis, quòd si bene pœnitet anteactæ vitæ, & viarum nostrarum in quibus erramus, illarum nos etiam non pudere non potest. Sunt aliæ corruptelæ, quæ eò etiam accedunt. Aleæ enim & quas Cartas vocant, vt ad superstitiones non pertinuerint, sed aliorum vitiorum fuerint instrumẽta, multum quoq; damni & malorum passim intulerunt. Ac quòd ad istiusmodi lusus attinet, non ita prorsus à nobis damnarentur, si in eorum vsu, quod licet, locum haberet: sed vbinã extat illa sobrietas? Primùm non est aliud vspiam, quod ita homines quasi visco impediat, adeò vt totos eorum sensus occupet, nõ secus ac fascino correptos. Sed quemadmodum qui illis assueuerunt, non ita possunt illis vale dicere: ita etiam qui pedem aliquantùm retulerit, illa omnia facilè fastidiet. Porrò qui sese ita iis rebus dedunt, atque ita insanire pergunt, incidunt in multas molestias. Notum est, vix vnquam lusus effluere sine blasphemiis, fraudibus, atque excandescentia: quot etiam familiæ inde accisæ. Nemo enim tenet modum, quin sese exhauriat, aut sensim ipse consumat. Maximè vbi de lucrando agitur, fieri vix potest, quin Deus ipse lædatur aliquo modo. Quare magnopere expedit ab illis esse alienos, quantùm fieri potest. Optimũ verò abstinere prorsus. Petimus etiã à vobis ne hoc à nobis audire molestum

2. Tim. 5.

Ezech. 36. 32

leſtum ſit, vt quæ inter vos ſunt Eccleſiæ, quorum Paſtores oneribus familiarum numeroſiorum premuntur, illis curetis proſpectum & illorum neceſſitati. Non poteſt enim qui inopia premitur, libero eſſe animo & quieto, vt ſeſe totũ muneri ſuo impendat, dum familia egens eſt, neque habet quo ſubueniat, ad manũ. Atq; omnino cùm audimus ex Dei verbo, illos eſſe nobis alendos qui Eccleſiæ inſeruiunt, non eſt hoc mere reſtringendum ad ipſorum perſonas. Nam & ipſi eſſent inhumani, niſi ęquè de ſuis ac de ſeipſis eſſent ſoliciti. Præſtamus hîc quod poſſumus: ſed ea eſt inopia, cui planè ſubleuandę impares ſummus. Sed quia non dubitamus, quin ſatis per vos officium ſitis facturi, vt non accedat noſtræ exhortationis ſtimulus, ſatis erit verbo hoc apud vos indicaſſe. Atq; vt tandem abſoluamus, quia nõ dubitamus vos impeti quotidie ab hoſtibus fidei, petimus à vobis vt certetis conſtanter, neque remittatis quidquam, donec omnes impetus Satanæ ſuperaueritis, atque ad beatam metam ex intento curſu perueneritis. Agnoſcite verò quę nobis cœlitus arma ſuppeditẽtur: nempe vt ad eum vnum nos recipiamus qui nos ea gratia dignatur, vt in ſuum præſidium recipiat, atque ita in patientia poſſideamus animas noſtras. Vi enim peruincere nobis fas non eſt: & probè noſtis quàm male ſuccedat, quidquid temere aggredimur ſine heri mandato. Dura omnìno tentatio & ſuperatu difficilis, dum impios ita videmus ſæuire aduerſus innocentes: ſed intuendum eſt ad quid vocati ſimus. Et quando ita fert voluntas Domini vt affligamur, ídque pro cauſa tanti momẽti, ne alienum nobis à videatur. Enitamur potius diſcere ea ratione quàm iſti caducæ vitæ præferenda ſit Dei gloria, & quam illi debemus obediẽtiam, ipſúmque Chriſti regnum, & ſpes illa vitæ æternæ. Hîc igitur vt & in genere illud quod Scriptura docet in vſu habete, vt vobis renuntiando, ſacrificium ſitis boni odoris Domino. Precamur Dominum, vobis primùm impendiò à nobis ſalutatis, vt vos reſpiciat atque aſſerat ab omnibus aduerſariis, ſuo præſidio tueatur, regat Spiritu, atque omni bono cumulatos reddat.

Ad qvinqve Artic vlos.

AD primum articulum in quo quæritur quouſque extendi poſſit conſilium relinquẽdi viri vel vxoris, vbi agitur de idololatria vel perſecutione fugienda. Ego ſanè auctor fuerim coniugatis, ne ſeſe mutuo relinquant, niſi prius tentatis mediis omnibus quę ad comparem lucrifaciendum, & ſecum deducendum facere potuerint. Tam arcta enim coniunctio tale officium partium requirit, & conſtat præter ſcandala & alia mala quæ ex leui & temerario diſceſſu naſci poſſunt qui ſe, ita gerit, non præſtare fidem qua parti relictæ tenebatur. Primùm igitur ſi vir vel vxor quæ repugnat Euangelio ſinit partem alteram purè Deum colere, eo caſu neque virum ab vxore, neque vxorem à viro diſcedere fas eſſe cenſeo. Si verò vna pars alteri hîc obſiſtit, pars fidelis eam conſtantiam retineat, ne à recta via vſquam deflectat: ſtudeat etiam ita amicè ſeſe gerere, vt animum partis quæ obſiſtit, emolliat. Atq; ita nemo diſcedat niſi vrgeatur manifeſto periculo, vt ſi vna partiũ alteri minas intendat, atq; id ſeriò fieri conſtet, aut aliunde inſtet perſecutio: vt, in ſumma, certa neceſſitas eò fidelem adigat, neque ſponte diuortia facta dici poſſint. Neque tamen ſequitur ex tali etiam diſceſſu libertatem acquiri parti fideli nouæ conditionis quærendæ: cùm diſceſſus ille non pertineat ad vinculum coniungij ſoluendum, ſed ad euitandum hoſtium Euangelij furorem. Imò qui ita diſceſſit, dare operam debet, ſi qua fieri poſſit, vt partem infidelem ad ſe pertrahat, donec diuortij cauſa manifeſta deprehendatur. Qui igitur ita ſeparati ſunt, agant tanquam in viduitate. Vbi autem adulterium interuenit, niſi illud probari poſſit, ſuſtinendum eſt adhuc: nam etiam in eiuſmodi caſu diuortio locus eſſe nõ poteſt, ſine idonea cauſæ cognitione. Neq; verò iudicum iniquitas ad eiuſmodi crimen perſequendum, parti læſæ fraudi erit, quin ipſa conquiſitis probationibus det operam, vt rei veritas patefiat. Quòd ſi reus adulterij à lite conteſtata in iudicio conuictus fuerit, etiam ſi non ſecuta ſit iudicis ſententia, quæuis Eccleſia Chriſtiana admittet ad nouũ matrimonium partem læſam, quæ talibus primum documentis Eccleſiam de ſuo iure certiorem reddiderit. Secus enim non admitteretur ab Eccleſia.

Ex Gall.

Ad ſecundum articulum vbi de veſtibus luctus quas vocãt, quæritur, non video magnã illic hærendi occaſionem. Res enim per ſe non ita mala eſt, vt tolerari non poſſit, quemadmodum & alij quidam defectus, ſeu infirmitates humanæ politiæ. Quia igitur non ita

præciſè requiritur, vt ab illis rebus abſtineatur: ſi propter illarum neglectum ſcandalum vel turba vel moleſtia quæuis creari poſſit, nolim hac in parte auctor eſſe abſciſæ cuiuſdam ſeueritatis & auſteritatis. Monitum ſimul vnumquemq; velim, vt omnes illas pompas, exceſſus & tot illa minutula quædam ita caueat, vt agnoſci inde poſſit eos qui in Dei ſchola profecerint, nõ delectari iſtiuſmodi rebus, ſed illis vti quaſi perfunctorie, vt ſeſe ad vſum receptum accommodent.

Ad tertium articulum, An à Principe peti poſſit confiſcatio bonorum, illorum nomine & gratia, quibus perſecutio intenditur. Certum eſt illud fieri non poſſe ſine peccato. Reſcriptum enim ſiue indultum Principis complectetur omnino blaſphemias apertas cõtra Dei gloriam, quia fiet illic mẽtio errorũ & criminum, & læſæ maieſtatis diuinæ à damnatis: quod reſcriptum, erit deinde in iure exhibendum illi, qui eo vti cogitabit. Atque illud eſt approbationis genus quoddã nullo modo ferendum. Quare non video vt pio viro & rectè inſtituto in Euangelio eiuſmodi fictionibus ſeſe liceat inuoluere. Tantùm ſi quis exiſteret bene affectus erga Euangelium, etſi illi nomẽ non dediſſet, qui beneficium aliquod in tali occaſione offerret, nõ nego quin ea occaſione vti liceat: dummodo is qui ſuis facultatibus cautum vult, nõ ita eliciat eiuſmodi reſcriptum Principis, vt vllam Euãgelio maculã inurat, aut illius publicationi conſentiat, ſed ea demũ ratione ſibi proſpiciat, vt cũ malo nihil affine habeat.

Ad quartũ, liceátne procurare fideli detento liberationẽ à carcere clauibus ſuppoſitis, aut pretio oblato, vel alia quauis methodo. Quòd ad me attinet neq; eiuſmodi cõſiliũ darẽ neq; probarẽ etiam: & tamẽ vbi quid tale tentabitur, cõmẽdabo precibus exitũ Domino, & gaudium inde percipiam, ſi quis ſine turba vel ſcandalo euaſerit. Video inter veteres Chriſtianos ipſóſq; primùm diſcipulos, vbi quis detinebatur in carcere, Ecclefiam preces adhibuiſſe, nõ alia media. Neq; Paulus ipſe pretio redimi curauit. Quare vt omne malũ euitetur, præſtiterit ab eiuſmodi rationibus abſtinere. Ac nihilominus ſi cui ita euadere cõtigerit, vt illius factum non approbem, Deum quidem laudabo pro liberatione eiuſmodi, tolerabo etiã potius qui ita ſibi cõſuluerit, quàm vt illũ cõdemnẽ. Act.24.27.

Ad vltimum, quomodo agendũ cum illis qui Cœnæ Domini facti participes ad idololatriam redierint: maximè neceſſarium eſt, ordinẽ aliquem extare: qui ſit fræni inſtar, & ſimul hîc vt in omnibus modũ tenere expediat. Nempe vt neq; Cœna profanata ita fuerit, vt nulla cenſura & correctio ſubſequatur delectum: neque ea ſeueritas adhibeatur, quę infirmorũ animos labefactet. Satis igitur erit, exempli cauſa, ſi cui ſemel cõtigerit ad ſuperſtitiones deflectere, modò in lapſu nõ perſtiterit, aut nihil grauius admiſerit, vnde idololatriæ ſcelus exaggeretur, & veluti conduplicetur, ſatis erit inquã, ſi illi Cœna Domini ſemel interdicatur. Ante omnia autẽ inſpiciendum ſeriò, qua reſipiſcentia præditus quiſq; ſit. Quòd ad bis térve relapſos, maiori ſeueritati debet eſſe locus multis de cauſis: tum ne nimia facilitas illos in peccato lactet & foueat, vnde certum exitium ſibi accerſant tandem, tum verò ne exponatur ludibrio nomen Dei, & quæ concipiuntur ſponſiones: ac ne etiam inde ſenſim quiſque diffluendi occaſionem caperet, vnde tandem legitimæ reuerentiæ loco merus contemptus ſuccederet.

QVAE RATIO A VIRO PIO TENERI POSSIT, VBI RELIGIONIS cauſa domo migrare cogetur.

Ex Gall. SI quis coniugatus ſub Papatus tyrannide, ſolum mutare cogatur, cùm ei minus liceat apud ſuos purè Deum colere: Primùm conſulam vt omnem operam det, quò vxori perſuadeat, vt ipſi comitem ſe adiungat. Cùm enim vir mulieris ſit caput, maximè ad officiũ ipſius pertinet, vt ad viam ſalutis eam perductã curet, quãtùm in ipſo erit. Quare fas nõ erit Chriſtiano homini prætextu Religionis deſerere vxorẽ: enitatur potius omnibus modis vt ipſam Domino lucrifaciat, vt vterque deinde illi vno affectu obſequatur. Acſi res primùm nõ ſuccedet, pergendum nihilominus, vtcunque illam præduram & peruicacem experiatur: adeóq; ne vitæ quidem parcendum eſt. Præterea dum ad eam docendam & admonendam intentus eſt, precetur Dominum, vt Spiritu ſuo ipſam afficiat, cùm ſine illius ope omnis labor fruſtra impendendus ſit. Si quæritur, quouſque ſeſe extendant huius officij limites, non ita poſſum hîc quidquam præſcribere. Tantùm admonitum velim, vt tam cordatè & recto zelo opus perſequatur, vt intra paucos dies tantò magis illud promoueat. Sic enim adeſt Dominus illis qui integrè in eo ſe gerunt: quidquid ſit, non debet mo-

bet molestius ferre moram illam vxoris,aut frangi animo propter illius duritiem:modò ipse interea ab idololatria alienus sit. Cauendũ enim ne dum vxorẽ ad Deum ducere studet, ipse sese ab illo auertat. Tandem vbi ita omnibus perfunctus est, vt iam ei tutum non sit apud suos agere extra omne idololatriæ consortium: quin potius ad migrandum adigetur persecutionibus, minis,aut alia vi maiore: tum demum si se subduxerit, habebit idoneam excusationem, quòd per eum non steterit, quò minus suam secum comparem adduceret. Neque tamen ita etiam tum discedat, quasi se ab illa omnino subduceret: quin potius ita se erga illam gerat, vt nullam rationem omittat,qua eam è luto illo educat ex quo ipse prior emerserit,vt ambo simul Deum colant. Quum se ita gesserit, non erit quòd illi imputetur,quasi diuortium sponte captarit, aut à consorte sese subduxerit, Vbi enim vrget necessitas, ius nullum amplius est eiusmodi vxoris in virum,cui vt satisfaciat, à Dei cultu sese auertere cogatur. Sic igitur officio functus erit, qui omnibus prius tentatis, ex illo carcere tandem euolauerit.

Si quis liberorum Pater cogatur etiam solum mutare,siue vi præsente siue etiam sponte vt idololatriam fugiat, consulo vt eos secum deducat tanquam præcipuum thesaurum & peculium ipsi collatum à Domino. Nam ipsis semel relictis imminebunt statim ea vincula, quæ perpetuum illi officij erga ipsos neglecti mœrorem afferent. Nisi si emancipatis facultates deinde diuidendo adsignet,quod nullo modo ei committendum est:quia vel eo modo vincula ipsis induet, donec vigesimum quintum annum impleuerint. Atque vt contingat tutor bene affectus,nihil tamen per se audebit: neque etiam penes illum erit quidquam vendere vel alienare. Imò vix ex ipso reditu annuo quidquam in Patris vsum decidet,quia ad reddendam ipsius quoque reditus rationem tenebitur. In summa,qui suas facultates ita relinquit liberis,aut illis induit laqueum, aut saltem ita implicat, vt ex voragine vix sit deinde emergendi locus,quantumuis ad eam rem bene ex sese illi affecti essent.

Si pia mvlier a marito propter Religionem durius tractabitur.

Ex Gall.

ADspeciẽ propsitam de muliere quæ Religionis veræ nomine durissimè tractatur à marito,& in seruitute quadam acerbissima habetur, rogatus an illi mulieri liceat,derelicto tali marito,sese huc recipere vel alibi,vbi sit Ecclesia, in qua pacata conscientia victura sit. Respõdi satis nos quidẽ videre ærumnas & angustias fidelis mulieris, cui & nos mutuò congemiscere mus, & Deum vt ipsam respiciat precaremur Cùm verò quæritur quid ei facere liceat ex Dei verbo, merum hoc ac simplex responsum à nobis reddi posse sine vllo alio respectu:quod ei molestũ esse nolimus, etiamsi nostra sententia ad illius affectum planè non faciat:quando & illã & nos etiã ab vno Magistro ita pendere oportet, vt nullus sit nostris affectibus locus, vbi de eius volũtate præstãda agitur. Hìc igitur respicere oportet quodnã sit vinculũ matrimonij:eiusmodi nempe,vt non liceat fideli per se & spõte relinquere infidelem, vt docet Apostolus 1.Cor.7. 13. Et certum est Paulũ eousq; separationem negare,etiamsi fideli ab infideli plurima eáque grauissima toleranda sint. Neque enim Ethnici vel Iudæi tum æquiores erant Christianis,quàm nunc sint Papistæ. Iubet tamen Paulus, vt fidelis perstet in officio constanter erga Deum,neque tamen deserat partem infidelem quę Dei veritati aduersetur. In summa,ita vni Deo postponi debẽt mũdus,parẽtes, liberi, maritus & vxor, vt vbi ista simul retinere non licebit,tum omnib⁹ abrenuntiatis,vni Domino adhęreamus. Ex quo nõ consequitur,Christianismo tolli omne naturæ ius & ordinem, vbi nulla vis maior adegerit. Tum enim debet pia mulier eniti tantò magis,vt officio fungatur erga virum qui veritati resistit,vt illum lucretur quãtũ in ipsa erit, vt docet Petr. 1.3.1. Atq; vt res sunt in Papatu,partis fidelis officium est studere & eniti, vt cõparem in viam salutis perducat. Quòd si obfirmatũ animum experiatur, nõ tamẽ discessionẽ à pietate simulet vllo modo,quin poti⁹ de sua integritate & cõstantia testetur quidquid accedat,vel sibi obiectũ habeat. Iã vbi pars fidelis ita officio functa, persecutione premetur eo nomine,licebit tum illi fuga sibi cõsulere. Vbi inquã fidelis vir siue mulier fidei confessionẽ edi derint:ac si expediet ostẽderint,fas non esse sibi cõsensum præbere abominationibus Papisticis,ac tũ persecutio illis imminebit ea occasione, vt instet ipsis certũ periculũ, licebit tũ illis euadere,si Dominus viã ipsis aperuerit. Neq; hoc diuortiũ spontaneũ appellari potest,cùm vi quis ad fugiendam persecutionem adigitur. Quod autem ad speciem pro-

positam attinet,illa huic nostrę sentẽtiæ non respondet. Cõstat enim mulierem qua de agitur tacere & dissimulare pietatem,atque sinere sese pollui superstitionibus,adeóque sese ad arbitrium mariti inflectere:quia nullo iure à marito abscedere potest,nisi & pleniorem fidei confessionem ediderit, & vi maiore constricta, illi tamen obstiterit. Petat igitur à Domino vt ipsam cõfirmet:deinde ad pugnam sese animosius accingat Spiritus S. virtute freta quàm hactenus,vt maritũ edoceat cũ omni mãsuetudine & modestia quam fidem profiteatur,vtq; ei fas non sit in mariti gratiã Deum offendere.Expenditur quidem illa asperitas mariti à nobis quam mulier attingit. Verùm illud non impedit,quominus vires ipsa colligat, atque exitum Domino commendet. Constat enim infidelitate fieri,vt metu præpediti,quod vocationis nostræ est aggredi non audeamus. Non est igitur idoneum eiusmodi fundamentum,cui nos innitamur. Tandem vbi officio functa,periculum sibi imminere intellexerit,adeò vt maritus in vitæ discrimẽ ipsam adducat,tum demum patebit ei libertas illa quam omnibus piis offert Dominus, vt luporum fauces euadant. X X II. Iulij. M. D. LII.

Io. Cal. N. s. d.

Ad tria quædam capita.

Ex Gall. DIligentior fuissem in respondẽdo,dilectissime frater, nisi me retinuisset illa difficultas,quæ cum eo mihi coniuncta visa est,quòd tuis literis à me requirit.Quæris igitur ecquid liceat Ministris ex sua pecunia fructum aliquẽ stipulari & percipere. Si præcisè nõ licere dixero,durior quàm par sit,iudicari poterit mea responsio,& aduersus quam nõ desint quæ etiã regerantur. Quare illud nõ licere,ipse quidẽ affirmare nõ ausim. Iã verò vbi expẽdo quàm hoc obnoxiũ sit calumniis & scãdalis,& quàm pleriq; latissimè extẽdãt quod sub moderata cõditione vsurpari poterat,vt modũ hac in re legitimũ excedere sibi permittãt, multò lubẽtius subsisterẽ,quàm vt pleno resp̃so hoc semel expediendũ cẽserẽ. Cõsultissimũ esset nẽpe,ab eiusmodi cõtractibus & redituũ captationibus abstinere. Neq; enim frustra
Ierem.15.10 ita de se testatur Ieremias,Nõ fœneraui eis,neq; ipsi fœnerati sunt mihi,omnes maledicunt mihi.Quare cùm ab eiusmodi quæstu sese cõtinere potest Minister verbi,rectè sibi cõsulit:&tamẽ quãdo quęstus ille tolerabilior est,quàm si ipse per se negotiaretur,aut aliquã artẽ faceret,quę ipsũ à munere suo auocaret,nõ video cur factũ in genere dãnatio nẽ mereatur.Interea hanc moderationẽ adhiberi velim,ne videlicet certũ reditum,vel sũmã sibi præcisè pẽdi stipuletur:sed vt pecuniã ita apud probũ virũ collocet,vt in illius fide ac probitate acquiescat:ac proinde cõtẽtus sit æquo &honesto fructu pecunię,pro ratione benedictionis Dei erga ipsum pecuniæ exercitorẽ.Quòd ad iurisiurãdi exactionẽ in Cõsistorio attinet,agendũ est prudẽter,vt detractionibus & susurris malorũ obuiãeatur.Expediet igitur cùm opus erit,adiurare qui vocati erũt,atq; illos veluti ad Dei tribunal sistere,quando ille ipse in tali cœtu præsidet:abstinendũ est verò sedulò ab omni agẽdi ratione,quæ iurisdictionis speciẽ habeat,aut aliquid etiã ab illa nõ diuersum. Ad vltimũ verò,nõ video quid difficultatis subsit,quin admittãtur ad Cõsistoriũ, qui iurisdictioni ordinariæ & ciuili præsunt,modò ne intersint illic nomine & respectu suæ illi⁹ iurisdictionis,sed vt discrimẽ obseruetur semper inter munera illa duo planè distincta, ciuile nẽpe &Ecclesiasticũ.Alioquin nulla ratio sinit,excludi illos qui Magistratũ gerũt ab inspectione & regimine spirituali. Summa est,vt cùm idonei homines ad illud munus electi erunt,videant ipsi ne cum gladij potestate confundant,quod ab illa sui natura distinctum manere debet.Sic visum est respondere ad tua postulata, quod & fratres approbarunt,quibuscum de istis nominatim contuli,ne ex meo vnius sensu ista prodiisse viderentur.Bene vale. x.Ianuarij. M. D. LX.

Ad certa quaedam capita.

Ex Gall. CVm de augẽdo Ministrorũ numero agitur, pertinet tũ ad Cõsistoriũ, tũ ad totã Ecclesiã illius rei iudiciũ. Videndũ autẽ & an facilè reperiri possint,& an Ecclesiæ rationes idoneæ sint,ad incremẽtũ illud vt par est sustinẽdũ vel secus. Quod ad idoneitatẽ tũ Pastorũ,tũ etiã Presbyterorũ siue Inspectorũ, vt nemo tã exactè munere fungi potest,quin meli⁹ aliquid etiãnũ desiderari in optimo quoq; possit, ita etiã nisi illi admittũtur,qui & legitimè sunt electi,& quod possunt,præstãt,nullus erit turbarũ & cõtẽtionũ finis in Ecclesia.Statuere verò vt locupletes,& qui dignitate ac nomine sunt cõspicui ad munera Ecclesiastica eligãtur,illud planè repugnat ordini & regulæ Christianismi.

ſtianiſmi. Imò eo vno conſtat maximè nos veros eſſe Chriſti diſcipulos, vbi non pudet illorum adminiſtrationi nos ſubiicere, quorũ in mundo minus erit pretium & cõmendatio. Functio Conſiſtorij habet ſuos fines ac limites, intra quos ſeſe contineant qui ad illam excercendam vocantur. Eorum eſt igitur inuigilare gregi Domini, vt Deus purè colatur. Admonere item tam priuatim quàm publicè: ac porrò excommunicare etiam cùm res exiget. Vbi ita ſe Conſiſtorium continebit, neq; ſeſe vlterius porriget, quàm per Dominum liceat, nulla obſtrependi occaſio dabitur. Iam verò præter cõſeſſum illum Eccleſiaſticum qui habetur in Conſiſtorio, inſtituere conſilium aliquod Eccleſiaſticum vt vocãt, nõ videmus vt hoc cũ ipſius Domini inſtitutione cõueniat: imò merè nouũ opus illic agnoſcendum atque denuntiandũ eſt, ne variis mutationibus deinde feneſtra apériatur. Ac præſertim illud nonniſi certam ruinam afferre poteſt, cùm qui aduerſantur veritati, inde occaſionem inſultandi arrepturi ſint, quaſi eo nomine aduerſus ſtatum politicum aliquid fieret. Nec tamen improbamus vbi neceſſitas inciderit, eligi viros cõſultos & experientia præditos, qui videant, quid ſit è re Eccleſiæ: ita tamen vt hoc etiam munus ſit ad tempus, & extraordinarium, ordinarium verò nullo modo.

CALVINVS N. S. D.

Vt ſe pius homo à Papatus ſuperſtitionibus ſubducat.

GRatias ago Domino, frater chariſſime, quòd te ad ſynceram veritatis ſuæ cognitionem perduxit, téque ab illis erroribus eripuit, in quos incidere ſuos etiam nonnunquam ſinit, vt ita ipſos humiliet. Vide igitur vtvt in iſta fidei ſimplicitate incedas, vt Dominus in ipſa te cõfirmet magis ac magis: cúmq; iam ex hoc mũdo cum Domino noſtro Ieſu Chriſto vnitus ſis, ac membrum ipſius exiſtas, quatenus ipſe carnem noſtram induit, vt plenam fraternitatem nobiſcum iniret, ex Euangelij ipſius præſcripto vitam inſtituas: cuius ſumma eſt, vt in ipſo vno ſolidam ſalutem quæramus, atque ita tandem ad vitam illam perueniamus, quæ fidelibus eſt repoſita in cœlis, ſub ſpe & expectatione reſurrectionis ad gloriam æternam. Fixa enim etiam illa nobis ſpes hęrere debet, quamdiu corpora noſtra in terra quieſcunt, animas apud illũ victuras in cœlis. Quòd ad illud quod à me quæris, liceátne Chriſtiano homini participare Cœnæ Domini quæ iſtic adminiſtratur, reſponſio aperta eſt, licere omnino, modò Cœna Chriſti ea ſit, de qua agitur. Atqui vbi rem vti par eſt expenderis, inuenies non magis cõuenire inter Cœnam Domini, ac Miſſam Papiſticã, quàm inter lucem ac tenebras. Conſtat quidem ordinationem Domini deteriorem fieri non poſſe prauitate hominum vel ignorantia, ſed illud pernego, Miſſam ad Chriſtum auctorẽ referri poſſe: quin potius in ipſius contumeliam ab ipſo Satana fabricatam affirmo ad ſanctæ Cœnæ euerſionem certiſſimam. Planè enim ex diametro illi repugnat, vbi ſacrificij nomine cenſetur, atque in actionẽ temere inuentã, vis & efficacia paſſionis Domini tranſcribitur. Extat illic præterea apertiſſima idololatria, nõ tantùm vbi panis adoratur, ſed quia & oratur pro defunctis, & merita atque interceſſiones ſanctorum implorantur, & pleraque eiuſmodi illic fiunt, quæ Dominus nominatim condemnat. Quare non magis licet fidelibus communicare illi ſuperſtitioni, quã olim licebat ſacrificare in Bethel. Illud enim omnino repugnat confeſſioni fidei, quam à nobis Dominus requirit. Sed quia hoc argumentum pertractatũ eſt fuſius in libris ea de re editis, à te peto, vt illos diligẽter euoluas. Te interea gratiæ Domini commendo, vt ipſe ſuam voluntatem te edoceat, & aperiat oculos, vt nigrum à candido diſcernas: ſic enim tibi non defuturũ confido, in quo acquieſcas. Tibi verò omnem licentiam præcidas ſimulandi interea impietatem à te vllo modo approbari. Dominus ſua in te dona adaugeat, atque vbi quod rectum eſt oſtenderit, det etiam animum conſtantem, vt in eo agnito vt par eſt, adhæreas. Geneuæ, XV. Iunij. *Ex Gall.*

Tuus Caluinus.

RESPONSIO AD DVO CERTA CAPITA.

Ex Gall. QVòd ad dies festos & certas alias ceremonias attinet: vt illos Dei iudicio obnoxios existimo, qui sub specie nescio cuius conformitatis & cõueniẽtiæ inter Ecclesias statuendæ, & fouerunt malum, & remedium auerterũt: piis verò fratribus durum est subiicere se rebus illis, quas nec rectas esse nec vtiles animaduertunt: ita etiã defectus multos tolerandos iudico, vbi emẽdari non possunt. Quare nõ censeo vt quisquam fratrũ ea de causa instet, vt ab Ecclesia cui addictus est recedat, si maior pars gregis feratur in contrariũ: quia in eiusmodi casibus satis esse mihi videtur, si quod rectũ esse nouimus, à nobis procuratũ sit. Quãuis enim quod obtruditur, & scãdalum afferat, & malã caudã trahat: quia tamẽ per se Dei verbo non repugnat, concedi potest: maximè vbi maior numerus peruincit, quando ei qui membrum est tantùm illius corporis, nulla ratio suppetit vlterius pergendi. Ad alterum de Ministris non legitimè vocatis, nõ video vt eorum vocatio pro legitima approbanda sit. Quare duorum alterum sequendum mihi videtur, nempe vt vel tolerantia in suo statu & functione sustineantur: vel vt culpam agnoscant, atque ita admittantur. Prima ratio honestum prætextum habet, quia nullus apertè cogitur ad approbandum, quod rectum initium non habuit: vt si Princeps ipse induxit Ministrum populo non ad consentiendum, sed ad testimonium præbendum tantùm vocato. Res igitur propter temporis lapsum suo loco ita relinquatur. Posterior ratio est expeditior, & magis ad ædificationem pertinet, & ad Ecclesiæ ordinem etiam magis accedit: vbi nempe qui sine vocatione inducti sunt, testabuntur displicere sibi quòd se ipsi ingesserint, ac quòd meliore vocationis testimonio destituantur: ac simul declaratio subiiciatur, neque vtile esse, neque ferendum vllo modo, vt rebus in ordinem redactis, illa ad ministerium introductio præter ordinem & merè confusa locum habeat in posterum. Videndum autem ante omnia, vt dum ista quæ ad ordinem pertinent pro merito suo disquiruntur, vt par est: tum ipsius veritatis doctrina solida & aperta constet, & agnoscatur apud omnes, tum si qui illam in quocunque capite proscindunt, aut illi detrahunt, illis nisi alij esse discant fraternitas, quàm primi conuellunt, renunciẽtur.

IO. CALVINVS N.N. S. D.

Cùm à ministerio quis indicta causa abdicatus esset.

Ex Gall. CVm & de turbis quæ vestram Ecclesiã vexarunt, & de mutatione Pastoris subsequuta audiuissemus: testatus sit etiam apud nos N. non constare sibi, quamobrem ministerio à vobis abdicatus esset, commodissimum duximus paucis vos ea de re commonefacere, quod eodẽ animo quo scribitur à nobis, acceptum iri cõfisi sumus. Et quemadmodum zelo Christiano ac syncera ritate & vero amore fraterno eò adducimur, ita etiam facite, vt Spiritum illum mansuetudinis quem Scriptura vnicè commendat, nobis audiendis accommodetis. Non est verò quòd multũ disceptemus, quam ulla ἀταξία propinquã Ecclesiæ ruinã minitetur, vbi res eò redierũt, vt Magistratꝰ ipse absolutè ac per se Ministros vel abdicet, vel instituat. Quia tamẽ eò quãdoq; redigũtur, vbi feruẽt cõtẽtiones ac turbæ, neq; remedia ordinaria locũ amplius habere possunt, experiẽtia edoctos esse oportebit in posterũ, ne ita vos proscindatis mutuò, vt inuertẽdi ordinis causam ipsi præbeatis. Pluribus agere vobiscũ nõ est necesse, cùm nemo sit qui & mali magnitudinẽ, & quid illud cõsequatur, nõ perci piãt. Cúmq; nõ nũc primùm vestra Ecclesia ruinã illã duxerit, eò minꝰ sunt excusabiles, qui mali causã dederũt. Quare à vobis petimus, vt seriò vobis attẽdatis in posterũ, vt Satanæ artes præcaueatis. Dum enim vi & fulgore veritatis, quã Dominus mũdo restituit, premi se sentit, totus in eo est, vt ordinẽ Ecclesiæ cõuellẽdo, pios omnes probro & ignominiæ exponat. Quòd ad istã ministerij abdicationẽ, secũdũ ea quæ ad nos frater scripto detulit, ipsi nẽpe cùm à nemine accusatus sit, suggestũ interdictũ esse, non expressa vlla ratione, alieniſſima nobis hæc agendi ratio vti reipsa est, planè etiã videtur. Neq; verò quod ab illo accepimus, dissimulandũ apud vos duximus, vt si quid hîc in agẽdi modo peccatum est, emendaretur, tam vt illi iusta querimoniæ causa, quàm vt scandalum simul coniunctum tolli possit. Et tamẽ hanc nostram admonitionem præiudicium vobis afferre nolumus, sed illa tãtùm eò spectat, vt nostro officio defungamur. Hoc tãtùm habuimus quod vobis scriberemus ea de re, de qua nobis non satis liquet: non quòd vestra nobis integritas in dubium veniat, sed ne leuitatis alicuius nota nobis impingatur, si re minus

re minus explorata vlterius progrederemur. Neque rursum vos vrgere volum⁹ vt vt quid rei sit, amplius nobis significetis: nisi quòd eam hîc lucem afferri optaremus, quæ noxios omnes rumores statim profligaret. Illud penes vos esto. Nobis satis erit, quòd vos fraternè exhortati simus, vt videretis ne quid Ecclesia vobis credita ab vnitate & concordia alienum admitteret: ac proinde ne sacer ille ordo qui obtinere debet, iurgiis & rixis pessundaretur. Nostis enim vt Dei filios Spiritu mansuetudinis in vera moderatione contineri oporteat. Nos interea Deum precamur, vt sublatis illis litibus & planè extinctis, quæ vobis distrahendis tantùm valuerunt, suo vos præsidio protegat, in omni bono prosperare donet, sua in vobis dona adaugeat, vt tantò magis glorificetur in vobis. Geneuæ, x. Decembris.

Io. Calvinvs NN. s. d.

Cùm Ministri Veterani turbæ incommodè in Ecclesia suborta essent.

Dolurimùm dolet, fratres dilectissimi, non offerri potius occasionem gratulandi vobis de prospero Ecclesiæ vestræ statu, quàm significãdi vobis quàm molestè tulerim, quòd tristia ad me de vobis perlata sint. Iam enim accerbus fuit de optimi fratris N. morte nuntius, cùm in illo vobis oblatus esset à Domino Pastor opportunissim⁹ & verè fidelis: quod est rarius his tẽporibus maximè, cùm qui se syncerè Domini operi impendant, pauci reperiuntur. Ac iam vobis exploratum esse non dubito, & quàm vtilis esset illius opera, & quàm integrè se inter vos gereret. Et tamen spero illum qui à vobis iam electus est, fidelem etiam operam præstaturum, pro Dei gratia in ipsum collata, vt vos destitui non contingat: modò etiam videatis ne alij interea exuti maneant, vt omnino vos facturos spero, cùm ista inter vos & illos fratres ex communi consensu tractari existimem: & ipsorum angustiæ fidem vestram implorent. Illud verò me ad scribendum impulit, ægritudo nempe animi mei, quam vestræ contentiones & iurgia mihi conciliant, quorum nullum finem video. Putabam enim omnia consopita esse, ac Deo eo nomine gratias egeram, maximè vbi ab optimo fratre N. istorum teste idoneo, ita se rem habere accepissem. Atque illud vulneris illius mei acerbitatem parit, cùm vigere malum audio, quod extinctum audirem. Agebatur antè de quibusdam, quæ in fratre N. desiderabatis, quibus illa medicina adhibita fuerat, qua vobis idoneè, vt existimo, satisfactum esse oporteret: cùm & ipse nominatim censuræ sese submisisset. Nunc nouam litem exortam audio, quòd plerique illum pro Pastore habere detrectent, nisi abire ministerio iussus, nouæ electioni subiiciatur. Ego verò tacere non possum, videri mihi illos mali consilij auctores, qui omnia ita ad viuum resecant, quod ad Ecclesiæ ædificationem nullo modo faciat. Equidem non teneo quomodo istic primùm sit institutus Pastor, & ministerio fungi cœperit. Si electio in forma sua locum habuisset, nullus esset hodie controuertendi locus. Sed demus rem non carere defectu aliquo. Expendite interea, cùm aliquis existit in regione extranea qui postulet sibi dari locum & facultatem colligendi gregis Domini, annon qui illic adsunt, & in ministerium primùm consentiunt, reipsa illum elegisse dicendi sint, etiamsi nulli tum ritus accedant? Illud verò mihi ingratitudinis plenum videtur, si successu temporis ille reiicitur, cuius opera erecta fuerit Ecclesia: ac iam illius ratio non habeatur, qui viam ipse & modum aperuit, quo Ecclesia primùm colligeretur in Domino per suum ministerium. Fateor verò vbi ordo semel status est, fixum & immotum retinendum esse: sed longè alia est ratio, vbi ne tenuissima quidem Ecclesię initia extant. Quid enim dicemus de plurimis illis Ecclesiis, quæ Domino per Germaniam erectę sunt? An qui primùm illis Euangelio prædicando nauarunt operam, non sine vllo ritu admissi sunt pro veris Pastoribus? Neque verò cogito vos hominum auctoritati subiicere: sed exemplum illud profero, quod ad confirmandum illud quod posui, faciat: nimirum non requiri vt electio in eadem forma locum habeat rebus nondum constitutis, atque vbi Ecclesia suam quandam formam & ordinem iam admisit. Quare nulla mihi constare potest illarum difficultatum ratio, nisi quòd accersi occasiones à remotis iudico. Expẽdite præterea vbi vos demergatis, si hoc semel perfringatur. Quod enim ius erit statuendum de tot Baptismis intermedij temporis? Quid de Cœna vobis perinde administrata? Plura non addam, cùm vel ista sint plus satis, vt frænum iniiciant immoderatis contentionibus. Quod si neque

Ex gall.

ista satisfaciunt fratribus, qui zelo ducti nimis sunt opinionibus suis addicti, peto ab illis per Dominum, vt cogitent etiam atque etiam in quod discrimen Ecclesiam adducant. Habitatis istic vt precariò. Vbi hoc notabitur, tam esse difficiles in multis rebus, annõ vestra morositas tędium aliquod & animi alienationem allatura sit bonis illis & piis Senatoribus, à quibus tam humaniter excepti estis? Deinde annon vobis liquet, nos omnes in illius quo de agitur persona semel peti ab illis, qui vnum hoc captant, vt vos omnes opprimant? Mirum sanè, cùm Guelfæ & Gibellini sese coniungere sustineant aduersus nouum hostem emergentem, vos verò non eorum exemplo duci, qui in vnam veritatis Euãgelij professionẽ vocati sitis. Qui vobis aduersantur in certo articulo, iam vos lacessere incipiunt vt tandem euertant. Frater ille stat paratus ad illos repellendos, ac primos impetus sustinet. Quàm igitur indignum est, illum porrò etiam à vobis vexari. Atqui vel illa afflictio qua constringitur, idonea erat ad emollienda etiam illorum pectora, qui essent in illum exacerbatissimi: maximè cùm & pestem vobis à Deo immissam attenditis, & alterum ex Pastoribus iam ereptum esse: quasi iam & pastum vobis planè subducendum comminetur Dominus, vbi nullam rationem admittitis qua vobis satisfiat. Hæc ad vos scribo, vt ignem accensum extinguã. Et tamen si quis nondũ potest acquiescere, saltem à vobis peto per Dominum, vt extra vllum motũ & contentionem, sustineatis modò aurem præbere rectis consiliis, quibus deinde placidè manus detis. Spero equidem quam hîc à me habetis admonitionem vobis facturam satis: nec tamen ab illo vltimo remedio vos prohibere volui. Atqui longè magis optarim, vt quamprimum quidquid est mali emendetur sine mora, vt omnes in veram concordiam coalescant. Hoc si contingat, iam vobis significo, magnum vos gaudium allaturos plurimis fratribus vestris, quibus ita vestra salus & tranquillitas est cordi, vt ad illam procurandã vobis si opus erit, paratissimos habituri sitis. Valete Dilectissimi fratres. Dominus vos Spiritu suo regat cum vera prudentia, mansuetudine & constantia. Collegæ vos ex animo salutant. Geneuæ, XXII. Decembris M. D. LI.

Io. CALVINVS N. N. S. D.

Eiusdem ferè cum superiore argumenti.

Ex Gall. VTinam nunquam aliud mihi scribendi ad vos argumentũ suppeteret, quàm vt Domino pro suis in vos donis ipsi gratias agerem, vósque eadem opera vt ad continuum profectum exhortarer. Sed facit Satanæ nequitia, vt optatum illud argumentum mihi nunc ereptum sentiam. Sic enim accepi illum vos inhalasse quodammodo, vt nisi vos Dominus respexisset, atque opem attulisset singulari sua benignitate, totum Ecclesię ædificium extremam ruinam minitaretur. Et verò malum diuturnum non fuit, sed à quo stetit? Quis enim est ignis semel accẽsi extinguendi modus? Nunc igitur cum flamma consopita fuerit à Domino ipsius gratia, atque opera fidelium ipsius ministrorum: ne tamen idem vobis deinceps contingat, inducxi in animum vobis admonitione apposita cauere in posterum, dum etiam culpam quę à vobis admissa est, ob oculos ponerem. Vos autem obtestor, vt æqui & boni hoc officium consulatis, neque si asperior vobis visus fuero, vt res feret, eò minus admittatis reprehensionẽ: ne si secus fiat, malum duplicetur à vobis. Qui sim, & quo salutis vestræ affectu ducar, quicunque verè ad gregem Domini pertinent, facilè agnituros confido: cùm & vos in sinu & corde ipso gestem, non secus ac mihi charissimos liberos. Neque hoc ab vlla ambitione proficiscitur. Nam & satis mihi est, vt pro fratre à vobis habear, & Christi seruum me profiteri non possum, quin vestrum quoque esse ex animo agnoscam. Hoc igitur ad vestram vtilitatem pertinet, vt mea hæc admonitio qua saluti vestræ consultum volui, non pereat, aut contemptu vobis inutilis reddatur. Ac primùm quidem inaudita illa mihi est agendi ratio, vbi sic loquimini, Placere vobis vt ille concionetur, atque vt Cœnam vobis ministret. Sanè oportet ministrum à populo approbatum esse, antequam in ministerij possessionem mittatur. Quòd si quis seipsum intrudit alia via, vbi in Ecclesia ordo iam constitutus est, legitima vocatione destituitur. Ex eo tamen nego sequi, popu-
Act. 14. 24. lum electioni sui Pastoris præesse debere. Testatur Scriptura, institutos fuisse per oppida ac vicos ab Apostolis Pastores cum populi consensu. Sed illinc constat præfuisse ipsos

se ipsos sua prudentia & auctoritate tanto negotio, vt populum regendo, omnia decenter fierent & absque tumultu. Viguit porrò eadem politia in Ecclesia Christiana, quamdiu ordini ac disciplinæ locus remansit. Quare si hoc ius vobis adrogatis, vt pro arbitrio ascisceatis vobis Pastores, hoc nihil aliud est quàm ordinem à Deo positum cum honestate Christiana conuellere. Accedit alterum malum, quod temerariæ illæ mutationes & perpetuæ nouationes, non possunt non certissimum periculum, & pessimam caudam secum trahere: ac vitium illud planè damnandum est. Scio natura hoc quæri, quia placeat: sed tantò consultius est illum natiuum pruritum semel extinctum esse. Hoc verò cùm in vita humana perpetuum vsum habeat, tum imprimis ea in re qua de agitur. Fit enim Satanæ artificio, vt de die in diem huius & illius Pastoris tædium nos corripiat, vt tandem sapor & gustus verbi Dei in nobis euanescat; cúmque appetitu incerto & immoderato feremur, nihil quod rectum sit & salutare amplius admittamus. Iam vt non defuerit vobis ratio quædam & apparentia, vt vocant, tamen non desinit vitiosus esse agendi modus: Quæ tamen ratio subesse potuit? Cùm vnus ex vestris ad certas Ecclesias visitandas profectus esset, alter illius loco submissus est cum vestro iudicio & approbatione, ignotus vobis esse non poterat qui iam multò antè concionatus fuerat apud vos. Neque coniecturis actum fuit, cùm & de doctrina & de vita constaret. Si quis illum despicit, arrogantiam cum superbia in Deum prodit. Quid igitur sibi hoc vult, cùm idem ille & legitimè electus, & fideliter defunctus Pastoris inter vos munere, vti etiam apposita ad eam rem Dei dona in ipso extant, iam verò minus vobis adlubescat? quem verò illi præfertis? Hominem incognitum. Quis verò supereſt à temeritate apertissima vos nunc purgandi locus? Regeritis scilicet, istum multò ornatius dicere. Sic nempe meministis illius Pauli sentẽtiæ: Quòd Regnum Dei non sit in sermone, sed in virtute? Proinde vt ipse alibi confirmat: Ille vnus in pretio nobis sit, qui est in Christo noua creatura: neque hæreamus in carne & apparentia illa externa, quæ nobis oculos hebetet, ne syncerè, vt par est, iudicare possimus. Cauendum inquam, à laruis, id est, ab omni eo quod extra sese ostentat, vbi vt plurimùm fucus latet: sed ad id quod præcipuum & verum est intendamus, atque illic pedem figamus. Atqui bene iudicandum, vbi malum non apparet. Concedo, vbi de aliquo pro fratre agnoscendo agitur: sed cùm de instituendo Pastore agitur, longè aliud examen requiritur. Interea verò meis istis verbis præiudiciũ cuiquã fieri nolim, cùm qui sit nobis incognitus, eò deterior nõ sit in sese. Tãtùm hoc damno vt leuitatis & temeritatis plenum, quòd eo loco & ad tale munus hominem adhibere audemus, quem minus idoneè explorauimus, vt legitimum de illo testimonium præcedat. Scriptura enim ita Pastorem probum esse vult, vt & talem agnosci haberique præscribat. Enimvero si quis seipsum ita immittat atque ingerat, vti iste à vobis inductus est, iam ipse ambitionis notam sibi inussit, vt non inquiratur vlterius. Ego sanè malim pugnum mihi præcidi, quàm ferre vt aut ea ratione intromitterer, autintromissus Cœnam ministrarẽ, vti erga ipsum à vobis hac in re per tumultum gesta sunt omnia. Tanti momenti est vel vnum exemplum. Pertinet omnino ad Pastoris veri munus Mosis exemplum, cùm neminem ex Domini populo non Prophetam esse optaret. Agnoscere etiã oportet, adeóque locum cedere quantùm est in nobis, illis, qui dona illa acceperunt à Domino quę ad Ecclesiã ædificandam conferant: quod & fratrem nostrum spectare non dubito, vti apertè ostendit, cùm illum admisit etiam promptius quàm ipse feciſſem. Sed vt res ipsa per se excutiatur, quis vobis suggessit penes populum esse, vt Pastorem temere mutetis, provt hic potius quàm ille, huius vel illius oratio aut ornatus in dicendo vos plus minúsve ceperit: aut penes populum esse pronuntiare, placere sibi vt Cœnam ministret? Quin relegamus potius huiusmodi ambitum ad clausſtra monachorum, cùm Dei Ecclesiam alia moderatio prorsus deceat! Vos verò plus etiam audetis, quàm par sit, si ex vna concione statim fertis sentẽtiam. Non pertinet, vt puto, ad omnes huius vitij notatio. Nam vel vnum susurronem huius turbæ auctorem esse potuisse mihi persuadeo. Cùm tamen ita vos humiliauit Dominus, vt ista tentatione abrepti fueritis, ego sanè vobis vehementius obstitissem, quàm à fratre nostro factum sit. Vt enim laudo ipsius modestiam, ita etiam motum illum insolentem maiori seueritate mihi refrænandum esse duxissem. Accedunt & circunstantiæ quæ malum exaggerant. Habetis Pastorem in carcere detentum. Illo ita absente, tales motus excitare, an excusationem vllã admittit? Inter extraneos ita tumultuari, vt cũ illos vobis vna moderatione cõciliare debueritis, iam ipsorũ iudicio obnoxios reddatis, qui in vestræ Ecclesiæ administratione tã

1. Cor. 4. 20
2. Cor. 5. 17.
Num. 2. 29

pręcipitanter vos geritis. Neq; verò offẽdi vos oportet mea ista acerbitate. Si enim essem apud vos, vehementius multò vrgerem istud publicum delictum, cuius momentum fortasse vt & causam ego eminus exactius expendo, quàm vos in medio illo contentionis strepitu & puluere cernatis. Ac spero omnino de vobis sic ista à vobis acceptum iri, vt & mihi ad Deo gratias agendum vestro nomine os aperiatis. Quòd si vobis modicam tristi-
2. Cor. 7. 8. tiam attuli, me quidem nõ pœnitet, vt Paulus loquitur, dummodò ista sit tristitia secun-
9. dum Deum: vbi nempe ita vos admissæ culpæ pœnitebit, vt consultius deinceps agatis. Scitis quàm ipse cupiam meipsum consolari, dum vobis simul gaudij materiam obtulero. Cùm verò aliquid mali subortum est, illic sese vera amicitia exerit, vbi ad vitia non conniuemus, sed liberè coarguimus, vt nullus prauus affectus aut carnalis intermistus sit. Si quis de me hic queretur, videat imprimis an suum reatum seriò excusserit, cui censura adeo molesta sit. Atqui longè me melior de vobis spes sustinet, vti hactenus vestri experimentum habui. Qui enim Deo vos obsequẽtes præstatis, dociles etiam exhibituros statuo, & æquo ac pacato animo admissuros reprehensiones, quæ ex ipsius verbo ad vos ita diriguntur, vt quæ in illis amaritudo subest, ad interiorem sanitatem & animæ salutem plurimùm faciat. Valete amantiss. fratres. Dominus vos omnes foueat in timore nominis sui & veritatis dilectione, det vobis continuum incremẽtum in omni bono & gratia Spiritus sui, vt glorificetur in vobis nomen ipsius magis ac magis. Amen.

De ceremonijs Eccles.

QVòd ad ceremonias spectat, generale hoc tenendũ est axioma, quia immensa earum congerie onerata fuit Ecclesia, & ferè obruta Euãgelij claritas, prudentissimè facere, qui parco & sobrio earum vsu contenti sunt. Deinde in mysteriis quæ vocantur Sacramenta, sedulò esse cauendum, ne hominum commentis vitietur pura & genuina cœlestis magistri institutio: præsertim vbi libera est electio, nihil melius, quàm præscriptam à Christo formam simpliciter tenere, qualis ad nos per manus transmissa est. Si obiicitur vetustas (quanquam hoc clypeo ad tegendas omnes corruptelas audacter vtuntur, qui consuetudini, & receptis moribus nimium addicti sunt) facilis refutatio est: quia veteres quoq; ipsi grauibus querimoniis sa-
Epist. 119. tis testati sunt, sibi nõ probari quidquid hominum arbitrio excogitatum fuerat. Augustinus maximè ad Ianuarium deplorat iniusta & non tolerabili seruitute iam tunc oppressam fuisse Ecclesiam ob immodicos ritus: quum tamen vix decima pars eius labyrinthi, quo nunc tenetur orbis implicitus ad irretiendas animas, composita esset. Deinde vt fi-
Gal. 4. 9. lentio & tolerantia multæ ceremoniæ pridem receptæ fuerint, tenendum est quod Pau-
5. 2. lus statuit discrimen, ne legalibus figuris sinamus claram Euangelij lucem obscurari. Si legis vmbris locus non conceditur, quantò minus hanc licẽtiam obtinere debent hominum figmenta? iam si probè & penitus inspicitur quid homines tantopere solicitet ad fabricandas ceremonias, reperiemus ex hoc fonte omnes fluxisse, quia quisque nouũ Dei cultum fingere ausus fuerit. Atqui fictitios omnes cultus non modò repudiat Deus, sed
Sa. 1. 15. 22. etiam seuerè abominatur, apud quem obedientia pluris est, quàm omnes victimę. Et meritò: quia eius imperio decedit quantùm sibi homines hac in parte arrogant. Statuendum quidem est simulac suo arbitrio Deum colere appetunt homines, fœtidam esse profanationem quidquid de suo afferunt: sed ne latissimam syluam ingrediar, ad speciem descendo. Dixi legitimum Baptismi, & sacræ Cœnæ vsum non aliunde petendum esse, quàm ab institutione & mandato Christi. Aqua mysteriũ illud peragi voluit vnigenitus Dei Filius. Placuit hominib⁹ Chrisma, & exsufflationẽ addere. Si nobis sãcta & inuiolabilis est Christi auctoritas, & quam meretur reuerentiam obtinet, quis non videt aduentitiis illis nugis fœdatum fuisse Baptismum? Meris deinde ludibriis ita corruptus fuit, vt inquinet magis quàm purget eos omnes qui ablutioni crassa illa sacrilegia permiscent. Quorsum de
Ioan. 6. mixtione aquæ & vini in sacra Cœna disceptatio moueri debuerit non video. Christus
Matth. 26. symbolis panis & vini testatus est carnem suam esse nobis cibum, & sanguinem suum potum. Si penuria sit vini, exiguum quod suppetet aqua diluere, vt toti Ecclesiæ sufficiat minimè absurdum erit. Si religio iniicitur, acsi necessaria foret mixtio, superstitione hoc non caret. Nam & noua lege præter Christi mandatum perperam non minus quàm temere obstringitur Ecclesia, & mysterium in re nihili pueriliter quæritur. Calicem ex aqua
1. Ioan. 5. 6. & vino mixtum habere volunt, quia è latere Domini fluxerunt aqua & sanguis. Quasi verò

verò auctoris consilium fuerit tale quidquam docere: ac non magis pignus dare spiritualis potus. Nec verò rectè huc torquetur Cypriani testimonium: quia nunquam diluendum in sacra Cœna vinum esse contendit, sed contra lymphaticos homines asseruit ex Christi mandato bibendum illic esse vinum. Erant enim qui abstinentiæ prætextu vinum quo intemperanter vulgus abutitur, arcebãt à cœlesti mysterio. Quũ ergo nõ aqua, sed vino repræsentari in sacra Cœna Christi sanguinẽ tota disputatione doceat, quæ de mixtura obiter tradit, non rectè ad aquæ patrocinium trahuntur. Adde quòd in miscendi verbo, quod subinde vsurpat, falluntur imperiti, dum pro diluere semper accipiunt: quum potius fundere significet ex recepto apud vetustos & idoneos Scriptores linguæ Latinæ vsu. Et sanè alibi ad vnitatem pios hortari volens, non ex multis aquæ guttis, sed ex pluribus acinis sacrum calicem, sicut ex pluribus granis panem mysticum constare admonet. Neque tamen inficior ipsum mixtionem aquæ & vini asserere, sed euanido prætextu: quia vinum Christi sanguinem, aqua plebem significet. Hæc argutia si cui arridet, dignus est qui vento pascatur. Nos verò curiositate humani ingenij quæ semper nimium la sciuit, valere iussa, ab eius ore pendeamus, qui vnicus est Cœnæ auctor. Imò videmus vt Cyprianus ipse memorabili sententia nos à se ad Christum ableget, vbi vetat consuetudinem sequi in aqua sola offerenda: quia potius quærendum est, quem sequuti sint patres, quos alij imitari volunt. Nam si solus, inquit, Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putauerit: sed quid qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Hæc certè apud modestos & placidos lectores plena est ac solida causæ definitio, vbi hominum placitis in ordinem coactis, & consuetudine quamlibet veteri abdicata, Christi auctoritas sola eminet. Vale, Nonis Aprilis. M. D. LVIII.

In Epistolis.

Ex 1. Cor. 10. 17.

De certorvm Ministrorvm ἀταξίᾳ.

Dilectio Dei Patris nostri, & gratia D.N. Iesu Christi vobis semper adsit per Spiritus S. communicationem.

Ex Gall.

QVod ad nos perlatum est, dilectiss. fratres, verbum Dei ita expositum esse apud vos probro, idq; illorum culpa qui exemplo aliis præire debuerãt, perquam molestè accepimus: audimus enim illos ipsos quorum partes erant quemuis ex plebe ad pacem & concordiam fraternam exhortari, eovsque contentionis vi efferbuisse, vt ad arma ipsimet conclamauerint. Quàm verò indignum facinus & quàm enorme! quantum etiam ex illius fama passim sparsum erit scandalum, ex quo non tantùm contemptus verbi Dei enascatur, quando ad verbi Ministros scandalum referendum sit, sed etiam occasio offeratur Satanæ atque ipsius instrumẽtis, ad vos demum conuellendos atque ita dispergendos, vt vix deinde inflicto malo remedium adferri possit? Sanè quòd ad Ecclesiam Dei attinet, illam passim hodie ab hostibus circunsideri omnes vident: sed tamen vestræ rationes omnino vobis indicunt, vt pacem & concordiam retineatis omnibus modis. Satis enim constat ab vna Dei prouidentia quæ aduersarios constrictos tenet, stare, ne qui vestrum exitium toties iam desiderãt, vel leuissima occasione oblata in illud ferãtur præcipites. Quamobrẽ aliter de N. & N. iudicare quàm de abreptitiis non possumus, quibus ita simul ac semel exciderit cũ ipsorum ministerij ratione illa etiam consideratio, quòd ipsorum audacia extremã omnibus istic Ecclesiis perniciẽ allatura esset. Ac primùm quidem probari à nobis illud nõ potest, quòd Ministri verbi ita ad gerẽda ipsi arma & eiusmodi rerũ tractationem sese applicent. Scimus aliquãdo vrgẽte necessitate accidere, vt intra officii metas nõ ita præcisè sese singuli cõtineant. Scimus etiam eovsque inualuisse pericula, vt cuiq; pro virili aduersum illa enitẽdum fuerit. Atqui illud videre nõ possumus, quî tolerari possit vt verbi Ministri agminum duces euadãt, ac proinde & copias ipsi cogãt, & coactas iidem perducãt. Ita fit enim vt ab officio quisque tantũdem recedat, ac prorsus à vocatione sua degeneret, quod & istis accidit nominatim. Ex eo enim accidit vt ad mores stratioticos occalluerĩt, vtq; exuta penitus illa ministerij persona, in licentiã militarẽ proruperint. Sic nos loqui res ipsa cogit: planè enim cõfusi hisce auditis iacuimus: etsi ex literis vestris vnius præ altero grauius est malũ, quod ab vtroq; admissum est. Nũc verò cũ quid nobis videatur expectatis, sic ipsi in Domino congregati vobis respondendũ duximus. Ac primũ omnium nisi omnia sursũ ac deorsum ferri volumus, nõ potest tam indignũ scelus & enorme dissimulatione ac cõniuentia sepeliri. Si quæratur à N. cur ex Comitatu Mõsbelgardensi abie-

rit,parata erit respõsio,quia nẽpe omnia illic essent cõfusa, cùm nullus disciplinæ status extaret. Atqui si nos ipsi aliis disciplinã præscribimus,quãtò arctiorib⁹ vinculis ipsimet nobis adstringi debemus? Iam vt huic malo remedium afferatur,satis videmus quid incommodi secuturũ sit,vbi qui sunt in culpa nõ admittent reprehensionẽ,sed iugum excutere conabuntur:sed tamen quidquid accidat,ferẽdum non est,vt nostra timiditate foueatur malum. Proinde vbi hoc agitur, vt & rectus ordo restituatur & scandala comprimantur, qualescunq; immineant procellæ & tempestates:non est cõmittendum tamen vt de constantia & legitima fortitudine quicquã remittatur,maximè vbi cõtrahendum est frenũ. Quamobrem videre non possumus vt quod istis accidit,silentio transmitti possit, quin ea occasione maledictio Domini inhæreat vobis,& incũbat perpetuò.Locus Pauli 1. Tim.5. quo sese tueri cogitat N.eum nullo modo iuuat:illic enim eatenus voluit Paulus rationem haberi seruorum Dei,vt ipsorum innocentiæ consulatur, quando vt plurimùm obnoxij esse solent multorũ calumniis. Atqui N. conuictus iam satis tenetur bis (displosa in N. bombardula ex qua secũda vice ignis emicarit)tẽtatę cœdis. Accedit quòd iam antea parum ex officio sese gessit inter vos,vt mirum sit tandiu tolerari potuisse. Vt igitur eam prouinciam deinceps tetineat,qua sese planè indignum prębuit,nobis quidẽ nullo modo probari potest.Nominatim quòd ita præfractè detrectauit acquiescere piissimæ exhortationi vestræ, ita hoc exaggerat hominis factũ,vt abdicandũ planè iam cõstet.In modo autem agendi hoc consilium damus,vt deligatis ex vestro cœtu qui totius cœtus nomine aperiant fratribus N.vti rationibus idoneis maturè ac legitimè expensis pronũtiatũ fuerit N. ferendum non esse amplius in ministerio quod malè exercuerit: proinde rogare vt illius loci Ecclesia ipsum etiam à se emittat,ac probet vt in eius locum submittẽdus alius eligatur, quem & ipsi agnoscant & approbent.Si Ecclesia requiret rationes iudicij, vt pleniùs de re tota ipsis liqueat,tum demum expediet eadem illa ipsis articulatim proponere, quæ à vobis accepimus. Quòd si ita ille populum loci pellexerit atq; irretierit suis artibus, vt ipsi non acquiescant vestro consilio & exhortationi, tum demum admonendi erunt seriò, Videant vti hoc admissuri sint:cùm si in eo obstinatè perstẽt,schismaticos sese exhibituri sint,vnde & ipsos à vestri corporis vnitate separandi iniicienda sit vobis necessitas. Quòd ad Alterũ attinet, quia plus in illo est imprudẽtiæ & impetus quàm certæ improbitatis,satis fore videtur,si Ecclesiæ etiam ipsius significetur suspendi illum à ministerio: tum vt ipse sese ita humiliet,tum etiã vt scãdalum sarciatur:atq; illud ita demũ,vt quoties ipsis videbitur,ipsum liceat repetere & recipere in Ministrũ. Monendi autẽ erunt nominatim si de illo repetendo agetur,non aliter hoc posse procedere,quàm vt ipsi etiã omnẽ culpę ipsius memoriã sepeliant,neq; ipsi vllo modo quod acciderit, exprobrẽt, néve hęc tẽporalis castigatio illi sit fraudi,quominus ipsi integrũ sit alios deinceps reprehẽdere ex Ministerij ratione,adeóq; vt doctrina ipsius plenum ius & auctoritatẽ quã meretur,obtineat.Optassemus quidẽ in mitiorẽ sententiam inclinare si fieri potuisset,sed veriti sumus ne parcendo illis,Dominus interea tantò minus parceret. Valete fratres dilectissimi.Dominus suo vos præsidio tueatur,Spiritu confirmet,atque sua in vobis dona semper adaugeat.Geneuæ in nostro cœtu. Vester.Io.Caluinus omnium nomine.

CALVINVS N. S. D.

Ad certa quædam capita.

Ex Gall. DIlectissime frater,quia accidit vt plurimùm,vt in pecunia fœnori locãda inci dãt multa præter ius & æquum,satis tutum nõ est si ad tuam quæstionẽ simpliciter respõdeam:quis nempe modus legitimi fructus pecuniæ statuẽdus sit.Fiet enim nonnunquã vt vel minimus fructus ex pecunia percipi nõ possit sine Dei offensione,& proximi iniuria. Quare me excusatum apud te velim,si nihil hîc certum vt expectas,præscripsero. Est quidẽ in hac ciuitate certus legibus modus constitutus.Sed non inde consequitur ad eum etiã modum fructum pecuniæ exigere creditori bona conscięntia licere à paupere,vnde ille aliquo modo opprimatur.Accidit & illud quod me retinet, ne plenius tibi respondeam, quòd sciam te hoc à me rogare ea de causa tãtùm,vt aliũ quendã redarguas qui omnia hac in parte sibi permittit me in consilium nõ adhibito:quẽ etiã fortasse ne audire quidẽ dignaretur.Illi igitur pro me respõdeat regula illa iuris ipsius naturalis,quã Dominus Iesus Christus partẽ summæ Legis & Prophetarũ statuit: ne videlicet faciamus alteri,quod factũ non vellemus nobis.Quòd ad viduã attinet,si poterit secũ liberos abducere, nihil illi pretiosius illorũ animabus esse debet.

debet. Quare si illi manum porrexerit Dominus, vt ex eo luto aut abysso potius emergat, parum humanè ne dicã Christianè fecerit, si illos à tergo reliquerit. Sed quia mihi non liquet quæ sit ætas & quæ voluntas ac rationes ad illud cõficiendum appositè, illi ea sigillatim expẽdẽda relinquo. Quidquid sit, nõ potest spõte illos ita relinquere, quin perpetuũ inde mœrorem sibi conciliaturã nouerit. Maior est in nupta difficultas. Vt enim illa à viro secedat, nisi vi quadã maiore & ad extremũ eò redacta, si illã nomine Religionis aut alia occasione intolerandum in modum habeat, auctor esse nõ possum. Neq; modum illum intolerandum definio, cùm domi durius etiam tractari contigerit. Omnem enim tolerantiam exhibuerit oportet, antequam ad illud remedium confugiat. Si verò ab idololatria tuta esse non potest nisi cum aperto vitę periculo, adeóq; vir illi instet vt eam persequatur ipsemet, licebit tum illi fuga sibi consulere, nõ animo diuertendi à viro & illius deserendi, vtcunq; se illi durum & intolerabilẽ exhibuerit: sed tantùm vt euitet apertum periculum. Ac tantisper fieri poterit faciẽte Domino, vt cor illud adeo efferatum viri mitescat & cõponatur: in vllius verò mortalis gratiã in Deum peccare nefas est. Te verò qui ita es de aliis solicitus, tãtò magis cogitaturum spero de tuo ipsius, officio erga magnũ illum Patrem cœlestẽ, à quo donatus es luce Euangelij Filij ipsius in qua nobis reposita est salus. Ac si hactenus bene cœpisti, tantò magis in posterum enitendum est tibi, atque indies modis omnib⁹ seriò proficiendũ. Cúmq; istic tot corruptelæ vigeant, caue existimes aliter officio te fungi posse, quàm vt ipse studeas vnicè vt Dei nomen glorificetur & ipsius cultus & honor inter tuos, vt par est, vigeat. Faxit Dominus, vt quod à te peto illi⁹ nomine, ipse etiam meis tibi precibus exoratus reipsa præstet. XXVIII. April. M. D. LVI.

IO. CALVINVS N. S. D.

De vsuris responsum.

NOndum ipse quidẽ tentaui quid appositè respõderi possit ad quæstionem propositam: sed aliorum exẽplo didici, quanto res ea cum periculo cõiuncta sit. Si enim omnino vsuras damnamus, induimus strictiorẽ laqueum cõscientiis, quàm Dominus ipse voluerit. Si vel minimũ cõcedimus, statim sub illo pretextu plurimi effrenẽ licentiã arripiẽt, quæ nulla deinde moderatione vel exceptione coerceri possit. Si ad te tantùm scriberẽ, minus istud vererer. Nota est enim mihi tua prudẽtia atq; moderatio: sed quoniã alterius nomine cõsilium rogas, metuo, ne ille verbulo quodã arrepto plus sibi multò permittat quàm vellẽ. Confisus tamen te rectè perspecturum quod sit illius ingenium, atque ex reipsa qua de agitur expẽsurum quid expediat & quatenus, meam tibi mentem aperiam. *Ex gall.*

Ac primùm nullo testimonio Scripturæ mihi cõstat vsuras omnino damnatas esse. Illa enim Christi sententia quæ maximè obuia & aperta haberi solet: Mutuum date nihil inde sperantes, malè huc detorta est. Quemadmodũ alio loco notans splẽdida cõuiuia, & diuitum illam ad sese mutuò excipiẽdos ambitionẽ, vocari potius ad sua illa epula ab iis iubet cæcos, claudos atq; alios egentes homines, qui in cõpitis iacerẽt, quibus nõ esset par pari referendi facultas: sic etiã notato illo loco, Christus correcturus illum hominum abusum in dãdo mutuo, præscribit nominatim illis dãdum mutuũ à quibus nulla spes sit quidquã receptum recuperatumve iri. Solemus autẽ primùm omniũ videre satisne tuta futura sit nostra pecunia apud illum qui mutuum rogat, cùm tamen egentibus maximè succurrendum fuerit, apud quos minus tuta esse pecunia solet. Eò igitur referũtur Christi verba, acsi egenis potius quàm diuitibus mutuum dandum iuberet. Nõdum igitur cõstat vsurã omnẽ esse prohibitã. Lex verò Mosis politica cùm sit, non tenemur illa vltra quã æquitas ferat atq; humanitas. Optandum quidẽ esset omnes vsuras, ipsúmq; adeo nomẽ à mundo pridẽ exulare. Hoc vbi obtineri nõ potest, quid bono publico fieri possit, videndũ est. Luc. 6. Deu. 23 19. Psal. 55. 12.

Supersunt certa loca Scripturæ in Prophetis & Psalmis, in quib⁹ Spiritus S. inuehit aduersus vsuras. Sic enim vrbẽ impiã describit, q. vsuræ viguerint in foro & in plateis ipsius. Sed quãdo vocabulum Hebræũ significat in genere fraudes, nõ ita strictè accipi hîc quidẽ possit videretur. Sed vt cõcedam⁹ agere illic Prophetã de vsuris nominatim, mirũ nõ est quòd inter ingẽria quæ grassantur mala, vsuras quoq; attigerit. Ferè enim vbi ad vsurã pecunię elocantur, comites indiuiduæ accedunt crudelitas atque innumeræ aliæ fraudes & circunuentiones. Vt ex oppositio inter pij & sancti viri encomia illud traditur, q. nõ dederit pecuniã suã ad vsurã. Adeo plusquã rarũ est, eundẽ esse hominẽ probum atq; fœneratorẽ. Ezechiel verò vlterius procedit. Dũ enim ea scelera recẽset propter quæ accensa sit vindicta Dei aduersum Iudæos, duo quædã vocabula vsurpat, quorũ vnum significat vsu- Psal. 15. Ezec. 22. 12.

ram atq; à themate quodã deductũ est, quod etiã significat rodere, alterũ vocabulum significat incremẽtum seu augmẽtum: quia nẽpe priuato quisq; lucro addictus, quæstũ ex proximi damno captabat aut potius extorquebat: quanquã certũ est durius etiã locutos esse Prophetas de vsuris, quia nominatim inter Iudæos illę interdictæ essent. Cùm igitur apertũ Dei mãdatum prætergrederẽtur, grauiorẽ etiã reprehensionẽ merebãtur. Quod adducitur hoc loco, eandẽ esse nostræ inter nos cõiunctionis rationẽ, vt eadẽ quoq; vsurarũ prohibitio retineatur, respondeo, q; ad coniunctionẽ ciuilẽ attinet, aliquod esse discrimẽ. Quia nempe circunstãtia loci ipsius in quo Iudæos collocauerat Domin⁹, vt & aliæ circũstantię etiã eò ptinebant, vt facilè esset illis negotiari inter se sine vsuris. Nostra coniunctio hodie per omnia non respondet. Nõ videmus igitur ita nobis interdictas simpliciter vsuras, nisi quatenus repugnant tum æquitati tum charitati. Ratio Ambrosij quam etiã affert Chrysostomus, non est magni momenti. Pecunia nõ parit pecuniam. Quid mare? quid domus ex cuius locatione pẽsionem percipio, an ex tectis & parietib⁹. argentũ propriè nascitur? Sed & terra producit, & mari aduehitur quod pecuniam deinde producat, & habitationis cõmoditas cum certa pecunia parari cõmutarive solet. Quid si igitur plus ex negotiatione lucri percipi possit, quàm ex fundi cuiusvis prouentu, an feretur qui fundũ sterilem fortasse colono locauerit ex quo mercedem vel prouẽtum recipiat sibi, qui ex pecunia fructum aliquem perceperit, non feretur? & qui pecunia fundum acquirit, annõ pecunia illa generat alteram annuam pecuniã? Vnde verò mercatoris lucrũ: ex ipsius inquies diligẽtia atq; industria. Quis dubitat pecuniã vacuã inutilẽ omnino esse? neq; qui à me mutuã rogat, vacuã apud se habere à me acceptã cogitat. Nõ ergo ex pecunia illa lucrum accedit, sed ex prouentu. Illę igitur rationes subtiles quidẽ sunt, & speciẽ quandã habent, sed vbi propius expendũtur, reipsa cõcidunt. Nunc igitur cõcludo, iudicãdum de vsuris esse, nõ ex particulari aliquo Scripturæ loco, sed tantũ ex æquitatis regula. Hoc exẽplo clarius fiet. Sit aliquis diues & amplis fundis ac reditibus prędituς, & minus numatus tamẽ. Sit alius mediocriter diues & nõ quidẽ ad alterius illius opes accedẽs, sed cui tamen amplior sit præsens pecunia. Hic igitur cum sua pecunia lubenter fundum ipse empturus sit sibi: rogetur ab illo ditiore, vt mutuã illi det pecuniã. Posset quidẽ qui mutuũ dat ita stipulari sibi reditũ pecuniæ suæ, vt fundus ex illa empt⁹ ipsi in hypothecã subiiceretur, donec sua ipsi pecunia redderetur (atq; ita sibi melius cõsuleret) sed fructu pecuniæ siue vsura cõtentus erit. Cur igitur primus ille cõtractus sine hypotheca ad pecunię fructũ tãtùm dãnabitur, alter sub hypotheca fundi empti & cũ reditu annuo lõgè asperior probabitur? & q̃d aliud est quã puerorũ instar ludere cũ Deo, cũ de rebus ex verbis nudis, ac nõ ex eo quod inest in reipsa iudicat. Quasi ex forma ipsa verborũ virtutes vitiave discernidebeãt. Nõ est verò animus rẽ ipsam hîc excutere, indicare tantũ volui, quod tu exactius apud te perpenderes. Tantũ illud memineris, nõ hîc in vocabulis, sed in reipsa momentũ quęstionis versari. Nũc igitur posito fundamẽto, veniã ad exceptiones. Exactè enim attẽdere hîc oportet, cùm plerique ex verbulo temere arrepto sibi deinde quiduis audẽdi supra quàm par sit, licentiam præripiunt.

Primum igitur illud esto, me, cũ vsuras in genere nõ dãno, nõ omnes etiã, pmiscuè probare posse, neq; etiã mihi probari si quis vsurariã quasi artẽ aliam quæstuariam factitet. Postremò sub istis semper exceptionibus vsurã pecuniæ legitimè pcipi posse tãtùm, nõ secus.

Prima est, ne exigatur vsura ab egentibus hominibus, neque vllum qui necessitate aut alia calamitate prematur, ad pensionem vsuræ cogi fas esse.

Secunda, vt qui mutuũ dat, nõ ita addictus sit lucro & cõmodo suo, vt interea omittat quod ex mera necessitate tenetur procurare: nempe ne dum cautum vult pecuniæ suæ, pauperum fratrum nullam rationem in ea apud illos etiam collocanda habeat.

Tertia est, ne quid in mutuo illo inferatur, quod non cõueniat cũ æquitate naturali, si expendatur ad illud Christi mandatũ: quidquid vultis facere homines vestri causa, vos quoque perinde illorũ causa facite.

Quarta, vt qui mutuò accipit, lucretur tantundem aut plus etiam ex ea pecunia, quàm qui illi mutuò dat, siue industriam siue operam conferat.

Quinta, ne ex eo quod in vsu est, quidvis & æquum sit æstimemus, neque æquũ ipsum ex hominum iniquitate, sed ex Dei verbo metiamur.

Sexta, ne tantùm rationem habeamus cõmodi vnius illius cuicum res nobis erit, sed etiam attendamus quid expediat Reipublicæ. Vsura enim quam pendunt mercatores, est publicum vectigal. Videndum igitur vt contractus etiam magis sit ad vtilitatem Reipub: quàm ad illius detrimentum.

Septima

Septima est, ne excedatur certus modus constitutus in quauis regione vel Repub: etsi neque eousque exigere etiam semper oportuerit. Sæpe enim permittitur quod non potest corrigi vel coerceri edicto ciuili. Imprimis igitur æquitas vna intuenda est, quę vna præcidat si quid hîc nimium erit. Tantùm abest verò, vt istud à te pro edicto vel axiomatis haberi velim: vt nihil magis exoptem, quàm vt ea humanitate sint omnes, vt mihi necessitas non sit, argumentum istud deinceps attingere. Quare sic ista complexus sum magis vt gratum facerem tibi, quàm quòd vellem te in eo planè acquiescere. Tu pro tua beneuolentia meum istud officium boni consules, ac fratrem mihi salutabis. Dominus tê & familiam tueatur.

An liceat fratris mortui viduam ducere in vxorem.

QVid hac de re pronuntiauerit Deus in Lege sua, obscurum non est. Mali enim sunt interpretes qui exponunt non esse rapiendam è thoro prioris mariti: vel si repudiata fuerit, illicitum esse illius coniugium viuente adhuc marito. Neq; enim cõuenit torquere in diuersos sensus, quæ vno in loco iisdem verbis pronuntiantur. Vetat Deus retegere turpitudinem vxoris patris & patrui, & filij, & nepotis. Cùm de fratris vxore eandem sententiam totidem verbis proferat, absurdum est diuersos sensus fingere. Itaque si fas non est patris, vel filij, patrui vel nepotis vxorẽ habere in matrimonio, vnum & idem de fratris vxore sentire conuenit: de qua similis prorsus Lex vno contextu & tenore perlata est. Nec ignoro vnde errandi occasionem sumpserint, qui ita sentiunt. Nàm quia alio loco iubet Deus, Si quis absque liberis decesserit, fratrem qui superstes erit, viduam accipere, vt ex eâ semen mortuo suscitet, hoc perperam & inscitè restrinxerunt ad germanos fratres: cùm Deus alios cognationis gradus potius designet. Nota est phrasis linguæ Hebraicæ, quæ in genere consanguineos omnes fratrum nomine complectitur. Quinetiam Latini olim sic vocarunt patrueles & amitinos. Lex ergo, cuius nunc fit mentio, de vxore fratris mortui ducenda ad eos tantùm cognatos dirigitur, qui alioqui non impediuntur à tali coniugio: quia Deo propositum non fuit, ne intercidat nomen mortui, incestuosa coniugia permittere, quæ alibi damnauerat. Quare hæc duo simul probè conueniunt, germanum fratrem prohiberi à coniugio viduæ fratris: & tamen propinquos iure cognationis obstringi ad semen mortuis suscitandũ, vbi liberum alioqui ex præscripto Legis coniugium est. Hac ratione Booz vxorem duxit Ruth, quæ antè nupta fuerat eius consanguineo. Et ex historia satis patet, Legem ad omnes consanguineos spectasse. Quòd si quis adhuc contendat fratres germanos in hoc numero comprehendi, eadem ratione ducenda socero in vxorem fuisset nurus, & vxor nepotis patruo, imò & priuigno nouerca: quod dictu pudendum est. Si quis obiiciat, filios Iudæ Her & Onan, & Sela fuisse germanos: Thamar tamen duobus nupsisse: solutio in promptu est, Iudam ex communi & recepto gentium more hac licentia non rectè fuisse vsum. Satis patet ex omnium temporum historiis apud gentes Orientales fœdas mixturas neglecto pudore fuisse in coniugiis. Mala igitur consuetudine, vt fieri solet, tractus fuit Iuda, vt eandem daret vxorem filio secundo, quæ antè fuerat vxor primogeniti. Et hoc etiam flagitium inter gentes grassatum esse exprimit Deus, vbi incestus damnat. Hoc igitur tanquam indubium retineo, Lege Mosis vetitum esse coniugium cum vidua fratris germani.

Leui. 18. 16.

Deut. 25. 5.

Qui volunt hac lege solutos hodie esse Christianos, obiiciunt illud Pauli, standum esse in libertate ad quam vocati sumus, & quæ nobis à Christo parta est: sed inscitè trahunt ad præsentem causam, quod longè alio fine & consilio protulit Paulus. Agitur enim illic de ceremoniis, quarum obseruatione seruiliter premebant conscientias falsi doctores, acsi necessariæ essent ad Dei cultum. In hac autem quæstione nihil simile. Quod rursum excipiunt, nos politicis legibus non subiici, facilè diluitur. Neque enim lex de qua nunc agitur, simpliciter numeranda est inter politicas: quia sumpta est à communi iure gentium, & naturæ honestate: quod ex præfatione colligitur. Quoniam enim omnes vicinas gentes abripuerat libido ad incestus, vt Deus pudicitiam populo suo commendet, ita præfatur, Ego sum Iehoua Deus vester: secundum consuetudinem terræ Ægypti, & secundum morem regionis Chanaan ne ambuletis. Postea subiicit, quinã & quot gradus cognationis vel affinitatis viros & fœminas arceãt à coniugio. Si quis rursus excipiat, Legẽ Israeli-

tis peculiariter latam cẽseri non debere in parte iurisgentiũ: præsertim quũ apud alios populos contemneretur: respondeo, corruptelã quæ grassata fuit passim in Oriente, non mereri nomen iurisgentium, quũ barbaries fuerit, & castitatis verecundięque obliuio. Porrò quod naturale est, nullo consensu vel more deleri potest. Tenẽdum igitur, prohibitionem de qua nunc vertitur quæstio, non esse ex earũ numero, quæ pro temporum & locorum circunstantiis abrogari queant: sed fluere ab ipso fonte naturæ, & fundatam esse in generali legum omnium principio: quod perpetuum est ac inuiolabile. Deus quidem morem qui apud Ægyptios & profanas gentes inualuerat, sibi displicere testatur. Vnde id? nisi quòd fœditatem licet hominum suffragiis probatam, repudiat ipse naturæ sensus atque aspernatur. Olim quum Claudius Imperator vxorem sibi sumpsisset Agrippinam neptẽ suam, tollendi probri causa, senatusconsultum fieri curauit, quo dabatur talibus coniugiis libertas. Nemo tamen repertus est, qui exemplum imitari vellet, excepto duntaxat liberto vno. Dissimilis causa, fateor. Verùm id retuli, vt appareat apud gentes profanas insolubile fuisse ius naturæ: atque inde colligant æqui & moderati homines, inter leges politicas & ius naturę, quasi ingenitum humano generi & omnium cordibus infixum statui debere magnum discrimẽ. Huc facit solennis illa admonitio, qua Deus populum suum à profanis gentibus separat, nempe Ægyptiis & Chananæis. In terra enim Chanaan sese miscebant fratres sororibus, posthabito honesti respectu. In Ægyptiis autem nihilò plus fuisse verecundiæ ex veteribus scriptis constat. Lex ergo politica censeri non debet, qua Deus clarè populum suum retrahit ab inquinamentis gentium. Vt res clariùs innotescat, Paulus in re minima nobis proponit ipsam naturæ legem. Nam vbi docet turpe esse ac indecorum mulieres in publicum prodire, nisi velatas, consulere naturã iubet, an deceat mulieres tonso capite in publico versari: & tandem subiicit, Natura id non patitur. Non video igitur, cur prætextu legis politicæ aboleri debeat, quod est ex iure naturæ, ideóque mutari nequit.

Leui. 18. 3.

1. Cor. 11. 14

Venio nunc ad leges Romanas, quæ eiusmodi coniugia repudiant. Si earũm ratio vel in vnius populi vtilitate, vel in vsu certi temporis, vel in præsenti necessitate, vel in aliis circunstantiis fundata esset: abrogari possent nouis de causis, aut solui posset earum obseruatio in certis personis priuilegio singulari. Verùm quia in illis ferendis tantùm spectata fuit perpetua naturæ honestas, ne dispensatio quidem esset tolerabilis. Impunè vt liceat statui potest: sicuti in arbitrio principis est pœnas remittere: verùm vt vitiosum nõ fit quod vitiosum esse natura dictat, nullus legislator efficiet.

Si obiicitur, non prohiberi nos in nouo Testamento à talibus coniugiis: respondeo neque inter patrem & filiam coniugium vetari, neque matri interdici, ne filio suo nubat. An ideo promiscuè licebit consanguineis inter se coire? Sed hoc obiectum Pauli testimonio facilè diluitur. Nam Corinthium reprehendens, qui se nouercæ coniugio polluerat, facinus, inquit, toleratis, quod ne inter gentes quidẽ auditur. Si quis excipiat, non agi nunc de coniugio priuigni & nouercæ, solutio intempestiua erit. Nihil enim aliud volo, quàm dedecus nobis proponi in exemplo gentium: vt saltem nos pudeat, si plus in illis verecundiæ & modestiæ cernitur. Et sanè ad hanc rem vna mihi Pauli admonitio sufficit: qui ad Philippenses scribens, Quæcunque, inquit, sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus, hæc cogitate.

1. Cor. 5. 1.

Phil. 4. 8.

Postquam de quæstione ipsa in genere & θετικῶς disserui: nũc ad Illustrissimum Principem verba mea dirigam, eiúsque Celsitudinem & suppliciter rogabo, & sanctè obsecrabo, vt se affectúsque omnes suos Dei verbo penitus addicat. Equidem persuasus sum hoc desiderium à probabili ratione ortum esse: siue vtriusque partis virtutes mutuum amorem conciliarint, siue etiam spectata fuerit publica vtilitas. Superest tamen vt affectum hunc qualemcũque licet originem ducat à bono principio, Illustrissimus Princeps temperet ac moderetur ne in progressu impingat. Multa licere admonet Paulus, quæ tamen non expediunt. Verùm omnibus placida & composita mente expensis liquebit in hac causa etiam non licere, quod non expedit.

Ad quæstio-

Ad quæstiones coniugales.

IN quibus gradibus consanguinitatis non permittat Deus Lege sua coniugium contrahere, satis notum est. Fratri sororem, patruo, vel auunculo neptem, aut etiam proneptem ducere non licet: sicuti nec amita, vel matertera nepoti suo, vel pronepoti nubere potest. Frater autem patruelis, aut consobrinus sororem suam in gradu opposito ducere non vetatur Quod Lege Dei mandatum est, vocare in quæstionem fas non est, quantùm ad prohibitiones spectat: vt incestuosa coniugia censeri debeant quæ illic damnantur. Sed quia longo vsu receptum est, ne consobrinus, vel patruelis sororem suam ducat, offensionis habita fuit apud nos ratio, ne talibus coniugiis libertas concederetur. Si quis ergo interroget de summo iure, non respondebimus simpliciter peccare, qui suam consobrinam vxorem accipiet. Verùm quia hæc licentia exponeret Christi Euangelium multis probris, tenenda est Pauli admonitio, Ne libertas nostra cuiquam cedat in offendiculum: deinde vt abstineamus etiam à licitis, nisi ita expediat. Nec verò seruitus, qua inter se mutuò adstricti sunt fideles pro charitatis officio, metuenda est: quia liberæ manent conscientiæ coram Deo. Quantùm ad gradus affinitatis spectat, similis est ratio. Disputant quidam, vel potiùs litigant, annon viro cœlibi liceat accipere sororem vxoris mortuæ: ac prætextum arripiunt ex verbis Mosis, Vxorem cum sorore eius non accipies in mœrorem vel angustiam, vt reueles turpitudinem eius ea viuente. Sed refellitur iisdem verbis eorum error: quia Moses illic non tam incestum damnat, quàm crudelitatem mariti, qui vellet cognatam vxoris suæ superducere. Est igitur illic exceptio polygamiæ: quia cùm ob duritiem cordis concessum esset Iudæis plures simul vxores habere, excipere voluit Deus, ne duæ sorores, vel cognatæ, quod idem est, in certamen vel æmulationem committerentur. Leuit. 18. 6. 1. Cor. 10. 23. Leui. 18. 18.

2. Quia hactenus non tam seuerè, vt decebat, animaduersum fuit in adulteria, vt eorum vitæ parcatur, qui violant fidem coniugij, durum esset virum quocum diuortium fecit vxor adulterij causa, aut mulierem à marito repudiatam, si incontinentia laborent, in totam vitam à coniugio arcere. Itaque necesse est, vt indulgentia vna alteram trahat. Consultum tamen non videtur, in eius partis quę damnata est, arbitrio ponere, vt statim ad alias nuptias transuolet. Ideóque libertas ad tempus differenda est, siue præscribere libeat certum tempus, siue expectare dum pars innoxia ad aliud coniugium transeat.

3. Frigidos & eunuchos, quibus negata est virilitas, diserte à matrimonio excludit Christus. Et certè cùm nihil magis consensui repugnet quàm error, non potest obstricta esse mulieris fides quæ viro se nubere putauit. Adde quòd hæc frustratio cõiugij naturam & finem prorsus euertit. Nam matrimonium quid aliud est, quàm maris & fœminæ cõiunctio? Quorsum verò institutum est, nisi ob duos fines, nẽpe vel ab sobolem procreandam, vel vt remedium sit incontinentiæ? Ergo dubium non est, quin mulier quę decepta fuit, causa cognita, & bene probata, diuortium impetrare debeat. Nec verò opus est rescindere coniugium, quod ab initio nullum fuit: sed pronuntiare sufficiet eum qui ad cõiugium idoneus non erat, perperam & malo dolo fœminam decepisse, cui maritus esse nõ poterat: atque ita stipulationem in qua nihil erat mutuum, irritam fuisse ac prorsus nullam.

4. Matrimonium nonnisi inter puberes legitimum esse, meritò semper iudicatum fuit. Itaque lusus puerilis est, & simul tamen leuitas castigatione digna, si puer sibi vxorem despondeat. Ac primò statuendum est, quicunque sub parentum vel tutorum sunt potestate, hac maximè in parte non esse liberos nec sui iuris. Verùm quãuis accedat parentũ vel tutorum cõsensus, vel ipsi sunt præcipui auctores: stipulationes tamen ante ætatem factæ impuberes non obstringũt, nisi pòst quàm adoleuerint, maneãt in sententia, spontéq; testẽtur, se ratũ habere quod priùs intempestiuè gestum fuerat. Si qui verò liberos suos despondeãt ante tẽpus, vt se & sua obligẽt, non possunt tamen pueris nondũ ad coniugium maturis laqueum iniicere. Et quanquam eiusmodi contractus profanatio quædam est coniugij, si quis tamen temere multam sibi imposuerit, sustineat quam meritus est pœnam: coniugij tamen nulla est actio: quia liberum est pueris, vbi ad pubertatem venerint, retractare quidquid parentes de ipsis malè transegerant.

CALVINVS N. N. S. D.

Si alter ex coniugibus in elephantiasim inciderit.

ANtequam vestræ nobis redderentur, vltimæ nostræ, vt speramus ad vos peruenerint. Nunc res de qua quæritis valde perplexa est. Neque enim iusta diuortij causa est morbus, qualiscunque tandem sit. Quandiu autem firmum manet coniugium, videtur alter alteri obstringi. Vtrósque autem hortatur Paulus, vt debitam beneuolentiam reddant, maritus vxori & vxor marito. Quòd ad coniugij vinculum spectat, insolubile esse statuimus, quamuis à thoro separetur vxor. Sequitur quæstio: An elephãtiasis, quæ vulgo dicitur lepra, si ea percussus fuerit vir, mulierem à lege concubitus separet. Dicunt genus illud hominum si prurigine laborat, esse maximè libidinosum. Causabitur ergo sibi opᵍ esse vxore. Sed si quis esset humanitatis sensus in homine elephantiaco, primùm vxori suæ & liberis parceret: deinde consuleret generi humano, ne longius contagio serperet. In eo iam deprehenditur, non facere nec mariti, nec patris officiũ: atq; etiam quodãmodo boni publici esse inimicus. Prętera nisi bruto stupore percussus est, sicuti aliis omnibus est fœtidus, ita spõte propria modestia seipsum sepeliret. Certè ne simus crudeles, non audemus hac necessitate mulierem obstringere, vt contubernio & thoro iungatur viro, qui omnes naturæ leges obliuiscitur: sed concedendum censemus, vt cognitione iudicum interposita viduitatem colat. Interea verò quibuscunque poterit officiis, nõ desinat maritum prosequi, modò ne, quod ferè prodigiosum est, ab ea exigat. Valete optimi & integerrimi fratres. Dominus vobis semper adsit, vos tueatur, & Spiritu suo regat. Geneuæ 1111. Non. Decemb. M. D. LXI.

CALVINVS N. S. D.

Ad coniugium minus rectè institutum.

ETsi in tanto consultantium numero non semper omnium votis obsequi vacat: non sum tamen vsque adeo morosus, vt piis eorum studiis offendar. De tuis autem literis verissima fuit excusatio. Quum enim tumultuariè & cursim tantùm inspectas iterum paulò attentius legere in animo esset: quod rarissimè vel nunquam mihi accidit, eas perdidi. Repondere verò temerarium putaui, donec melius compertum mihi foret, non modò quid quæreres, sed quos tibi expediri velles nodos. Clandestina coniugia, quæ occasionem præbent, imò ianuam aperiunt multis flagitiis, meritò boni omnes improbant. Atq; vtinam iste quisquis est, aliam sibi vxorem potius sumpsisset, quàm consobrinam. Etsi enim tam lege Mosis, quàm communi Gentium iure id semper licuit: tenenda est Pauli admonitio, ne plus sibi permittãt fideles, quàm expediat. Certè in cõiugiis gradus ille apud nos adhuc excipitur, ne probris obnoxiũ sit Euangelium Christi. Dum verò isti nimiùm carnis suæ libidini indulgẽt, scortationis infamiam subire malunt, quàm cõiugium fateri. Atqui si ex duobus malis alterutrum eligere oportuit, præstabat libertatem pecunia redimere, quàm se demergere in hunc labyrinthum. Nam inde factum est, vt mulier simulátque obrepsit fastidium mariti, neglecta fide diuortiũ faceret: eadem leuitate maritus, causa incognita, ad nouas nuptias trãsuolaret. Digni ambo in quos seuerè animaduertatur, indigni in quorum gratiam tam laborioſè de perplexa causa inquiras. Quis enim iam exitus reperietur? Vxor iugum mariti excutiendo, violauit datam fidem. Voluntarium ergo hoc diuortium non procul abfuit ab adulterij specie, siue eam morositas, siue libido impulit. Verùm maritus, quia res adhuc manebat integra, licet frustra tentata reconciliatione, & quidem sæpius: debuit quoduis potius subire discrimen, vt eam ad præstandum officium cogeret, quàm & priuato consilio sacrum & insolubile vinculum abrumpere, & sibi iudicium sumere in propria causa. Itaq; secundæ vxoris inductio nihil aliud est, quàm merum adulterium honesto coniugij titulo velatum. Neque enim illa vxoris discessione liber erat, donec legitimè cognitum foret, suo iure eum priuari. Fefellit igitur secundam, cui fidem iam alibi obstrictam quasi solutus dedit. Mulieri quoque nihilò maior libertas, quæ occasionem adulterio præbuit. Silere enim, quum videret adulterinum coniugium tractari, quid aliud fuit quàm subscribere? Certè turpissimi lænocinij rea tenetur, quæ volens & sciẽs marito permisit

misit se ita prostituere. Rogabis, quisnam ergo sit exitus. Certè nisi hominibus concedatur, vt peccando maiorem peccandi licẽtiam sibi acquirant, vt erque prima fide manet deuinctus: neque alia solutionis ratio apparet, nisi vt vir se adulterum fuisse fateatur, vbi ad secundam vxorem præposterè transiit: mulier se quoque socia m criminis agnoscat, imò primam culpæ originem in se residere. Nunc si ad priorẽ redire nolit ille, subeerit non parua collusionis suspicio, & res erit mali turpísque exempli. Mulieri quæ diuortium temere fecit, non video liberum esse ius nubendi, donec se ad reconciliationem obtulerit. Quid faciet ille? nisi valde fallor, perplexum hærere necesse erit. Ego igitur quid pronuntiem, nisi perspectis melius circunstantiis, non reperio. Ac te rogo, eximie vir, vt meæ dubitationi ignoscas, si de re adeò confusa inter homines ignotos iudicium ferre non audeo. Plus fortè aliquid à me expectasti: boni consules quod possum. Vale frater mihi honorãde. Dominus tibi semper adsit, te gubernet Spiritu prudentiæ & rectitudinis, præsidio tueatur, & virtute sustineat. III. Calendas Ianuarij. M. D. LVII.

RESPONSIO AD QVAESTIONEM PROPOSITAM DE prouentu annuo Sacerdotij Papalis, & venditionis pretio.

SI de re adhuc integra dandum esset consilium, non licere existimo, quamlibet specioso prætextu, possidere vlla Sacerdotia in Papatu: quia nullum assem colligere inde licet, qui non sit sacrilegio inquinatus. Verùm si quis per inscitiam & errorem collectos inde fructus absumpserit, non video cur de restitutione anxiè laboret. Distinguo alimenta à repositis thesauris. Nam si quis ex ea pecunia se ditauerit, donec restituat quod iniustè detinet, non est purus ab anathemate. Ergo sicuti Moses tranquilla conscientia aulam Pharaonis, & delicias reliquit, quia genus illud vitæ non sponte appetiuerat: sic hodie quisquis maledictis illis opibus se abdicat, quibus se ad tempus sustinuit, quieto animo in posterum legitima ratione victum sibi acquirere potest.

Quòd ad pretium venditionis spectat, scelerata haud dubiè fuit pactio. Sed emptore mortuo non aliud supereſt, nisi vt qui pecuniam iniustè accepit, studeat, quoad suppetet facultas, & occasio dabitur, lucrum illud quo se contaminauit, aliò transferre. Itaque pro suo iudicio, quibus & quando videbitur eroget, quantùm adhuc retinet, ne sit ex alieno locupletior.

Adolescens qui insciis parentibus vxorem duxit, agnoscat se iustas leuitatis pœnas dare, si vxor est immorigera: nec miretur, quum Deo & parentibus non præstiterit quod debebat obsequium, sibi rependi iustam mercedem in vxoris contumacia. Et quia dissensio in Religione coniugium non dirimit, quandiu poterit absque periculo cum vxore habitare, maritali officio fungatur. Quòd si maior vis & necessitas ipsum cogat ab ea discedere, in cœlibatu maneat, donec vel resipiscat vxor, vel diuortij causam præbeat. Calendis Septembris. M. D. LX.

GRYNAEVS CALVINO ET FARELLO S.

RO vos per Dominum vt nos primo quoque tempore liberetis solicitudine ingenti de rebus omnibus scribendo. Spero in Dominum Christum vos Christiana lenitate ac humilitate omnes aduersarios superaturos, & omnem etiam occasionem vestri Euangelij calumniandi hostibus adempturos. O scintillantes igne Satanæ oculos & accensum studium in vestrum ministerium deiiciendum. Sed agite, agite fratres mei charissimi, optima ac sanctissima pectora, armis omnibus Christianæ militiæ induti, ac isto præsertim iniquissimi temporis momento fidelissimè instructi, stemus: ac ad negotium Domini fortibus animis, inuicto pectore redeamus. Non odium eorum, qui se in hac causa odiosos verè præbent, superet. Nos enim ij sumus, qui etiam pro inimicis orare, nedum fer-

re & amplecti possumus. Non populi stulta iudicia, & stultus leuisque popularis iudicij metus nos hîc labefaciat, qui lux sumus mundi, & subiicere nos infimo cuique, etiam ingratissimo possumus. Non dolor & contemptus nostri nos frangat, qui nihil dolere didicimus, quàm cùm Satan arte sua negotium Domini perturbat. Oro charissimi fratres, oro vos per viscera Christi reuocare in animum omnem pietatem, omnem sapientiam velitis, dum vos vestra virtute ac constantia labantem istic Ecclesiam, ad manus vestras reuocatam iterum dante Deo, sic vt constitit, tueamini, ac regatis. O quod munus est, quàm solida & vera laus vestra, si in solum Christum respicientes vestri in hac causa toti obliuiscamini. Deus Iesus Christus confirmet mentem vestram ad opus ipsius sanctum. Basileæ, x i i. Iulij.

Simon Grynæus vester.

CALVINVS GRYNAEO S.

QVando mirificas & propè incredibiles esse Satanæ artes, quibus vnà cum opere nostro assiduè nos impetit, satis iam experti sumus, minimè nos fefellit malitiosa eius vafricies, qua nos per Carolum suum nuper adortus est. Nam & eiusmodi certamina omnia multò antè opinione conceperamus, & ad ea sustinenda eramus animo parati. Itaque cùm Arrianæ primùm hæreseos, paulò pòst etiam Sabellianæ insimulari nos audiuimus, nihil nos istorum valde perturbauit, cùm & ad tales calumnias aures nostræ pridem obduruissent, & spes certa esset, in fumum mox exituras. Purgationem duntaxat, quæ præ manibus erat, obiecimus, qua piis omnibus ac integris viris satisfieri abundè posset. Conscriptus enim aliquantò antè catechismus à nobis fuerat, Gallicè etiam editus, vbi sub vna Dei essentia nos Patrem, Filium, & Spiritum complecti testabamur: alterum tamen ab altero sic distinguebamus, ne quis sinistræ suspicioni locus telinqueretur. Christum nempe docebamus verum & naturalem esse Dei Filium, qui vnam cum Patre diuinitatem ab æterno possedisset, carnem nostram suscepisset secundum tempus redemptioni nostræ destinatum. Cùm pergeret rabiosa illa bestia, conuentum Ministrorum totius Bernensis ditionis dari nobis petimus, apud quem innocentiam nostram defenderemus. Fratres Gallicæ linguæ prius Lausannam coacti sunt, quò etiam duo è Senatu Bernensi, ac Ministri duo missi sunt. Quæcunque conflari mendacia potuerant, bonus ille vir in vnum fasciculum collegit. Venerat enim ad accusationem instructus, quomodo Iurisconsulti præcipiunt, nempe cum sacco paratus. Verùm totum illum saccum nostra refutatione sic exhausimus, vt ne minima quidem suspicio in hominum animis resideret. Demum ventum est ad nostræ confessionis recitationem, in qua decem circiter errores ipse quidem animaduertit, alij penè omnes, nihil non pium esse ac sanctum iudicarunt. Ita nos Synodi sententia fuimus absoluti, ille indignus iudicatus, qui ministerio fungeretur. Tali exitu nihilò demissiorem factum arguit perpetua eius impudentia: saccum illum futilem, magis quàm antea refertum attulit: vbi à nobis excussa omnia fuerunt, quibus suspicionem aliquam de tempore præterito iniicere conabatur, producta est confessionis nostræ forma, quæ omnibus aliis criminibus absoluta, vno duntaxat capite rea fiebat, quòd Christus illic affirmatur ille esse Iehouah, qui à seipso semper habuit vt esset, quam criminationem discutere promptum fuit. Nam si distinctio spectatur, quæ est inter Patrem & Verbum, hûc ab illo esse dicemus. Si autẽ Verbi essentia consideratur, quatenus vnus est cum Patre Deus, quidquid dici de Deo potest, in illum cõpetit. Iam quid nomẽ Iehouah significat? quid illud quod Mosi dictũ fuit? Ego sum qui sum. Huius dicti Christum auctorẽ facit Paulus. Apud te quidẽ, pióſq; omnes in approbanda eius sententiæ veritate nõ laboramus, sed noluimus tacitam prẽteriri perditi huius calumniatoris malignitatem, ne quidquã ad vos, secus quàm res haberet rumor, deferret. Nihil enim dici apertius poterat, quàm habet nostra confessio: Christum sermonem esse illum æternũ ex Patre ante sæcula genitum. Verùm nisi dupli cem Deũ cõminisci libet, de eius essentia disseramus oportet nõ aliter, ac de vnius Dei essentia. Atq; hac ratione, cui nõ satisfaceret, nemo præter ipsum repertus est. Fratres vt dignum erat fidis Christi Ministris, nos iniquissimè in suspicionẽ aliquam adductos sibi videri

videri pronuntiarunt. In noſtra autem confeſſione nihil improbandum ſe animaduertiſſe. Dum hæc geruntur, afferuntur à Myconio literæ publicè ad conuentum ſcriptæ. Aliæ rurſum à Capitone ad Farellum generatim miſſæ, quibus vtriſque intellectum eſt, horrẽdum longè latéque rumorem de noſtra controuerſia peruagatum eſſe. Denique ad excitandam erga nos gentium omnium inuidiam malicioſè à certis hominibus fabrefactum. Quòd autem hõmo nihili futiliſſima ſua vanitate tantùm proficere potuerit, vt tot Eccleſiis ſiniſtram de nobis opinionem iniiceret: id verò eſt, quod nos vehementer perturbauit. Siquidem non leuis momenti rem eſſe ducebamus, ſi caput Religionis noſtræ præcipuum, inter nos controuerti aduerſarij noſtri audirent, vel Eccleſiæ quidquam de nobis tale ſuſpicarentur. Eò autem grauius hoc nuntio perculſi ſumus, quòd id ne timere quidem nũquam in mentem venerit. Speramus tamen fore, vt Domini bonitate inanes illi fumi diſcutiantur propediem, ac in capita impiorum recidat, quidquid mali Chriſto, eiúſque Eccleſiæ intentarunt. Cœpit enim iam affulgere Domini manus, atq; virtus eius ſeſe exerere, ad extinguenda hæc qualiacunq; exordia. Sycophanta ille Senatusconſulto in exilium actus eſt, nos planè abſoluti, non à crimine modò, ſed ab omni quoque ſuſpicione. Quanquam verò ſe Athanaſij titulo nunc venditet, qui pœnas luat defenſæ fidei: nullum tamen fore periculum videtur, vt orbis pro Athanaſio ſacrilegum, ſcortatorem, homicidam ſanctorum multorum ſanguine madentem agnoſcat. Qualem dum iſtum prædicamus, nihil dicimus, quàm quod ſolidis teſtimoniis reuincere ſumus parati. Hæc tibi paucis ſignificata volui, ne iniquis improborum delationibus abſentes ſic inauditi (vt fit) opprimamur. Exemplar etiam Cõfeſſionis ad te mitto, quod cum tuis Collegis communices. Magnopere enim referre duco, vt ne obſcuris rumoribus exagitentur. Simul te obteſtor, vt tum Confeſſionem ipſam, tum has literas ad illos ipſos etiam fratres mittendas cures, aut potius ipſe propriis tuis literis eorum animos placare intendas. Vale. Dominus Ieſus vos omnes Spiritu ſuo impleat, quò vnanimes nominis ſui gloriam propagare poſſitis. Bernæ.

Tuus Caluinus.

GRYNAEVS CALVINO S.

QVæ iſtæ & quorum de vobis tam graues querelæ ſint, ego neſcio. Nullæ dum enim ad nos venerunt. Capito non ſemel ad me ſcribit vltrò veſtra omnia excuſans, & valde Eccleſiæ veſtræ bene cupiens. Rumor principiò grauis ſanè fuit, qui meipſum quoque turbauit, cùm in iſto præſertim argumento contendere vos audirem de appellationibus perſonarum diuinarum, & à conſuetis vocibus inſtituere recedere. Ea enim res videbatur amplius præ ſe ferre. Verùm vbi ad nos confeſſio tua venit, neminem video qui non ſatis ſibi factum putarit. Mihi priuatim valde doluit, ab iis grauem in Eccleſia contentionem eſſe exortam, quorum vterque mea eſſet amicitia & conſuetudine vſus diu. Etiam hoc mirabar, quomodo tantùm incendiũ & tamdiu durans, & vixdũ extinctum me latuiſſet. Hoc queri apud Farellũ memini, ac aliud præterea nihil: niſi quòd dicerem vereri me, ne rudis & noua Eccleſia niſi cautè adminiſtraretur ſub initia, capere magnum incommodum poſſit ab iſtis contentionibus. Sic igitur ex me habe, neminem ſcire me qui de vobis queratur. Carolum talem eſſe qualem pingis, haud ægrè adducor vt credam, poſtquam ad illos à vobis ſeceſſionem facit. Quid enim inſtituit aliud, quàm quòd tu melius prædicis. Promiſerat mihi & Mauro hîc ampliſſimè. Valeat igitur, valeat. Noſtrum eſt in iſta magna rerum difficultate modis omnibus iungi & diuelli minimè pati. Peſtis eſt Eccleſiæ noſtræ vna hæc pernitioſa maximè, quòd ſuſpicionibus valde inter nos laboramus: & fratres de fratribus rarò candidè veréque ſentimus, cùm lenire oporteat, & in partem optimam omnia trahere: & non antè ſiniſtrè de fratre ſuſpicari, quàm ipſa res euentúſque coegiſſet. Ah quàm malum eſt eos quos noſſe Chriſtum credimus, in ſuſpicionem prauam rapere ſubitò. Ita quod ſuſpectum erit nobis, inutile reddimus. Literas Capitonis quibus optimè de vobis ſentire ſe teſtatur, miſiſſem ad te niſi putem ipſum de re eadem ad te ſæpius ſcripſiſſe. Quod Fa- *Ex Gall.*

rellus de comite consulit exequar apud Capitonem. Tu valebis interea. Amemus in Domino verè nos, & illi toto corde seruiamus. Saluta fratres omnes diligenter. Farellum, Viretum cumprimis diligentissimè. Dominus Iesus nos in suam sanctam voluntatem seruet. Amen.

Grynæus tuus.

GRYNAEVS CALVINO

Gratia & Pax.

TErnis tuis literis hæc tandem, vir & frater amantissime & colendissime, respondeo. Pium est votum fratrum Geneuatium: & nostri sine officij prætermissione deesse voto illorum non possunt. Antonium audio & Morandum ea doctrina & synceritate eximios haberi, qui haudquaquam dissimulaturi sint, si quid peccetur grauius à Geneuēsibus. Equidem nec scio quid agatur Geneuæ, nec quales homines isti duo sint. Verùm dum non à vobis modò, sed à nostris etiam hominibus didici, qui rerū modò Geneuæ potiūtur, eos à Christi studio alienos esse, tum in vos etiam & disciplinam Ecclesię admisisse tam atrocia, valde vereor & meritò, vt istis rempub. gubernātibus Religio & disciplina morū miserè habeat. Qui enim non est cum Domino, & cum eo non colligit, is est contra eum, & dispergit. Iam successoribus vestris rem tolerabilem esse depulsos Pastores gregis Dominici à grege suo tanta peruersitate, tanta importunitate, documēto est eos aut non intelligere quid sit esse Pastorē gregis Dominici, aut valde auersum à Christo animū habere. Sed quàm tolerabile illis sit, vos à grege Domini depulsos eo furore, nescio. Dominus donet illis sensum suum. Vt verò nunc res habent, non est quòd de legatione illa nobis polliceri valeamus. Dominus pia illa pectora seruet, & viam illis ostendat, & expediat, qua Ecclesia illa verè restituatur. Hæc ad primas literas. Alteræ nihil quàm innocentis & verè pij adolescentis confessoris Domini commendationem in se continebant: cui ego adfui pro mea virili & adero. Ipse puto scribet: sic enim statuit. Iam ad tertias. Post multam de liberationem huc deuenimus, Capito, Sturmius & ego. Nisi luculentè spes obiiciatur fructus alicuius maioris, quàm ex otio tuo & simul eo negotio quod te Christo hîc suscipere cupimus, adhuc censemus te debere ad nos venire. Paruus quidem hîc numerus est eorum quibus seruies: inter hos autem sunt in quibus multū fructus speres, tum etiā qui tua cura valde indigeant. Denique qualecunque mynisterium hîc sit, cōfidimus id non inutile fore ad illud, vt opus Domini quod Sabaudicis Ecclesiis per tuum ministerium exhibitum est, in suam fidem & auctoritatem restituatur. Id enim nūquam sine offensa Dei cogitādum, te ministerio vel tantillo tempore subducere, dum vllus ministerij locus offeretur. Fac esse quòd tua vnius grauissima culpa res Christi sic labefactæ sint Geneuæ: non tamen pia erit eiusmodi pœnitentia, qua in ista Ministrorum, qui idonei sunt, inopia, tu istis dotibus non tibi, sed Ecclesiæ ornatus, oblatum ministerium repudies. Quòd ad Farellum attinet, nos liberè ei scriberemus, nobis videri, nec Ecclesiis nec tibi vtile, te eò loci nūc agere, vbi acceptum vulnus quotidie nouis incisionibus exacerbetur. Nec audimus res melius habere Geneuæ, aut officium facere vestros successores. Iam metuo illis à iudicio grauissimo illo Domini, ne si scientes & ptudētes desint officio, in tanta Ecclesiæ afflictione, tradantur in reprobum sensum, vt indies designēt atrociora. Hęc verò si eueniēt, quod Dominus auertat, quid aliud erit te in eo loco constituere, quàm te iugi dedere carnificinæ? Meritò enim ista cuiusque sancti & pro domo Domini zelantis animum lancinent, & excrucient summopere. Sed sit vt melius agat cum illis Dominus, adhuc tamen nescio vnde sperarem, non plus adhuc malorum extiturum illic, quàm tu etiamnum ferendo sis. Adderemus & nolle nos detinere te nostro tam paruo ministeriolo, sed tantùm te cupere spatium tibi dari, te plenius ab illo labore recreandi. Hæc sanè appositā nunc quidem haberemus, donec aliud tempus aliud consilium afferret. Vale in Domino charissime Caluine semper.

Grynæus tuus.

GRY-

GRYNAEVS CALVINO S.

REVuenis hic apud nos dies aliquot fuit. Discere istic Religionem cupit. Est Nycæus. videtur esse simplex. Si qua istic est tibi huic iuuandi spes, oro vt des operam. Diu non scripsi ad te: oro vt ne interpreteris secus, quàm est factum. Nam in istis occupationibus vestris nolebam cuiquam esse molestus. Spero amicitiam nostram esse in Christo Iesu indissolubilem. Vale, pridie Augusti. M. D. XL. Saluta omnes amicos. Subitò hæc scripsi.

Simon Grynæus tuus.

GRYNAEVS CALVINO S.

ROgauit me N. vt se apud te excusarem diligenter. Hoc promittit de se mihi, & ego tibi de ipso, se de tuo scripto sentire vt par est. Nos enim te fratrẽ in Domino libenter ac cum gaudio agnoscimus, ac pro eximio ornamẽto Ecclesiæ nostræ amplectimur. Itaq; noli hic tibi molestus esse amplius mi frater. De Lutheri super nostra confessione responso benignissimo credo te audiuisse. Spes est optima nobis eum rectè processurum. Vos istic in Domino Christo optimè valete. Saluta venerandum mihi Farellum. XII. Februarij.

Simon Grynæus tuus.

BVCERVS CALVINO S. D.

DE motu illo idem omnino quod tu suaseram, quanquã non tam planè scripseram. Circunstantias causæ quas tu modò mihi exposuisti, ignoraui: ideo eam nunc petendam dilationem optaueram, dum remisisset sese illa animorum concitatio tam impiè excitata, & recepissent sese fratres ad defensionem veritatis grauem & claram. Huius capita prima fuissent, disputationem nihil quàm crassam illam præsentiam damnare, & necessariò fatẽdum veram percipi in Eucharistia corporis & sanguinis Domini cõmunionẽ: tum cętera quæ disciplinę sunt, clarè à Domino prędcepta esse, vt dissimulari taceríq;, nisi Christo abnegato, nõ possint. Tu me tuis literis perturbasti. Expertus enim sum multis in locis quantũ causæ veritatis nocuerit insyncera defensio, & neglectus cõmunionis. Christus gaudet virtutẽ suã sic explicare, ne videatur malorum affectuũ patronus, & caput factionis. Literæ meæ vt nunc queritur N. nõ sunt ipsis allatę. Consiliũ à me petit. Scribã igitur illi de synceritate actionis, de necessitate cõmunionis, de pia cautione, ne quid admisceatur ad causam Christi, de explicatione clara, & ex Scripturis ipsis manifestè deprompta, qualis tua est, quam ne inferi quidẽ calumniari queant. Deniq; de probis patronis, qui & Christi verè sint, & nostri tantùm propter Christũ. Illa tam execror de imaginibus, de adseruatione symbolorum, vt libẽter fingerẽ mihi cõficta esse per calumniam. Nã vitiosa hæc sunt, & submouenda, vbi remanserunt. De infirmorũ cõmunicatione motũ aliquid audieram, & non improbabam. Tu verò piè & necessariò facis, quod facis: etiã in infirmis, & vitiosis fratrib⁹ defendẽda est causa Christi. Sed simul dãda opera, vt infirmi aliquãdo roborentur, & vitiosi corrigantur. At dum ita partim ipsi fugimus, partim Satanæ prodimus pias Synodos, quid nobis polliceamur? Christus caput esse vult omniũ membrorũ suorum, & agere per vniuersa nõ per singula. Exhilarasti me facta spe plenæ inter Bernates & vestram Remp. conciliationis. Quanquã si non contrahatur & Ecclesiarũ societas, & restituatur vnà res Ecclesiasticas tractãdi facultas, nihil prętabis via cõciliationis. Videmus quotidie, vt Dominus eos qui ipsius nomẽ iactant, coniungi nõ in se, non patiatur. Instabis igitur, & instabo ego tecum, vt causam Christi fratres quàm simpliciſſimè, & totam, & ex verbo Dei ipso, & συμμάχοις purè Christianis agant. Per ministerium restitui omnia necesse est: ergo ministerium ipsum prius. Id verò non fiet, nisi conspirantibus & communiter agentibus, quotquot inter se communicare poterunt. Meti Farellus vnã duntaxat concionẽ habuit, quòd sciam, & in cœmiterio Dominicanorum: qui cùm aliud nõ possent, strepitu campanæ suæ verbũ Domini populo auertere conati sunt. Sed Farellus noster voce intẽta vsq; ad summã raucedinẽ, campanæ sonitũ vicit.

Postridie tria millia aderant audituri: sed præcipui inter eos qui Euangelium petunt,& ipse Consul à Farello impetrarunt,vt quiesceret dum rem eò deducerent,vt sine metu motus ciuilis, concio haberi posset: quod breui fore pollicebantur. Vocatus Farellus eodem die ad summum consilium,& rogatus, quo iubente prædicasset,& quo petente, respondit,Christo iubente,& petentibus membris:nec tamen voluit quemquam nominatim indicare.Et satis grauiter ac piè coram illis de suo munere & prædicatione Euangelij disseruit,eósque officij sui admonuit.Dum verò illi deliberarent quid de eo statuerent,fratres deduxerunt eum domum: & impositum equo, qui magnitudine & habitu nõ absimilis esse Farello videbatur,simularunt se fratres quidam educere Farellum.Interim quieuit Farellus, expectans legationem quam Euangelij initio statim cùm ipse Metim venisset, miserant ad nostros, qui à nostris auxilium, & ab vniuerso fœdere peterent. Visum enim fuit vt legati ex nostris Electorem Sax.& Landgrauium adirent, & ab illis recipi in fœdus nostrum Rempub.Metensem, in saniore illa sui parte quæ Euangelium petit,postularent.Id factum est.Landgrauius causam comprobauit, & ad Electorem statim retulit: interim tamen,quia res moram nõ ferebat, decreuit legationem mittendam ad Metenses,nomine communis fœderis,quæ postularet ab aduersariis, vt nostris vnum templum,& liberam concionem, & Sacramentorum administrationem concederent.Dedit ipse Legatum vnum,alterũ Francfordenses,tertius noster erat. Hi in mandatis habent,nihil non tentare ab aduersariis, vt impetrent, quod petitum missi sunt.Eo etiam adiũcto,fœdus nostrum non posse deesse fratribus tam sancta & pia petẽtibus.Idque interesse totius Rom.Imperij.Vide vt audeamus.Spes itaque est,etiamsi aduersarij quod petitur vltrò non concedant,vt tamen quieturi sint, si nostri hac legatione animati per se Farellum concionari fecerint. Satan in eo quoque multùm laborauit,vt si Euangelium non posset omnino,tamen ex parte auerteret huic populo,aliquo pro Farello obtruso, qui non ἐλλιπρινῶς,οὐδὲ ζεστῶς. Obstitimus huic Satanæ quoad licuit. Cras spero aut hodie reuerso D.Iacobo,audiemus quid dederit Dominus. Multus illic populus Christum admodũ sitit.Consul cum fratre R. fortissimè agit.Moram hanc Farellus ægerrimè tulit,nec immeritò.Nam peste illic multi quotidie tolluntur,qui grauissimè queruntur,se sine consolatione certa Euãgelij & Sacramentorũ hinc abripi.Si distulisset legatio vnã tantùm septimanã, indubiè rursus aliquid ausi fuissent. Habes summam ferè omnium quæ Meti hactenus in hac causa acciderunt. Bruno admodum constanter egit,quanquam ad id opus habuerit multis cohortationibus.Bene vale.Vxorem & fratres diligenter,atque officiose saluta.Sed quàm mihi dolet illud de ignorata disciplina,de factiosa agendi ratione,de neglectu Synodorum,de offensione siue retenta, siue affectata.Sed tu meũ cor,meus animus,semper tuo, imò Christi bono omnia omniũ mala vinces,quoad licuerit.D. Iesus te seruet. Vale,Argẽtorati,VI. Octobr. M. D. XLI.

D.Iacobus heri vesperi venit,sed proh dolor, nihil boni attulit. Aduersarij in vrbe dominantur.Nostri cùm legatio aduenisset,non aderant. Legationem itaque vrbe excluserunt,& nec equos eorum hospitio accipere voluerunt. Vix tandem impetratum est, vt tres mitterent aduersarij ex vrbe,qui Legatos audirent.Auditis, nullum responsum dederunt, causati Senatum totum cogi non posse propter pestem quæ vno die 50. absumit.Iurarunt omnino se extrema potius passuros, quàm quod nos petimus, id est,Regnum Christi admissuros. Consul volebat admittere concionem.Frater repugnauit & retraxit eum.Si neq; eum pro se adeant ciues pij,est iterũ & hîc misera Christi Ecclesia. Nostri sine cruce Christum quærũt. Aduersarij propter Antichristum mille cruces subeunt.Oremus,supplicemus,flagitemus opem Domini.

Tuus totus Bucerus.

BVCERVS CALVINO

Gratia & Pax.

Ex Gall. DE ipso Imperatore quid nobis pollicear,nec statuere ipse possum.Italorum & Hispanorum ei consuetudo placet. Imperij plenitudo apertè quæri videtur.Puerilibus vel anilibus potius superstitionibus inhæret. Dicit quotidie prolixas preces flexis genibus, dicit Rosaria decumbens in terram, & defixo vultu in tabella corã virgine. Apertè nunc Christũ vbiq; oppugnat. Meti depulit quod in ipso est.Edictum mittemus.Sic ergo cùm habeat res,dubitare ipse incipio

incipio à te monitus an deceat ad ipsum scribi, quod tamen scribi velim. Martyrum exẽplum qui Apologeticos suos scripserunt ad Principes palàm idololatras me mouet, & Maiestas Imperij, consideratióque mirabilium mutationum, quas effectas à Domino in magnis Regibus, vt Nabucadnezar, Cyro, & aliis legimus. Tu itaque iudica quid putes facto opus. Ad ipsum Imperatorem scriptus liber in plurium lectionem incidet, plus vi debitur ponderis habere, & vrgeri æquitas scripto amplius poterit cùm publicè tum priuatim. Iam veritas clarè & incomprehensibiliter obiecta etiam hostibus suis, languere etiam facit eorum conatus contra ipsam, & mirabiliter consolatur & erigit studiosos sui, cùm eius vident victoriam etiam in conscientiis aduersariorũ. Ac si animus abhorret ab ipso Imperatore appellando, scribas ad Reges, vel ad Principes conuenturos in proximis Comitiis. Spero etiam edere librum si ad finem Decembris adsit: quanquam enim indicta sint Comitia ad finem: tamen vt adhuc apparent res, & belli negotium habet, videtur tempestiuè id fore, si ad dimidium Decembrem vel finem Decemb. adsit. Explicari mihi velim illud de extirpatione masculæ virtutis in Gallia. Non intelligo: nihil enim audiui. Sed te per Christum rogo Ieremiam comitemur cum reliquiis populi sui, gementem & verbo Dei illos persequentem, dum ipsum lapidarent. Semper aliquos lucrifaciemus, & ab isto incendio recipiemus. Dominus te & tuos confirmet. Bene vale. x x v. Octobris. M. D. XLIII. Vxor valeat, & quidquid apud te quàm optimè.

M. Bucerus tuus in Domino.

Io. Calvinvs Vireto s. d.

EGo verò nihil fore melius arbitror, quàm à Nicolao vestro coràm verbis exponi, quæ literis cõplecti iussus fueram. Nam & oratio testis oculati plus fidei ac ponderis, meo iudicio, habitura est: & multas calumnias diluere poterit, quas illic spargi quotidie à Regiis credibile est. Nam cùm adhuc illic essemus, non credas quàm variis criminibus grauarẽtur pij fratres. Ego, tametsi facilè poteram suspicari ex quo fonte oriebantur, suppressa auctorum mentione, simpliciter respondebam. Quinetiam Aroniam nonnulli ex legatis imbuti falsis rumoribus venerant, quos difficile fuit ex animis reuellere. Omnino igitur consulo, vt Bernam concedat Nicolaus, & ea explicanda curet Senatui, quæ cognosci expediat. Ego literis fidem eius commendo, ac rogo vt cognoscere velint ex illius ore, quæ ego scribere debueram. Tu quoque priuatim aliquod verbum ad Consulem addere poteris, si videbitur. Iterum dico, ne refrigescant animi, vtile est ab ipso Nicolao calefieri. Ipsum quoque in Zebedæi locum subrogari, non displicet. Erit enim, meo iudicio, valde appositus. Vnum dolet, quòd nunquam hîc se retineri passus est. Quãquam enim non palàm recusabat: videbam tamen quorsum magis propenderet. Farellus mecum de Roberto quodam graui & moderato sene, facili tamen & placido, locutus erat. Quod ideò tibi in memoriã reuoco, ne prorsus nullam sui consilij rationem habitam putet, si non illi quoque satisfacere aliqua excusatione studeas. Erit autem non difficilis excusatio, cùm tam idoneus successor nũc vobis sit ad manum. Ego hîc valde sum anxius de duobus eligendis. Nam Ioãnes Drallianus minister ad Dominum migrauit. Clusanus verò, vt quotidiana petendi molestia creditores liberaret, nescio quò profugit. En quid faciant cauponæ. Ita enim propter gulæ intẽperiem se ære alieno immerserat, vt non alio remedio emergere potuerit. Vereor ne & alij quidam sequantur hoc exemplum. Duos enim habemus, qui biennij stipendio, si interea ieiunent, nequeant se extricare: nec tamen propterea desinunt furtim se abdere sæpe in cauponas, & prandio vno plus absumere, quàm in diarium totius familiæ alimentum habeant. Verùm redeo ad electionem. Trollietus quidam, quòd natione sit Geneuẽsis, nobis obtruditur: in quo multa signa apparent nobis omnibus parum grata. Nescio autem quid ministro dignum habeat: nisi quòd simiæ amant suos catulos. Vtinã hîc nobis adesses proximo veneris die, quo de ea re consultabimus. Sin minus: fac tamen vt ad Nicolai Galasij nuptias te sistas, quæ futuræ sunt die Dominico, hinc ad 12. diem. Quoniã certò te venturum confido, hæc causa est, cur sim breuior. Nicolao plurimam salutem dices, Imberto, Ribitto & vxori tuę. Dominus vos cõseruet omnes. Vbi veneris, audies quid Witebergæ agatur. Geneuæ, 1111. Nonas Iunias. Io. Caluinus tuus. *Ex gall.*

Io. Calvinvs Vireto s.

SAtis coniicio, quantopere nunc angaris, sed quid facias? Necesse est istos abire in locum suum: vtcunque totus mundus conspiret, non ad retinendos tantùm ipsos, sed etiam altius prouehendos. De literis, quas N. scripseram, nihil te respondisse miror. Nondum scio an ad eum fuerint perlatæ. Mandaueram enim, vt si tibi displicerent, supprimeres. Expectabam simul vt de coniugali negotio aliquid certi renuntiares. Fac vt aliquid breui de vtroque resciscam. Michael Aromatarius celeriter istuc se profecturum mihi dixit, Celij causa. Vno verbo respondi, tam malas causas nunquam bene tuendas suscipi, tractari sæpius infœliciter: exitum semper pernicioſum: etiã dum obtinetur quod quæsitum fuerat. Permisi tamen, vt affinis sui causa aliquid experiretur. Consulo, vt medium te geras: neque te admisceas vllo modo. Nam & Varrotio denuntiaui, si malam causam esse sciret, ne sciens ac volens pugnaret aduersus Deum. Siue Comitem & similes satagere. Tantùm eatenus te interpone, vt appareat te nihil aliud optare, quàm vt rectè habeant omnia. Vale, frater & amice integerrime. Dominus tibi propitius sit semper, ac tuas lacrymas vertat in gaudium. Geneuæ, xxiiii. Octobris. m. d. xlvi.

Ioannes Caluinus tuus.

Calvinvs Vireto s.

IN quanta anxietate tibi scribam, narrabit hic frater. Vxor enim parturit, non sine extremo periculo, quòd nondum vterus partui maturus erat. Sed Dominus respiciat nos. Nostri omnes iam fecerunt periculum. Primus specimem ad populum dedit, quale semper expectauimus. Petrus multò aptior ad docendum. Genistonio fœliciter cessit prima concio, quartus spem nostram superat. In stipendiis horum non sumus consecuti, quod volebamus. Nam duobus aliis Senatus sine magna disceptatione decreuit, quantùm priores habebant: hoc est Henricus & Champerellus. Permiserant de diaconis consultationem Syndico Cornuensi, Ioanni paruo, & mihi. Verùm postquam retulimus, nõ sunt obsecuti nostro cõsilio: spem tamen melioris status interea fecerunt. Cùm viderem difficiliores in hac re, acriter aurem illis vellicaui de administratione bonorum Ecclesiasticorum: in tempore cogitandum illis esse, qualiter Deo & hominibus rationem reddituri forent: Papam fuisse furem & sacrilegum, videndum ne simus successores. Vsus sum autem præfatione, quæ attentionem excitaret, Meliora esse vulnera amici &c. Item, Ne quærerent Balaam, qui illis in maledictione benediceret. Res in aliud tempus dilata fuit. Dixi enim omnino oportere breui eius tractationem seriam suscipere. Domum tuam volebãt relinquere vacuam, sed ego diſſuasi, non malis rationibus. Itaque Philippo Ecclesiastico data est. Vale.

Calvinvs Farello s.

PErgunt scilicet aduersarij suo more, cùm tam impudẽter in nos retorquẽt quidquid peccarunt. Sed bene habet, quòd ad fingendum sint tam parum acuti. Quid enim ea, quam recitas, fabula puerilius? Video quidem esse qui recipiant: adeò iuuat eos siniſtri aliquid de nobis subinde audire. Sed momento hoc euanescet, vt reliqua eiusdem notæ: imò quæcunque in officina sua fabricant tales artifices. Mecum ita bellum geritur, vt te ad opem ferendam nolim frustra accersere. Palàm enim non pugnant hostes: quia hactenus non successit. Sed clãdestinis susurris conantur multorum animos paulatim à me alienare. Qua in re nonihil proficiunt. Trollietus ille, qui ministerium ambiebat, repulsæ vindictam quam potest, exequitur. Primus illi actus fuit in suscipiendo cruciatorum patrocinio. Tunc à me exceptus, vt decuit, & magno cum ludibrio etiã factionis suæ vexatus: nunc literas, quas Petro famulus est furatus, per cauponas circunfert. Aiunt autem scriptas ante quinquennium fuisse. Ego, vt ostendam nos non nisi ingenuè agere, breui in lucem protraham. Hoc pessimum, quòd non libenter modò, sed auidè audiuntur, qui nos totúmque nostrum

noſtrum ordinem perſtringunt. Fuit tempus, cùm nemo aduerſus miniſtros mutire auderet. Nunc nulla propè oratio magis fauorabilis. Et Satan nouas ſemper occaſiones excudit. In coniugio Mactini coacti ſumus eos qui parum aliàs amici erant, valde exacerbare. Pronuntiauit Senatus nullum eſſe coniugium, in quo ſolennis ſponſio interuenerat: partibúſque liberam fecit alibi contrahendi facultatem. Prætextus eſt in affinitate ſatis remota: nam vxor quæ illi mortua eſt, cõſobrina erat matris puellæ, de qua nunc agitur. Rogaui, quo iure tãtùm ſibi permiſiſſent. Et de tota cauſa habita eſt à nobis in curia grauis oratio: nihil tamen impetratum. Interea regerunt nos in hominis gratiam importunius contendere. Sed hæc cum aliis ſunt deuoranda. Hoc boni ſaltẽ habemus, quòd quidquid moliantur, ſacræ conciones ſi quando fuerunt frequentes, nunc ſunt frequentiſſimæ. Si quando tibi commodum erit nos inuiſere, gratiſſimus erit tuus aduentus. Vt venias, niſi pro tua opportunitate, inſtare nõ audeo. Si tamen vel minima ſe offeret occaſio, nolim eam prætermittas. Vale frater mihi in Domino chariſs. vnà cum familia tua, Chriſtophoro, Satono, & reliquis ſymmyſtis noſtris. Dominus vos omnes tueatur perpetuò, veſtríſque ſanctis laboribus benedicat. VIII. Septembris,

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS VIRETO S. D.

NOn peto vt ignoſcas, ſi breuius & perturbatius tibi ſcribam, quàm res poſtularet. Habes enim meam excuſationem, quam tibi ſufficere cõfido. Reſpondebo tamen ad ſingula epiſtolæ tuæ capita paucis verbis. De Farello idipſum mihi nuntiauerat Toſſanus quod ſcribis. Itaque iam quietiore ſum animo. Quòd autem de profectione cogitabam, nõ aliò ſpectabat, niſi vt in Germania cauſam promouerem, & Metenſibus ipſis adderem animum, ne in bona cauſa adeo timidos ſe oſtenderent. Sed nunc expectabimus, quid illis Dominus dederit. De Iacobo mihi non placet, quòd tam molliter acceptum dimiſeris. Nam ſi nolebas cauſam tuam facere, cur non ſimplicius obiiciebas eum nimis impudenter facere, quòd rem ita conteſtatam negaret, impleuiſſe eum totam viciniam ſuis querimoniis? Cùm plus quingentis teſtibus conuinci queat, audétne adhuc tergiuerſari? Tu autem tua diſſimulatione videris mihi audaciorem poſthac reddidiſſe ad negãdum. Ego verò ſtatueram, niſi memoria excidiſſet, literis adſcribere: Legas Iacobe, & ſi quem habes humanitatis ſenſum, fleas. Si cauſam ex me quæſiiſſet, multò aſperius expoſuiſſem quàm Farellus. Sic tractandi ſunt iſti ἀλαζόνες. De Neocomenſibus patienter fero, quòd nuntio, vt hucvſque meis ſaltem ſumptibus veniret, non mandarunt. Sed iampridem noui vt ſapiant. Negotium verò κακοζηλῶς ſic tractari oportuit, niſi quod veſtram conſtãtiam in poſtremo actu nunc deſidero. Ego ſi veſtro loco eſſem, ac vellẽ ſumma lenitate cũ eo agere, ſic rationes meas inſtituerem. Cauſam totam haberem inſtructam, acſi iudici vellem demõſtrare, vnde pronuntiaret. Darem poſtea optionem, mallétne miſſionem hoc prætextu petere, quòd Dominus multis de cauſis eum à miniſterio excluderet: an cum fratrũ præiudicio Bernam ablegari: hoc eſt, omnibus ſententiis damnari. Atque habito eius reſponſo, vrgerem ad fidem præſtandam. Sicubi deflecteret, tunc palàm in apertum campum eum retraherem. Neque enim æquum eſt, vt totius Eccleſię dedecore vnius hominis, non dico qualis, exiſtimatio redimatur. Non eſt autem cur hanc conditionem recuſet. Dominus non patitur me amplius hoc miniſterio fungi. Impedimenta autem non exprimat: ſed ita diſſimulet aut ſilentio tranſmittat, ne qua ſuſpicio in Eccleſiam deriuetur, ſed in eius familia potius tota reſideat. Bene vale, frater chariſs. cum tua familia & fratribus. Vxor mea te plurimùm ſalutat. Dominus omnes vos conſeruet. Vale iterum. Geneuæ.

Io. Caluinus tuus.

CALVINVS VIRETO S. D.

IN cauſa Sonnerij feci quãtùm fides primùm mea, deinde pudor etiam ſinebat. Cùm nemo eſſet fratrum, cui non venirent in mentẽ eadem illa omnia, quæ nos illi obieceramus, viſum eſt maturè occurrere. Atque vt plus auctoritatis haberet mea oratio, literas etiam tuas recitaui. Clauſula hæc fuit: quia vnum hoc remedium perſpiciebam, ne frater qui hactenus ſtrenuè laboraſ-

set in vinea Domini,& virtutibus non contemnēdis polleret, inutilis in posterum redderetur:mihi non displicere migrationem quam petebat. Nam ex malis compluribus, quæ timerem,hoc esse minimum.Postquam ad consultationem ventum est, multorum sermonem aliquoties abrupi,vt in mitiorem sententiam quoquo modo adducerentur. Sed erant firmiores,quàm vt flecti possent.Ac ne quid dissimulem, non pauca illi obfuerunt.Necessitatem constituebat in morte soceri.Contrà obiiciebāt fratres, scire se iam vltra annum,hunc lapidem fuisse motum à Sonnerio. Dicebant alij, eum non inuenire aut villicos,aut redemptores, quia nimium exigeret.Omnes ferè sentiebant,non remedium quæri,sed compēdium, quo se magis ac magis immergeret.Cùm secundò rogare sententias instituerem,primus dixi meam (quod non soleo facere) qua nihilominus Sonnerium admisi.Duo tantùm fuerunt,qui mihi assentirentur,Gallasius & Borgonius.Decem in proposito suo perstiterunt. Ita passus est repulsam. Quinetiam modis omnibus resistentem me classi cogunt scribere:cum laude tamen Sonnerij potius,quàm vlla nota.Valuit etiam non parum hæc ratio : quòd Ludouicū duabus Ecclesiis,ad quas traductus fuisset,longè imparem iudicabant.In eo mihi fecit iniuriam Sonnerius, quòd se apud nonnullos iactauerat,quasi nihil fore difficultatis pollicitus essem. Dixit enim mihi in aurem Ferronius,ipsum ita gloriatū fuisse, quia recepissem in me onus istud: quod esse falsum, ipse testis es. Quomodo enim fratribus ius suum ac libertatem eriperem? sed hoc leue.Tu hominem,si ad te venerit,cōsolaberis. Iterum atque iterum vale, cum vxore & familia.Dominus vos conseruet,ac regat Spiritu suo,Amen.Saluta fratres & vxorem diligenter,Tiliacam & reliquos amicos. Geneuæ,xvi.Maij,M. D. XLVII.

Ioannes Caluinus tuus.

Io. Calvinvs Vireto s. d.

HActenus nuntium expectaui, qui præfationem, quam à me petebat Bucerus,ad Myconium rectà perferret.Poteram citius Bernam mittere,nisi frustra sperando diem de die traxissem.Ergo danda erit opera, vt prima quaque occasione perferatur. Festinatione opus esse admonebat Myconius. Per me non stetit.Si Tossanus mihi diem vnum concessisset,eram illi daturus.Nam quo die attulit,me impeditum tenuit capitis dolor.Postridie abire voluit.De rebus nostris non mirum est si varia audias.Tota enim vicinitas, cùm de nobis sine occasione libenter mentiatur,nunc qualēcunque oblatam materiam libētius arripit.Nec desunt in vrbe flabella.Magnificus cùm absolutus semel fuisset omnibus sententiis,iterum in carcerem retrusus fuit.Nisi Dominus mare & ventos increpet, graues nobis imminere procellas video:quas commouent,à quibus sedari potius decuerat. Te accersere non audeo multas ob causas.Vna præcipua est,quòd vereor ne tandem istis cedendum sit,qui nullum se finem ostendunt facturos,donec omnia perdiderint. Huic te flāmæ opponi iniquum esset.D.Sulcero scripturus eram,si non obstitissent varię & assiduę interpellationes.Ages tamen illi gratias meo nomine, quòd me in istis angoribus consolatus est.Gratissimum in ea re mihi officium præstitit. Illi & fratribus omnibus plurimam salutem.Dominus te conseruet ac tibi adsit. Vxor mea te plurimùm salutat. Nos ambo tuam. Geneuæ.

Ioannes Caluinus tuus.

Bvcervs Calvino s. d.

SAl. & annum æuúmque omne quàm fœliciſſimū precor. Ingentes verò tibi gratias ago de literis tuis, ita præter tuum morem vberibus. Volebam hāc tibi vbertatem compensare, sed intempestiua hora moneor de his mercatoribus.Est enim dies hic vt recordari potes,quo ciuitas solenniter iurat, & distrahūt miserè permulta alia. Vtinam sicut istud fœdus ciuile, hîc aliquādo redintegrassemus atque sanxissemus fœdus vitæ æternæ: quomodo vos conati soli præstitistis.Verùm qui spiritus istam tam apud vos Religionem perneceſſariam dissoluit,idem obstat ne ea hîc persuaderi vnquam potuerit. Sic igitur sumus modò scopæ non dissolutæ tantùm,verùm etiam dissectæ. Dominus colligat seruétque sibi suos. Te

stupefacit

ſtupefacit animos cœtus illius tam cordati adeò ſubitò concidiſſe. O optimè, nõ idem eſt corpus illud. Robora eius erepta ſunt, quædam pridem, quędam nuper. Superſunt & qui velint libenter redimere vita ſua Reipublicæ priſtinam colendi Chriſti libertatem. At dum alij non videntur velle pro Chriſto periclitari, imò ditiores quique minantur palàm ſe hinc commigraturos, (id quod antea fecerunt ſupra quinquaginta numero) niſi gratia tetineatur Imperatoris, & hic non creditur poſſe exorari, vt remittat quod edixit, res labuntur eò quò labuntur. Ah mi frater, temporibus Martyrũ cùm Eccleſiæ ſeuera diſciplinæ Religione erant coniunctæ, quàm multi tum deſæuientibus perſecutionibus, à Domino defecerunt? Quid igitur miramur ſi in iſta noſtra diſſolutione pauci perſtent? Nemo ſanè, niſi firma Chriſti fide ſit obfirmatus, poterit crucẽ eius, rem exiſtimare ſibi expetendam. At vbi fides in Dominum vera, ibi homines non magis promptis animis præceptis eius obſequuntur in pace, quàm offerunt animas ſuas pro illis in perſecutione. Summum eſt hoc præceptum Domini, quòd à nobis poſcit, vti orauit Patrem pro nobis, vt in ipſo vnum ſimus, ac nos ipſi omnes in vita noua, vita Dei perpetuis miniſteriis inſtauremur. Ex hypocriſi nimis altè inſita in Papatu, ad qualemcunque Chriſti profeſſionem noſtri traducti ſunt: ea hypocriſis perpaucis eſt planè excuſſa. Maluerunt itaque videri quàm eſſe Chriſti. Cùm autem & videri ipſorum obeſt cupiditati, & hoc quoque abiiciunt. Placebat liberatio à ſuperſtitionibus & tyrannide Papæ, & viuendi pro arbitrio licentia: at quia venter Deus eorum in extremum adduceretur periculũ, niſi in aliquam ſe rurſum Papæ traderent ſeruitutem, malunt hanc ſubire præſertim per nos non parum mitigatam, quàm periclitari de ſummo ſuo bono. Mendaciis tantùm opus eſt, & paucula ſtipe, quibus extrema omnium ſcelerum ac flagitiorum redimitur licẽtia. Oremus igitur & ſatagamus, mi frater, vt fratres quorum res adhuc cõſiſtere videntur, ex noſtrorum caſu & de ſuo ſint ſoliciti. Niſi enim Chriſto Domino penitius inſiti, eius quoque diſciplinam inter ſe reſtituãt, & ipſis miſerè metuo. Nã niſi ſemen verbi Dei hac ceu occetur, & ſubnaſcens herba cùm repurgetur, tum ſuſtentetur, video quàm facilè vel æſtu perſecutionis exareſcat, vel præfocetur vnà ſubcreſcẽtibus carnalium cupiditatum ſpinis. Sed quid iſta ad te, qui ipſe hæc ſicut exactius conſideras, ita maiore pridem religione vrges? Verùm libet apud te vel hoc modo deplorare noſtram miſeriam & peruerſitatem, qui iſta non pertinaciore pridem ſtudio ſumus perſecuti. Nunc permulti hîc iugo Domini commodiſſimo ſeſe libenter ſubmitterent totos, ſed vereor ſerum eſſe. Quãquam etiam in hac ipſa perditione noſtra non deſunt & in omnibus ordinibus, qui reſtitutioni ſolidæ communionis & diſciplinæ Chriſti ſtrenuè aduerſantur, tametſi velint non in poſtremis Euangelij ſectatoribus numerari. Tam iſtud adhuc malè notum eſt noſtris Myſterium corporis Chriſti. Oretis, vt facitis, diligenter pro hac Eccleſia, in qua profectò ſunt quamplurimi granarij Chriſti, quos bonus Paſtor omnino ſibi conſeruabit: híſque Antiochæis temporibus moderabitur & potentius & citius, quàm multorum ferat opinio. De ſcripto quod D. Ant. M. attulit, maximas ago tibi gratias Eccleſiæ nomine: ſuum feret fructum indubiè vbertimum. Seditionem in Galliis ſedatam gaudeo & opto vt in animis quoque ſit ſedata. Terret tamen me omen, præſertim cùm non ſit ſedata ea clementia, qua veteres ſapientes Imperatores vti ſolebant. Reſponſum Tygurinorum probo. N. ſapientia & nos prodidit. Antichriſti mancipia appellant populum Chriſti, num velint ſui Concilij decretis acquieſcere. Dent qui verè Chriſti ſunt, dignum Chriſto Concilium, & veniant ad illud vltrò, Chriſtum quicunque amplectuntur. Meminiſti quantopere apud noſtros inſtiterim, vt Eccleſiæ Chriſti aliquãdo cauſam ſuſciperent, cõtra ſummos eius hoſtes & peſtes, & Eccleſiæ ab illis iura ſimpliciter repeterent. At ſicuti noſtri Chriſti leges nunquam voluerunt in ſe ipſi ſimpliciter ſuſcipere, ita nec auſi ſunt eas aduerſariis Chriſtiana fortitudine obiicere. Merito itaque noſtro illi repoſcunt à nobis quæ Chriſti ſunt, & eius Eccleſiarum omnia. Oro autẽ Dominũ, vt quæ nunc fideliter & conſtanter reſpondent iſtic pro Chriſti regno, periculum dum non eſt in oculis & in manibus, poſtea quoq; cùm ea quæ caro metuit, in conſpectum venerint aut etiam nonnihil afflixerint, retineant. Et noſtri enim, quandiu aliquod habere carnis brachium ſibi videbantur, reſponſa dabant plerunque ſatis fortia, quorum fracto eo brachio peſſimè meminerunt. Dominus exerat vel alicubi ſuum brachium. Hunc plurimùm oro, vt tibi vxorem tuam ſanet, imò Eccleſiæ ipſi Chriſti magis quàm tibi, quò tu poſſis agere pro illa quæ agis expeditius, & lubentius. Collega & vxor inuicem precantur tibi optanda omnia in annum ingredientem & omnia ſæcula, Amen. IX. Ian. M. D. XLIX. Tuus totus Bucerus.

Bvcervs Calvino s. d.

INtendite preces, Optimi viri & fratres, pro reliquiis Ecclesiæ nostræ & ministerij. Iam enim Episcopo promissum est, hîc non permittendum prædicari contra Interim. Vel hodie itaque vel intra perpaucos dies obsignabitur meum & præcipuorum Collegarũ ministerium. Sic verò res meæ sunt comparatæ, vt quò vel primùm, vel postea, Dominus mihi nondum certò monstrauerit: vt monstret, & ducat, mecum ores ab ipso religiosè. Annos & familiam meam nosti: tum etiam inuidiam fatalem. Recta ad Dominum quouis genere transitus optimum. Proximum, exilium, non planè otiosum & sterile. Nisi Dominus intercedat potenti brachio suo, expectanda est horribilis sicut Ecclesiarum vastatio, ita etiam Ministrorũ persecutio. Vacãt enim ministeriis iam innumeræ parochiæ: huius pudet tamẽ auctores calamitatis: ideo forsan recipient consilium Spirensis παρασκόπου, vt qui noluerint ordinari ab Episcopo, aut ordinati Ecclesiis suis secundum Interim ministrare, mittantur ad remos. Et iam Moguntinus in sua Synodo constituit, omnes eos qui cœnobiticam vel sacerdotalem vitam professi sunt, ad eandem vi reducantur, quacunq; in vitæ conditione fuerint. Quid? Antichristus vult id, quod audet, sibi restituere, vt imperet omnia omnibus. Contrà Christus, nec perdet ex suis quenquam. Dominum itaque ardenter & assiduè oremus, vt hunc Spiritu suo conficiat quamprimùm, aut deprimat nonnihil, alioqui non fieret salua omnis caro. At teneri in Domino non caro, sed Spiritus sunt, & in his triumphabit crucifixus. Aliquoties nũc scribitur Landgrauiũ miserrimum à Domino esse respectum, defleréque amarè suum lapsum: nullúmque velle iam Papisticum sacrum audire: atque scripsisse ad suos de nullo se vnquam facto suo doluisse, & dolere acerbius, quàm quòd salutarem Christi doctrinã negarit: rogasséq; illos, & esse obtestatos, vt quantùm vllo modo valeant sanæ doctrinæ patrocinentur. Se miserum speraſſe sua defectione à Domino liberationem posse impetrare ab immanissimis custodibus suis. Confido hæc vera esse. Vnà itaque miserrimo Principi gratulamur hanc Domini misericordiam, per quem iam antè hoc bello Dominus pro suo populo multa præclara fecit. Optimè valete. VII. Febr. M. D. XLIX.

Tuus Bucerus.

Bvcervs Calvino s.

SAnet te salus nostra Iesus Christus. Nam hîc Ecclesiæ tuæ alumnus dixit te cùm istinc discederet, cum tuo morbo fuisse conflictatum. Nos verò multò perniciosiore capitum & membrorum nostrorum maximæ partis malo cõficimur incredulitatis. Eò enim hominum metus, Dei reuerentiam hîc exclusit, vt Episcopo permissum sit Religionem Christi interimicæ commutare. Et huic atque Imperatori promissum, dandam operam possibilem, ne quid hîc deceatur contra Interim: Idque vt nos verbi Ministri præstemus, à nobis petierat, atque etiam nobis mandarunt: adiuncto tamen si qui id non possent aut nollẽt, vt causas huius ipsis exponerent. Hoc factum est: causas reddidimus omnes curæ pastorali deseruiẽtes, cur religiosum nobis sit non reprehẽdere manifestas doctrinæ Christianæ & Sacramentorũ corruptelas: maximè cùm hîc Papistæ restituti sint, verbis & factis pro omni virili sua hominibus commendaturi, & obtrusuri, tandémque etiam imperaturi. Qui Remp. administrant, statuerunt se non posse hîc plus recipere puræ Religionis, quam Imperator velit concedere, vel tolerare. Interea misit Episcopus huc, & petiit à collegiis, heri à nostro vt omnia iuxta Interim restituamus, & statim respondeamus, quomodo, qua ratione, & quãdo id velimus præstare. Se in iis quę omnino nõ aduersantur suo muneri & iuramẽto (sic illi suo Romano cauẽt fidelius, quàm nos nostro cœlesti Domino) nobis adfuturum. Reliqua tolerantur. Quæ ista? vt vxores retineant qui habent, & Eucharistiã totam dispensent. Verùm vt ne reprehẽdant qui eam dispensant, aut sumunt dimidiã. Nosti autem scholam totam sustineri à nostro collegio. Collegia petierunt spatium deliberandi per mensem. Dimidius mensis concessus est. Tantillo igitur tempore feretur hîc pura Religionis administratio. Et à nobis expectatur, vt Imperator iubeat nos, dum ei obtemperemus, detineri. Vrit enim indubiè desolatio Ecclesiarum tãta, non qui eius

auctores

auctores sunt: nã hi per se sanæ doctrinę Christi hostes sunt. Tãtùm tenẽt nos suspiria & lacrymæ sanctorũ, quorũ ingẽs adhuc hîc numerus est, ne priusquã iubeamur, hinc nos moueamus. Obsignare enim non abrumpere ministeriũ nostrũ, si velit Dominus, optamus. Vides vt res nostræ habeãt, & quàm opus sit, vt vestris miserrimã hanc Ecclesiam, & nos precibus adiuuetis. Quò si id concedatur, euolare, vel vbi primùm debemus, nõdum liquet. Si dabitur, spero Dominum id quoque concessurum, vt tibi coràm vale dicam, priusquã profugiã longius. Manet enim certè nos sæua persecutio, & est iam horribilis Ecclesiarum vastatio: nec enim possunt Episcopi suis Ecclesiis Ministros, quamquam quoslibet admittant, imò conquirant, inuenire. Spirensis capularis Episcopus iam decreuit ad remos quicunq; nolint ex nostris sua ministeria retinere, & ad Interim conformare. Non autem huic, nec tot huiusmodi filij Dei hostibus, sed ipsi suo Filio Pater tradidit potestatem omnem in cœlo & in terra. Hícque Pastor noster bonus est, qui suas oues facilè tuebitur suo brachio, suáque virga & baculo: vt nec quidquam eis boni desit, nec noceat mali aliquid. Is velit nos hoc ipso suo baculo & virga sic consolari, ne etiam mali quidquam metuamus. Id nobis & vos precemini, & dum potes scribas. Etiamsi enim hîc non fuero, mei tamen hîc erunt, & mittent ad me quæ scribes. Dominus Iesus maneat apud vos firmius, quàm retineamus eum hîc: quod faciet cùm dabit doctrinam suam vinculis disciplinæ suæ in animis alligari. xx. Februarij. M. D. XLIX. Vxor mea tibi salutem precatur. Idem faciunt Collegæ.

Tuus Bucerus.

BRCERVS CALVINO S. D.

ORa Dominum pro nobis. Legati adferunt nostri qui nudiustertius redierunt, ea, vt nihil supersit medij, quàm aut Antichristum totum recipere, & eidem cuncta restituere, séque ipsos ei in extremam seruitutem addicere: atque ita se & sua omnia perdere & hîc & in futuro: aut statim cuncta ista in præsens extremum discrimen adducere. Dominus det suis videre, quãtò præstet perdere omnia pro Christo, vt & hîc inueniant centuplum cum persecutionibus, & in futuro vitam æternam, quàm perdere omnia cum Christo, hîc & in futuro. Collegæ fortiter perstant, multíque cum illis ex omnibus ordinibus. Vos intendite preces pro nobis cum Ecclesiis vestris ardentissimè. Optimè vale. x. Iulij.

Tuus Bucerus.

Io. CAL. VIRETO S. D.

IAmpridem ad te scripturus eram, nisi quòd sciebam literas meas nihilò citius ad te venturas esse, quàm si in reditum vsque tuum differrem. Nunc quia ex temporis supputatione rediisse te coniicio, accipe quæ in mentem nunc veniunt. Simul atque abiisti, mira certamina inter Sebastianum & eius sororios extiterunt, quæ me exercuerunt diu & sæpe, dum volo amico arbitrio ea componere. Has autem partes ideo suscipiebam, ne ad contentionem adhuc descenderent, cuius rumor cum infamia scholæ longius manaret. Neque tamen id consequi potui magno studio ac diligentia, quin alius alium traduceret: atque ita passim fierent multorum fabula. Vbi communis controuersia de solutione dotalis pecuniæ sedata fuit, ecce nouæ lites inter Sebastianum & Petrum, partim de administratione rei familiaris, partim de habitatione. Nihil vnquam vidi tam implicitum. Postquam multùm inter se iurgati sunt, facta est qualiscunque transactio: sed quæ mox nouam controuersiam peperit. Itaque sic exulcerati fuerunt hinc inde animi, vt vix solidam amicitiam vnquam inter eos fore sperem, qualis inter fratres esse debet. Nunc quidem quieuerunt turbæ illæ, sed vereor ne leui occasióne subitò rursum excitentur. Ecce tibi scholæ nostræ statum, ne nobis inuideas. Rursum Nicolaus Iussiacus nouam molestiam nobis ante paucos dies peperit, sua superbia. Cùm enim nescio quem commendasset, cui putabat iniuriam fieri, cùm optimo iure in carcerem coniiceretur: quia non acquiescebant eius postula-

to Assessores, in eos acerba oratione inuectus est. Res delata ad Senatum, qui lætus hanc occasionem eius expellendi arripuit. Nos intercessimus: non in hominis gratiam, qui non multis abhinc diebus mihi nimium deferri conquerebatur: sed ne peruersum exemplum in Ecclesia ederetur tam facili vel præcipiti potius Ministri ejectione. Nunc amplius inquirunt: deinde, nobis adhibitis, pronuntiabunt. Si video esse satis iustam causam, cur abdicetur, non vlterius pugnabo. Mirum quàm fortiter philosophetur Henricus noster de asserendo ministerij honore: quia scilicet tam præclarum huius constantiæ exemplum nobis edidit. Quod ego minimè tacui. Et tamen satisfeci meo officio, testatus palàm coram omnibus, me non respicere quid mihi factum sit: sed quid fieri debeat. Collegæ nostri tolerabiliter pergunt in concionibus: verùm in duobus timeo nonnihil κενοδοξίαν. Quis horum alter sit, intelligis: quanquam certè opinione nostra moderatiorem se præbet. Petrus autem aliqua signa iam dedit, quæ mihi displicent: siquidem verum est quod mihi retulit Genistonius. Quoniam nondum satis id compertum habemus, decreui propius iam obseruare. Si in eo falsi fuerimus, vbinam erit fides? Ludouicus, quod semper verebar, plus leuitatis & incontinentiæ habet in verbis & actione, quàm ministerium nostrum deceat. Sed tempore, vt spero, vitium hoc corrigetur: modò non desint reliqua magis necessaria. Quia Neocomo transisti cùm Bernam ires, non dubito quin tibi ad plenum exposuerint fratres de Farelli profectione, quod tibi ex eius literis indicare possum. Proinde supersedeo: literas tamen ipsas mitto, ne quid desideres. Frumentus nuper Lugduno rediit. Refert Reginam Nauarræ meliore nunc esse animo, quàm vnquam fuerit. Verùm refert ex eius verbis. Nam cum ea familiariter est colloquutus. Tametsi non omnibus etiam nuntij verbis fidem temere habendam nosti. Sic enim hac gloria inebriatus est, quòd in colloquium Reginæ admissus sit, vt particulam sani cerebri, quæ illi restabat, mihi videatur prorsus amisisse. Nam præter cæteras ineptias, cùm diceret Reginam meas literas desiderare, mihi volebat dictare argumentum: & quasi parum ingenio meo fideret, vetabat ne quid mitterem, nisi antè à se lectum ac recognitum. Rumorem in tota vrbe dissipauit, minimùm abfuisse, quin coram Rege concionatus fuerit. Mille sunt eius generis. Ne tamen putes ipsum omnia mentiri, partem eorum, quæ narrat, habet vel à Regina, vel ab eius ministris. Sed artifices aulici cùm viderent hominem credulum, eius facilitate abusi sunt in suum commodum, vt hæc fama in Germaniam perueniret, quæ reconciliaret piorum animos Regi, quos sciunt nunc vehementer alienatos esse. Inter alia, persuaserunt Cancellarium non alia magis de causa teneri in carcere, quàm quod iniussu Regis edictum illud de libris promulgandum curauerit, pióque exuri iusserit. Quid plura? non modò omnia credidit: sed sibi ipse plura confinxit, quàm audierat. Rex Galliæ exercitum traiicit in Hispaniam, cui aiunt Turcam altera ex parte imminere. Dux Aurelienſis nihil adhuc egit memorabile, nisi quòd oppida duo exussit. Quanquam illud vetus est. Fortassis ab eo tempore multa contigerunt. Nostris nunc nodus est difficilis ad soluendum: eóque magis, quòd etiam si hinc omnia fuerint concessa, ambiguam spem adhuc altera pars facit. Euici tamen apud Senatum minorem. Precare Dominum, vt ad fœlicem exitum res perducatur. Est enim periculum, ne cùm in concionem ventum fuerit, omnia conturbent pauci illi, quos nosti esse veteres & exercitatos δημαγωγούς. Sed Dominus spero, gubernabit, modò nos diligenter eum precemur. Vale optime & mihi charissime frater. Saluta fratres omnes, materteram tuam quoque ac vxorem: cui mea gratias agit de tam amica & sancta consolatione. Rescribere enim non potest, nisi per amanuensem. Et in dictando non parum esset impedita. Dominus certè nobis vulnus inflixit graue & acerbum in morte filioli. Sed pater est: nouit quid filiis suis expediat. Vale iterum, Dominus tibi adsit. Vtinam liceret istuc vsque accurrere. Libenter tecum dimidium diem confabularer. Genevæ, x i x. Augusti.

Ioannes Caluinus tuus.

Io. Cal.

Io. Calvinvs Vireto s. d.

NIc frater accuratiore apud te testimonio non habet opus. Scire potes aliqua ex parte, qualiter apud nos se gesserit. Certè insignis patientiæ testimonium reddere illi possumus. Nam cùm extremam egestatem toto anno pertulerit, ita deuorauit hanc acerbitatem, vt vix pauci querelam vnam ex eius ore audierint. Animo est recto & syncero. In tota eius vita nihil animaduertimus non dignum pio,& Christiano homine. Quòd præteritus à nobis fuit, cùm aliquos ministros eligeremus, longa excusatione apud te non indiget. Nosti enim nostrorum hominum delicias. Tantùm eos linguæ Prouincialis tædium cepit, vt hæc sola aptissimos alioqui homines ingratos illis reddat. Deinde si reputes quos illi prætulerimus, nihil hoc imminet ex illius existimatione. Quanquam hoc totum melius est taceri, nisi fortè quispiam mentionem iniiciat. Qua de causa volui te monitum, vt occurras eiusmodi obiectationibus. Ego vix audebam illi consilium dare, antequam tecum communicassem. Quoniam tamen ita censuerunt fratres, repugnare nolui, quin ad vos proficisceretur. Literas illi ad vos breues dedi: si à vobis obtinebit aliquam commendationem, spero aliquid Bernæ effecturum. Nam id nobis persuasit Nicolaus. Habet etiam meas literas ad Consulem Neglium. Verùm tu totum hoc negotium melius tuo consilio moderaberis. Gaudeo vehementer, quòd te breui venturum promittas. Ego cùm aliàs desiderem, vt par est, vxorem tuam sanitati suæ restitui: tum hæc etiam causa accedit, ne te aduersa eius valetudo diutius moretur. Vale. Dominus tibi adsit, vxorem tuam breui liberet à morbo, totam domum conseruet. Salutabis omnes tuos diligenter.

Ioannes Caluinus tuus.

Calvinvs Vireto s.

MItto ad te literas Pellicani, vt ipse quoque mecum cogites, quorsum vergat, quod scribit. De libris, quos petit, nihil certi habeo: expectabo donec è nundinis redierit Guillelmus. Antonius, vt scis, receptus est: idque sine vlla controuersia. Sic sapiunt fratres, vt nihil melius iudicauerint, quàm tot flagitia silentio abolere. Fieri non potest, quin Dominus ad hanc nostram socordiam vindicandam breui tribunal conscendat. Mihi per Matthæum indicauit, se hortatu Sulceri, redire mecum in gratiam cupere, sed qua lege ad hanc reconciliationem descenderem? Cæterum si colloquium semel petierit, Dominus viam aperiet. Nuper disceptationem habuimus cum Senatu: sed quæ statim fuit composita. Renuntiauerat nobis Syndicus in Consistorio, Senatum ius excommunicandi sibi retinuisse. Continuò excepi, decretum hoc aut morte mea, aut exilio sanciri oportere. Postridie vocaui fratres: ex eorum consilio postulaui à Syndicis, vt Senatum nobis extra ordinem darent: annuerunt, etsi non libenter: illic longa & graui oratione de tota re disserui: obtinui nullo negotio quod petebam: quantùm intelligo, acriter increpiti auctores, quos si nescias, diuinare tamen potes. Bene vale. Dominus te custodiat, & semper gubernet suo Spiritu, frater mihi dilectissime. Saluta mihi Ribittum, Imbertum, & reliquos. Pridie Paschatis.

Ioannes Caluinus tuus.

Calvinvs Vireto s.

AEri mihi sub cœnam allatæ sunt tuæ literæ, quibus binas Farelli incluseras, quas remitto. Hodie quoque alias à Farello accepi. Quoniam prioribus videbatur à te & à me priuatim petere consilium: non ausus sum in cœtu nostro facere mentionem. Nunc amplius hoc postulat, vt omnes simul respondeamus. Verùm serius quàm oportuit, redditæ mihi literæ fuerunt. Quanquam non video, quid profuturum fuerit, si etiam venissent in tempore. Quàm enim ridiculum fuerit, aliis dare cõsilium, quo ipsi indigemus? Negabimus id ferendum

esse,vt teruncius minuatur ex Ecclesiæ bonis.Quid auctoritatis habituræ sunt nostræ literæ apud Neocomēses,cùm id apud nos patiamur fieri? Dicemus per nos minimè stare.Sit sanè ita.Sed quia non admittunt nostri medicinam,contēti improbare quod peccant,non vltrà tendimus. Si quid sentiamus, habere volunt, non est difficile eorum voto satisfacere.Sed quantulum illud proderit?Consultabo tamē cum tribus aut quatuor, num aliqua possit inueniri speciosa ratio.Ex Germania nihil habemus noui,nisi vulgi rumores.Nam Alexander,cui datæ sunt ad me literæ,suo more vagatur.Schola nostra perplexos nos habet.Nemo enim aptus ad id munus nūc occurrit.Nos quidem meritò pœnas damus.Sed dolendum est,nulla interim disciplina contineri pueros: & spem, quæ perquam exigua erat,omnino pessum ire. Ego me consolor,quòd nulla mali huius portio culpæ meæ assignari potest.Sed misera consolatio,quæ malo nihil affert leuationis. Francisco consilium dedi,quale restabat in rebus desperatis. Tu si quod habes melius, nobis commodes.Camperellus,vt audio,discursat. Sed, nisi omnem pudorem abiecerint fratres,nihil proficiet. Quanquam à fratribus iam timere desij. Queritur enim me sibi & sodali suo Macrino esse infestum, quòd parochiæ Monensis agros emerint. Vides quibus cuniculis nos adoriantur.Nisi velimus omnia perire, necesse est illū cæteris esse exemplo.Fuimus enim hactenus nimis remissi.Vale frater,& amice integerrime,vnà cum vxore & familia,quam meo & vxoris meæ nomine salutabis, quæ ipsa se precibus vestris commendat.Ita enim subacta est morbi magnitudine,vt ægrè se recipiat.Interdum videtur conualescere.Mox recidit. Collegæ mei te omnes diligenter salutant. Copus te suis nuptiis interesse cuperet,si esset commodum.Scis enim,opinor,nos Gurini viduam illi dedisse vxorem. Dominus vos istic conseruet. Geneuæ, x i i i. Octobris.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. VIRETO S.

DE Combaudo sic respondent fratres, hominem hîc cognitum esse quieti ingenij,honestæ vitæ,non improbum alioqui, nec vllius notæ deterioris, nisi quòd supramodum est tenax: etiam vsque ad maximas sordes. Quandiu apud nos vixit, aliis negabat sibi esse pecuniam: aliis fatebatur,aliquātulum se habere, quo posset tenuiter se alere ad tres menses: apud alios augebat summam triplo amplius. Sed cùm vxorem duxit, tunc patuit crumenam habere satis bene refertam. Saltem non minus saxaginta coronatis attulit ad vxorem. Si querulus est,scito eum esse ex animo.Æstuat enim mira diffidentia. Verùm seriò monendus est,vt discat reposita in Dominum cura excutere ista tormenta animi, quibus se frustra cruciat.Hoc,vt dixi,vitio excepto,virum probum & syncerum iudicamus. Perrerio certè non multum exhibuit humanitatis:cùm ille tamen valde indigeret.Sex tantùm quadrantes huius monetæ illi dedit commodatò:idque malignè.Date operam,vt corrigatur tanta diffidentia, & quæ inde nascitur tenacitas, & reliqua,speramus, bene habebunt. Omnes nostri diligenter te salutant, vxorem tuam cum matertera totáque familia.Dominus vos conseruet.De vxore quia nihil dudum scribis,eam meliusculè habere iam confido. Mea paulatim reualescet, gratia Domino: nisi quòd tussis illi plurimùm molesta est, doloréque ordinarios exacerbat. Vale frater & amice integerrime, iterum atque iterum. Geneuæ, x v i i i. Octobris.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS N. S. D.

ERgo perinde acsi in proximum mensem indictus esset habēdi Cōcilij dies, copias vestras adornatis. Sed hoc ipsum argumento est, quàm temere omnia & fortuitò apud vos,nihil prudenter,nec consultò agatur,quòd cùm ex toto regno deligendi essent idonei homines, talibus mādatum sit negotium:nisi fortè,quòd alioqui inertissimi omnium,semper ad nocēdum plus satis sunt instructi.Cæterum Concilij expectationem, quæ apud vos summa esse fertur, de nihilo conceptam arbitror.Conuentus Imperij Februario agetur. Verùm ante Martium

tium nulla feria consultatio haberi incipiet. Noui Germaniæ morem. Hoc tibi tam certò possum asserere, acsi præsens interessem. Instabunt nostri, vt Antichristo excluso, tandem ordinis inter se aliquid constituant: negabunt hoc sibi licere, qui adhuc voluntaria seruitute idôlo sunt obnoxij. Cæsar, vt nostris ex parte satisfaciat, paratũ se ad omnia fore pollicebitur. Forsan & aliquam actionis speciem ostentabit: sed quam statim ab initio abrumpet inuenta aliqua occasione, quæ nunquam istis hominibus deest. Hic certè erit exitus, non licere nisi ex Papæ auctoritate quidquam in Religionis causa decerni. De cogenda Synodo vbi cœptum fuerit agitari, nostri mox reclamabunt, indignum esse vt hæc Religionis cognitio, professis Dei hostibus deferatur. Antichristum postulabunt reum ad causam dicendam, iudicem certè nullo modo admittent. Quibus autem conditionibus Tridentum pertrahi posse existimas? verùm vt à nostris nihil sit remoræ, cùm nihil libentius facturus sit Cæsar, quàm vt conuersis ad bellum Turcicum omniũ animis suspensum Ecclesiæ statum ad tempus relinquat: annon in ea re, ad quam expetendam sponte alioqui propensus erit, facilè idôlo gratificabitur? Quanquam fingamus iam indictum esse Concilium: iam omnia esse comparata, putamúsne artem idôlo defuturam, qua rem totam disturbet? Quid ergo Religioni horrendum in modum laceræ ac dissipatæ, quid miseræ Ecclesiæ, quæ iam iam videtur ad interitum ruere, quid nomini Christiano, quid Dei gloriæ fiet? Petendum certè ab eo, vt horum omnium curam suscipiat ipse solus ac sustineat. Nostri torpent, nec spes est cordatè strenuéque acturos, nisi Dominus alicunde eos expergefaciat. Quanquam impij satis illis occasionis præbẽt, vt sibi incipiant cauere. Omnia tentarũt Colonienses Canonici, cum tota Clericorum fæce, vt Archiepiscopum deiicerent suo loco. Conuocarunt omnium ordinũ Comitia, vt sibi permitteretur alium subrogare. Negatũ est. Idem à Cæsare postularũt, respondit se non defuturum, modò officium suum facerent. Palàm illis concedere noluit. Verùm ex illis ambagibus diuinare licet, eum minimè refragaturum, si quid turbarum mouerent: si vltrà progressi fuerint, certum bellum: quo totus Germaniæ status, aut labefactabitur, aut grauiter concutietur: sed hæc quoque viderit Dominus. Hæc mihi vnica consolatio est, quòd mors misera esse non potest homini Christiano. Interea gemam, vt debeo, Ecclesiæ calamitates & afficiar piorum sorte: sed ita vt non exanimer. Si inter nos bene conueniret, minus essem anxius: sed inter istos hostium apparatus, satis ad insaniendum otij quibusdam esse portento simile est. Ecce ex altera parte, nescio quis elegia Osiandrum lacessiuit, parũ & ipsum sani cerebri hominẽ. Cùm se purgaret, ita libellum insperfit atra bile, vt me vehemẽter eius pudeat, sed nihil me peius torquet, quàm quod tertio quoque verbo, Zuinglianis insultat. Ita quasi impiis linguã & manus locauerimus, ipsis præbemus iucundum suauéque spectaculum, mutuò nos lacerando. Quis non animum despondeat, inquies, tot obiectis offendiculis? Fateor certè nullum esse tam ferreum animum, qui non frangatur, nisi in Dominũ respexerit. Itaque sic interpretor, velle Dominũ modis omnibus experiri, nunquid ab hominibus pendeamus: sed tantùm abest quin debiliter, vt non vulgaris inde confirmatio mihi accedat. Nam dum Ecclesiã inter istos fluctus, mirabiliter regi à Domino video, ne obruatur, dũ ipsas tempestates, cùm omnia iam iam permixturæ videntur, momẽto residere ac quiescere cerno, cur non bonam inde spem cõcipiam? Pergamus igitur in vocationis nostræ cursu, hac fiducia subnixi, emersuram Ecclesiam, quæ Deum habeat perpetuum salutis suæ custodem: sed quia nõ omnibus eadem est animi fortitudo, quò familiarius omnia depono in tuum sinum, eò paucioribus communicabis.

Quod postremis tuis literis postulabas, an exequi deberem, aliquantisper hæsitaui. Longum enim est iter, asperum & difficile. Non ante diem vicesimum nuntius illuc equo perueniet. Quemlibet autem mittere sine delectu, periculosum erat. Erronibus aut leuibus, nulla fides, pauci autem alij reperiuntur. Linguæ imperito molestissima esset via, summa etiam vbique propter anni sterilitatem caritas. Ego à pecunia nequaquam instructus. Etiam quum tempus non est incommodum, oneribus quæ mihi incumbunt, sustinendis par esse nequeo, quin totus exhauriar. In hac verò annonæ penuria, cum qua iam biennium conflictamur, me ære alieno implicari necesse fuit. Quanquam hæc non dico conquerendi causa. Benignè enim mecum agit Deus, quòd habeo quantùm animo meo satis est. Sed vt intelligas mihi hîc non facilè esse inuenire, à quibus pecuniam mutuò sumam. Sunt enim omnes mercatores, & quidem famelici. Huc accedebat, quod iam dixi, Tempus consulendi Lutheri esse ad-

huc alienum,quia animus vixdum bene à contentionis feruore resedisset. Verùm cùm tam vehementer instares,tótque obtestationibus me vrgeres vt facerẽ, nihil mihi prius fuit,quàm votis tuis morem gerere. Ab honesto & non indocto adolescente impetraui, vt hanc molestiam subiret mea causa. Libellos meos ad verbum in linguam Latinam verti,quos adiunxi meis literis, vt inde iudicarẽt. Nec aliud petij meis literis,nisi vt liberè simplicitérque quod sentiant,proferant:nisi quòd adiunxi nequaquam mihi gratum facturos,si quam mei haberent rationem. Vix ante duos menses redibit nuntius. Quadraginta enim dierum viam habet conficiendam. Quatriduum ad interquiescendum assigno. Reliquum temporis consultationi cedet. Vale.

CAL. VIRETO S.

NVnc seriò nobis certandum est. Vocata rursus ad Consistorium fuerat vxor Comici Cæsaris, ob suam petulantiam. Illic ne asperiore quidem verbo lacessita,plus veneni euomuit,quàm vnquam antea. Primùm negauit,si quid deliquisset, nostri fori esse cognitionem: deinde conquesta est, sibi grauem ignominiæ notam inuri,quòd in eum locum venire cogeretur,quò nonnisi sceleratos & maleficos accersi fas esset. Cùm ex assessoribus vnus cohibere intemperiẽ vellet,in eum furorem conuertit. His cùm se Abel interponeret, ac diceret, mirari se, quòd initiò professa esset adeò se verecundam aut elinguem, quæ respondere pluribus nõ posset: cùm par futura esset quamplurimis,maledicendo: tota verò rabies efferbuit. Nisi vi extrusa fuisset,ferè nos obruisset suis fulminibus. Senatus decreuit, vt in carcerẽ arctiorẽ includeretur. Elapsa est,opera matronæ illius,quę malas omnes causas susciperе in suũ patrocinium solet. Alter ex filiis se comitẽ fugitiuæ adiungit. Cùm non procul à porta vrbis fortè in Abelem incidisset,noui insultus: & quidẽ proteruiores. Abel nihil, quemadmodum & in Consistorio moderatissimè se gesserat. Postridie reperitur charta in suggestu,qua mortem nobis minantur, nisi sileamus. Exemplar ad te mitto. Senatus tanta audacia perculsus,iubet seuerè de conspiratione inquiri. Negotium paucis mandat: quia multorum suspicio in Gruetum cadebat. Statim arripitur: alia tamen erat manus. Sed dum eius chartas reuoluunt,multa reperiunt nõ minus capitalia. Libellus supplex,quem offerre populo statuerat in Comitiis: vbi disputabat nihil esse legibus vindicandum, nisi quod rempub. læderet. Ita enim Venetos facere gubernandi peritissimos. Periculum verò esse, ne dum hæc vrbs vnius hominis melancholici cerebro obtemperat,excitata seditione,perdat mille ciues. Repertæ sunt etiam literæ, partim ad Andream Philippum,partim ad alios scriptæ. Quibusdam me nominabat, alias inuoluerat figuris: quæ tamen crassum artificium adeò sapiunt, vt digitis attingere liceat quidquid tegere voluit. Paginæ etiam duæ compositæ Latina lingua, vbi ridetur Scriptura tota,laceratur Christus, immortalitas animæ vocatur somnium & fabula: denique tota Religio cõuellitur. Non puto illum esse auctorem: sed quia est eius manus,causam dicere cogetur. Quanquam fieri potest vt ipse ab aliis audita in cõmentarium sua minerua redegerit. Sunt enim mutilæ sententiæ,refertæ solœcismis & barbarismis.

Nepotem tuum diutius retinui quàm vellet. Est enim verecundus & timidus. Proinde cùm videret,non inueniri conditionem,nolebat mihi molestus esse. Ego tametsi parum spei affulgeret, volebam omnia prius experiri,quàm eum remittere. Per eum certè non stetit. Nam mercatores nostri per se,vt plurimùm, tabernas custodiunt. Famulis & institoribus vtuntur ad colligenda nomina. Ita factum est, vt nemo industriæ eius periculum facere sustinuerit. Non est igitur quòd eum accuses. Nam ego & modestiæ,& frugalitatis, & industriæ testimonium deferre illi potuissem, si inuentus fuisset dominus. Sed ea est hodie ratio vrbis nostræ, vt tenuiter se domi cõtineant boni: improbi autem & nos & nostros fugiãt. Si Lugdunum velles mittere,illic fortè locus esset. Mihi tamen non probatur. Mallem temporum iniquitatem redimi pecunia. Vale,frater & amicè integerrime,vnà cum familia,cui plurimam salutem precamur ego & vxor. Christophorum etiam compatrem nostrum,& Symmistas salutabis diligenter amborum nomine. Dominus Iesus vos custodiat, vobis adsit, vos gubernet, vestris sanctis laboribus benedicat. Amen. Geneuæ, 11. Iulij. M. D. XLVII.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL.

Io. Calvinvs Vireto s. d.

DE aduentu ad nos tuo ego dubius sum consilij. N. quantùm audio, in exponenda tibi necessitate modum excessit. Quanquã non solus ipse in hac re peccat. Adeo pueri sunt plerique, vt ridicula capitis concussione terreantur, dum vnus homo nihili suam insaniam prodit. Ego non meam causam, sed publicã tueor: quæ me absente acta est. Si desistam, totum Cõsistorium ruat, necesse est. Quinetiam ita se gerunt, vt quotidianos in concionibus clamores extorqueant. Cæterũ parũ me N. preces mouissent. Nunc frater noster S. And. mihi indicauit, Comicum nostrum Cæsarem & quosdam eiusdem factionis diligenter scitatos esse, annon statim venturus esses. Video igitur à multis te desiderari: ab aliis expectari, quia te accitum norunt. N. egregiè se offert, ἀλλ' ἀδύνατός. Præter illos nemo est qui me adierit. Vnum mihi suspectum reddiderunt quædam non leues cõiecturæ. Amo quidem hominem, sed non patitur fidem sibi haberi. Timidus est primùm, deinde suspicax: postremò vmbram istam vel laruam adorat. Qui rem cupiunt sine motu compositam, sperant te idoneum fore pacificatorem. Factio ipsa te cupit, vt tua interceſſione nonnihil subleuetur. Nos te petimus & cupimus: ac ego imprimis, vt videas, iudices, agas quidquid ex re Ecclesiæ esse cognoueris. Sed agnosce miserum statum. Nuper audiit Farellus, incommodè accidisse, quòd ad me diuertisset: quia nihil posset agi, nisi esset à me seperatus. Mihi certè nihil gratius quàm si omnia fœliciter hîc abs te peracta essent, me ad Garamantas relegato. Sed hæc tibi ratio non minus q̃ mihi displicebit. Eam dico quæ tibi à moderatissimis, vt videri volunt, præscribitur. Vt tamen habeas, quid sentiam in re perplexa: si posses hîc esse proximo die martis, & manere vsque ad diem lunæ, faceres, vt videtur, operæpretium. Vale igitur, frater & amice Charis. vnà cum vxore & fratribus, quos salutabis omnes meo nomine. XXVII. Mart. M. D. XLVII.

Ioannes Caluinus tuus.

Io. calvinvs N. s. d.

LIteræ tuæ, eximie vir, non eo tantùm nomine mihi gratæ fuerunt, quòd testes sunt priuati erga me tui amoris, sed quia non vulgare fouendæ in Ecclesia pacis & concordiæ studium declarant. Quòd diu intermissum vtrinque fuit scribendi officium, id fortè mihi adscribi debet. Neque certè inficior, ideo me libenter tacuisse, ne ad inutiles conflictus me prouocarem. Quum ad eundem tendamus scopum, natura tamen & moribus magis sumus dissimiles, quàm optarem. Quid de me sentias, & quid interdum loquaris, non ignoro. Neque verò ita sum mihi addictus, quin nonnulla quæ in me reprehendis vitia, mihi quoque displiceant: cuius rei satis multos habeo idoneos testes. Sed alia sunt, quę mutata nolim. Quanquam nõ natura tantùm differimus, sed consilio rationẽ prorsus à tuis moribus diuersam sequor. Si te delectat mansuetudo, neque ego ab ea sum alienus. Quòd autem seuerus nimium tibi videor, hanc mihi crede, personam imposuit necessitas. Interea non expendis, quantopere Ecclesiæ noceat remissa tua facilitas, per quam improbis quiduis impune licet: & quæ virtutem vitiis permiscens nigrum ab albo non distinguit. Dum præcipuum salutis nostræ caput labefactare conatur ille bonus vir, non pudet eum in detestabiles blasphemias prorumpere, Deum Caluini esse mendacem, hypocritam, duplicem, scelerum omnium auctorem, recti & honesti inimicum, ac deteriorẽ ipso diabolo. Quid te mecum inhumaniter agere conquerar? Scio enim nihil tibi minus esse propositum, quàm approbare tam fœdos ac detestabiles obscœni canis latratus. Verùm millies potius terra me absorbeat, quàm non exaudiam quid mihi dictet ac præscribat Spiritus Dei per os Prophetæ: vt probra scilicet quibus laceratur Dei maiestas, in caput meum recidant. Et tu dum pro fide officij causam defendo, quam deserere fas nõ est, quin proditor sim ac perfidus, me altercari dices? Vtinam tibi tam inconsiderata vox, cuius me pudet, sicuti indigna est homine Christiano, nunquam elapsa esset. Si qua in nobis est pietatis gutta, tanta certè indignitas nos ad summam indignationem accẽdet. Quòd ad me spectat, malim hîc furere, quàm non irasci. Tu quomodo tibi olim reddenda ratio sit coram summo Psal. 69.

iudice,videris.Meliori quidem iure ac synceriore quoque affectu apud te familiarîter depono hanc querimoniam,quàm ante bienniũ apud alios me traducẽs,Ciceronis potius quàm Christi discipulum esse iocosè dixisti.Nũc redeo ad tuas literas.De N.discessu pridem admoniti fuimus:at contempsimus hominem,vt dignus erat. Causæ tamen habẽda erit ratio, sed in tempore. Si qua Synodis erit auctoritas, turpiter eiectus ad vos redibit.Si hoc modo saluum fore existimas,te voti compotem fore promitto. Et facilè recipietur,vt alij similes.Restitutionem nuper obtinuit bonus vir quidam periurij conuictus & damnatus, tantùm quia innocenti maledicere non destitit. Cur non parceretur homini,qui tam strenuè labefactare conatus est æternam Dei electionem? Ac vide quos & quales habeat patronos Pelagianum delirium. Hic de quo agitur homo est indoctissimus ac prorsus nihili.N.fauore obrepsit ad ministerium.Frater enim eius insipidus scurra & circulator sodalis erat N.Insipidum voco,quia me cum suis facetiis nequiter fraudauit, quum tres aureos scutatos quos debebat,abstulit.Reuersus,pro sua canina impudentia blaterabit. Hæc est salus,si quid residuum est salui perdere. Ego verò cum Propheta dicam, Quod perit,pereat. Tam securè? inquies. Ego certè non minus anxiè laboro de eius salute,& miseriæ ingemisco,quàm si blanda indulgentia eum mulcerem. Verùm sæpius audisti,non minus odiosam esse Deo crudelem misericordiam, quàm Ecclesiæ pestifera est.Atque vt ingenuè fatear,si mihi omnia præstares,minus grata essent tua officia:quia prodigi non liberalis esse duco, quoslibet promiscuè & absque delectu iuuare.Video quàm amarulenta sit epistola: & certè parum abfuit, quin decies eam conscinderim.Sed quæ miserè animum meum premebant, dissimulare non fuit ingenuum.Noles hoc modo me tibi esse familiarem.Non igitur scribendum fuit: quia vt blandiendo mentiar,adduci nequeo.Adde quod ex negotiorum mole plus morositatis cõtraxi.Quò magis vereor,ne tibi qui curarum & laborum tædio obrueris,importunè sim molestus.

Io. Cal. N. s. d.

DE tuis scriptis duplicem habeo tibi gratiam: & quòd mihi priuatim exemplar misisti,& quòd hũc laborem quẽ fructuosum esse iudico,dedisti Christi Ecclesiæ. Interea tristis nuntius hîc spargitur, vetari fratres, ne ad Scripturam tractandam ex more conueniant. Ne quid dissimules, cùm hæc agẽdi ratio minimè sit Ecclesiastica, te & nostrum N.eius auctorem, vel approbatores fuisse valde miror & molestius fero.Magno hactenus cum fructu celebrati fuerunt isti conuentus,à quibus nunc Edictum fratres indicta causa prohibet. Vt nihil momenti apud nos habeat vsus, qui tamen optimus magister esse solet, rem vobiscum expendite. Certè non vtilem modò hunc morem esse reperietis, qui nunc abrogatur, sed propè necessarium.Quoniam singulis fratribus sunt suæ vices,perspicitur eorum diligentia:si negligentes deprehensi fuerint,admonentur.Illic cognoscitur an dextrè & appositè Scripturam in populi vsum accommodare nouerint. Optimum quoque hoc retinendæ in doctrina consensionis vinculum est,quia dum in commune non conferũt, licet cuique seorsum docere quidquid libuerit.Magnam licentiã dat solitudo.Quiuis tantaxat mense in fratrum cœtum prodibit, quidvis in reliquum anni tempus audebit nullius iudicium aut conscientiam reformidans. Denique nullum est melius corrigendæ ignauiæ remedium,nulla fouendæ in doctrina vnitatis aptior ratio: adhæc omnes & loquendo & tacendo proficiunt, neque solis ministris vtile est eiusmodi exercitium,sed plurimi ex plebe qui singlari intelligendæ Scripturæ studio ducuntur, partẽ vtilitatis sentiunt.Pauci forsan tales sunt,sed quia vniuersale est edictum, totam regionem comprehendo.Scio hîc esse pios homines,& eruditionis non pœnitendæ: qui sibi duas conciones adimi malint,quàm vnam Scripturæ tractationem, quales audiũtur. Si hunc vsum non habent quædam Ecclesiæ,tantundem illis deesse fatendum est. Sed exortæ inde contentiones vos mouerunt.Id verò non alienum modò vestra æquitate, sed prorsus inhumanum fuit,si quid peccauit vnus homo,culpam in fratres innoxios conicere. N. præfractum hominem & rixosum, adeóque importunum animal esse notum est: ipse quibuscunq; potuit modis turbauit bene stantem Ecclesiam. Cùm finem contentionibus nullum faceret,amotus est. Nunc verò ne culpam sustineat,quam meritus est,nota infamiæ aspergitur fratribus. Vt dissimulem fratrum iniuriam,pium, sanctum, & vtile

& vtile inſtitutum vbique abrogatur. Vetantur fratres agere ordinarios conuentus, quorum neceſſitas ipſa deſuetudine melius pateſiet. Quiſquis huius conſilij primus fuit auctor, quam Deo rationem ſit redditurus, videat. Graue certè Eccleſiis vulnus inflixit. Fuit tempus cùm iſtic quotidie audiebantur pro ſuggeſtu atroces inuectiuæ aliorum in alios: cur non à concionibus prohibiti fuerũt, qui ſic petulanter ſuo munere abutebantur? Pudet me certè, cùm video quoſdam in tantis deliciis habere N. vt præ ipſo Eccleſiam Dei contemnant, & graui damno afficere non dubitent. Nam quid aliud iudicem, non habeo. Fieri tamen poteſt vt errem: ſed tu meæ libertati ignoſces, quòd fretus amicitiæ noſtræ fiducia, familiariter in tuum & fratris noſtri ſinum depono, quidquid in animo habeo. Ego de ſtudij veſtri rectitudine ita ſum perſuaſus, vt vos Eccleſiæ pacẽ & ædificationẽ quærere, pro certo habeam. Verùm quia nos hîc melius in re præſenti cernimus quid expediat, non putaui mihi eſſe ceſſandum, quin vos ad medicinam in tempore adhibendam hortarer. Vale eximie vir & frater mihi colende. D. fratrem diligenter meo nomine ſaluta & alios collegas, quibus gratum hoc officium eſſe agnoſces. Geneuæ.

I.C. tuus.

CALVINVS N. S. D.

VM hoc bono viro loquutus ſum. Quinam inter nos habiti fuerint vltrò citróque ſermones, referre nihil attinet. Monui eum & hortatus ſum, vt par erat: ſic tamen, ne qua illi ſiniſtra obreperet ſuſpicio. Vides enim pro tua prudentia, quantopere in hac bonorum paucitate cauendum ſit, ne à nobis prorſus alienentur, qui ſunt vtcunque tolerabiles. De fratribus qui Lugduni in vinculis tenentur, nihildum noui allatum eſt. Scribunt ad nos ſeptimo quoque die, & viciſſim aliquam à me exhortationem recipiunt, magis officij cauſa, quàm pro neceſſitate. Admirabilis enim Spiritus Dei virtus pleno fulgore in illis ſe profert. Neque tamẽ dubito, quin meis literis magis animentur. In aliis quibuſdam partibus Galliæ ignes eſſe accenſos ferunt: nec alia res magis ſedat hoſtium rabiem, quàm frigus & ignauia eorum, qui volunt Chriſtum ſine cruce poſſidere. Ita fit, vt ceſſante ſæuiendi materia, nullæ ſint aut raræ in multis locis perſecutiones. Sed miſera pax, quæ tam perfido ſilentio redimitur. Pariſiis tamẽ Regis ipſius mandato in carcerem coniectus eſt nobilis ille vir, qui nos ante biẽnium tam propenſo ſtudio excepit, non multò poſt Pentecoſtẽ. Homo erat valde facetus, ſed non minus cordatus: nec ab eo tempore illuſtria ſuæ pietatis documenta edere deſtitit. Paulò antequam iniecta illi eſſet manus, mihi ſcripſerat, ſe iam totum in eo eſſe, vt rebus ſuis expeditis ad nos migraret. Sic autem ſtatuerat decidere cum tyrannis, vt tertia parte ſuarum facultatum contentus, duplum illis relinqueret. Inter alia narrabat, quod te latere nolo, ſibi in vrbis noſtræ ruinis oblatum fuiſſe mirum ſpectaculum, quòd domus patris mei, aliis omnibus in cinerem redactis, integra ſtaret. Tandem ſubiicit: *Ie ne doute pas que Dieu n'ait voulu laiſſer ce teſmoignage contre tous ceux de voſtre ville, leſquels huit ou dix iours auparauant auoyent bruſlé en peincture Monſieur de Normandie, & le reſte.* Porrò hoc poſtremum quod refert, ex curiæ Pariſienſis decreto factum erat, quæ ridiculum ſuum ſtuporem in eo prodidit, quòd ſepulta mei mentione Abelem citari iuſſit in foro Nouiodunenſi: ac niſi ſe ſiſteret, pronuntiauit habendum eſſe pro conuicto. Res mihi incredibilis foret, niſi areſtũ nobis in membrana deſcriptum amici miſiſſent. Vnum etiam caput memorabile illud fuit: quòd cùm in turri quadrata, quæ in medio foro erat, tabulã æneam ad perpetuum Normandij dedecus ex eodem curiæ decreto figendam locaſſent, turris illa cum priuatis ædibus incendio conſumpta fuit. Nunc dicit Normãdius, exequutioni ſe intercedere, donec ſuam arcẽ reſtituerint ciues noſtri. N. qui infœliciter, magna noſtra inuidia cum Morando rixatus eſt, fateor bonam pecuniæ ſummam hinc inde corraſiſſe. Verùm à me adeo hac in re adiutum fuiſſe nego, vti potius diſſuaſerim, ſi quis me conſuluit. Sed tanta erat hominis improbitas, vt ignotiſſimum quenque aggredi nunquam veritus fuerit. Vix autem quenquam dimiſit, quem non emungeret. Socer fratris mei homo interdum ſatis tenax duobus coronatis multatus fuit. Quanta verò importunitate conatus ſit me adigere, vt illi conciliarem quindecim coronatos, referre nihil attinet. Ego verò tandem animaduerſa hominis impudentia, & mendaciis feſſus, non minus præciſẽ & auſterè quàm ingenuè negaui quod petebat. Ex ærariolo quidem pauperum

nhil fuisse erogatum, sanctè affirmo. Atque hoc mihi acceptum ferri debet, quòd nostros diaconos non decepit. Nam instabat eius nomine Vernolius, in quem ego excandui, quòd stultè se impostori ministrum præberet. Iam verò cùm de me priuatim desperans communiter à fratribus auxilium rogasset, ac me inuito irrupisset in cœtum nostrum, breuiter in conuentu respondi: non solùm fratres eius precibus non concedere, sed ne deliberationem quidem velle suscipere: quia nimis odiosum & iniquum foret, dubio adhuc iudicij euentu, & pendente causæ actione, præiudicio nostro damnare aduersam eius partem. Habeo vltra decem idoneos testes, qui meo consensu assem illi mutuò non fuisse datum asserent. Nec per simulationem apud te professus sum dum hîc eras, nullo modo me posse adduci, vt mea commendatione eum iuuans, bonos viros fraudarem. Imò memoria tenes, aliquantò durius me tunc loquutum esse. Si ne hoc quidem modo falsas criminationes effugere licet, quid facerem? Nisi quòd leniendus est patientia dolor. In quo etsi laboro, minus tamen proficio, quàm vellem. Neque enim leuiter me excruciat, quòd video cum plausu recipi, quidquid improbis calumniarum in me euomere libuerit. Sparguntur istic falsi quidam rumores, non tamen absque aliquo colore: quia vulgò coniiciunt friuolum & nihili hominem, sine meo suffragio, aureos triginta & amplius non fuisse reperturum. At Grauerius hinc iactare non dubitat, sibi datos fuisse à Senatu nostro Apparitores, qui domum meam exciterent. Mihi sanè difficile est, homini plus satis pathetico non efferuescere. Hactenus tamen me nemo vociferantem audiuit. Sed quod omnium erat caput, mihi deest, vt istis Domini ferulis ad veram humilitatem erudiar. Quò magis necesse est liberis fratrum castigationibus domari. Qua in parte cessat mihi tuum officium. Neque enim timidè solùm me admones, sed quasi demulces, acsi nihilò plus tibi liceret in me, quàm precariò concessum fuerit. Equidem video quid spectes. Morositati enim quam ex assiduis molestiis contraxi, parcendum esse iudicas. Etsi autem mihi iucunda est tua humanitas, quæ ex amore nascitur: pudet tamen, quòd me libertate tua offendere metuis. Vale frater integerrime. Dominus te suis donis indies magis locupletet, ac benedicat sanctos labores tuos. Saluta fratres & amicos meo nomine. Collegæ mei & plurimi fratres tibi plurimam salutem dicunt. Genevæ, XV. Februarij. M. D. LIII.

Ioannes Caluinus verè tuus.

CALVINVS BVLINGERO S.

AB hoc fratre, qui meas tibi literas reddidit, coronatum & duos capitatos argenteos accipies. Hæc enim summa, nisi memoria me fallit, restabat. Peto vt me excusatum habeas, quòd non citius miserim. Cæterum qua de causa mittatur istuc frater hic à Neocomēsibus, ipse coràm referet. Nihil aut parum, meo iudicio, difficultatis est in causa. Sed vnius hominis peruicacia & importunitas eos cogit, vobis & nobis molestos esse. Habent in suo cœtu vnum ex eo Doctorum grege, ex quo nemo hactenus vir bonus prodiit, qui non cessat aliquid subinde illis negotij exhibere. Sunt autem duæ causæ, quæ ipsum impellunt. Nam & natura factus est ad contradicendum: & quia non tanti æstimatur ab aliis, quanti seipsum facit, hoc se modo vlciscitur. Si esset in hac Ecclesia, facilè cohiberetur. Ratio enim eius domandi nobis esset ad manum. Illic verò habet Principis Legatum, à quo sustinetur. Sic enim hominum se præsidiis munire solent eiusmodi fuci, vt impune noceant. Quod vos omnes sponte facturos scio, peto tamen à vobis, vt in causa tam sancta fratribus porrigatis manum. Hoc est, vestra auctoritate adiuuetis eos & instruatis, quò Ismaelem illum compescant. Hoc, non quia putarem esse necessarium, sed vt fratri morem gererem, scripsi.

Est aliud præterea, quod te summopere oratum velim. Sunt in Prouincia fratres, pro quibus scis nos semper laborasse. Neque id immeritò. Sunt enim ea pietate innocentiáque præditi, vt bonis omnibus commendata ipsorum salus esse debeat. Ante triennium iam eousque progressi fuerant, vt Curiæ Aquensi confessionem ediderint puram ac simplicem: qualis inter nos ederetur. Ac ne subito feruore, qui statim euanuerit, factum id

ctum id putes:quoties fuerunt interpellati, constanter in ea perstiterunt. Interea crudeliter fuerunt vexati. Cùm sæuam hostium tyrannidem pertulissent, tandem impetrarunt à Rege,vt iudices daret,qui de tota causa verius cognoscerent. Rex duobus inquirendi partes mandauit:cognoscere ipse ac pronuntiare voluit.Hoc continent literæ,vt de eorũ doctrina & moribus publicè & clàm diligenter sciscitẽtur,qui mittendi sunt. Hoc fratres non reformidãt.Nã ita se gesserunt apud omnes,vt singulare probitatis testimoniũ habeant etiã ab aduersariis.Quòd ad doctrinã spectat, confessionem Regi edituri sunt, sicuti postulauit,clarã & synceram:quæ distinctè plus complectitur,q̃ dici in eos possit.Nũc totis viribus renituntur & Episcopi,& Præfecti,& Curia ipsa,ne Regio diplomati sit locus. Si nõ admittitur,expositi erunt leonibus & lupis,vt efferatam rabiẽ in eos exerant. Hoc enim captãt illi,vt sibi impune aduersus miseros grassari liceat.Si admittitur,ne sic quidẽ euaserint periculum.Nã & in oppidulis tribus,& in compluribus pagis puram Euangelij doctrinam profitentur. Et in oppidulo vno templum inquinamentis omnibus repurgarunt:Cœnámque illic & Baptismum nostro more celebrant. Quò præsentius illis vtrinque periculum imminet, eò maiore studio adiuuandi sunt à nobis: præsertim in hac admirabili constantia, cui nos deesse, summo flagitio non careret. Adde quòd hîc eorum causa non agitur: sed aut patefacta per eorum cladem erit via crudelitati impiorum in toto regno: aut Euangelium hoc modo perrumpet. Quid ergo supereſt, nisi vt neruos omnes intendamus,ne cessantibus nobis, pij fratres opprimantur, & occludatur Christo ianua in longum tempus? Huius rei volui te præmonitum, vt si quando ad vos confugerint, paratos habeas vestrorum animos ad opem illis ferendam. Alterum autem ex his duobus agendum erit. Vel enim petendum erit à Rege, vt concesso semel beneficio frui eos sinat:vel mitigandus eius animus, si aduersus eos excanduerit.

Audio Lutherum tandem cum atroci inuectiua non tam in vos, quàm in nos omnes prorupisse. Nunc vix audeo à vobis petere,vt taceatis:quia neque æquum est, sic vexari immerentes,& illis negari sui purgandi locum: & statuere difficile est, num id expediat. Sed hæc cupio vobis in mentem venire: primùm quantus sit vir Lutherus, & quantis dotibus excellat, quanta animi fortitudine & constantia,quanta dexteritate, quanta doctrinæ efficacia hactenus ad profligandum Antichristi regnum,& simul propagandam salutis doctrinam incubuerit. Sæpe dicere solitus sum:etiam si me diabolum vocaret,me tamen hoc illi honoris habiturum,vt insignem Dei seruum agnoscam: qui tamen vt pollet eximiis virtutibus,ita magnis vitiis laboret. Hanc intemperiem, qua vbique ebullit, vtinam magis frenare studuisset. Vehementiam autem, quæ illi est ingenita, vtinam in hostes veritatis semper contulisset,non etiam vibrasset in seruos Domini. Vtinam recognoscendis suis vitiis plus operæ dedisset. Plurimùm illi obfuerunt adulatores, cùm ipse quoque natura ad sibi indulgendum nimis propensus esset.Nostrum tamen est,sic reprehendere quod in eo est malorum,vt præclaris illis donis aliquid concedamus. Hoc igitur primùm reputes,obsecro,cum tuis collegis,cum primario Christi seruo, cui multùm debemus omnes,vobis esse negotium. Deinde nihil vos, corrigendo, profecturos, quàm vt lusum impiis præbeatis,vt non tam de nobis quàm de Euangelio triumphent. Si mutuò nos proscindimus,plus satis habent nobis fidei.Cùm autem vno consensu & ore vno prædicamus Christum,eo abutuntur ad fidem nobis derogandam, in quo plusquàm par sit,nobis credũt. Hæc potius intueri & cogitare te velim,quàm quid sua intemperie promeritus sit Lutherus.Ne ergo nobis eueniat quod denũtiat Paulus, vt inuicem mordendo nos &lacerando,consumamur,etiã si ille nos prouocauerit,abstinendum potius à certamine,quàm vt communi Ecclesiæ iactura vulnus augeamus. Vale frater mihi in Domino plurimùm honorãde,& amice charissime. Saluta reuerẽter symmystas omnes meo nomine. Dominus vos conseruet,& sua in vobis dona magis ac magis augeat. Geneuæ. 25. Nouemb. M. D. XLIIII. Collegæ mei vos plurimùm salutant.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS FARELLO S. D.

EGo verò maiorem tibi gratiã habeo,quàm verbis facilè testari queam, quòd fidem operámque tuam nobis vltrò detulisti, cùm nos magnis difficultatibus vrgeri putares.Quãquam nihil nouum feceris,nec inexpectatum. Quòd autem non sum vsus,id in causa fuit, quòd volitabant circunquaq; varij rumores quos extinctos optabam.Atqui excitati fuissent magis ac magis, si te

ac Viretum aduocassem. Scis quibuscum hominibus nobis res sit, & quàm obloquendi cupidis. Quotidie literæ adferebantur, præsertim Lugduno, ex quibus intelligebam, me plus decies fuisse occisum. Tollenda igitur improborum sermonibus occasio fuit. Nunc pacatus est status. Senatum habemus bonæ causæ fauentem. Amedæus noster adhuc est in Gallia. Vxor apud patrem, vbi suo more bacchatur. Et tamen petiimus à Senatu, vt si quã resipiscentiæ spem ostenderet, superiora omnia ignoscerentur. Hoc non est impetratum. Nam eousque progressa est, vt spem veniæ sibi præciderit. Quoniã dies Cœnæ appropinquat. Pentheſileam conueniam. Nuper Frumentus de reconciliatione egit: sed volebat rem transigi, se arbitro. Respondi, nõ adeò destitutam esse nostram Ecclesiam, quin fratres mei huic prouinciæ subeundæ pares futuri essent. Tentabimus omnia. Et tamen atrociter me læsit. Nam cùm in Baptismo Iacobi nostri de vxoris meæ & prioris mariti lapsu confessus fuissem quod erat, apud suos calumniata est, vxorem igitur meam scortum esse. Vides proteruiam. Tractabo eam, non vt meretur, sed pro officij mei ratione. Adde quòd N. fabulam composuerat plenam calumniæ: me abs te & Vireto seuerè fuisse castigatum, quòd cùm hîc à vobis subrogatus forem tãquam vicarius, precaria auctoritate nimium abuterer. Nunc autem multò opportunius venires, quàm antehac. Audires omnia quæ literis committi nequeunt. Vulneribus manum admoueres, quæ nondum bene obduxerunt cicatricem. De occultis morbis sanandis inter nos consultaremus. Videbis ergo an quidquam tibi dabitur otij. Tridentinos Patres aggressus sum. Sed initia lentè procedunt. Hoc fit, quia nulla hora mihi vacua est ab assiduis interpellationibus. Vale frater integerrime, & amice singularis. Saluta Symmystas & tuam familiam meo nomine diligenter. Dominus vobis semper adsit, vos regat, vestris laboribus benedicat. Amen. Geneuæ, XXI. Augusti. M. D. XLVII.

Ioannes Caluinus tuus.

CAL. FARELLO S.

REdiit tandem ex Anglia Nicolaus, aduersis ventis retẽtus ad dies vndecim: postea iactatus tam sæua tempestate, vt vix naufragium effugerit. Se tam amanter ac benignè exceptum fuisse narrat, vt iure mihi gratuler laborem optimè collocatum. Cùm Duci Sommerseti literas meas dedisset, atque alteras quoq; ad Regem dixisset se habere: ipse offerẽdi partes vltrò suscepit: ac postridie in aulã profectus est. Nisi mihi verba dantur, cùm Regio consilio perplacuit munus, tũ verò Regẽ ipsum mira lætitia perfudit. Cantuariẽsis nihil me vtilius facturũ admonuit, quàm si ad Regẽ sæpius scriberẽ. Hoc mihi lõgè gratius, quàm si ingẽti pecuniæ summa ditatus forẽ. In statu Regni multa adhuc desiderantur. Est inter alia malum quoddã incurabile, donec Rex sui iuris esse cœperit: quòd toti Ecclesiæ prouẽtus à Proceribus vorantur: interea vili mercede nihili homines cõducunt, qui Pastorũ vices obeant, vel saltem locum occupent. Ego tamen omnes pungere non desinam. De Buceri obitu nihil attigerã, ne vulnus meũ scinderem. Dum enim mecũ reputo, quãtã in vnius hominis morte iacturã fecerit Dei Ecclesia: fieri non potest, quin nouo subinde mœrore excrucier. Angliæ multùm profuisset. Plus aliquantò in posterum sperabam ex eius scriptis, quàm hactenus præstiterat. Huc accedit, quòd Ecclesiam nunc fidis doctoribus nudatam esse video. Apud Heluetios plurimùm valebat auctoritas Vadiani. Eum Dominus abstulit. Osiander prorsus insanit. Colligemus tamen animos, donec confectum sit, quod nobis ad metam vsq; restat. Vnum vereor, ne inter cursores locum occupans, aliis sim tarditatis exemplum. Hoc tamen non parum me solatur, quòd tu, qui alios omnes strenuitate vicisti, mihi tam clementer ignoscis & indulges. Satis est, si vagis aliorum erroribus non abducti in recta via pergamus: etiam si alij longo spatio præeant, alij procul sequantur. Quòd ad nostrum amicum νεοπαλαιὸν spectat: ego verò eum, vt mones & hortaris, sedulò fouebo, & Collegis meis auctor ero, vt idem faciant. Sed crede mihi, nihil syncerum apparet. Quid captaret, ab initio olfeci. Id me iam deprehendisse, & quasi manu tenere dissimulo. Improbos in deliciis habet, vt solebat. Malis causis æquè patrocinatur. Nihil è fastu & ferocia remittit. Cohors eius liberius etiam solito exultat. Ego tamen sic mihi moderabor, vt facilè agnoscat sibi fuisse ex animo reconciliatum. Audisti opinor, quàm funestam pompam nuper egerint. Et tamen ciuis optimi tam

mi tam indigna trucidatio eorum lasciuias non cohibuit. Quòd me rogat Christophorus, vt ad eorum cœnas accedã:ego verò hactenus nemini eorum negaui: sed cùm Amblardo Corneo mandatæ essent vices, procrastinando, seriem constitutam abrupit. Interea hospitibus,qui multi quotidie hac trãseunt, vel qui ad nos habitãdi causa demigrãt, me impendo.Inter alios Marchio à Vico Neapolitanus nuper appulit.Subsequetur mox alter. Si nos proximo Autumno inuisas,auctam aliquo numero vrbem reperies. Spectaculum mihi iucundum, nisi quòd obruor concursu. Viretus nuper hîc fuit. Sed euolauit citius,quàm optassem. Bellum iam apertè inter Pontificem & Gallos geritur. Cardinales quicunque Regis partibus fauebant, Roma fugisse rumor est.Si implicabitur huic bello Cæsar, aliquid saltem laxationis dare Magdeburgo & sociis cogetur. Vale frater integerrime,& mihi Collegam tuum aliósque Symmystas & amicos plurimùm saluta.Nostri quoque tibi plurimam salutem dicunt.Collegæ mei,Normandius,Budæus,Trierius, Sanlaurẽtius,Colladonij ambo,& frater meus. Dominus te seruet diu nobis incolumem, Spiritu suo fulciat, benedicat sanctos conatus tuos, & Ecclesiam tibi commissam suis auspiciis regat.Geneuæ, XV. Iunij, M. D. LI.

Ioannes Caluinus tuus.

CALVINVS BVLINGERO S. D.

DVderet me, eximie vir, & colende Frater, quòd iam binis tuis literis nihil responderim, nisi quia fuit aliqua tacendi ratio. Nolebam enim nisi rebus compositis scribere,ne te certamina nostra perplexum atque anxium tenerent,quæ molestia tibi cum optimis & fidelissimis nostris fratribus futura erat communis.Et subinde in tanta varietate agitati sumus,vt nullus dies nobis affulserit,qui non à crastino penderet.Tandem huc ventum est, vt inter se omnes reconciliarentur.Nam Senatus palàm in factiones diuisus erat: sícque palàm eruperant odia,vt improbi suis ceruicibus sentirent instare Dei vltionem. Neque tamen bonis tantùm fuit animi, vt statum Ecclesiæ, de quo tam acris erat dimicatio, componere studerent. Tantùm datæ sunt dexteræ, iureiurando interposito, ne quis posthac malis causis faueret. Atque hoc quidem præiudicio se pars aduersa tacitè damnauit. Verùm plausibili pacis colore factum est, vt legitimus ordo, vnicus pacis custos neglectus fuerit, vel saltem posthabitus. Ego vocatus in Curiam,professus sum me omnibus ignoscere,qui ex animo resipiscerent: me tamen vnum duntaxat esse ex Consistorio, centies igitur potius moriturum,quàm vt mihi arrogarem, quod totius Ecclesiæ commune erat. Hoc à nobis fuit animaduersum, Satanam nihil magis cupere,quàm vt rebus dubiis & suspensis,aliqua imposterum turbandi occasio suppetat. Nobis autem in animo est anteuertere.Etsi autem minore fortè vehementia quàm prius,tumultuabuntur hostes,breui tamen rursus certandum erit. Vides apertius causam silentij, quòd domesticum tegere dedecus optarem. Sic tamen habe:quamuis vbique variè iactetur Ecclesia, Geneuæ tamen non secus atque in diluuio arcam Noah, fluctuari. Hinc etiam collige, quantopere mihi displiceat, Clariss. Senatum vestrum fatigari quæstionibus. Quod tamen luculento documento nuper vobis testatum fuit, quum de spirituali Ecclesiæ gubernatione non fueritis consulti. Ego verò quid facerem, cui boni omnes ingemiscunt,remedium verò nequeunt afferre?Bene tamen habet quòd nobis præsidet nauclerus, sub quo tuti à naufragio erimus:deinde quòd non procul distamus à portu.Interim discenda est eorũ conditio,quibus eadẽ nauigatio subeunda est. Serueticæ impietatis refutatio prius tibi missa erit,vt spero,quàm ad te literæ meæ perueniãt. Libellus breuis est ac tumultuariè cõscriptus. Præstabit tamen, quod continet, scriptũ esse,quàm nihil. Angliæ motus iam istic notos esse arbitror: & interim dum in itinere adhuc erit epistola,fortè aliquid certius erit allatum.Vale ornatiss.vir,& mihi plurimùm colende frater. Saluta diligenter meo nomine D.Gualtherum,generos & reliquos fratres.D.Marchio Caraciolus,Budæus noster,& Collegæ mei te saluere optant.Dominus vos tueatur manu sua,& Spiritu suo regat, laborésque vestros benedicat. Amen.Geneuæ, VII.Calendas Martij, M. D. LIIII.

Ioannes Caluinus tuus.

Responsio Io. Caluini ad quendam Curatum.

Ex gall. EST ita vt dicis Domine Curate: Dei nempe flagellum est pestis qua hîc laboramus, atque hoc etiam meritò imputamus peccatis nostris, propter quæ Dominus ita nos castigat. Sed neque dubitamus nos ista ratione expergefieri vt in nos desc̃damus, atque de resipiscentia seriò cogitemus. Accipimus igitur quod adscribis, instare tempus quo ad Deum conuertamur, vt ab illo veniam & misericordiam obtineamus. Illud etiam perspicimus, vix vllum esse angulum orbis Christiani, vbi Dominus manum non exerat suo modo: ex quo omnino constat, iram Dei in miseros homines passim & valde accensam esse. Nec mirum quidem: obuiæ enim sunt causæ, nec procul requirendæ. Grassatur nempe vbique corruptio, & nullus est vspiam scelerum modus. Neque sic loquimur vt prętendamus excusationem, dum nos accensemus reliquis, cùm eò nobis esse debeat magis stupenda manus Domini, cùm ita vbique extensa est, atque diluuij instar omnia inundat. Atque vbi ista abundè perpendimus aliter sentire non possumus, nisi quòd præter illa vitia quæ vbique obtinent, duo quædam summa notari possunt inter Christianos ipsos, quæ Domini iram planè accendant. Vnum est, quòd alij Deum contumelia afficiunt suis idôlis & superstitionibus, ac non modò non admittunt sanctum ipsius verbum quo in viam reducantur, sed illud etiam despiciunt apertè, adeóque oderunt, horrent, persequuntur. Nos verò qui ex ipsius Euangelio legitimum ipsius cultum discimus, officiũ planè negligimus, vt Verbum illud vitę ferè otiosum & emortuum iaceat inter nos. Absit enim vt alios iudicando nobis parcamus. Quatenus enim Dominus eripuit nos ex horrẽdis illis tenebris, nosque sua luce donauit ad tenendam rectam salutis viam, eatenus sanè minimè omnium excusabiles sumus, si officio desumus iuxta illud Domini: Seruus qui nouit voluntatẽ Domini, neq; illam præstitit, vapulabit durius. Mirum igitur videri non debet, si pro nostra ingratitudine duplo etiã nos castigat Dominus, dum non ambulamus vt filij lucis, neq; fructus edimus dignos sancta ipsius vocatione. Præterea ipse etiã denuntiat, iudicium ipsius incœpturum à sua domo, ac proinde admouendã ab ipso manum primũ domesticis ipsis castigandis. Neq; tamen hoc ita facit vt nõ oculos etiã alibi intendat, vt cùm gloriã suam longè chariſſimã habeat, ac peculiari odio prosequatur & exhorrescat idololatriã cũ quibusvis superstitionibus, quibus ipsius maiestas lędi tur, quin inde etiam supra omnia alia peccata offendatur quàm grauissimè. Agnosce modò quid fiat inter vos. Ligna & lapides adorantur, mortui inuocantur, fides collocatur in rebus nihili, Dei cultus præscribitur in ceremoniis temere inuentis, & absq; verbo ipsius veritatis doctrina sepulta iacet: ac si quis illã restituere cogitat, acerbissimè tractatur. Et posse fieri censes vt Deus sinat tot modis pollui ac blasphemari nomen suum! Testatur Paulus immissam Corinthiis pestem à Domino, quòd sacra ipsius Cœna non satis reuerenter apud ipsos tum celebraretur. Et quid igitur sperandum est, vbi sacrum illud epulum tam lõgo tempore transformatum est in execrandum illud sacrilegium, vestram inquam Missam! Neq; hoc longa probatione indiget. Expẽdatur enim ipsa Domini institutio, & ineatur illius cum Missa vestra collatio: atqui cœlum terræ facilius cõmittas, quàm illa duo tã apertè repugnantia cõuenire possint. Nostrum igitur esset omnium dare omnes gloriam Deo vno cõsensu, dum sua singuli mala, & peccata, vltrò citróq; profiteremur. Sic enim sentimus de nobis, grauissimũ esse illud scelus, dum oblatam ipsius gratiam nõ vti par est admittimus: dum etiam pro ea notitia Euangelij ipsius, & ordinariis exhortationibus quas ipsius mandato audimus, non damus operam, vt mores nostri ad perfectã ipsius regulã melius exigantur. Sic etiam aliis faciendũ esse qui pro Dei verbo, aut suas ipsi opiniones, aut traditiones hominum sectãtur, quibus cultus Dei manifestè corrupitur, vt & ipsi agnoscerẽt quàm illa sit ipsi abominatio intolerabilis, cuius ipsi rei sint. Quid enim potest istis prætexi! quòd falsæ doctrinæ adhæreatur, fides salutis collocetur in creaturis, inuertatur rectus Sacramentorum vsus, nomen Dei manifesto abusu contaminetur: ac super his omnibus, Ipsos Domini testes si vel minimum verbum contra tantos abusus protulerint, non modò non ferri, sed omnibus modis plecti vt è mundo tollantur? Neque illud ad rem facit, si qui infideliũ prosperis rebus vtantur, quasi habeant in quo acquiescant. Sic enim accidit hypocritis & idololatris præsertim, vt glorientur, dum manus Dei ipsis non incumbit, quasi ea sit merces cultus quem Deo exhibuerint dum in ipsum suis idôlis tam grauiter peccarunt. Sic sese in sua impietate indurant, sic blandiuntur sibi, & in alios sententiam ferunt. Quid autem

Luc. 12.

1. Petr. 4.

1. Cor. 11.

Dan. 9.

ad ista

ad ista Dominus. En inquit, nullam illis benefaciendi rationem prætermisi, atque ipsi hoc imputarunt pro mercede scortationum suarum cum idôlis suis: propterea inquit, tollam ab eis quidquid in ipsos contuli, vt detegam turpitudinem ipsorum & cogam redire ad me. Oseæ 2.

Atqui quòd ad nos attinet, cùm requiritur quæ sint illa nostra peccata quibus Deum prouocauerimus, & quorum nomine ab ipso nunc corripimur, imputatur illud imprimis, quòd immutatus sit à nobis cultus Dei & ordo Ecclesiæ, qui tam rectè institutus esset, & obseruaretur prius inter nos. Non est verò inaudita ista exprobratio. Ita enim Ieremias ipse exceptus est olim, vt ipse testatur cap. 44. querebantur nimirum hypocritæ, ex quo desierat coli Regina cœli, nullum non malorum genus populo incubuisse. Docent etiam Lactantius & Augustinus, suis temporibus imputari solita Euangelio omnia quæ acciderent aduersa: quòd per Euangelium superstitiones Gētium abolitæ fuissent, quæ pro Dei cultu habebantur. Regeritur, non esse nūc perinde: nos verò rem perinde se habere contendimus. Quid igitur? Hîc de reipsa seriò inquirendum sit, vt recta sententia proferatur. Præterquam autem quòd conscientiæ nostræ testimonio hac in parte stamus coram Domino, res ipsa per se pro nobis vna coram hominibus etiam respondet. Hactenus enim nemo prodiit, qui euicerit, immutatum esse quidquam à nobis, quod à Deo mandatum esset: aut esse à nobis institutum aliquid noui contra verbum ipsius: aut à nobis declinatum esse à veritate ad prauum aliquod dogma sectandum. Contrà verò palàm est, nostram à nobis Ecclesiam reformatam esse ex mero ipsius verbo: quod vnum est pro regula, ad quam & instituenda illa sit, & tuēda legitimè. Odiosum est quidem mutare quod obtinuerit antè: nisi sanè vnus ille ordo à Domino positus semel nobis esse debere sacer & inuiolatus: vt quum ille ad tempus abolitus fuit, restitui postliminio necesse fuerit, vt cœlum & terra misceri debuerint. Nulla antiquitas aut vsus præscriptio his obesse potest, quin administratio Ecclesię quæ Deum ipsum auctorem habet, perpetua extare debeat, quando ita illam Dominus semel positam fixámque voluit. Plusquam idoneæ verò sunt rationes quæ ad mutationem illam nos adegerunt, cuius præiudicio falsò vrgemur. Primum nempe caput Christianismi est, vt Deus rectè colatur. Animaduertimus verò formam illam adorationis quæ in vsu erat, falsam & peruersam esse, quia non erat in spiritu & veritate, sed in externis cerimoniis, & ritibus etiam superstitiosis. Quam Ioan. 4.
nis etiam non iam vnus Deus adoraretur: sed loco ipsius ligna & lapides, picturæ, mortuorum reliquiæ & cætera id genus. Cùm Dei adoratione cohæret ipsius rectè inuocandi regula. Et qualis est Dei inuocatio in toto Papatu, nisi cum dubitatione & diffidentia coniuncta, quatenus non tenetur Christi munus, quod in eo positum est, vt intercedat pro nobis, vt eius nomine à Deo exaudiamur? Porrò quid sunt aliud publicæ illæ preces, quàm strepitus ignoti & veluti exotici vlulatus? Postremò quot blasphemiæ illic censendæ sunt, vbi virtus Mediatoris transfertur ad sanctos & sanctas, vt eorum nomine & meritis gratia impetretur? Tertio loco & inuocatio proximo est ipse Dei cultus. Docebamur autem Deum colere ex vanis hominum traditionibus: Ille suam vnam voluntatem pro omni regula hac in parte, præscripsit. Quòd ad salutis fiduciā attinet quæ vna est omnium veluti basis & fundamentum, cùm in vna Dei misericordia ea sita esse debeat, vt & ipsius gloriæ & conscientiarum paci consulatur: docebamur etiam cum reliquo mundo fiduciam illam partim in nobis ipsis, partim in aliis creaturis reponere. Cætera percensere neque valde opus est, neque vllus esset modus. In summa, Christi gratia nobis planè sepulta erat. Cùm igitur percepimus & liquidò nobis constitit, istiusmodi omnia meram esse abominationem coram Deo, quò nos vertere debuimus? An nostrum erat Deo resistere & ipsius veritati? Quòd ad ordinem & statum Ecclesiæ attinet, si quid in eo fuisset tolerabile, lubenter & ipsi illum retinuissemus. Atqui adeo erant omnia confusa, vt mera Babylon illic extaret, adeo vt non aliud remedium quàm in certa renouatione sese proferret. Quid de Sacramentis? quorum vsus planè inuersus erat, & planè alius quàm vti ipsū à Domino primùm acceperamus? quātùm nugarum erat in Baptismo quę ab hominibus introducta erant sine Domini mandato? Et quod grauissimū erat, pura illa ac nativa institutio Domini illis additionibus ferè erat abolita. Hoc ita esse vel vnum Chrisma testatur, quod aquæ elemento in Baptismo longissimè præfertur. Vnde fit vt noster hodie Baptismus vix pro Baptismo habeatur, quum in eo illud tantùm vsurpemus, quòd Dominus ipse instituit, atque ipsius Apostoli tenuerunt & in vsu ha- 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2. Heb. 2. Deu. 12. 1. Sam. 15.

buerunt. Cœna porrò longè grauius profanata erat. Illa nimirum instituta est à Domino vt sit perpetuum pignus alimenti animarum nostrarum in ipsius tum corpore tum sanguine, vt tum ipsius bonorum omnium participes fiamus, tum nominatim mortis ipsius. Ad illud præstandum forma ipsa distributionis à Domino primùm mandata, retinenda erat, adiuncta simul doctrina quæ vim & vsum tanti mysterij complecteretur. Contrà prorsus, illa transformata erat in sacrificium, ad peragendam apud Deum reconciliationem certo illo hominis opere & ipso facto. Neque illud ad viuos tantùm, sed & ad mortuos pertinebat. Sacerdos peracturus mysteria & Sacramenta participaturus segregabat se ab Ecclesia. Omnia lingua ignota expediebantur, vt inter magos & sortilegos fieri solet. Vbi ad Pascha ventum erat, Sacramentum non nisi mutilatum exhibebatur plebi, atque ita à calicis communione aliena esse iubebatur contra mandatum ipsius Magistri. Eiusmodi sacrilegia approbare nulla sinebat ratio: & tamen imputatur nobis quasi Sacramentum istud euertetimus scilicet. Atqui res ipsa loquitur, illud à nobis restitutum esse integritati suæ, cùm tot modis corruptum antè pollutúmque esset. Paulus reformaturus apud Corinthios abusum qui Cœnę Domini irrepserat, illos reuocat ad primam institutionem Domini, tanquam ad statutum irrefixum. Quid igitur melius quàm tale exemplum sequi nos præstitit, ad tollendos infinitos illos abusus quibus tantum Sacramentum contaminatissimum euaserat? Doceatur verò ecquid in nostra forma & vsu extet alienum aut ab institutione Domini, aut ab vsu Apostolorum, atque tum erit emendationi locus. Si verò præter ius & æquum impetimur, nihil illud efficiet, vt à certa veritate ita temere demoueamur. Proinde quod tu nobis summæ culpæ adscribis, illud contrà pro singulari Dei opere accipimus, quo vix aliud eo gratius à nobis edi potuisse statuimus. Neque interea inficiamur, non vno modo peccatum esse à nobis, vnde & à Domino castigamur meritò, nempe quia non respondeant mores nostri, doctrinæ ipsius quam profitemur. Perinde etiam est quod tu nobis præscribis eos modos quibus ad Deum reuertamur, & iram illius placemus aduersum nos, quibus modis eum aduersum nos accensum & prouocatum iri multò magis, ipsi planè sentimus. Iubes enim primo loco nos offerre pretiosum corpus & sanguinem Domini Iesu Christi. Sic nempe solet apud vos fieri. Atqui vt constet, an Deo gratum illud opus futurum sit, de ipsius voluntate certos esse imprimis oportuit. Iam verò ille non est auctor nobis vt corpus ipsius offeramus, sed vt pro nobis oblatum accipiamus. Accipite inquit, edite: Quare si acceptionis loco vti nobis præscripta est, oblationē ipsi obtrudemus, vnde nobis legitima inuentionis nostræ approbatio? Petimus igitur, vt istam rationem seriò expendas. Consulis siquidem, vt curemus offerri corpus Christi per sacerdotem, ad obtinendam gratiam. Respondemus, Sacramentum illud non esse in eum finem institutum à Domino, sed potius vt illud accipiendo participes fiamus singularis & æterni sacrificij, quod vnus ipse obtulit pro officij sui ratione. Addimus insuper, illud planè derogare ipsius dignitati, quatenus ipse constitutus est Sacerdos absque vllo vel socio, vel successore, vt offerret semetipsum: quum extaret nemo qui tam insigni illo opere præter illum perfungi posset. Sacrificandi siquidem munus eò pertinet, vt mediator sit qui sacrificat inter Deum & homines. Cui verò fides erit adhibenda, Christo an vobis, vbi ita ex opposito consistitis? Indicis nobis etiam supplicationes illas, quas vocatis Processiones generales. Et quid illic operis extare potest, nisi fortasse magna illa pompa & cerimoniis ad ostentationem comparatis Deum à nobis placatum iri cogitaremus? Respondebis tibi in animo esse, vt ista cum certo animi affectu & deuotione peragantur. Scilicet illa erit legitima deuotio, vbi fidem affigemus cereis, funalibus, vestibus superbis & profusis, imaginibus & mortuorum reliquiis. Illud quidem in vsu fuit apud idololatras ex gentibus vt historiæ testantur: vt autem hoc Christiano cultui respondeat, primùm docendi essemus. Non disceptamus, an expediat cœtum cogere, vbi solennes ad Deum preces concipiantur, illud quęritur in istiusmodi supplicationibus, quid extet præter illam pompam in vestibus, funalibus, reliquiis & cæteris id genus. Atqui illud totum merè Iudaicum est, ne dicam Paganicum prorsus, nedum vt in Christianis probandum sit. Auditur illic clamor & cantus, lingua verò incognita: ac proinde contra diserтum mandatum Spiritus sancti, quo iubet preces publicas concipi lingua communi, ea videlicet quæ omnibus promiscua sit, vt quicunque sunt rudiores & ex plebe, illorum participes fiant, & ad exitum Amen respondeant ex suæ conscientiæ

2. Cor. 11.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Heb. 7. 8. 9. 10.

1. Cor. 14.

scientiæ & affectus testimonio. Hortaris deinde, vt imploremus Mariam Virginem & sanctos, ac Petrum nominatim designas vt nostrum hîc patronum. Atqui Deus nos ad se vnum ita vocat, vt ad alium quemuis confugere vetet. Atque illud optimo iure, quando summa eius gloriæ pars in eo sita est, vt ipsum inuocemus vnum in Christi nomine. Et vt illa vna ratio non subsit, extant passim tot Scripturæ loca, quæ iubent nos ad Deum recipere cum oratione & precibus, siue peste, siue bello, siue fame vrgeamur. De implorandis sanctis ne minimus quidem vspiam ext at apex. Quàm igitur temere & perperam à nobis fieret te audientibus, vt simul Dei doctrinæ tergum à nobis obuerteretur. Quòd Petrum nobis patronum vocas, nihil hoc aliud est, quàm quod est apud Prophetam: Israel Dij tui sunt iuxta numerum vrbium tuarum: cùm tamen iis temporibus non hoc sibi populus proponeret, vt Deo vero abolito, plures illius loco submitterentur: sed quatenus vnaquæque vrbs sibi patronum certum eligebat in quo fiduciam collocaret. Exprobrat illis Propheta eo nomine, quòd singulæ vrbes singulos Deos sibi haberent. Perinde nos facere etiam nunc iubes. Absit verò vt alium patronum optemus nobis præter vnum Iesum Christum, qui nos recepit in fidem suam, quos etiam Patri commendaret. Si in illa cæcitate olim ipsi viximus, præterierunt illæ tenebræ: neque iam errandi tempus est, vbi semel oculos nostros lux tanta circunfulsit. Atqui experientia edoctus es, inquis, quantùm hæc valeant. Non est verò res noua, vbi Dei beneficia attribuuntur operibus nostris vanis & peruersis, quasi idôla colendo beneficia ipsius erga nos eliceremus. Sic se iactant sacrilegi, magi, diuini & cæteri eiusmodi. Est, autem nobis longè certior ista regula, nempe vt præeat ratio experientiæ. Hoc vbi sequemur, non feremur extra viam, atque extra Domini mandatum. Sic comperiemus denique reipsa & absq; vlla illusione, nunquam illis deesse opem ipsius qui solidè in eo fiduciam collocant. Contrà verò, si quæ alibi præsidia requiremus, vt illa nos iuuare nobis persuadeamus, exitus tandem ostendet, nos ipsos ita planè fuisse deceptos.

Pſal 50. Isa. 44. 55. Ier. 3. Osee 2. Ierem. 2. Ioan. 10.

Dominus Iesus dignetur tibi aperire oculos, vt agnoscas quid sibi velit, cùm se vnam vocat salutem, vitam, sanctificationem, sapientiam, fiduciam denique omnium hominum, vt & ab omnibus talis agnoscatur, & agnitus vno animo glorificetur & ore, & corde, & omnibus operibus nostris: ac proinde vt quemadmodum vnum baptisma suscepimus ipsius nomine, ita etiam vnum Christianismum omnes profiteamur.

De vtilitate et recta ratione lectionis sacræ Scripturæ.

Si longa aliqua præfatione hoc loco vtendum esset, tria omnino mihi pertractanda iudicarem. Ac primùm quidem demonstrarem quantus sit thesaurus Scriptura Sacra, quàm excellens ipsius dignitas, fructus verò incomparabilis. Et sanè summum illa bonum vitę istius vti est, ita etiam meritò prædicari debet. Scriptura clauis est qua nobis patefit Regnum Dei, vt in illud intromittat, per eam nobis constet quis Deus adorandus, & quæ spes vocationis ipsius. Hîc certum iter & expeditum nobis sternitur, cui inhærendo à perpetua illa fluctuatione & incertitudine nobis caueamus, quæ nunquam nos certo loco stare permitteret: Hîc verum discrimen boni & mali: Hîc vera cultus Dei norma constat, ne illic temere feramur, atque nobis aliorum exemplo imponamus, dum nugis ac rebus nihili implicantur: ac ne etiam Religionis studium iis in rebus constituamus, quas vt merè impias Dominus reiicit atque condemnat. Scriptura lucerna illa est quæ nos dirigit, quæ illuminat per medias præsentis vitæ tenebras, ne ad obiecta vndique scandala, vt cæci impingamus, ac ne multò magis ad singula momenta corruamus: Ipsa est totius sapientiæ schola, sapientiæ inquam, quæ omnem humanum captum exuperat, & quæ sit ipsis etiam Angelis admirationi: Ipsa speculũ est in quo vultum illum Dei cõtuemur, vt in gloriam ipsius transformemur: Ipsa est sceptrũ Regis nostri, quo nos tanquam sub-

Ex Gall.

ditos regit: ipsa pastorale pedum, quo se nobis Pastorem vnicè præsignat. Ipsa etiam est documentum scripto comprehensum fœderis ipsius nobiscum initi, quo sese mera gratia obstrinxit nobis ad perpetuæ nobiscum coniunctionis irruptum vinculum. Ipsa testimonium bonæ illius voluntatis Domini, quo stat conscientiarum pax, qua certò persuasi sumus vbinam reposita sit nostra salus. Ipsa singulare animarum pabulum, quo alantur in vitam æternam. Denique vnius Scripturæ beneficio à profanis & incredulis differimus, quatenus constat nobis certa Religio, confirmata & innixa indubitatę Dei veritati: cùm alij omnes vagis & incertis opinionibus circunduci se sinant: aut ipsi sese sine vlla certitudine ac firmitate in impia obstinatione indurant. Hæc inquam, pertractanda primùm essent, cum iis etiam quæ ad hunc locũ pertinent. Scopus autem esset ad exhortandum quenque, vt tantum illud bonum singulari etiam in pretio haberet, vt omnes summi atque infimi inuitarentur ad tanti muneris omnibus sine discrimine oblati à Domino participationem: ostendendum etiam quantæ ingratitudinis foret Deo nos alloquenti aures claudere, retrocedere cùm ad se vocat, neque sanctæ isti doctrinæ audientiam facere, in qua seipsum nobis reuelat in nostram salutem. Hîc etiam perstringenda mihi esset diabolica illorum audacia, qui promiscuam plebem hoc tam apposito Domini beneficio defraudare audent, dum Scripturæ sanctæ lectionem interdicunt: quasi Dominus consilium ipse suum satis non aperuerit, quod Scripturam suam apud omnes cuiuscunque conditionis & linguę extare vellet. Commonstrarem inquam, quàm non ferenda sit crudelitas, vbi miseræ animæ cibo illo suo destituuntur, vt aut vento deinde pascantur, aut pabuli loco venenum ipsis propinetur. Hæc igitur esset summa primi illius capitis, quod tamen longè vberiorem tractationem requireret. Alterum autẽ spectaret ad comparãdos lectores ad lectionem Scripturæ, vt ex illa fructum caperent. Huius verò capitis essent duæ partes. Vna, vt idoneè præparati accederemus, altera vt teneremus, ad quem scopum nobis collimandum esset. Nemo enim vnquam idoneus erit discipulus Domini, nisi qui sese sistet ipsi cum animo illo prolixo ac propẽso, vt admittat syncerè quidquid à Domino acceperit: nisi qui iudicio suo renuntiauerit & rationi simul, vt vnam sapientiam in summa docilitate statuat: nisi etiam affectus natiuos infrænet, vt arbitrio Magistri submittat: nisi denique seipsum quasi in custodiam sponte includat, vt sub illius iugo contineatur, cui inseruire longè optabilius sit, quàm non modò liberum aliàs esse, sed vel latissimè etiam dominari: nisi & omnis arrogantiæ oblitus, sese ipsum deiiciat ad veram humilitatem, & imminutionem illam quam in suis discipulis Dominus requirit: nisi cor aperiat, vt quidquid audierit, admittat: nisi timorem & reuerentiam legitimam afferat, quę Creatoris Maiestati respondeat: nisi zelo puro & recto præditus sit ad inquirendam voluntatem Dei, vt ad ipsam vitam omnem, opera, cogitationes, sermones exigat: nisi seipsum expediat terrenis negotiis, nisi corde sit vacuo & purgato ab omnibus carnis solicitudinibus & concupiscentiis, vt totum sese conferat, ac sine vlla interpellatione ad cælestiũ rerum meditationem. Et quoniam naturalis nostra propensio istiusmodi præparationi ex diametro repugnat, imprimis hoc est consultissimum, vt à Domino imploremus, vt agamur ipsius Spiritu: cùm sine illo quidquid operæ ac laboris insumptum à nobis esset, nihil hîc prorsus ageremus. Vt contrà etiam vbi Spiritum directorem acceperimus, nihil erit nobis timendum, dum illum appositum deductorem sequemur. Constat verò Dominum non denegaturum Spiritum sanctum, si qui sine simulatione postularint. Quare nos ita comparare discamus, vti suprà traditum est, vt deinde oratione ad Dominũ seriò præmissa, cum fructu in Scripturæ lectione versemur. Altera secundi capitis pars esset, vt præmoneremur vagandum non esse in Scriptura, vt huc & illuc circumeundo nunquam ad veræ scientiæ scopum pertingamus. Quod ne accidat, cauendæ sunt otiosæ speculationes, neque etiam hærendum in quæstionibus friuolis, quę tantùm contentiones & rixas pariant vt notat Paulus: aut meræ sunt ingeniorum cruces, aut sub specie subtilitatum in nebulas attollũt, atque à solo & solido fundamento abducunt. Neq; enim ideo Scriptura data nobis est, vt stultam curiositatem pascat, aut ambitioni inseruiat, sed vtilis ipsa est, inquit Paulus, nempe vt erudiat in recta doctrina, consoletur, exhortetur, atque ad omne opus bonum perfectos reddat. Ad illum vsum igitur ipsa nobis applicanda est. Atque hæc legitimæ ædificationis ex illa nobis colligendæ summa statui potest, vt ex Scriptura fidem collocare in Deo, tum in ipsius timore ambulare discamus. Et quoniam finis Legis & Prophetarum,

ipsáque

ipſaque adeò Euãgelij ſubſtantia Chriſtus ipſe eſt, ne alium ſcopum nobis proponamus, quàm qui ad Chriſti cognitionem perducat: cùm illud conſtiterit non poſſe à Chriſto vel minimùm deflecti, quin ſtatim extra viam erretur. Atque iſtud ſecundum caput parcius attingo, quia præfatione etiam tradi hoc non poſſet, quod diffuſiorem tractationem requireret, ad rem ipſam plenius exponendam. Satis erit igitur indicaſſe quantùm hic locus tulit, vt interea apud lectorem excuſatam breuitatem velim, cùm hoc tantùm mihi propoſuerim, vt admonerem quid in ipſo Scripturæ aditu ſcire maximè expediret. Poſtremùm eſt de ipſo Scripturæ in linguam noſtram vernaculam interprete. Nam inter eos qui huic operi nauarunt operam, Petrus Robertus Oliuetanus piæ memoriæ, atque olim fidelis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeruus ita ſe geſſit, vt ipſius labor perpetuam apud bonos omnes commendationem mereatur. *Hactenus. Quæ enim pauca ſupererant ad Gallicam tranſlationem tantùm pertinebant.*

IOANNES CALVINVS CAESARIBVS, REGIBVS, Principibus, Gentibúſque omnibus Chriſti Imperio ſubditis Salutem.

Præfatio Io. Caluini in Gallicã tranſlationẽ Bibliorum à Petro Roberto Oliuetano editam Neocomi. Anno 1535.

DRiuilegia nouis libris impetrari nec abs re olim, nec ſine publico bono conſtitutum fuit: atque vtinã nullus hodie liber exiret non ſuo priuilegio ornatus: modò ne id eſſet vel gratia elicitum, vel pecunia redemptum Principis beneficium, quo temere commendaretur ad Typographi quæſtum: ſed graue preſſúmque teſtimonium, quo luce, & hominum oculis dignus ex vero pronuntiaretur. Hoc enim remedio decebat coerceri furioſam iſtam ſcripturientium libidinem, quæ tot librorum examina nullo modo, nullo delectu, nullo pudore, ſubinde nobis parit. Adeò vrit non paucos ſtolida nominis cupiditas, vt malint quouis facinore vtcunque innoteſcere, quàm bene latere. Nunc immodica ſua facilitate peſſimè conſulunt Reipub. Principes, qui non modò bonos malos libros edi permittunt, ſed peſſimos quoſque ſuo ſuffragio comprobant. Hoc verò Sacrum Opus quod nec nuper natum eſt, nec ab homine profectum, ideo hominum teſtimonio minimè indigere viſum eſt. Et ſanè iniquiſſimè comparatum eſſet, ſi talibus elogiis opus haberet, quorum ſordibus nihil aliud quàm fœdaretur eius dignitas. Oraculũ ergo, & ęterna veritas ſummi Regis, cœli, terræ, mariſque Domini, Regúmq; Regis, Diploma eſt priuilegij, quod nobis magnificè ſplendidéq; ipſum commendat: quod ſumma veneratione ab omnibus Gentibus, ætatibus, ordinibus publicè ac priuatim excipi iubet. En edictum, cui omnes ad vnum obſequentes eſſe conueniat. Sed impiæ quorundam voces audiuntur, clamitantium rem eſſe indignam, vulgari hæc ſimplici plebeculæ myſteria: in quibus qui totam ætatẽ detriuerunt, magnis alioqui & ingenij & doctrinæ præſidiis adiuti, in medio tamẽ ſtadio ſæpius defecerunt: pauci aut fortè omnino nulli reperti, qui vltimam lineam attigerint. Quid, inquiunt, prę iſtis aſſequi poſſunt miſeri idiotæ, omnium bonarum artium rudes, & (ſi vſus quęritur) rerum omniũ imperiti? Verùm cùm Dominus è paſtorũ caulis Prophetas, è piſcatorũ nauiculis Apoſtolos ſibi coaptarit, cur nõ & nũc ſimiles diſcipulos dignetur? Imò ſi iſtis Rabinis (qua ſunt animi vel magnitudine vel ferocitate) pudenda eſt ſors diſcendi cum plebeïs & rudibus: quantum probrum eſt à talibus præceptoribus diſcere, qui nulla in parte vel abiectiſſimos excelluerunt, niſi quòd à Domino docti erant? Neque in eam partẽ hæc à me dicuntur, quò tollam ex Eccleſia docendi diſcendíque ordinem: quæ luculentam Dei benignitatem agnoſcere debet, dum à prophetis, doctoribus, interpretibus, qui ab eo miſſi ſunt, probè inſtituitur. Sed hoc tantùm poſtulo, vt fideli populo Deum ſuum loquentem audire liceat, & à docente diſcere. Quando ille à minimo vſque ad maximum cognoſci vult, quando omnes θεοδίδακτους fore pollicetur, quando conqueritur in ſuis ſemper laborandum adhuc eſſe, quos vocat Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus: quando paruulis dat ſapientiã, pauperibus εὐαγγελίσασθαι præcipit. Cùm ergo videmus ex omnibus ordinibus eſſe qui in Dei ſchola proficiãt, agnoſcimus eius ve- Iſa. 28. 9.

ritatem,qui promisit effusurum se de Spiritu suo super omnem carnem. Isti contrà fremunt & indignantur. Quid hoc est nisi Deo suam largitatem exprobrare? O si eo sæculo vixissent,quo Philippo erãt quatuor filiæ prophetantes,quàm indignè eas tulissent? nisi fortè & indignis modis accepissent. Quando verò Dei verbum quoties libitum est,fortiter contemnunt,cur non Patrum saltem exempla imitantur, quibus tantùm se deferre simulant? Hieronymus non est dedignatus mulierculas studij consortes: Chrysostomus, & Augustinus quando non plebem hortantur ad hæc studia? quàm frequenter inculcãt, vt domi relegant, quæ in Ecclesia audierunt? Quid quòd Chrysostomus plebeiis magis quàm Monachis necessariam esse Scripturæ sanctæ lectionem contendit: quòd variis curarum & negotiorum fluctibus iactati, in naufragium statim abriperentur sæculi huius, nisi ad hanc ancoram hærerent? Laudatus est ab Eusebio Pamphilus Martyr, qui sacros codices paratos semper domi habebat, quos & viris & fœminis largiretur. Nec puriore illo sæculo duntaxat, sed multis postea annis valuit hæc libertas: donec corruptum suisque cupiditatibus immersum vulgus,suapte nequitia,& ignauia hoc studij genus abiecit. Nunc vbi repeti cœpit, emersit hæc tyrannis, quæ populum à communi bono arceat. Id verò perinde est, acsi quis huic aqua & igni, communibúsque elementis interdicat, quia nondum iis vti visus sit. Quis cogitasset tantam in Pastoribus crudelitatem, (nam Pastores & haberi & dici volunt) vt vitæ pabulum ex ouium faucibus vi eripere non horreant? Sed periculum est,inquiunt,ne in multis sua simplicitate labatur vulgus,ne peruertat non intellecta,atque ita venenum pro alimẽto hauriat. Quàm hîc impudẽter ratiocinantur? Euangelium est odor mortis in mortem iis qui pereunt, Iudæis scandalum, Græcis stultitia: ergo ne legatur,ne audiatur. At est virtus Dei in salutem omni credenti,Iudæo simul & Græco: Christus est petra offensionis,in quam multi impingunt,& qua multi eliduntur: ergo ne sit Christus. Sed est vita æterna, vnica ad Patrem via & veritas. Quando hæc parum solida vident, addunt inter tot hæreses quibus nunc orbis vexatur, contineri melius populum obedientia quàm doctrina. Sed tum quoque feruebant hæresibus omnia, cùm ij quos retuli & Chrysost. August. suos ad studiũ cœlestis doctrinę acriter stimulabãt. Nẽpe tali eos pharmaco aduersus hæreses muniebãt, talibus armis instruebant. Postremò miserè deplorãt superbire ac ferocire vulgus, statim atq; gustũ aliquem sacrarũ literarũ cõcepit. Superbire autẽ vocant,nõ ex suo ore pendere,ac nõ quasi ex tripode profectũ adorare, quidquid vel per somniũ cogitauerint. Hinc hinc illę lachrymæ. Sic quondã Rom. Põtif. & sacrificuli vix manus ab illo cõtinuerunt, qui fastos populo describerat, quorũ penes se esse arbitriũ volebant. Ad hunc modũ isti, cùm fumos suos nisi in tenebris vẽdere populo nequeunt, nihil mirũ si hãc lucem accẽdi non sustineant: pessimè verò hoc eos habet, arcana sua quibus plus inest obscœnitatis, q̃ aut vllis bonæ Deæ sacris, aut ipsis etiã Bacchanalibus, sic palàm retegi ac traduci. Alij qui paulò volunt videri æquiores, causantur, tantùm vulgari vsu contentam debere esse promiscuam plebẽ: has versiones quæ non modò ad linguarũ veritatem, sed ipsam loquẽdi proprietatẽ exiguntur in eruditorũ Bibliothecis oportere magis versari, quàm rudiũ manibus passim volui: quorum vt aiunt, admodũ pauci sunt, qui aliquid inde assequãtur, quàm plurimi verò nouitate offendantur. Hi quid spectent non video, nisi quòd soli sapere volunt. Cùm enim negant vsum esse aliquẽ purioris interpretationis, quã quæ nunc habetur tot locis deprauatissima, in Spiritum S. non obscurè sunt contumelioſi: cuius donum esse linguarũ interpretationẽ affirmat Paulus, & in Ecclesiæ ædificationẽ cõferri postulat. Si donum ipsum spernunt, sacrilegi: si supprimi volũt, ne multis seruiat, inuidi & iniqui. Nouitatẽ quidẽ fateor plus satis esse odiosam: quia multi sunt ventres qui non nisi glãde pasci sustinerent, etiã reperta fruge. Sed ea demũ nouitas odiũ meretur, quam nullo operepręcio affectatã esse data opera, atq; ascitã cõstat: quę verò sepultam veritatẽ eruit, eam non omni fauore amplecti, turpissima ingratitudo est. Quòd si ea est hominũ barbaries, vt beneficijs etiam ipsis malè afficiantur, omittendæ potius offensiones sunt & quæuis odia, quàm vt eorum gratia veritatis dispendio constet. Quãquam de populo securus sum, qui iampridem famelicus talibus epulis inhiat, tantùm abest vt à nouitate abhorreat. Sed hunc suæ malignitati prætextum quærunt, quibus non satis est in confertissimis thesauris volutari, nisi nummulos de meliore nota percussos populo inuideant, saluis etiam & integris suis thesauris. De interprete parcius loquor, ne quid cognationi quæ illi mecum intercedit, aut veteri nostræ familiaritati dare videar. Dicam tamen (quod & ipse mea fide

fide polliceri ausim, nec liuor ipse inficiari possit) hominem nec ingenio tardum, nec eruditionis inopem, quantùm industria, studio, sedulitate adniti potuit, summa fide in hoc interpretandi officio versatum esse. Neque tamen quædam esse dubito, quæ vel pro iudiciorum varietate, vel quia opere in longo interdum somnus irrepit, non omnibus placitura sint. Verùm lectores hortor, vt si qua eius generis occurrant, ne hominem de sacris literis bene meritum mordere, proscindere, & insectari malint, quàm modestè sui lapsus admonere. Hæc ingenuitas & Christianam pietatem, & liberalem doctrinam decet: nec pessimam gratiam à Roberto nostro referent, qui multis aliis dotibus eximius, modestia tamen seipsum vincit: si tamen ea est modestia ac non potius immodicus pudor, quo penè ab hoc tam sancto labore suscipiendo abstractus est, nisi hortatu ac etiam flagitatione sua victum, sancti viri inuictique verbi testes Chusemeth & Chlorotes tandem manus dare coëgissent. Qui verò nulla ratione ab improbitate linguæ cohiberi possunt, ij meminerint facillimam esse maledicendi artem, si quis ea certare velit: & quam mulierculæ in triuiis melius exerceant, quàm in scholis rhetores. Neque verò Comicum illud minor, malè vicissim audituros pro sua maledicentia. Habent hominem quem impune lacessant, quantùm ad procacitatis vices attinet. Sed ne magnam virulentę huius facundiæ laudem expectent, moneo. Tam verùm est illud quàm vulgatum, cauillari omnia promptum esse, sed non item æmulari. Valete.

Praefatio Ioan. Calvini in Editionem Gallicam Noui Testamenti Neocomi Anno M. D. XXXV.

Cuius hæc summa est:

Christvm esse Legis finem.

Ex Gall.

QVm Deus Optimus Maximus absolutissimus omnium opifex, in illa vniuersi creatione plus quàm admirandum sese exhibuisset, tum verò in hominis creatione, ita operi summam apposuit, vt in eo singularis quædam supra omnes alias res conditas tanti auctoris Excellentia emineret. Vnum videlicet ad imaginem suam & similitudinem efformauit, vt gloriæ ipsius notæ in nouissimo illo ipsius operæ expressę emicarent. Fœlix nimirum homo, & nunquã non fœlix futurus, si priuilegij supra alias creaturas in seipsum erogati non immemor, cum plena demissione sese coram vno Creatore perpetuò deiectum sisteret: si ipsum vnum continua gratiarum actione prædicaret: si nihil in sese repositum statuendo, tot illa cœlitus accepta dona ad Dei vnicam (vt quæ tota illius esset) gloriam referenda cogitaret. Infœlix verò, dum suam fœlicitatem illam non capit, ac in semetipso gestit acquiescere: dum ipsi excidit tantus ille singularis erga se liberalitatis auctor, contumelioſè ingratus in ipsum attollens sese, superbire etiam ausus est aduersus factorem suum. Hinc ille præceps leto datus est: hinc à natiua illa ingenuitate in pudendam seruitutem deiectus, à creationis excellentia detrusus cœpit iacere: Hinc illum excipere pro gloria nuditas, pro tot & tantis Dei donis miseranda abdicatio, vt in sua illa superbia confusus vel inuitus disceret, quod syncero affectu præ se ferre paulò antè dedignatus erat. Ergo hæc illius schola & studium esse tum debuit, vt & seipsum meram vanitatem esse agnosceret, & nihil aliud extitisse prius ex sese quàm vanitatem etiam persentiret: quod præterea accessisset, peculiari Dei indulgentię acceptum ferri debuisse. At verò Dominus tam indignum creaturæ nobilissimæ casum auersatus, & ipsam exosam habere cœpit, atque vt pro tali merito dignum erat, ne opus quidem suum censere: ex quo & imago illa atque expressio ipsius planè iam inducta esset, & tam præclara bonitatis ipsius erga hominem testimonia conuulsa. Sic demum illius cuiusdam delectationis loco, quam ex creatura illa singularem percepisset Dominus, vt non secus atque in filij dilecti amore acquiesceret, despectus & abominatio Domini ipsius successit: vnde & si quid aliàs gratum ab homine extitisset, si paterno intuitu illum Dominus prosecutus esset, totum illud ipsi tædio, diuidiæ, abominationi fuerit: & non secus atque de perduellionis

reo, pronuntiarit, pœnitere se quod hominem creasset. Enimuero neque in eo etiam vnde primùm cœperat, stetit hominũ prauitas, quin potius vt quidã appositè expressit, Ætas parẽtum peior auis tulit se nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem. Quid igitur? Nempe cùm fœcunda illa culpæ sæcula extremam aduersum se manum Dei prouocassent, Deus ipse non tam in misericordiam & paternam indulgentiam propensus, quàm ipsamet misericordia atque indulgentia, cùm amore non prosequi nollet, quòd amari in sese adeo esset indignũ, humanum genus tamen interire prorsus, & meritissimo exitio absorberi non sustinuit: resipiscendi tempus & rationem si fortè ad sese aliquo modo redirent, protogauit: & quamuis apertè quidem indignationem quasi oculis conniuentibus dissimularet, sibíque ita ipsos permitteret, vt nulla vox eius, nulla lex ac directio expressa extaret, quæ argueret peccati: nunquam se tamen adeo apud ipsos Dominũm celauit, quin illa exhiberet quæ & officij commonefacerent, & ad ipsum quærendum ac tantumnon palpandum veluti manu ducerent: vt vel pro illius modi cognitione, ab ipsis agnosci etiam, & agnitum legitimo honore coli oportuerit. Nam quo se verteret quisquam cui non vocalia quædam testimonia veritatis & gloriæ tanti opificis occurrerent, quæ non altè, sonorè, ac splendidè summi vnius Dei Maiestatem in sublime sub tanto, tot rerum admiratissimo paratu euectam circunferrent? Sic adeo in singulis partibus istius vniuersi sursum ac deorsum insculptas reliquit atque expressas gloriæ, potentiæ, bonitatis, sapientiæ, æternitatis significantissimas inscriptiones! Vnde
Act. 14. 17. illud Pauli, apud ipsos etiam homines apud quos Dei veri notitia ex Verbo non extitit, non ideo se tamen ἀμάρτυρον reliquisse. Ergo quot extiterunt vbique Dei creaturæ, totidem remanserunt præcones humano generi, immensæ gloriæ sui auctoris: ac proinde ex illarum rerum agnitione ad Deum ipsum perueniri debuit, vt & ipsi agnito, fides omnis atque obsequium deferretur, quod tanti illius heri bonitati, sapientiæ, potentiæ, æternitati congrueret. Quid quod ipsæmet alioqui non vocales creaturæ, homini ipsi etiam hac in parte quasi verba præiuisse dicerentur? Nempe & volucrũm moduli Deum personabant, & bruta ipsa mugientia auctorem illum inclamabant, & elementorum series ad ipsum stupebat, & montes illum intonabant, & fontes fluuiique ipsimet oculis quasi nictabant, & gramina ac flores ipsi adblandiebantur. Sed neque etiam extra sese quemque adeò illum requirere opus erat: quin cùm in semetipso cuique beneficium ipsius constaret, quæ deinde iusta cessationis excusatio, quin ad ipsum continuò ferrentur omnes, in quo vno omnes viuimus & mouemur & sumus? Atque vt certior extaret ipsius erga homines propensionis demonstratio, satis illi non fuit communem illam ex rerum natura pædagogiam constituisse vniuersis: sed quod longè præstantissimum, ipsemet ore suo certum quendam populum, Israelem nempe compellare dignatus est, quem primum mera & gratuita benignitate vnum ex omnibus populis sibi selegisset. His demum tum verbo suo seipsum manifestum reddidit, tum etiam operibus stupendis potentiæ illius suæ documenta protulit. Hos ex Ægypti fornace ferrea eductos, in qua viui ac videntes atterebantur, in optatissimam libertatem asseruit. His se tanquam exilij particeps ducem interdiu & per noctem prætulit. Pauit in deserto: in promissæ regionis possessionem intulit: victorias ac triumphos quasi in sinum effudit. Ex his vnis, quasi ad ipsum aliæ Gentes minus pertinerent, nomen ipse ducere, illos populum ac gentem suam vicissim nominare voluit. Atque hæc omnia sub illa tantùm conditione, vt nullum aliud numen admittendo, in ipso vno singulariter acquiescerent. Hoc porrò Fœdus appositis beneuolentiæ suæ testimoniis amplissimis, tum apud ipsos sanciuit, tum confectis & editis ea de re publicis tabulis, in perpetuum rei monumentum confirmauit. Scilicet illa hærens lateri letalis arundo natiua corruptio nempe peruicit: neque magis ipsi Israelitæ Dei monitis parere sustinuerunt, neque ad illam doctrinam, quæ tam opportunè reuocaret in viam, attenderunt. Ac proinde vti reliqui passim populi vagi ac palantes ad rerum naturæ magisterium, cæci ac surdi constanter oberrarunt: ita etiam Iudæos nihilò melius, & Lex & Prophetæ affecerunt: & seruus Dei cæcior ad lucem Dei, & admonitiones surdior, & ad mandata præfractior deprehensus est. Enimuerò neq; etiã tenebræ illæ reliquum orbem eo vsq; occupauerũt, quin homines adhuc ad tot illa bona quæ ipsos circunfluerent attoniti, arcano quodam animi motu ad tantum illorum largitorem reuocarentur. Veruntamen iidem in salebris hæserunt omnes, ac præterito illo Creatore cuius omnis erat ista gloria, confinxerunt sibi fal-

sibi falsa numina, atque post somnia, & inanissima cerebri sui commenta abrepti sunt. Demum vbi semel extra viam currere cœperunt, non iam vno aliquo illo ementito numine contenti, innumera deinde pro sua temeritate atque vanitate præfixerunt: ac nulla gens aut natio extitit, quæ non hîc sibi peculiares Deos pro suo arbitrio instituerit. Et hi sunt primi idololatriæ natales. Hæc illa læna improba, quæ homines à Deo prorsus auersos atque simulachris affixos mãcipauit, cùm eadem simulachra ipsis hominibus & originem suam, & suum illud esse, acceptum ferre deberent. Iudæi verò, vnius quidem Dei mandata quæ per Prophetas continuò destinabantur, vtcunque non repudiarent, apertè tamen in ipsum fœdifragi, non minus temere ab eo deflexerunt, legem à se apertè violatam despectui habere, ac quidquid simularent, odisse ex animo cœperunt. Nam & ad falsos deos prosilierunt, & in cultu idolorum, quãtumuis obnitente Domino nihilò leuius reliquis etiam gentibus insanierũt. Quod cùm ita esset, vt demum tam Iudæi, quàm Gẽtes à Deo alienatæ, ad ipsum reuocarentur, nouo planè fœdere opus fuit, quod ipsum firmum atque inuiolatum maneret. Vt fœdus illud certò coiret & sanciretur, requirebatur Mediator, qui ipse intercederet atq; sese medium sisteret inter Deum & homines, vt pacem conciliaret. Sine hoc Mediatore, homo maledictioni Dei obnoxius ex quo se præcipitem in peccatum dederat, inexcusso iugo premebatur, miserię & opprobrio æterno addictus, propter iram & indignationem Dei aduersus ipsum accensam. Atque Mediator ille D.N. Iesus Christus erat, vnus verus æternus Dei Filius, quem missurus erat Pater in mundum, vt omnes ex horrẽda dispersione, & vastitate colligeret: ille vna spes piorum omnium, per quem à primi parentis seruitute in veros natales essent tãdem restituendi. Sic enim ad ipsum Adamum iamprimum collapsum à se aliquando erigendum cœperat Dominus: Futurum, vt semen mulieris contereret serpentis caput, id est per Christum nasciturum ex Virgine, difiectam ac conuulsam iri Satanæ tyrannidẽ. Gen.3.15. Sic deinde eandem promissionẽ apud Abrahamũ renouauit, quod in ipsius semine benedicendæ essent oẽs Gentes. Gen.22.18. Sic nempe prænuntiabatur idem Christus exoriturus ex Abrahamo, à cuius benedictione ad vniuersas Gẽtes sanctificatio emanaret. Gen.26.4. Sic cum Isaaco egit Dominus. Sic continuis sæculis eadem promissio ex ore Prophetarum apud Israelitas audita, repetita, confirmata est. Quod vt certius esset, & iam quasi oculis subiiceretur, ipsas vsque nascituri Christi peculiares notas: Matrem videlicet, locum, tempus, mortẽ ipsius ac resurrectionis gloriam, regnũ mox secuturũ, & quæ spes inde piorũ existere deberet, Dominus ipse præsignauit. Nam de matre quidem eadémque Virgine extabat insignis ille locus apud Isaiam: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabis nomen eius Immanuel. Isa.7.14. Apud Mosen verò, tempus à Iacobo ipso animã agente notatum disertè fuerat. Non auferetur sceptrum de Iuda, neque Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Gen.49.10. Hoc autem reipsa cõstitit sub illud tempus, quo natus est Dominus. Iam enim triginta septem anni circiter elapsi erant, ex quo Iudæis mero illo ac supremo Imperio spoliatis, Romani Herodem Idumæum ex patre, ex matre Arabem regem constituerant: cùm nunquam prius antea res Iudæorum ita concidissent, quin si ex sua gente regem non haberent, ex eadem tamen præfectos saltem ac rectores & consiliarios quosdã retinerent. Apud Danielem verò tempus idem nascituri Christi post certas hebdomadũ periodos dispunctũ extabat. Dan.9.24. Natalis locus etiam apud Michæam apertè signatus erat his verbis: Et tu Bethlehem Ephrata, minima non es in millibus Iuda, ex te enim egredietur qui dominabitur in Israele, & exitus ipsius à diebus æternis. Mich.5.2. Passiones autem & quidquid nostro nomine, vt perfectum Mediatorem præstaret, Dominus ipse subiturus erat, Isaias & Zacharias apertè & indubitatè prædixerant: iidémque cum Ieremia luculenti testes extiterant tam glorioſæ ipsius resurrectionis, quàm venturi regni, & salutis omnibus piis afferendæ. Atque illa tot testimonia & denuntiationes sanctorum Dei hominum, fulcra demum & statumina fidei Patrum extiterunt: sic ipsi exercuerunt & confirmarunt seipsos, ac quodammodo pauerunt certissima illa spe atque expectatione tantæ redemptionis, à Domino tempore suo exhibendæ. Vnde etiam præ summo illo desiderij ardore, plerique iam olim Reges & Prophetę contentis oculis diem illum sibi prẹsentem adesse expetiuerunt, vtcunque iam tum animis per fidem prẹciperent, quod ipsis oculis percipere nondum daretur. Isa.53.49.6. & 60.1. Iere.23.5.31.26.33.14. Zach.2. & 9.9. & 11.12. Eòdem verò pertinebat lex illa scripto ipsis data, qua tot & tã varię cerimoniæ, expiationes, sacrificia tradebantur, vt totidem figuræ & adumbrationes rerum meliorum, quæ à Christo afferendæ essent, qui ipse esset vmbrarum eiusmodi corpus, subst*ã*tia, veritas. Siquidem lex nihil adduxit ad perfectionem, tantùm instar pædagogi diri-

gebat ac deducebat ad Christū qui legis ipsius finis est & complementū, vt tradit Apostolus. Eodē etiam referēdum, quòd diuersis temporibus ac vicibus excitati sunt à Domino Duces, Reges ac Iudices, qui Israelem ab hostium iugo liberarent, in bona pace regerent, ruinas sarcirent, cumulatè prosperarent, ac non vulgarium virtutum nomine apud reliquos populos extollerent. Sic nempe gustum aliquem fouere inter suos voluit mirabiliū Messiæ exhibendi operum Dominus, vt in eo extatura speraretur solida virtus ipsius, atq; fœliciſſimi regni præsens Maiestas. Tandē igitur, vbi adfuit plenum illud tēpus ac dies à Domino præordinata, adstitit coràm Messias ille tot retro sæculis exoptatissimꝰ: atque idem illa omnia cumulatè præstitit, quæ erant ad omnium redēptionem necessaria. Neque verò intra vnum Israelem tantùm illud beneficium stetit, cùm potius ad vniuersum humanū genus vsque porrigendum esset: quia per vnum Christum vniuersum humanū genus reconciliandum erat Deo, vti his Noui Fœderis tabulis continetur, & ampliſſimè demonstratur. Atque vt huius Dei beneplaciti plena fides ac perpetua extaret, Dominus Iesus ipse qui Fœderis istius sponsor est, atque ipsamet illius substantia, Apostolos sibi designàuit, quibus hoc munus mandauit, vt ipsius beneficium per orbem vniuersum prædicarent. Ipsi verò non tantùm dederunt omnem operam, vt mandatum Domini præstarent, dū verbo & voce testimonium ipsius circunferrēt: sed etiam Mosis & Prophetarum exemplo eandem illam doctrinam ad perpetuam, & indubitatam ipsius perceptionem in hos libros contulerunt. Horum autem hæc summa est, quòd primùm quidem traditum est ab illis, tum quid fecerit, & quæ passus sit pro nobis Dominus: tū verò quis istius veritatis vsus ac fructus ad nos perueniret, ac quo modo nobis applicandus esset. Atque huic volumini inditum est Noui Fœderis seu Testamenti nomen, ratione Veteris illius, quod nempe cum Nouo coalescere oporterer, & in illo impleri. Nā & in sese infirmum erat Vetus illud & minus perfectum, vnde & abrogatum est Nouo aduenìente, & abolitū. At verò Nouum istud æternum est, quod nunquam aut consenescat, aut deficiat, cùm illius Mediator Christus sit, qui sua morte illud sanciuit, atque irrefixum constituit, cùm per illam attulit summam ac perfectam expiationem omnium præuaricationū, quæ sub veteri Fœdere remanebant. Huic Fœderi Euangelij nomē etiam adscribitur, quod bonū & fœlicem illum nuntium significat: quia nempe ostendit Christum Filium Dei viui vnicum atque æternum, hominē factum esse, vt per ipsum Filij Dei adoptione efficeremur. Ac proinde vnus hic ille seruator nobis statuitur, in quo vno sita est nostra omnis redemptio, pax, iustitia, sanctificatio, salus, vita, qui mortuus est propter peccata nostra, resurrexit propter iustificationem nostram: qui in cœlum ascendit, vt illuc aditum nobis patefaceret, ac nostro nomine hæreditatē cerneret: qui se perpetuò coram Patre nobis Aduocatum sisteret ac Sacerdotē exhiberet: qui vt Rex, Dominus, ac summus Herus designatus ad dexteram Patris sederet, vt semel vniuersa tum in cœlo tum in terra in suum ordinem ac statum reponeret. Hoc verò penes nullum vnquam Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum fuit, neque vllus ex ipsis ad tātum munus destinatus fuit. Atq; vt venturi Christi in veteri Fœdere apud Prophetas sparsa extabant testimonia quamplurima: ita etiam Dominus Iesus manifestis indiciis atque indubitatis argumentis Ecclesiæ sese exhibens, is ipse Christus esse demonstratus est. Siquidem Dominus Deus, tum vocem suam, tum Spiritus sancti, tum Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, adeóque omnium rerum conditarum in testimoniū Filio suo adhibuit, vt iam repugnandi locus non esset, nisi quis spōte Dei veritati obsistere auderet. Extat enim cœleste illud ac solenne oraculum omni exceptione maius: Hic est Filius meus dilectus, in quo acquieui, ipsum audite. Spiritus S. verò in nostris cordibus testis est veritatis Christi locupletissimus, vti passim inculcat Apostolus. Angeli verò etiam non semel. Sic enim Gabriel Angelus ad Virginem matrem futuram: Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomē eius Iesum. Ipse enim erit magnus & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Idem protsus ab Angelo Iosephus Mariæ sponsus accepit. Idem ab Angelo denuntiante audierunt Pastores: natum ipsis Seruatorē, qui est, inquit, Christus Dominus. Cui etiam Angelo statim accessit tot aliorum coniūctus & vnanimis concentus, cum illo natiuitatis Domini argumento, Gloriam in Excelsis Deo, pacem hominibus in terra, decantarent. Nec minus Simeon iustus ille in Spiritu prophetico Christum fassus est, dum passis vlnis adhuc tenellum in templo complexus, excepit his verbis ad Dominum: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace, quia viderunt

Rom.10.4. Colo.2.17. Mat.17.5. Luc.1.31. Matt.1.20. Luc.2.11. Luc.2.27.

derunt oculi mei salutem tuam,quam parasti ante faciem omniũ populorum. Perinde etiam Ioannes Baptista de illo testimoniũ insigne tum maximè edidit,cùm ad Iordanẽ illum intuens, Ecce,inquit, Agnus ille Dei:Ecce qui tollit peccatũ mundi. Hoc ipsum Io.1.29. deinde tum Petrus,tũ alij omnes Apostoli fassi & testati sunt,& apertè prædicarunt:impleta esse nimirum in Christo Dei Filio illa omnia, quæ de illo extarent apud Prophetas,atq; ad nostram salutem pertinerent. Atq; hoc ipsum testimoniũ per vniuersas Gẽtes ab ipsis omniũ nationũ & cõditionũ hominibus,quos ad illud excitare Domino placuit, cõstanter etiã editũ atq; cõfirmatũ est ad ista vsque tempora,vti ex lectione auctorum facilè cuivis constabit. Quæ quidẽ omnia cùm eòdem planè recidant, atq; inter se omnino cõueniant,euincitur manifestè contineri illic certissimam veritatem: cùm vbi falsum subest,perpetuus ille consensus constare non ita posset. Et tamen præter illa augustissima testimonia,Patris ipsius,Filij,Spiritus Sancti: tum deinde Angelorũ,Prophetarum,Apostolorum Christi Domini,ipsa etiam illius opera, ipsæ virtutes incomparabiles veritatẽ illius non minus apertè oculis subiecerũt. Quid enim quòd nullo non morborum genere afflictos restituit? quòd claudos,cæcos,surdos,mutos,paralyticos,leprosos,lunaticos,dæmoniacos sanauit,quòd mortuos reuocauit in vitã?quis verò legitimos etiam illos virtutis ipsius ac bonitatis præcones ac testes necessarios eleuabit? Quid quòd sua ipsius potestate sibi ipsi vitam reddidit, quòd peccata remisit? Quare non immeritò ad sua illa opera Iudæos relegabat quæ à Patre accepisset, vt quæ de ipso verissimè testarẽtur. Quid quòd ipsis etiã impiis, atque ipsius osoribus certissimis, vis ipsa veritatis testimoniũ aliquod Maiestatis ipsius expressit, vt de Cayapha, de Pilato,de ipsius vxore,& aliis etiam constat? Non attingo dæmonum etiam extortas confessiones,quas nempe Dominus ipse repudiarit. Ipsa verò rerum vniuersitas huius quoque laudis partẽ quam semel edidit,conferat. Iubente Christo venti ponunt, mare commotum placidũ redditur,os piscis didrachma profert,illum morientem diffractæ petræ ac monumenta, illum diffissum à summo in ipso Templo velum, illum obscuratus sol, illum sepulchra recluſa, illum resurrecta mortuorum corpora,illum adeò sursum omnia & deorsum Deum suum ac Dominum & supremum herum, illum cœlestem Legatum ad hominum salutem à Patre demissum agnouerunt, testata sunt, inclamarunt. Horum omnium autem verissimæ tabulæ hoc nouo fœdere exhibentur. Hîc regni paterni hæredes instituit. Hîc apud hæredes designatos suam mentem testatus est, cuius plenum effectum suo tempore sortiantur. Ad istam hæreditatem vocamur omnes sine personarum acceptione,masculi,fœminæ,summi,infimi, heri,serui,magistri, discipuli, doctores,idiotæ,Iudæi,Græci,Galli,Romani:nemo hinc excluditur,qui modò Christum qualis offertur à Patre in salutem omnium admittat, & admissum complectatur. Agite igitur Christiani & Christianæ mecum omnes, ac ne Testamenti illius tabulas celari, vel corrumpi sinamus, quod tam firmo iure nostrum est,sine quo cœlestis Regni spes omnis frustra concipitur: omnisque verorum bonorum, promissionum Christi, incomparabilis beatitudinis ab ipso destinatæ nobis expectatio concidit atque interuertitur. Nam quò nos conuertemus vno hoc singulari lumine destituti, vt quod sit boni & mali discrimen, quid Dominus iubeat,quid vetet, quid lux, quid tenebræ, quid è cœlo sit, quid ex hominibus statuere possimus? Tolle Euangelium, diuitiæ egestatem spirant, sapientia stultitiam sapit coram Domino,potentia imbecillitatis conuincitur, omnis humana iustitia apud Dei tribunal damnata corruit. Rursus Euangelij notitia efficimur filij Dei,fratres Christi, communicipes sanctorum,cœlorum ciues, Dei cum Christo cohæredes. Sic egeni cumulamur,debiles viribus donamur,stulti sapimus,iniusti iustificamur, mœrentes consolationem percipimus, trepidi ad confidentiam erigimur,serui ad libertatem vocamur. Euangeliũ est verbum vitæ,verbum veritatis, potẽtia Dei ad salutẽ cuiuis credenti,clauis scientiæ salutis. Hac Regni cœlorum fores credentibus patefiunt,dum à peccatis absoluuntur. Hac incredulis obserantur fores,dum in peccatis cõstringũtur. Fœlices qui audiũt, qui custodiunt,qui veras filiorũ Dei notas ita in sese exhibent. Infœlices qui respuunt audire,qui obseruare negligunt,qui sese eo modo Diaboli filios produnt. Huc huc Christiani omnes attendite, hîc sapere audete: ignorans enim ignorabitur:ac si cæcus cæcũ ducat,ambo in foueã cadent. Vna est Euãgelij ad vitam & salutẽ via:vna fides & certitudo promissionũ Dei,quæ vno Euangelio constant. Euangelij auditus & intelligentia conferunt fidem viuam,spem fixam,synce-

ram erga Deum dilectionẽ, feruentem erga proximum charitatem. Quænã igitur ſpes vlla veſtra eſt, ſi Euangelium contemnitur à vobis, ſi dedignamini audire, inſpicere, legere, atque animo recondere? En qui huius ſæculi vanitatem conſectantur, vt ea ſummo ſtudio atque indefeſſo captant, quæ ad ſuam illam fœlicitatem pertinere exiſtimant! Ad illud inquam, tam inſano ſtudio abripiuntur, vt neque ſe reſpiciant, neque laboris vllius, aut periculi, aut nominis ſui etiam rationem habeant: adeò pudendum iſtud ſeruitium eos delectat, vt ad corpus vnum omnia referant, cuius tam vana eſt vita, tam miſera, tam inſtabilis. Nos verò vbi de immortali, incorrupta, æterna, incomparabili beatitudine, de theſauris cœli adipiſcendis agitur nobiſcum tanta liberalitate, tanta fide, tanto noſtro compendio, non enitemur per obiecta quæuis impedimẽta, vt potiora illa cõſectemur? Qui operantur mechanicis, rebus nempe vilioribus, ſummo labore artẽ addiſcunt, vt periti euadãt: qui artes liberaliores ſectantur, tantum non ſeipſos conficiunt, vt aliquid eo in ſtudio promoueãt, ex quo ſapientiæ ac virtutis nomẽ acquirant: quæ tamen ipſa aliud nõ ſunt, quàm fumus apparens, & euanidus vapor. Nos verò quantùm interiori ſtudio rapi decebat ad cœleſtem illam ſapientiã, quæ videlicet ſupra mundum ipſum fertur, quæ ad Regni Dei myſteria pertingit, quæ eadem Euãgelio nobis ita dignante Domino reuelatur! Ecquid igitur erit quod à ſancto Euangelio nos abducat, & ab illo alienet? Contumeliæ nempe, maledictiones, probra, imminutiones, dignitatũ præſentium mulctationes? Atqui hîc ipſe Dominus Ieſus præit nobis, cuius veſtigia carpere nos decet, ſi veri ipſius diſcipuli eſſe & haberi volumus: neque porrò vlla eiuſmodi moleſtiarũ impreſſio repudianda eſt, quæ nẽpe cum incomparabilis beatitudinis, gloriæ, exaltationis fide apud Dominum cõmutanda ſit. An igitur exilia, proſcriptiones, amiſſiones facultatum nos dimouebunt? Atqui illud non minus conſtat, etiamſi ex certa regione adeóque natali ipſo ſolo, migrare videbimur, Domini eſſe terram & orbem: imò, & terra etiam pulſos, & omni hoſpitio prohibitos, extra Dei Regnũ nihilò magis futuros. Si exuimur & ad egeſtatem redigimur, Pater ille non deeſt, cui ad nos alendos nihil deeſt. Chriſtus ſeipſum pauperem reddidit, vt & ipſum per veſtigia paupertatis ſubſequeremur. Inſtabunt afflictiones, carceres, eculei, & omne illud carnificinæ erga Dei ſeruos inſtrumentum. Atqui ipſius Chriſti exemplo, iter illac ad gloriam nobis commonſtrari certò ſcimus. Tandem nempe vna mors perterrefaciet. Atqui ne illa quidem eripere vitam poteſt, quæ per illam etiam vnicè erat expetenda. Des modò Chriſtum præſentem, & quidquid maledictiſſimum haberi poteſt, ſummæ benedictioni cedet, quidquid execratiſſimum ſanctificationi, quidquid funeſtiſſimum ſummo bono. Vt igitur vniuerſæ mundi vires nobis inſultent, ſtet nobis mens oportet. Neque enim excidere poteſt illa promiſſio: Dominus ex alto ſubſannabit eos. Conuenite & conſpirate & non erit. Sic autem à Tertulliano appoſitè traditum eſt iam olim, Sanguinem Martyrum ſemen eſſe Eccleſiæ. Neque deeſt etiam nobis certiſſima illa conſolatio, quòd oculis à mundo & rebus præſentibus ad Dei tribunal conuerſis, illud ipſum patienter expectamus, quo demum extante momento corruet totus ille paratus impiorum, & quidquid tanto opere aduerſus tremendum iudicem ſibi moliti ſunt, dicto citius euaneſcet. Hoc autem extabit, cùm Regnum Dei, quod ſpe tantùm iam percipimus, reipſa tandem reuelabitur. Cùm Dominus Ieſus Chriſtus cum Angelis Maieſtatis ſuæ viſendus apparebit. Cùm vniuerſi ſigillatim ad illius Magni Regis forum & cognitionem ſua illa die ſiſtentur. Atque tum demum qui conſtanter in hoc fœdere perſtiterint, & ad Patris Cœleſtis voluntatem rebus omnibus inſuperhabitis attenti fuerint, collocabuntur ad dexteram, percipient ſcopum fidei, benedictionem cum vita æterna coniunctam. Quemadmodum ipſos non puduerit Chriſtum agnouiſſe, & confeſſum eſſe, dum in hominum opprobrio & contemptu iaceret: ita etiam gloriæ ipſius tum reuelatæ fient participes, æternámque per illum coronam percipient. Contrà impij, præfracti, reprobi, ac contempti Euangelij rei, qui item vt locum ſuum ac dignitatẽ retinerent, cum Chriſto humiliari atque deiici non ſuſtinuerint, qui in metu hominum ſepulti, à timore Dei defecerint, vt & ſpurij & illegitimi, ac tanto parente indigni ſtatuentur ad læuam, in maledictionem peſſundabuntur, ac pro infidelitatis mercede pœnis æternis addicti cõflagrabunt. Quare vbi audimus Euangelio nobis Chriſtum offerri, in quo omnes Dei promiſſiones ſint Etiam & Amẽ: vti Chriſtus ipſe illic ſignificat ſe à Patre miſſum eſſe,

Pſal. 2. 4. Iſa. 8 10. Tertull. in Apolog. ſub ipſum finem.

2. Cor. 1. 20.

verſatum

versatum cum hominibus, perfeciſſe quidquid ad noſtram ſalutẽ opus eſſet, vti hoc totum in Lege & Prophetis comprehenſum antè extabat, illud dubitandum non eſt, patere etiam per illum nobis cœli theſauros, Dei ipſius inquam diuitias omnes illic exhiberi: denique vitam æternam in illo cumulatè eſſe reuelatam. Siquidem hæc eſt vita æ- Io.17.3.
terna, vt agnoſcant te verum Deum & Ieſum Chriſtum quẽ miſiſti: in quo ſunt ſingulæ ſalutis noſtrę partes repoſitę. Hic noſter Iſaacus oblatus in ſacrificiũ, vt poteſtati mortis non ſuccubuerit. Hic Iacobus ille vigilantiſſimus, nunquam non in gregis ſibi commiſſi ſalutem intentus. Hic Ioſephus ille, pius frater ac miſericors, in ſumma ſua dignitate, indigniſſimos atque abiectiſſimos fratres non dedignatus. Hic Melkizedek ſummus Sacerdos vnico æterno ſacrificio perfunctus ſemel, quo ſimul vniuerſis finem imponeret. Hic Moſes ſummus Legiſlator, legis ipſius in cordis tabulis inſcribendæ ſingularis auctor. Hic Ioſua fidus deductor, qui ſuos in promiſſam hæreditatem intulit. Hic Dauid inclytus ac ſemper inuictus, poteſtatem omnem aduerſariorum perfregit atq; ſubiecit ſibi. Hic Solomo ſplendidus triumphator populum in pace proſperrima gubernauit. Hic Samſon fortiſſimus, in media morte infenſiſſimos illos ac numeroſiſſimos hoſtes ſemel proſtrauit. Denique quidquid ſalutare hominibus aut cogitando aſſequi, aut ex voto proferre poſſis, totum illud in Chriſto obuium eſt, ac reipſa conſtat. Chriſtus humiliatus eſt vt nos attolleret, ſeruituti ſubiectus vt in libertatem aſſereret, pauper factus vt ditaret, venditus vt redimeret, captus vt liberaret, damnatus vt abſolueret, factus maledictio in noſtram benedictionem, oblatio pro peccato ad noſtram iuſtitiam, deformatus vt reformaret, mortuus vt viuificaret. Per Chriſtum nempe diſtorta omnia complanantur, atque inaudita rerum omnium tranſformatio producitur. Per Chriſtum, etiam emollita durities, placata ira, illuſtratæ tenebræ, iuſtificata iniuſtitia, roborata infirmitas, erecta deſolatio, occupatum peccatum, calcatus contemptus, confidens trepidatio, inductum debitum, leuatus labor, recreatus mœror, fortunatum infortunium, explicata perplexa, ordinata confuſa, ſciſſio reſarta, ignobilitas nobilitata, contumacia peruicta, comminatio perterrefacta, retectæ inſidiæ, inſultus inuaſi, vim vis patitur, pugna impugnatur, prælium impetitur, vltio vindicatur, tormentum torquetur, damnatio damnatur, abyſſus abſorbetur, infernus deprimitur, mors emoritur, mortalitas immortalitate commutatur. Vno verbo per Chriſtum miſericordia miſeriam ſuſtulit, bonitas infœlicitatem exhauſit. Et quæ tela erant Diaboli ad nos inuadendos, qui ad pungendos aculei, illa eadem exercitamenta iam ſuperſunt, ex quibus fructum inſignem percipiamus. Nunc inquam, gloriari cum Apoſtolo ita audemus, Vbinam ô 1.Cor.15.55.
inferne tua victoria? Vbinam ô mors aculeus tuus? Nunc per Chriſti Spiritũ, quẽ promiſit ſuis, nõ iam viuimus ex nobis, ſed ex fide Filij Dei, ac per eundẽ Spiritũ iam cœleſtibus aſſidemus: In mundo agẽtes, à mundo peregrinamur. Et quocunque ſub axe verſemur, quocunque loco ſimus, quocunque modo accipiamur, perinde illa omnia ſunt nobis. In afflictionibus præſenti animo ſumus, in mœrore exultamus, in vituperio exaltamur, in inopia abũdamus, in nuditate cõtegimur, in malis duramus, in morte viuimus. Hæc illa eſt nimirũ vera & nõ fucata ſapientia, quã ex hac vita aſſequamur, & cui neque Angeli, neq; homines neq; vita, neq; mors quidquã addãt vel detrahant. Hæc eſt ſtatio in qua nobis cõſiſtendũ eſt. Nimirũ illud eſt in tota Scriptura à nobis quærendũ, vt Chriſtum verè agnoſcamus, & quas in illo præſentes diuitias offerat nobis Pater. Neq; vllus eſt apex in Scriptura apud Moſen & Prophetas, qui nõ illuc nos deducat. Etenim cùm in Chriſto recõditi ſint omnes ſcientiæ & intelligẽtiæ theſauri, fruſtra ab illo nos abduci ſinamus, niſi ſpõte à veritatis luce ad mẽdacij tenebras trãſuerti cogitamus. Quãobrem appoſitè Apoſtolus 1.Cor.2.2. non aliam ſcientiã ſibi tribuit, quàm quòd Chriſtum cognoſcat, atq; illum crucifixum. Quãuis enim caro aliter iudicet, cui iſta cognitio vilis & vulgaris ſit, eſt tamẽ illa nobis abundè, quam perpetua vita meditemur. Neq; verò operæ nos pœnitebit, vbi noſtrum omne ſtudiũ ac mentẽ ad illius vnius notitiæ perceptionẽ contulerimus. Nã quid quiſquã noſtrũ iure requirat ad doctrinæ cœleſtis cumulũ, quàm vt Deum ita cognoſcat, vt in ipſum tranſformemur: ſacratiſſimã ipſius imaginẽ in ſeſe iam inſculptã habeat, vt iuſtitiæ ipſius particeps euadat? vt Regni hæres fiat, ac tãdẽ cumulatè illud poſſideat? Atqui illud cõſtat, & iam olim ipſum Dominũ ſeſe ita intuendũ præbuiſſe, ac nunc demũ quàm appoſitiſſimè in facie Chriſti ſui. Quare ab ipſo vel tantillũ deflectere, vel quouis modo diuertere ſit nefas. Quin potius in eo vno cõſiſtat nobis animus, vt ex Scriptura cognoſcere diſcamus Chriſtũ vnum, vt per ipſum

rectà deducamur ad Patrẽ,in quo demum cumulata extat omnis perfectio. Hi sunt inquã,veræ hominũ sapiẽtiæ termini,quã vnã sapientiã in hac vita summo studio perquirendã tãtùm singuli sibi proponant: & cui neq; Angelus neq; mortalis quisquã,neq; viuus neq; vita functus apponere vel detrahere audeat.Hîc mẽs nostra cõquiescat, vt de suo ne tantillùm quidem admisceat,aut vllam addititiam doctrinam admittat.Quòd si quis doctrinæ huic vel minimum apicem superaddiderit, is sese anathemati corã Deo & Ecclesia ipsius obnoxium iam iam agnoscat

Fidei confessio nomine Ecclesiae Parisiensis oblata Regi Henrico,Latina facta.

QVum apud Maiestatem tuã,Rex Potẽtissime,palàm accusemur,acsi sectam aliquã seorsum à nobis inuectam tueremur,nihil est omnino quod magis optemus,quàm vt reddamus fidei nostræ rationẽ,modò placidè & æquo animo expẽdere libeat:quod breui scripto cõprehẽsum tibi proponimus,vt diligẽtius quidnã cõtineat ex otio perspicias:atq; etiã si ita tibi videatur, Cõsilio tuo cõmunices,quò melius iudicare liceat iuréne an iniuria dãnemur.Interea Rex Sereniſſime duo abs te supplices petimus,quorũ prius est, vt apud te exactius perpẽdas, quàm pretiosa res sit Dei veritas,quæ in Lege,Prophetis & Euãgelio cõtinetur: cùm illic nõ modò animarũ nostrarũ salus includatur,sed etiã quia ritè Deo suus honor & gloria reddi nõ potest,nisi ex eius regulę præscripto.Alterũ autẽ,vt memoria tecũ repetas, quot & quãti errores hodie grassentur in mũdo.Nã satis cõstat verã Ecclesię puritatem prorsus esse deprauatã & corruptã.Iã verò permulti sibi indulgẽt in sua cęcitate & ignorantia,adeóq; obduruerũt peruicaciter,vt de certa Dei volũtate inquirere nõ sustineãt. Et hæc ratio est,cur sæpe dãnentur pij homines indicta causa. Cæterũ Nobiliſſime Rex, ne tibi videamur velle fucũ facere,aut vanos colores inducere,cõscripsimus hîc paucis nudam ac simplicem illius fidei cõfessionem quam tuemur ac propugnamus, & quam etiam tibi vt Ecclesiæ catholicæ consentaneam probatum iri speramus.

Deut.4.35. Mat.28.19. 1 Ac primùm quidem credimus in vnum Deum,simplicis vnius essentiæ,& in qua tamẽ tres sunt personæ distinctæ,sicuti docemur ex sacris Scripturis, atq; statutum fuit à veteribus Conciliis,& detestamur omnes sectas ac hæreses, quibus expugnandis incubuerunt veteres Ecclesiæ doctores.

Gen.1.26. Eccle.7.3. Rom.3.23. 2 Credimus hominem,cùm purus & integer creatus esset, sua ipsius culpa excidisse ab ea quam acceperat,singulari gratia,atq; ita seipsum alienasse à Deo, qui fons est iustitiæ ac bonorum omnium:adeò vt eius natura omnino corrupta fuerit: & cùm mente esset excæcatus, & deprauatus corde, integritatem omnem sic amisisse, vt nihil planè reliquum habeat.

Rom.5.12. Iob.14.4. 3 Credimus vniuersam Adæ posteritatem ea contagione vitiatam esse, & peccatum Originale vitium esse hæreditarium, ac non imitationem tantùm, sicuti finxerũt Pelagiani,quorum errorem omnino execramur.

Psal.51. Rom.7.10. 4 Credimus præterea hoc vitium verè peccatũ esse,quod ad damnandum totũ genus humanum satis sit:ac tale coram Deo censeri,vt etiam post Baptismum semper sit peccatum,quòd ad culpam spectat,quamuis reatus aboleatur: quia Deus pro gratuita sua bonitate illud nobis non imputat.

Rom.9.23. 5 Credimus sola Dei misericordia electos eximi ab exitio illo vniuersali,quo demersi sunt cuncti homines:ac primò quidem Iesum Christũ, sine quo de nobis omnibus actũ erat,datum nobis esse Vindicẽ ac Redemptorem,vt nobis iustitiam & salutem afferret.

Io.1.14. Hebr.2.7. 6 Credimus Iesum Christum,cùm esset æterna Dei sapiẽtia, & vnicus eius Filius,carnẽ nostrã induisse,vt esset in vna persona Deus & homo,etiã nostri persimilis, nisi quòd ab omni macula fuit purissimus. Atq; hîc quoq; detestamur omnes hęreses,quibus olim turbata fuit Ecclesia.Deinde in hunc finẽ suscepisse naturã nostram, vt mortẽ obiret & resurgeret,omnémque iustitiam impleret,quò vitam cœlestem nobis acquireret.

2.Cor.5.19. Heb. 1. 3.& 10.14. 1.Petr.2.24. 7 Credimus vnico illo sacrificio,quod in cruce obtulit Christus,nos recõciliari Deo, vt iusti censeamur:atque hoc modo libertatem nobis esse paratam, qua Deum inuocemus,certò persuasi illum nobis esse Patrem: quia adoptione consequimur quod Christus habet natura.

Psal.32.2. Rom.3.25. & 4.6. 8 Credimus integram nostram iustitiam niti ac fundatã esse in remissione peccatorũ, sicuti etiam sola est hęc nostra fœlicitas, vt testatur Dauid. Itaq; reiicimus alias omnes iustitias,

iustitias,quas sibi homines arrogant,ac fingunt se consequi suis virtutibus aut meritis: quum fiducia nostra consistere alibi non possit,neque vllo modo acquiescere, nisi certò persuasi simus Deũ, deletis omnibus nostris iniquitatibus, nobis imputare quô nos iustificet atque absoluat,obedientiam quam vnicus eius Filius ipsi præstitit.

9 Credimus sola fide nos fieri participes huius iustitiæ: atque etiam fidei luce donari arcana Spiritus sancti gratia,quatenus scilicet in Christo electi sumus:vt donum sit grátuitum ac peculiare,quod Deus in eos confert quibus visum est,ita vt non modò in rectam viam deducat,sed etiam efficiat,vt ad finem vsque perseuerent. Ephes. 2.8.

10 Credimus hac eadem fide nos regigni in nouam vitam, quia sumus natura peccato mancipati.Etsi autem hæc renouatio, qua Deus nos refingit ad bene agendum, pars vna est nostræ salutis: fatemur tamen quæ facimus virtute Spiritus sancti bona operá,in rationem non venire,vt ob ea iustificemur coram Deo,ac inde mereamur inter eius filios censeri.Semper enim dubij anxiique fluctuaremur,nisi conscientiæ nostræ penitus acquiescerent in ea satisfactione,qua Christus nos liberauit. Rom.6.7. Coloss.2.33. Psal.143.2.

11 Eiusmodi fiducia freti Deum inuocamus nomine vnigeniti eius Filij, quem nobis dedit Mediatorem & Aduocatum: ac preces nostras confidenter ad eum dirigimus, quum tam facilis accessus nobis pateat, atque adeò disertè pronuntiet preces nostras sibi fore sacrificiũ boni odoris:& præcipiat vt hæc ratione in suam fidẽ nos recipiamus. Rom.8.15. Gal.4.5.

12 Credimus Ecclesiæ ordinem, quem Christus sua auctoritate sanciuit,debere sacrũ & inuiolabilem conseruari. Ac proinde Ecclesiam constare non posse, si desint Pastores qui docendi munere fungantur: & hi quidem honore afficiendi sunt, ac audiendi cum summa reuerentia quum ritè vocati, fideliter partes suas obeunt. Atque hîc execramur fanaticos omnes qui vellẽt quantùm in se est,extinctã verbi Dei prædicationẽ. Ephes. 4.11

13 Credimus Ecclesiæ vnitatem seruandam esse,& ex animo colendam: & quotquot se ab ea subducunt,homines esse peruersos,qui non secus ac pestes fugiendi sunt. Putamus tamen iudicium prudenter adhibẽdum esse, vt quænã sit vera Ecclesia, perspicuè intelligatur.Hoc enim titulo multi falsò abutũtur. Profitemur ergo esse fidelium societatem,qui in hoc consentiunt,vt sequantur Dei verbum,& purã quæ ex eo pendet,Religionem,& in ea toto vitæ cursu proficiunt, atque crescendo confirmant se in Dei timore,sicuti etiam necesse est vt progressus faciant, & semper magis ac magis progrediantur:& vtcunque conentur pro viribus,ad remissionem peccatorum perpetuò confugiant oportet. Ephes. 2. 2

14 Credimus Sacramenta ad maiorẽ cõfirmationẽ verbo coniungi,vt sint nobis diuinæ gratiæ certa pignora,& tesseræ,atque ita fidem nostram subleuẽt ac iuuent, ob eam quæ in nobis est infirmitatem ac crassum ingenium.Profitemur quoque substantiam illorum esse Christum.Nam ab eo separata vim omnem amittunt. Rom.4 11. Ephes.5.26.

15 Credimus Baptismum esse testimonium nostræ adoptionis, quia illic inserimur in corpus Christi,vt eius sanguine abluamur & mundemur:deinde renouemur in sanctã vitam per eius Spiritum. Etsi autem Baptismus est Sacramentum fidei & pœnitentiæ, quia tamen Deus in Ecclesiam suam recipit filios vnà cum patribus,dicimus,auctoritate Christi piorum omnium liberos baptizari debere. Rom.6.4. Act.2.38.

16 Profitemur sacrã Cœnã certũ nobis esse testimoniũ vnitatis illius, quæ nobis est cũ Christo:quia nõ modò semel pro nobis mortuus est,& à mortuis excitatus: sed etiã nos verè pascit ac nutrit carne sua & sanguine, vt vnum cum eo simus,& eius vita nobis sit cõmunis. Quãquã autẽ ipse est in cœlo,vsq; dum veniat ad iudicãdũ mundũ:credimus tamen simul arcana & incõprehensibili virtute Spiritus sui nos alere, & vitam ex substantia corporis & sanguinis sui nobis largiri.Persuasi quidẽ sumus hoc spiritualiter fieri,non quòd imaginationem vllam,vel cogitationem in locum effecti & veritatis inuehamus,sed quòd hoc mysterium altitudine sua modulum sensus nostri, adeóque omnẽ naturæ ordinem longè superet: denique quum sit cœleste ac diuinum, non potest nisi sola fide comprehendi. 1.Cor.10.16 Act.3.21.

17 Credimus tum in Cœna tũ in Baptismo Deũ reipsa nobis dare, & effectu etiã implere ac præstare quod illic figurat.Itaq; signis coniungimus verã possessionẽ & fruitionẽ eius rei quę nobis illic offertur: ac proinde quotquot ad sacrã Christi mẽsam afferũt purã fidẽ velut vas aliquod,verè ea percipiunt quæ testantur ipsa signa, nẽpe corpus & sanguinẽ Christi nõ minus esse cibũ & potũ animę,quàm panẽ & vinũ corpori alendo. Io.6.51.

18 Credimus hãc esse Dei voluntatẽ,vt mũdus legibus regatur, & vt politia seruetur, Rom.13.1. 1.Pet.2.13.

quò sint quædam veluti fræna ad cohibendos hominũ affectus immoderatos: atque ita constituisse regna, ac principatus, & quidquid ad ordinem politicum spectat, ac velle auctorẽ se agnosci: vt eius nomine ac causa nõ modò suũ Magistratibus imperiũ sartum tectũ relinquatur, sed etiã illis honor deferatur, summáq; reuerentia obseruentur, cùm sint eius vicarij, ac ministri quibus legitimũ & sanctũ munus demandauit. Itaque profitemur ex animo parendum esse eorum legibus & edictis, soluenda tributa & vectigalia, & omne genus obsequij libenter præstandum, atque subeundum esse iugum sponte ac liberè: ita tamen vt summum imperium Deo integrum maneat.

Hæc est Sereniſſime Rex fidei nostræ summa absq; vllo fuco, vel laruata specie. Etsi autẽ omnia capita, in quibus reprehendimur, minutius à nobis tractata nõ sunt, nihil tamẽ obiici nobis nec exprobrari potest, quod nõ pendeat ex his quę breuiter hîc cõprehensa sunt. Atq; ita prorsus esse deprehendes, si probè singula expẽdere liceat. Quòd si multas superstitiones reiicimus, quæ planè repugnãt his quæ iã exposuimus, tibi excusationẽ nostrã vt rationi cõsentaneã, probatũ iri speramus. Ac rursum supplices abs te petimus, Rex Nobiliſſime, vt nõ secus quàm indulgẽs pater, & humanus defensor eorum qui tuæ fidei commissi ex animo tibi parent, eorum miserearis, qui nihil aliud quærunt, quàm vt syncerè & ex animo Deum colant, ac tibi fideliter omnia sua officia deferant, & seriò præstent.

Confessio fidei, nomine Ecclesiarvm Gallicarvm vigente bello scripta, vt coram S. C. M. & Illustriss. Principibus Germaniæ, atque ordinibus in Comitiis Francofurtensibus ederetur, si per itinerum difficultates ex Gallia tum eò peruenìri potuisset. Anno M. D. LXII.

Ex Gall. DVbium nobis nõ est Inuictiſſime Cæsar, quin ex quo tumultus in Gallia excitati sunt, magno nostro animi dolore, non defuerint qui causæ nostræ apud V. Maiestatem odium conflare conati sint: quin etiam ad vos Illustriſſimi Principes, multa falsò delata sint, quæ vos aduersum nos accenderent. Sed tamen vna spes illa nos sustinuit hactenus, ac nunc etiam sustinet multò magis, quòd cùm audientia nobis aperta erit ad nostras excusationes afferendas, illas non difficilè admissuri sitis, vbi ipsius rei veritas nudè constiterit.

Edidimus autem iam antè plurimas testificationes, ex quibus toti mundo fides fieret innocentiæ & integritatis nostræ: tantùm vt absit, vt vel cogitauerimus auctores esse seditionis vllius aduersus Regẽ, qui supremus Princeps est & Dominus noster secundum Deum, vt ex oppositò prorsus, hoc bello excitato, nos ipsos in capitis & fortunarũ periculũ cõiecerimus, pro asserẽda legitima ipsius potestate & superioritate, cũ Edictorum ipsius auctoritate: neque etiã ipsi° Maiestas vllos habeat subditos fideliores, magisve obsequẽtes & pacatos, quàm & nos ipsos feramus, & laturi ad extremũ simus. Quare cùm ista iã aliunde satis cõstẽt, vnũ hîc nobis faciendũ duximus, vt exponeremus vobis quęnam sit fides illa nostra atq; Religio, propter cuius vsum & cultum Edictis Principis approbatũ, armis nos ipsos tueri coacti fuerimus. Accipimus enim maleuolos quosdã quibus nulla alia de nobis detrahẽdi occasio occurrit, nostrã Religionẽ apud S. V. C. M. & CC. VV. infamare, & multa apud vos confingere, quæ vos ab illa alienent: quorum calumniis repellendis nisi aliquis apud vos daretur aditus, causa nostra illo artificio oppressa facilè concideret.

Cùm autẽ ad hanc fidei nostræ expositionẽ edendã appositа quidem esset illa cõfessio, quæ Ecclesiarũ Gallicarũ nomine edita est, cui nos etiã adhæremus, & quæ bis iã Regi exhibita est, (ex qua satis colligitur, quæ sit nostra fides, vt amplior declaratio requirenda nõ sit, quæ nos à detractionibus illorũ asserat, quorũ ora illa maledicentiæ plena obstrui vix vnquã possunt) quia tamẽ officij nostri est adhibere operam o mnẽ, vt nostra integritas perspecta sit, ac nemo illa offendatur: sed vt tantò iustius patefiat fidei nostrę synceritas, ne qua prauitati aduersariorũ ansa relinquatur ad blasphemandã Euãgelij veritatẽ: cõmodissimũ duximus Inuictiſſime Cæsar, si hanc fidei nostræ cõprehensam summã ad S. V. C. M. & ad VV. CC. Illustriſſimi Principes, mitteremus, vt nostra subsignatione testatam haberetis. Quemadmodum igitur apud S. V. C. M, & VV. CC. benè audire imprimis exoptamus, ita & ab illis supplices petimus, vt huic nostræ confessioni aditum apud se atque audientiam pro benignitate sua non denegẽnt.

Primvm

PRIMVM igitur palàm & apertè teſtamur recipi à nobis, & admitti ea omnia quæ veteribus Synodis deciſa ſunt de Dei Eſſentia infinita & ſpirituali, de perſonarũ diſtinctione, de duarum in Chriſto naturarum vnione : vt quæ ex Scriptura petita ſint, cui vni ſalus noſtra innititur : cùm non extet alius idoneus teſtis, qui certam de Dei Maieſtate fidem nobis faciat, præter ipſum vnum.

Quemadmodum autem vetus ac nouum Teſtamentum pro vnica fidei regula amplectimur, ita etiam admittimus quidquid illi ipſi per omnia reſpondet. Cuiuſmodi eſt profeſſio fidei trium in vnica Dei eſſentia diſtinctarum perſonarum, itémque quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus verus Deus & homo exiſtens, ita duas illas naturas vniuerit, vt tamen non confuderit. Proinde hîc illas omnes hæreſes deteſtamur, quæ iam olim damnatæ fuerunt tam Arij, Sabellij, Eunomij & quæ eodem pertinent, quàm Neſtorij & Eutichetis. Abſit enim à nobis vel minima labes illarum hæreſeωn, quibus Eccleſia Dei catholica pridem vexata fuit, dum ſua in illa puritas extaret. Quamobrem tota controuerſiæ noſtræ ſumma non eſt in alio poſita, quàm vt teneatur, cui rei tandem fides ſalutis noſtræ inniti debeat : quomodo à nobis Deus inuocandus ſit: quæ item cultus Dei recta & legitima ratio. His addendæ & iſtæ appendices, quis ſit verus Eccleſiæ ſtatus, quod Prælatorum & Paſtorum munus, quæ natura, efficacia, vſus Sacramentorũ.

Vt probè conſtituatur in quo ſalus hominum poſita ſit, omnino ſtatus ipſe hominum & conditio tenẽda nobis eſt. Ergo de homine ita Scriptura præeunte ſentimus, nempe quòd humanum genus per Adami lapſum corruptum ſit, quòd omnes natura exitio & damnationi obnoxij ſimus, non tantùm, quia Adamus ipſe peccarit, ſed quoniam peccatores & ipſi ſimus ab vtero: ac Dei iudicium ab illo momento meritò aduerſum nos intendi poſſe, etiamſi nullum opus noſtrum extiterit, cuius merito damnationem nobis accerſiuerimus.

Præterea ſentimus originale peccatum eſſe corruptionem per omnes animæ partes diffuſam, vt tum recta intelligentia & ratio in nobis inuerſa ſit, vt non ſecus ac cæci in tenebris verſemur: tum etiam volũtas prauis affectibus mãcipata, nihil præter rebellionem & omne malum ſpiret. In ſumma nihil aliud de nobis ſtatuimus, quàm quòd ſimus perdita mancipia peccati vinculis illigata: nec ita tamen, vt quod malè agimus, nõ ſpõte fiat à nobis, vt in alium culpa à nobis conferenda non ſit, ſed quatenus ab Adamo progeniti, nullam prorſus facultatem ad bene agendum habemus, cùm omnes noſtræ facultates corruptione laborent.

Inde colligimus fontem & originẽ noſtræ ſalutis manare à mera Dei miſericordia: cùm in nobis nulla extet dignitas, quæ ipſum ad nos amore proſequendum impellat. Cùm enim arbores malæ ſimus, nullũ bonũ fructum ferre poſſumus, quo ipſum præueniamus, vt gratiã & meritũ apud illũ nobis cõparemus : ſed ab ipſo nos reſpici vt noſtri miſereatur: neq; vllã à nobis occaſionẽ accipere, quàm ex noſtra ipſorũ miſeria, vt ſuam erga nos miſericordiã aperiat. Quin etiã aſſerimus illã ipſius bonitatem erga nos ex eo fluere, quòd elegerit nos ante mundi creationẽ, vt extra ſeipſum ac ſuam beneuolentiã cauſam non petierit. Atq; illud noſtrum eſt ſummũ fundamentum, quòd ſimus Deo grati, quoniam ipſi placuerit adoptare nos in filios, antequam nati eſſemus : ac proinde ſingulari priuilegio exemerit à communi maledictione, quæ vniuerſis hominibus incũbit.

Quando autem arcanum Dei à nobis comprehendi non poteſt, fatemur ad obtinẽdam ſalutẽ veniendum eſſe ad mediũ illud, quod Dominus ipſe conſtituit. Nihil enim habemus cõmune cum cerebroſis quibuſdam, qui prædeſtinationis æternæ prætextu viam ipſam negligũt, qua ad vitam peruenitur, ad quam prædeſtinati ſumus. Imò illud aſſerimus, vt Filij Dei cenſeamur, ac ſeriò illud conſtet, credendum eſſe in Chriſtum, quia in illo vno tota noſtræ ſalutis ſubſtantia quærenda ſit.

Ac primùm quidẽ credimus mortẽ Chriſti vnicũ ac perpetuũ ſacrificiũ extitiſſe, quo nos Deo reconciliaret: in illa nobis offerri plenã ſatiſfactionẽ pro peccatis: ipſius ſangui ne ſordes noſtras omnes ablui: proinde noſtrã fidẽ inniti in ſolidũ peccatorũ remiſſioni quã ipſe nobis nõ ad momentũ aliquod duntaxat, ſed perpetua vita acquiſiuit, vt & ea ratione appelletur Chriſtus noſtra iuſtitia. Ac tantùm abeſt, vt merita noſtra locum vllum retineant, vt apertè fateamur cum ſeria noſtri deiectione, nihil ineſſe nobis quod ſi Deus intueatur, non meritò condemnet. Quare vnum nobis præſidium eſſe ad ipſius gratiam expectandã, puram ipſius miſericordiam, quatenus ipſe in Filij dilecti nomine nos admittit. 1. Cor. 1. 30.

Quum verò peccatorum remissionẽ non ideo largiatur, vt ad peccãdi licentiam illa abutamur, sed potius vt est in Psal. 130. Deus nobis propitius sit, vt timeatur, sentimus etiam gratiam illam Dei quæ in Christo nobis apparuit, eò referendã esse quò docet Apostolus, vt abnegata impietate, & mundi desideriis, ambulemus in sanctitate & iustitia, & aspiremus ad spem illam regni cœlestis. Non esse igitur Christi sanguinem purgationem eiusmodi, quæ in nostris sordibus nos relinquat, sed quæ potius ad veram puritatem perducat: atq; ideo si filij Dei sumus, oportere nos ipsius Spiritu esse regenitos. Sic accipiendum quod de Christo scriptum sit, ipsum venisse vt destruat regnum Diaboli, quod est regnum iniquitatis, quia non in eum tantùm finem datus sit Mediator, vt per illum obtineamus peccatorum remissionem: sed etiam vt per eum sanctificemur, quod aliud non est, quàm vti nos ex mundi pollutionibus eximat. Christiani igitur esse non possumus, nisi simus etiam nouæ creaturæ formatæ ad bona opera, quæ Deus præparauit vt in ipsis ambulemus: nempe quia ex nobis ipsis ad illa præstanda cõparati non essemus, sed Dei donum sit erga nos, quòd velimus, & quòd possimus: & ab illo vno sit nostra sufficientia: vt eo nomine Christus accepit omnem gratiæ plenitudinem, vt ab illo omnes hauriamus. Proinde neque merita, neque liberum arbitrium statuimus, sed potius bona opera mera Dei dona esse prædicamus.

Tit. 2. 12.
1. Io 3. 8.
2. Cor. 5.
Ephes. 1.
Philip. 2.
2. Cor. 3. 5.

Fide autem nos in omnium illorum bonorum possessionem mitti statuimus, quando ipsa est singulare illud instrumentum, per quod Christo communicamus, vt habitet in nobis: vtque in ipsum tanquam vitæ arborem inseramur: vt simus corporis ipsius membra, vt in illo viuamus, & ipse viuat in nobis, atque & ipsum & omnia ipsius bona possideamus. Ac ne nouũ videatur quòd tãtã efficaciam fidei tribuimus, fidem appellamus non euanidam aliquam opinionem, sed certam comprehẽsionem promissionum Dei, quibus tot illa bona continentur. Sic Christum amplectimur pro salutis nostræ in solidum spõsione, sic ad nostrum vsum applicamus quidquid accepit à Patre, vt nobis impertiret: adeóque agnoscimus nullã salutis notitiam, nisi cœlitus nobis posse constare: quatenus videlicet, vt loquitur Scriptura, illuminamur à Spiritu sancto, vt assequamur quod omnem hominum captum superat, atque idem Spiritus obsignat in cordibus nostris, quid nobis credendum sit.

Quanquam autem vti ad bona opera edenda vocati sumus, fructus quoque qui vocationi nostræ respondeant, proferamus, vt à Domino planè liberati, seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia: nunquã tamẽ quãdiu hîc viuimus, tot infirmitatibus nostris ad plenum exuti sumus. Imò ipsæ etiam nostræ cogitationes & affectus tot vitiis scatent, vt nihil ex nobis prodire possit, quod dignum sit, vt à Deo approbetur. Quare tantùm abest vt bene agere studendo, quidquam apud Deum mereamur, vt ne ad soluẽdum quidem quod tenemur, pares simus. Semper enim habebit Dominus quod in nobis requirat, merces verò ab ipso nisi legem præstantibus non est constituta: atqui ab eo quàm longissimè absumus. Ita igitur agnoscimus concidere merita omnia, quatenus non tantùm legem perfectè non præstamus, sed etiam quod in vnoquoque ex nostris operibus insit sua labes, & defectus. Scimus illud tradi solitum, quòd peccata satisfactionibus compensanda sint. Sed quia Scriptura vnam Christi mortem pro satisfactione proponit, alibi acquiescere non possumus, quàm in sacrificio mortis eius, quo ira Dei placata sit, cui nulla ex creaturis erat ferẽdo. Quapropter sentimus iustificari nos sola fide, quia aliunde mutuò sumenda sit, nempe à Christo, quæ nobis deest iustitia, eáque non ex parte, sed in solidum.

Luc. 1. 78.

Inde nascitur inuocandi Dei fiducia: cùm absque fide nullus ad illum esset nobis aditus, vt Scriptura nos docet: nõ exaudiri videlicet, qui hæsitanter & inquieta conscientia precentur. Summum bonum igitur & veram animi pacem illam esse sentimus, cùm plenè persuasi sumus de peccatorum remissione per fidem quæ est in Christum, cùm illa sit nostra clauis qua aditus ad Deum pateat. Scriptum est verò, quòd quicũque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Preces igitur ad Deum quidẽ dirigimus, sed vt eadem Scriptura docet, in Christi nomine, qui se nobis Aduocatum cõstituit, cùm sine illo indigni essemus, qui ad Deum accederemus. Quod autem sanctorum & sanctarum intercessionem non requirimus, hoc nobis vitio verti non debet. Cùm enim in omnibus nostris actionibus hoc primum esse debeat, vt certo conscientiæ testimonio ducamur, tum maximè in oratione nimis sobrij esse nõ possumus. Sequimur & illam regulam ex Rom. 10. non posse antè inuocari à nobis Deum, quàm ipsum cognouerimus, quod

Rom. 10. 14.
Iac. 1. 6.
Ioel. 2. 32.
Io. 16. 24.

quòd ipsius verbo tantùm assequamur, vt testimonium voluntatis ipsius habeamus. Et quod maius est, cùm Dominus habeat orationes nostras pro præcipuo & præstantiori quodam sacrificio, quo ipsius Maiestatem prosequamur, illud tranferre ad creaturas, atq; ita huc illuc vagari sine sacrilegio non possumus. Accersere autem alios patronos ab vno Christo, in nobis aut nostro arbitrio positum non esse censemus. Tenemur quidem precari alij pro aliis, quandiu hîc viuimus: verùm ad mortuos conferre nos non ausimus, cùm Scripturam auctorem non habeamus, ne præsumptionis rei coram Deo simus. Imò verò enormes illi abusus qui hac in parte obtinuerũt, atque nunc etiam obtinent, satis nos admonent, vt in tali simplicitate nos contineamus, ac certos fines à Domino positos ne vltrà nostra audacia vel temeritas excurrat, obseruem⁹. Inuectæ sunt enim multæ preclarũ species cùm horrendis blasphemiis coniunctæ, vt illa ad Virginem verba sonant, IVBE NATVM, IVRE MATRIS IMPERA: Item cùm PORTVS SALVTIS, VITA, SPES NOSTRA ab infidelibus inuocatur. Psal. 50. 15.

Vt autem non inuocamus vita functos, ita etiam pro mortuis preces non concipimus, ne aliud cõmentum approbemus, ac ne quid extra Scripturam tentemus: esse nempe locum Purgatorij, in quo animæ demum peccatorum pœnas luant. Hoc si admittitur, redemptio à Christo allata plena ac perfecta non est, ac tantundem ita derogatur morti ipsius, quasi ab illo ex parte tantùm liberatio nobis allata sit: quod dici sine blasphemia nõ potest. Proinde cùm hîc agnoscamus miseros homines ludificatos fuisse, nihil affingere volumus contra fidei Christianæ principia: adeóque nobis hoc satis est, si in pura Scripturæ doctrina quę nihil istorum tradit, pedem figamus. In summa totum illud habemus pro superstitione ex hominum cerebro enata: ac præterquam quòd fas non est Deum temere inuocare, nolimus porrò hoc nobis adrogare, vt Christi vnius officiũ, quo nostra constat redemptio, pro mortuis nos interponendo vsurpare videamur.

Alterum præcipuum caput, de quo nobis non conuenit cum vsu & opinione quæ vulgò recepta est, in ratione cultus Dei positum est. Nos enim totũ istud petendum esse cõtendimus ex ipso illius verbo, quo etiã vnã obediẽtiam sacrificiis à se præferri testatur: ac passim hoc inculcat, se vnum audiri velle, vbi de cultu ei exhibendo qui ipsi probetur, agendum est. Nos inquam, sentimus non esse nostrum comminisci ex nobis quod libuerit, aut etiam obseruare quod ex aliorum cerebro prodierit, sed in vna Scripturæ simplicitate standum nobis esse. Quamobrem credimus nullum in Dei cultu locum esse debere cuilibet rei, quæ nõ ex Dei verbo petita sit, sed hominũ auctoritate instituta. Atq; in hoc capite duo ista axiomata ponimus: Vnũ, quòd ius hominibus nõ sit obstringere cõscientias sub pœna peccati mortalis, cùm non frustra Dominus haberi velit vnus Legislator, penes quem sit seruare & perdere: non frustra etiam tot locis hoc ingerat, ne quidquam addatur ad ipsius mandata. Neque etiam hoc potest recipi, quin Dominus ipse quodammodo ita notetur imprudentiæ, & inaduertentiæ in rebus tradẽdis, quarum vsus tam appositus fuisset. Alterum axioma est, reiici à Deo vt mixturam totidem fœditatum, cùm ex nostra deuotione illum colere intendimus. Atque ideo apud Isaiam clamat, inuersam esse funditus omnem cultum sui, ex quo mandata hominũ inuecta fuerunt. Quod etiam Dominus ipse apud Matth. confirmat, frustra se coli secundum mandata hominum. Hoc igitur aperta ratione euincitur, supremum illud ac singulare spirituale ius vni Domino inuiolatum esse seruandum: vt saltem voluntas ipsius sit nobis pro fræno, ac supra deuotiones nostras dominetur. 1. Sa. 15. 22. Iac. 4. 12. Isa. 29. 13. Matt. 15. 8.

Atq; hîc ea nobis occurrunt ex communi experientia, quę nos tam disertè commonefaciant, vt tantò magis in eo cõfirmemur, ne fines à Scriptura positos prætergrediamur. Ex quo enim leges de Dei cultu statui cœperunt, & quæ ad conscientias obstringendas pertinerent, nec modus nec ratio adhibita est. Dominus porrò ita mundum tantæ audaciæ meritò puniuit, talibus deliriis excæcando, vt vel ipsa cogitatio horrorem incutiat. Ac si verbi gratia traditiones humanæ propius expendantur, abyssus illic comperietur, adeò infinitus est numerus. Extant verò abusus tam enormes támque absurdi, vt stupẽdus sit hominum in eo stupor, nisi quòd agnoscendum illic est Dei iudicium, quale per Isaiam populo denuntiat, quòd sapientes ipsi excęcentur, & obbrutescãt, dum ipsum impendiò colere volunt obseruando mandata hominum. Ex quo à pura & sancta Dei obedientia discessum est, bona intentio visa est sufficere ad omnia approbanda: vnde superstitionib⁹ fenestra aperta fuit. Inde imaginum adoratio, Missarum nũdinatio, apparatus & ornatus in templis, peregrinationes, & temeraria passim vota. Atque ista obiter attigisse sufficit, Isa. 29. 14.

cùm immensa sit illarum rerum congeries. In summa si Dei cultus ab hominum inuentis penderet, nulla amplius certitudo nec fides Religioni constaret: sed omnia præposterè fierẽt, & Christianismus à Paganismo nulla in re differret. Primùm verò illud quod attigimus, de tyrannide quæ vsurpatur in conscientias, non est minoris momenti: cùm ita miseræ conscientiæ opprimantur. Exemplo sit vnũ mandatum de confessione peccatorum annua edenda apud sacrificulũ. Nam si vel vnius diei peccata non est qui percenseat, quis tandem anniuersariam enumerationem præstabit? Et tamen ita sonant verba Decretalis, nõ aliter obtineri posse remissionem peccatorum. Hoc verò est ianuã salutis omnibus semel præcludere. Quòd si non ita impossibilis esset humanarũ istiusmodi legum præstatio, maneret tamen sacrilegiũ, quòd Dei ius ita vsurpatur, cùm negatur remissio peccatorũ, nisi præmissa illa auriculari confessione. Illud enim est apponere conditionem promissioni Dei, quæ ipsam mendacẽ aut euanidã reddat. Perinde se habet interdictio esus carnium certis diebus sub pœna peccati mortalis. Fatemur verò ieiunium & continentiam à cibis, rem esse laudabilem: sed istiusmodi prohibitio partẽ iuris Dei præcidit. Prohibitio etiã coniugij Clericis & Nonnis imposita, vtrunque malũ complectitur. Neque enim creaturæ ius erat vetare, quod à Creatore permissum esset: neque etiam cogi fas fuit ad cõtinentiam, qui donum illud non accepissent, quin aperta desperationis aut non leuioris ferè mali vorago ipsis obiiceretur. Atque vt hoc bellè cesserit, res ipsa clamat, nos quidem etiam pudet in memoriam reuocare.

Interea tamen Ecclesiæ auctoritatem, vel Pastorum & Superintendentium, quibus Ecclesiæ regendæ prouincia mandata est, sublatam nolumus. Fatemur ergo Episcopos siue Pastores reuerenter audiendos, quatenus pro suæ functionis ratione verbum Dei docent. Fatemur præterea tum omnes, tum etiam singulas Ecclesias hoc ius habere, vt leges & statuta sibi condant ad politiam cõmunem inter suos constituendam, cùm omnia in domo Dei ritè & ordine fieri oporteat: eiusmodi porrò statutis obedientiã deferendam esse, modò ne conscientias adstringãt, neque superstitio illic adhibeatur: qui hoc detrectent, cerebrosi & peruicaces apud nos habentur. Enimuero non dissimulamus, quin veri & legitimi Pastores discernendi sint ab illis, qui titulum inanem gerunt duntaxat. Nam & abusus per se patet, quòd qui se haberi pro Prælatis volunt, atque pro talibus agnosci, nullam specie alicuius functionis edunt, quæ nomen cum re ipsa conciliet. Pessimum verò illud est, dum suæ illius dignitatis prætextu, miseras animas in exitiũ abducunt, dũ illas à Dei veritate ad sua cõmenta auertunt. Proinde vt in reliquis essent tolerabiles, vbi falsas doctrinas & imposturas propinant, obseruãdum nobis est etiã hac in parte illud Petri, & Apostolorum responsum: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Act. 5. 29.

Porrò quòd ad Primatum attinet, quem Papa sibi arrogat, vsurpationem planè enormem esse sentimus. Vt enim concedamus expedire, vt extet caput aliquod in Ecclesia, (quod tamen ex diametro repugnat verbo Dei) tamen longè absurdissimũ sit, vt aliorũ Episcoporum caput habeatur, qui ne Episcopus sit quidem. Ac si quod de sua Hierarchia garriunt, excutitur, satis cõperietur nihil illic extare, quod respõdeat illi positioni ministerij, quam à Domino & Apostolis ipsius accepimus: imò apertam corruptionẽ esse, quæ regimen Ecclesiæ cõuellat. Nõ attingimus luxus & scandala quæ vulgatissima sunt: illud vrgemus, ad omnes Christianos pertinere, ne ipsi in Dominũ rebelles sint, vt auersentur & procul habeant quidquid intelligunt puritati cultus ipsius repugnare. Quando enim de iurisdictione spirituali agitur, quam sibi vni recepit Dominus, nulla humana sublimitas non deiici omnino debet. Edicta quidem Principum & Magistratuum suum ius & pondus habent, quantumuis acerba sint, adeóque etiam iniqua, vt contemni illa fas non sit. Tanti enim non sunt facultates huic vitæ coniunctæ, vti neq; vita ipsa, quin auctoritas à Domino Principibus & Magistratibus collata præponderare debeat. Atqui longè diuersa ratio est, vbi agitur de conscientiis subiiciendis legibus tyrannicis, exoticis, adulterinis, quæ eò tendunt, vt à Dei obedientia & subiectione homines auertant. Interea etiam fatemur non esse priuatorum, abusus istos corrigere, vt penitus eos ipsi tollant: sed ab omnibus tamen requiri, vt ab illis sese subducant, vt sese integros & incontaminatos in Dei cultu præstent.

Quòd ad Pastores, qui fideliter officio funguntur, attinet, sic agnoscendos esse sentimus, vt qui illum ipsum exhibeant à quo sint instituti. Oportere etiam vt Christiani omnes sese sistant pro ordinis communis ratione, ad audiendam salutis doctrinã, edendam

dam fidei confessionem,sese in Ecclesiæ vnione continendũ,admittendas placidè reprehensiones & censuras, atq; nauandam operam, ne qua secta vel turba in Ecclesiã irrumpat.Proinde illos pro schismaticis habemus,qui turbas & confusiones inuehunt ad dissipandam Ecclesiam,quæ non aliter stare potest,quã vbi regitur à suis Pastoribus, quando ita est voluntas Domini:atque extat ipsius mandatũ ad singulos tam summos quàm infimos,vt sese cum syncera demissione ordinationi,cuius auctor est,submittãt atque cõforment. Adeo vt quicunq; sese separarit & abscindunt sponte à cœtu fidelium, iidem sese à regno cœlorum eiiciant. Tantùm vt qui Christi nomine audiri volunt, attendant vt quæ à Domino acceperint,eadem & ipsi tradant. Supereſt edenda fidei nostrę quòd ad Sacramenta confessio.Habemus igitur Sacramẽta,tum pro testimoniis gratiæ Dei,vt magis ac magis illa nobis rata sit,tum etiam pro signis & notis externis, quibus Christianismũ coram hominibus profitemur.Equidem vno Dei verbo abũdè esse nobis debuerat, vt salutis nostræ plenam fidẽ perciperemus: Atqui cũ ita Domino placuerit nostræ infirmitati & fragilitati talibus mediis institutis cõsulere,ratio ipsa euincit obstringi,nos apertè,vt& illa admittamus,& ad vsum nostrum applicemus. Sacramenta igitur obsignationum vicem habent,vt gratiam Dei quasi appositò sigillo in cordibus nostris insculpant, & magis auctoratam reddant: qua ratione etiam nomen doctrinæ visibilis seu aspectabilis illis tribui potest.Et sanè videmus quidquid illis figuratur & demonstratur,id in nobis impleri.Non sunt enim Sacramenta figuræ inanes aut illusoriæ, cùm ille sit auctor Sacramentorum vt fidem per illa confirmet, qui ipse est veritas indubitatissima. Credimus etiam, quidquid indignitatis in Ministro insit, eo nihil Sacramenti efficaciæ decedere,cùm Dei veritas non mutetur aut varietur hominum improbitate: cùm etiam eorum nõ sit efficacitatem indere ipsis Sacramentis. Sentimus inquam, Sacramentis etiam ab improbis & indignis administratis,suam naturam constare,vt nihilominus afferant & verè communicent iis qui ea percipiunt,id quod figurant. Addimus tamen,ex parte illorum qui percipiunt Sacramenta fidem requiri.Siquidem vtilia non esse, nisi vbi Dominus reddit illa efficacia, vt illic exerat tanquam per organa sua Spiritus sui virtutem. Requiri igitur operationem Spiritus Dei, vt efficaciam illorum ad salutẽ percipiamus. Fatemur etiam vsum Sacramentorũ ita necessarium esse,vt qui ea contemnant,ostẽdant se contemptores gratiæ Dei,& excęcatos fastu diabolico,qui suam infirmitatem non norint,cui Dominus remedium afferre eo modo dignatus sit.Præterea cùm Sacramenta à Domino ipsi Ecclesiæ commendata sint, sentimus non licere vnicuique seorsim illis vti,sed eorum vsum cõmunem esse debere,& in Ecclesia vsurpandum. Eorum etiam administrationem ad Pastores pertinere,quibus ipsorum cura & dispensatio mandata est.

Hinc colligimus vnius Dei esse instituere Sacramenta,cũ vnus ipse sit idoneus & testis voluntatis suæ,& obsignator promissionum,& exhibitor spiritualiũ donorum: quique vnus hoc præstet,vt elementa illa terrena sint nobis arrabones salutis nostrę. Proinde non habẽdas pro Sacramẽtis quæ ab hominibus inuectę sunt cerimoniæ,neq; illis hoc nomen & hanc qualitatem nisi falsò tribui posse. Fatemur igitur septenarium illum Sacramentorũ censum qui vulgò receptus est,à nobis non admitti,cùm nullam etiam à verbo Dei approbationem habeat.Interea cùm ex Sacramentorum numero Matrimoniũ expungimus,hoc non pertinet ad sacram Dei ordinationem despectui habendam. Nam neque ita etiam decedere volumus quidquam dignitati Sacramentorũ illorum quæ temporalia dici possunt,quamuis eorum vsum desiisse sentiamus: cuiusmodi fuit vnctio ægrotorum. Tantùm quæ à Deo prodiisse constat,ab illis discernantur quæ homines auctores habent.

Cùm verò duo extent ordinaria Sacramenta ad cõmunem totius Ecclesiæ vsum, Baptismi nimirũ & Cœna Domini,breuẽ quod ad vtrunq;,fidei nostrę Confessionẽ subiicimus. Sentimus igitur Baptismũ cùm nobis sit lauacrũ spirituale, idémq; regenerationis nostræ signũ,hũc vsum habere, vt testificetur nobis,nos à D. intromitti in Ecclesiã,vt nos pro filiis & hęredibus ipse habeat. Proinde applicandã esse perpetua vita vnam Baptismi perceptionẽ, quę nos confirmet in promissionibus quę tũ nobis oblatę sunt,tã de peccatorũ remissione, quàm de pręsentia & directione Spiritus sancti. Quãdo autẽ illa duo dona quæ in Baptismo cõferuntur, in Christo nobis exhibẽtur, cũ alibi extare non possint: Credimus ad fructũ Baptismi verè potiendum,hoc nobis spectãdum esse, vt certò statuamus,nos Christi sanguinis effusione aspersos & mundatos esse, atque illius ipsius mortis & resurrectionis efficacia nos in nobis mori, vt in nouam vitã excitemur. Inde fit vt cùm Christus sit Baptismi substantia, vt Scriptura sic loquatur, nos in Christi nomine bapti-

Mat. 18. 18. Ioan. 20. 23

Act. 10. 48; 19. 5. 22. 16.

zari. Credimus præterea cùm Baptismus sit thesauri instar quem in Ecclesia aperire dignatur Dominus, oportere vt omnia etiam Ecclesiæ membra Baptismum percipiant. Quin autem fidelium liberi ad Ecclesiam pertineant, dubium apud nos non est, quando & ad ipsos pertinet adoptio Domini, vti ipse testatur. Quare fraus illis fieret, si priuarentur Sacramento, quod ad obsignandam promissionẽ tantùm adhibetur, cuius ipsi ius habent. Maximè cùm non deterior esse hodie debeat liberorum Christianorum quàm Iudæorum olim conditio, cùm salutis ipsa declaratio multò apertior nunc extet, quàm olim sub Lege. Cùm igitur infantes tum circuncriderentur ex Dei mandato, Sacramentum fœderis ad salutem non magis nunc Christianorum liberis denegandum esset. Quare damnamus omnes phreneticos, qui infantium Baptismum impugnant.

Gen. 17. 7.

Vt rectè demonstremus quid sentiamus de Cœna Domini, cogimur illius repugnantiam cum Missa præmittere. Neque enim dissimulare possumus nihil istis inter se commune esse, aut conforme, ac ne quidem quod ad illud accedat. Scimus hanc confessionem isto nomine in odium multis venire posse, propter illam Missæ apud multos existimationem & reuerentiam. Et nos ex istorum numero fuisse etiam non dissimulamus, donec Missæ abusus nobis demonstrati sunt. Speramus igitur vbi nostræ rationes placidè auditæ perceptæque fuerint, nihil absurdi notatum iri in iis quæ sentimus. Sacrificij nomen ad Cœnam transcriptum esse iam olim constat satis: sed multùm abest vt veteres illi vocabulum illud sacrificij hoc loco eo sensu acceperint, quo deinde cœpit exaudiri: nimirum quòd sacrificium illud sit oblatio meritoria ad obtinendam indulgentiã, & gratiam pro viuis & defunctis. Quanquam autem extent hodie quidam mediatores, qui ad eleuandum errorem publicum qui orbem occupauit, fingunt se receptum habere ad veteres illos Patres: attamen vsus ipse & tractatio ostendit non magis ista sese cõtingere, quàm quæ tota sui natura remotissima sint. Nam quis etiam ignorat Ecclesiam illam primitiuam ignorasse Missas priuatas, vt & fundationes, quas nunc vocant: Sacramentum autem ad vsum communem Ecclesiæ adstãtis administrari solitum fuisse? Atqui hodie emuntur Missæ & expiationes, quibus Dei iudicio satisfiat: & cuique hîc pro suo arbitrio quod licitatus fuerit, admetiuntur sacrificuli. Talis nundinatio Ecclesiæ veteris patrocinio nullo modo nititur. Accedit & altera profanatio, quòd quum sacra Cœna vnum Christi nomen præferre debeat, Missæ arbitrariæ, & nouis titulis commendabiles procuduntur, vt Christophori, vel Barbaræ, vel alterius cuiusvis ex albo Sanctorum nomine splendeant. Illud verò perinde veri Sacramenti naturæ atque ignis cum aquæ elemento conuenire dicendum est.

Porrò quòd ad ipsam antiquitatem attinet, vti illam in honore habemus, neque lubenter repudiamus quod à sanctis illis Patribus est approbatum: postulare tamen ratio nobis videtur, vt vera Christi institutio omnibus illis quæ ab hominibus allata sunt, anteponatur: adeò vt nulli humanæ auctoritati supersit locus, vbi de illius voluntate præstanda agitur, qui vnus plenum in omnes magisterium accepit. Christus ergo cùm auctor ipse sit sacræ Cœnæ non alius, habendũ est pro Canone certissimo & immutabili, quod ipsemet instituit, vt sine disceptatione obseruetur. Ipse autem legitur distribuisse panẽ & vinũ cũ his verbis, Accipite, edite, bibite, Hoc est corp⁹ meũ, hoc sanguis meus. Quare vbi quod Christus offert vt à nobis recipiatur, offerre Deo vt à nobis recipiat, audemus, repugnantiã manifestã ordinationi Filij Dei includit. Quidquid igitur ad excusandum afferatur, inducta semel illa sacrificij specie, trãsformatũ fuit Sacramẽtum, & à sua forma in contrariã prorsus traductum. Proinde ferre nõ possumus, vt Cœnæ loco, vllus sacrificij modus retineatur. Siquidem à Christi mandato deflectere nefas est, cùm ipse illo Patris decreto ornatus prodeat, Ipsum audite. Hoc verò Paulus appositè præstitit, cùm abusum quendã qui inter Corinthios irrepserat reformaturus, ipsos quasi manu prehensa reducit ad illud quod à Domino acceptum ipsis tradiderat: vnde constat, extra Domini traditionem, nihil vspiam solidi neque certi extare.

Mat. 26. 26. Mar. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24

Mat. 17. 5.

1. Cor. 11. 23.

Sentimus igitur cùm doceat Scriptura Christum vnico sacrificio nobis perpetuam redemptionem acquisiuisse, nec verò nisi semel suum illud corpus in pretium & satisfactionem peccatorum nostrorum obtulisse, nefas esse audere repetere atque iterare istud sacrificium: ac nominatim, cùm Pater instituendo ipsum vnicum ac perpetuum Sacerdotem secundum ordinem Melkisedec, illud ipsum iureiurando confirmarit. Iudicamus etiam blasphemiam esse, quæ Christi dignitati apertè deroget, si qui præter vnum ipsum, offerre ipsum audeant. Credimus præterea abusum illum esse planè intolerabilem,

Hebr. 7. ad 11.

lerabilem,cùm Missæ fiunt absque cõmunicatione, cùm Cœna nihil aliud sit quàm Sacramentum cuius perceptione fideles omnes corpori & sanguini Domini participent. Damnamus perinde & alterum illum abusum, qui passim obtinuit, cùm extra clericos, quos vocant,nulli nisi ad partem Sacramenti percipiendã admittuntur. Scriptum est enim,Bibite ex hoc omnes:quod autem Deus coniunxit,ab homine separari illicitum est. Sed & ipsa prima Ecclesia hoc diuortiũ ignorauit quod est satis recens,cùm vsum illi retinerent qui institutioni Christi planè conueniret, vt omnes qui Cœnam perciperent,integrum in duobus elementis Sacramentum haberent. Non possumus etiã ferre alterum abusum qui superioribus connexus est,nimirum quòd incognita lingua Mysterium celebretur.Dominꝰ enim voluit ipse à suis percipi cùm diceret, Accipite,edite,Ecce corpus meum:atque hæc verba Christi pertinent ad Ecclesiam. Quare mera est ludificatio & irrisio Sacramenti,vbi astans presbiter pani & calici immurmurat, vt nulla extet illius suæ actionis intelligentia. Mat.26.27. 1. Cor.14. alio argumentõ.

De Cœna Domini igitur diximus primùm,quorsum instituta sit:ex quo colligendum est quis sit illius tum vsus,tum etiam fructus. Scopus igitur ad quem referendus est Cœnæ vsus,iste est, vt quam à Deo gratiam in Baptismo percepimus,iam tum in nobis promoueat & foueat in dies. Quemadmodum enim Baptismo nos Dominus regenerat, vt ipsius filij simus,atque illa spirituali natiuitate nos in Ecclesiam intromittit,vt pro domesticis habeat:ita etiam in Cœna significat se nobis prospectum velle, vt in vita cœlesti foueat,donec ad illius cumulum perueniamus. Et quia non aliud est animarũ alimentum quàm Christus ipse,ipsum etiam esse,in quo vita nobis quærenda sit. Hoc demum vt per nostram infirmitatem & crassiorem illum captũ tamen percipiamus, Cœna nobis est signum externum visibile, quo nobis testificatur Pater, nos Christi corporis & sanguinis participes fieri, vt in ipso viuamus spiritualiter. Vt enim se Christus non vacuũ sed locupletem nobis exhibet:ita nos etiam illum cum ipsius opibus apprehẽdimus,vt ipsummet possidendo,in ipso possideamus quidquid ad nostram salutem spectat.

Cùm verò signi nomẽ Cœnæ tribuimus,illud non ita exaudimus,quasi ipsa Cœnę elementa sint nudæ quædam figuræ aut representatiuæ imagines:sed profitemur,quidquid illic nobis significatur,simul etiam reipsa præstari, atq; in nobis ipsis impleri. Cùm enim Dominus sit indubitatissima veritas, certũ est ipsum nos in Cœna inani quadam pictura pascere noluisse,sed potius ipsam eorum substantiam,ad quæ significanda Sacramenta ordinata sint,ipsis ab illo demum esse coniunctam.

Quamobrem sic sentimus,quòd in Cœna Domini non tantùm exhibeatur nobis,sed reipsa impleatur in nobis quod his verbis Christus docuit, nimirũ corpus ipsius verè esse cibum,& sanguinem verè potum. Etenim Dominus Iesus offert nobis per signa illa panis & vini suum corpus & suum sanguinẽ, iisque spiritualiter pascimur, modò ne nostra incredulitate aditum ipsius gratię præcludamus. Quemadmodum enim vasi etiam vacuo nihil infundi potest,quandiu obstructum manet: sic etiam fide apertio illa & aditus parari debet,qui nos capaces reddat bonorum quæ à Domino offeruntur iuxta illud Psalmi 81.14. Dilata os tuum & implebo illud. Nõ tamen vt nostra incredulitate quidquam de Dei veritate decedat,aut quòd nostra prauitate Sacramentorum efficacia interuertatur. Qualescunque enim simus,Deus sui similis manet:neque etiam Sacramentorum efficacia pendet à nostra fide:vt nostra incredulitas ipsorum naturæ & qualitati derogare non possit. Cœna igitur est certum testimoniũ quod exhibetur omnibus tam bonis quã malis, vt Christum perinde omnibus offerat: ex illo verò differentia emergit,quòd non omnes perinde quod ita oblatum est,percipiunt. Et sanè illud esset nimis absurdum, si Christum & illi perciperent qui sunt ab ipso alieni,ac improbi Spiritu ipsius vacui,corpore & sanguine ipsius pascerentur, vt proinde emortuum quid fieret Christus in istiusmodi,exueretur propria virtute,atque omnibus bonis vacuus,nihil eius quod est ab ipso inseparabile,conferret. Ioan.6.55.

Quòd affertur,impios reos esse corporis & sanguinis Domini, quũ indignè ad Cœnã accedunt,non euincit, aliud ab ipsis quàm signum nudum percipi. Quia non dixit Paulus reos esse eo nomine,quòd videlicet ipsum Christi corpus & sanguinem perceperint, sed quòd à rebus communibus illa non discreuerint. Reatus illorum igitur hic est, quòd Christum sese ipsis offerẽtem reiecerint: cùm talis contemptus sacrilegium penitus detestandum coniunctum habeat. Fatemur quidem in forma loquendi quæ Sacramentalis dicitur,impios corpus Christi & sanguinem percipere, vt veteres etiam ita aliquando 1.Cor.11.29

loquuntur,sed ita vt suum sensum aperuerint,cùm addiderunt se hoc ita non accipere,
Augusſt. 21. de ciui.Dei cap.25.paulò ante extremum. vt reipsa & ipso facto impij eovsque peruenirent,sed Sacramento tenus. Et sanè nulla nobis communio potest esse cum Christo nisi per fidem,neque ipse vicissim quidquam habet commune nisi cum suis ipsius membris.

Supereſt pertractãda ratio siue modus, quo se Dominus Iesus nobis in Cœna communicat.Hoc autem multas controuersias & disceptationes peperit hoc nostro sæculo.Primùm igitur hîc reiicimus non tantùm delirium illud vulgare Transsubstantiationis,quam vocant,sed etiam illud quod Turonensi Synodo fertur,Christum nempe dẽtibus cõminui,tum & deglutiri.Quòd enim panis mutetur,vt sola panis figura sine substãtia remaneat,illud repugnat naturæ Sacramẽti, quo nobis demonstratur quod quẽadmodum pane & vino sustentamur, ita etiam animas nostras Christi carne & sanguine ali.Et omnino analogiam esse oportet inter spiritualem veritatem , & externum signum.Proinde si pro pane figura tantùm panis in Sacramento extaret, sola etiam Christi corporis figura per illum exhiberetur. Colligimus igitur indubiè panẽ & vinum manere,vt sint signa & tesserę,quæ testificẽtur carnem Christi panem nostrum cœlestem, & sanguinem verum etiam potum.Illud etiam somnium quòd Christi corpus deglutiamus,ac intra nos ipsos intromittamus,vt panem cibarium , planè est à Christianis auribus alienum,atque omnino repugnat illi reuerentiæ,qua sacrã quę nobis est cum Christo coniunctionem amplecti debemus.

Interea verò fatemur nos verè vniri cum Domino Iesu Christo,adeò vt sui ipsius corporis substantia nos viuificet:non quidem quòd huc se ipse conferat,aut quòd immenso sit corpore quo cœlum & terram impleat , sed quatenus ista nos cum ipso vniendi, atque ex ipsius substantia viuificandi gratia & virtus diffusa est virtute Spiritus ipsius. Scimus quid nonnulli dicant,in tantis mysteriis abstinendum esse à Quomodo. Sed ipsimet postquam ita prolocuti sunt, definiunt tamen Christi corpus ita sub pane esse, vt vinum est in vase.Nos verò fatemur omnino rationem qua cum Christo communicamus,ad miraculum referendam esse,atque omnem nostrum captum superare. Nec
Epheſ.5.32. pudet nos cum Paulo exclamare,Magnum esse Mysterium, & quod nos rapiat in admirationem:sed illud non impedit quominus repudiemus quæ absurda sunt, & tum Scripturæ,tum fidei analogiæ repugnant.

Habemus autem illud pro certissimo axiomate,quòd quamuis humana Christi natura cum Deitate ipsius coniuncta sit ad constituendum in illo veram personæ vnionem, illam ipsam humanã naturã tamen habere semper suã qualitatem ceu constitutionẽ,& quæ illi omnimodo propria sunt. Quemadmodum igitur Dominus assumpsit passibile corpus,ita etiam illud idem corpus quantum extitit demum,& suum modum habuit,& infinitũ nõ fuit.Fatemur verò corpus illud glorificatũ esse,cõditionem mutasse,vt iam nulli infirmitati obnoxium maneat.Atqui nihilominus suam illam substantiam habet.
Philip.3.21. Alioquin quorsum illa promissio euaderet,quòd nostra hæc corpora quæ corruptibilia
Coloſ.3.1. nunc & caduca sunt, conformaturus sit corpori illi suo glorioso? Vt vt sit , nemo nos iure potest reprehendere quòd Christum sursum quæramus,vti etiam monemur ab Apostolo.Quod etiam in Ecclesia olim præmittebatur in mysterij huius celebratione, cùm Sursum corda ad cœtũ Minister inclamaret. Porrò qui nos accusant, quòd Dei potẽtiæ derogetur à nobis,valde sunt in nos iniurij.Non enim hîc quęritur quid Deus possit,sed quid verbo suo velit,extra quod nihil nobis quærẽdum sit,vt hoc aut illud diuinemus. Quare illam quæstionem ommittemus, an Deus possit facere , vt Christi corpus sit vbique,sed cum omni modestia intra istos Scripturæ fines consistimus,quæ perhibet,Christum induisse corpus nostro corpori per omnia simile,versatum esse inter homines,sursum receptum vnde sit descensurus, vt sese manifestum præbeat vltimo die: vti etiam
Act.3. Act.1. exprimitur à Petro in Actis,quòd oporteat cœlum ipsum recipere, donec rursum appareat. Atque ita Angeli ad omnes Apostolos,quod est imprimis notandum, Hic Iesus, inquiunt,qui à vobis sursum receptus est,veniet vt ipsum vidistis ascendere.Interea extollimus Dei potentiam magis,quàm illi qui nos istiusmodi probris infamant.Fatemur enim ipsam illam Christi à nobis secundum humanam naturam distantiam non impediat, quominus in seipso nos viuificet,habitet in nobis, nósq; adeò participes reddat ipsiusmet substantiæ corporis sui & sanguinis,virtute incomprehensibili sancti sui Spiritus.Ex quo apparet merè calumniosum esse,quod nobis imponitur : quasi nempe figeremus suos terminos Dei potentię ex placitis philosophorum. Atqui nostra omnis philosophia

losophia vna est,simplicissimè admittere quòd Scriptura nos docet.Illos etiam qui de nobis spargunt,nos videlicet fidē non adhibere huic Christi sermoni, Hoc est corpus meū, & Hoc est sanguis meus,pudere debuerat tam indignæ contumelię.Absit enim vt vel cogitemus quidquam aduersus illum regerere,qui vnus est constantissima veritas: nedum vt tam horrenda blasphemia nobis excidat. Admittimus ergo ipsissima Christi verba; tantùm vt sensum natiuum illa retineant, postulamus. Illum verò sensum à nostro sensu non petimus,sed ex perpetuo Scripturæ vsu, atque ex vsitato Spiritus sancti stylo. Si quā nouitatē proferremus,aut odiosa esset,aut suspecta:cùm autem vnū quærimus, vt Sacramentalium locutionum formam omnes agnoscant,& in illa se cōtineant,nihil non cum ratione coniunctum petere nobis videmur. Atque vt breue faciamus, palàm testamur, nos aliter nec sentire nec loqui,quàm quod apud Augustinum totidem verbis scriptum legimus, Quòd,si Sacramenta similitudinem quandā non haberent cum illis rebus quarum sunt Sacramenta,nullo modo Sacramenta essent: atque inde rerum ipsarum indi illis nomina:atque ita modo quodam, Sacramenrum corporis Christi corpus Christi esse,Sacramentum sanguinis ipsius esse ipsum sanguinem. Simul autem veritatem ipsa semper cum figura coniungimus, vt mysterium istud non esse inane,neque sua illa veritate vacuum dici possit. Epist.23.ad Bonifaciū.

Habet igitur S. C. V. M. habent etiam CC. VV. Illustris. Principes Confessionē fidei nostrę,in qua nihil à nobis fucatum est vel detortum:ex qua etiam de nostro iure cognosci & pronuntiari cupimus.Hic igitur à S. C.V.M. atq; à CC. V V. Illustrissimi Principes quàm demississimè postulamus,vt qua reuerētia apud vos hoc nostræ fidei testimonium editum voluimus,ipsis etiam placeat hoc quidquid est expendere, atque ea humanitate excipere, vt vna ratio & æquitas apud vos locum habeat:amandentur verò omnes humanæ opiniones,ne quod veritati ab illis præiudicium afferatur.

INDEX RERVM

insigniorum quæ in hoc Epistolarum & Responsorum volumine continentur.

Prior numerus paginam, alter lineam denotat.

A

ABBAS ex persecutore studiosus veritatis effectus 210.1

Abrahami vernæ quo iure circuncisi 129.6

vt Abusus inueterati ex Ecclesia tollãtur, quid sequendum 69.32

Absurda inuecta in doctrinã de Cœna Domini 238.21

Acanthius Christo nomen dedit 251.51

ei Caluinus gratulatur 255.32

Admiralius pietatis amantissimus 240.61

Admiralius ad tolerantiam confirmatus à Deo 214.24

Admiralius libellum supplicem piorum ex Normania primus offert Francisco II. in Procerũ conssessu 230.48

Adolescentes duo Lutetię combusti propter verbum Dei 200.49.

Adulter vel Adultera quatenus ad nouum matrimonium admittendi 359.24

Adulterantium veritatem infœlix schola 207.25

Agnes Angla exul spontanea propter Christum 130.41

Agonothetes & propugnator piorum laborantium Christus 209.33

Albergij cuiusdam historiola 46.49.

Aleæ lusus dedecet Christianos 342.44

Ambrosij aduersus Tyrannos sancta moderatio 57.14

America & Americani 195.17

Amicitia piorum qualis 131.45

Ambrosius Blaurerus 213.25

Amsdorphius 81.48

Anabaptistæ cuiusdam impudentia 62.8

Anna Burgius Senator Parisiensis Christi Martyr insignis 306.1

Anglicanæ reformationis labes 96.22.101.18. 159.9.384.35

Anglicana Liturgia 156.26

Anglia Papam recipit 172.37

Antichristi iugum facilè excutitur, vt iugum Christi non admittatur 274.46

Apostoli Christi beneficium ore & scriptis prædicarunt 396.13

Archiepiscopus Colonienſis reformationem Ecclesiæ molitur. 41.51

Archiepiscopus Viennensis pietatis amans 231.1

Argentinenses in Euangelio asserendo cordati 18.28.

Argentinenses Ministri nullum cultum idololatricum in vrbe ferre possunt 147.19

Argentinensis Ecclesia grauissimè periclitatur 372.31

Argentinæ olim festi dies omnes præter Dominicum aboliti 103.10.129.6

Ascensio Christi quid significet 82.2

Ἀταξία bello inuecta quomodo sarcienda 274.26.

Augustana Confessio suam obscuritatem habet in articulo de Cœna D. 186.31

Augustanam confessionem cum Auctoris expositione non repudiat Caluinus 182.45

Aug. Confessionis articulus de Cœna D. conciliatus inter Luth. & Bucerum 237.50

Aug. Confessio quorsum obiecta in Colloquio Possiaceno 251.18. 252.26

Sub August. Confessionis vmbra crucẽ fugiunt multi 234.13

Αὐθάδια in Ministro summum vitium 48.35

B

Balaam conductitius in Colloquio Possiaceno 253.4

In Balthasarem iudicatum secũdum Caluinum 110.7

Baptismus à priuato administratus nullus est 334.18.

Baptismus obstetricum non ferendus 43.33 180.17

de Baptismi necessitate 180.17

Baptismus sanguinis 180.49

ad Baptismum papalem liberos offerentes notantur 84.50.320.36

Baptismus papalis quatenus efficax 85.5 94.18

ad Baptismum papalem offerre liberos piis qui Ecclesiæ nomen dederunt, minùs licet 341.44

Baptismus in Cœtu Ecclesiæ à Ministro administrandus 321.26

Baptismus vti Geneuæ administretur 228.33

non Baptizandi qui non ſunt membra Eccleſiæ 129.40
quatenus Erronis Ægyptij filium ad Baptiſmum admittere Farellus ſuſtinuerit 128.43
ad Baptiſmum Apoſtatæ & infidelis filiam non admiſit Farellus 128.39
in Baptiſmo quid à Fideiuſſore requiratur 129.43
in Baptiſmo papiſtico Fideiubere piis non licet 205.13
in Baptiſmo Fideiuſſor extraneus ab Eccleſia nõ admittendus 319.36
Baſilienſium Miniſtrorum pia prudentia 105.36
Baſilienſium Miniſtrorum de Serueti dogmate iudicium 117.20
Baſilius quidam diſputationem non impetrat Geneuæ 14.8
Belgium Libertinis infeſtatum 54.12
Beneficia papiſtica à fidelibus retineri ferendum non eſt 341.41.361.17
Bernenſium & Geneuenſium concordia 40.50
Bernenſium Miniſtrorum de Serueto iudicium 118.30
Bertelerius 127.44
Bertelerius Conſiſtorium conuellere tentat 122.19.123.30.
Beza à peſte liberatus 99.31
Beza & Budæus Legati pro piis Gallis laborantibus ad Germaniæ principes 202.24
Beza aduentus ſui cauſam Reginæ aperit 248.13.
Bezæ ſyncera modeſtia 252.17
Beza Cardinali reſpondet 252.49
Bezæ primus cum Cardinali apud Nauarrenum congreſſus 248.26
Beza de iniqua Cardinalis agendi ratione queritur 254.11
Beza conciones habet Lutetiæ permiſſu Regio numeroſiſsimo piorum omnium ordinũ cœtu 262.46
Bezæ vltimus ad Sangermanum cum Pontificiis congreſſus 264.39
Beza nomen Chriſti in ſpendidiſsimo theatro protulit 271.45
Bigotius 188.33
Blandrata 256.20.258.9
Blaſphemiæ omni excuſatione maiores ſunt 224.16
Boiſotus Doctor Chriſtianis infeſtus 44.21
eiuſdem crudelitas in mulierculam 44.26
Brentius impanatum deum fortiter impugnat 31.5
Brentius exul propter Euangelium 77.48
eiuſdem deliria de corpore Chriſti 81.48
Brunſuicenſis Iuppiter 136.29
Bucerus abhorret à fermento in miniſterio 93.24
Bucerus & Capito Miniſtri Argentinæ integerrimi 137.26
Bucerus & Capito ſubſcribunt Caluino, Farello & Vireto in doctrina de Cœna Domini 290.1
Bucerus in Caluino laudat ſtudium in viſendis fratribus 74.38
Buceri de Caluini doctrina teſtimonium 6. & 365.33
Bucerus in extremis Eccleſiæ malis bene ſperat 371.35
Buceri de Serueto iudicium 114.34
Bucerus mediorum conſiliorum approbator habitus 81.30
Buceri mors 98.8.384.37
Bulingeri ſancta confidentia 111.30
eiuſdem de Farello teſtimonium 119.40
Cuiuſdem pro Eccleſia Geneuenſi ſolicitudo 127.12

C

Calamitates ad quem vſum referendæ 214.32
Caligæ diſſectæ 72.50.76.25
Caluinus ſine Farello Geneuæ non vult reſtitui 17.13
Caluini admonitio ad præfractum quendam 17.20
eiuſdem tenuitas domeſtica 12.50.17.33.47.4
amici in Gallia quales 17.40
Calu. cum Melan. de cerimoniis agit 17.55
eiuſdem Geneua abſentis ſtudium ad fouendam pacem in illa Eccleſia 20.10.21.11
quomodo Geneuam reuocatus 22.45.233
ſuos in regenda Eccleſia defectus quatenus agnoſcat 9.& 283.9
vehementia neceſsitate extorta 234.27
in quibuſdam neceſſariò ſeuerus 379.36
In humilitate pro voto non proficit 382.20
Caluini theſauri quàm meritò celebrati 167.22
in Geneua repetenda labor 24.23.25.28.32.30
erga Geneuenſem Eccleſiam affectus 24.51.25.39
admonitiones ad Geneuẽſes appoſitiſsimæ 8.33.19.36.26.8
ad Vormatienſe Colloquium vocatus 27.9
Caluini & Farelli electorum innocentia plebiſcito Geneuenſi teſtata 33.45
ipſius Collegæ quidam quales 45.44
erga illos Caluini moderatio 45.51
ipſorum artes aduerſus diſciplinam Eccleſiæ 46.23
de libello aduerſus Libertinos excuſatio 53.35
erga Reginam Nauarræ obſeruantia 53.37
modeſtia ſingularis in Miniſterio 54.34
inconſtantiæ notatus iniquiſsimè 54.39
pro piis Gallis periclitantibus ſtudium 55.47.200.30.202.11.215.49
ad eoſdem laborantes conſolationes 155.50.196.35.276.5.277.23.
prudentia in Collegæ periculo auertendo 71.23
fortitudo in ſeditione gliſcente compeſcenda 73.18
Conflictatio propter Miniſterium 74.19
Conſtantia in luctu domeſtico 87.15

Constantia aduersus Perrinum Capitaneũ. 88.9.
Moderatio 46.11.92.49
Prudentia ad scribendum 111.40
patriæ quodammodo superstes 110.23
de ipsius morte pontificiorum fabula 116.38
in mediis turbis constantia 166.45.
in illum Calumniæ 138.50.176.54.179.53.
340.10.384.14
de ipso Melan. iudicium 107.19
Consilium familiare appositissimum 111.14
in Ecclesiam Gallicanam Argentinensium affectus 136.40
disciplinam Ecclesiæ fortiter tuetur in Senatu 122.26
eam conuelli morte ducit acerbius 128.4
Intercedit ne ius Consistorii in excommunicatione minuatur 275.34
Ius Consistorii vni sibi tribui non sinit 385.31
ipsius scriptis multis in doctrina de Sacramentis satisfactum 132.8
Confidentia sancta Vrbe trepidante 230.26
prudentia in delatione suscipienda 231.47
prædictio appositissima rebus in Gallia pacatioribus 247.18
de colloquio Posiaceno iudicium certissimum 250.50
Synceritas & diligentia in Blãdrata detegendo 358.31
morbi varii, conferti, graues 275.31.
305.45.
Farello superstiti præsentissimo affectu moribundus vale dicit 275.54
Cæsaris legatus vult Germanos pios ab Heluetiis disiungere 12.1
Cæsar postulat viros doctos ad componẽda Religionis dogmata committi 15.20
delectum colloquii denuntiat 23.28
eiusdem ad delectos admonitio 23.33
eiusdem superstitio 366.51
in Euangelicos Germaniæ acerbitas 44.16
eiusdem Iulianica reformatio in Belgio 57.41
eiusdem militum proteruia in Ministerium 96.2
Capito Farellum eiectum Geneua cum Caluino erigit 9
Capitonis pro disciplina studium 9
Capunculus impudentissimus 92.8.
113.31.
Carcassonenses pios circunuenire conantur 270.52
Cardinalis Poli in regem Angliæ coniuratio detecta 15.55
eiusdem blasphemia 172.46
Cardinalis Contareni affectus ad euertendos in Germania Euangelicos 28.20
Card. Bellaij impostura 113.3
Cardinalis Turnonij vafrum sed euanidum ad pios doctores germanicos intercipiendos consilium 53.17
ruentibus idôlis non habet quò se vertat 265.7
Card. Cadus 230.38
Card. Lotharingus nullã erga pios moderationem à mactatione admitti sustinet 201.5
eiusdem impostura ad ducem Saxoniæ 225.24
Card. Lothar. refert ad Spiritum sanctum ritus Catholicorum 231.11
Card. Lotharingi congressus priuatus cum Bezâ ex occasione apud Nauarrenum 248.25
Card. Lotharingus Transubstantiationem non vrgendam bis concedit Bezæ 249.13.38.
Idem doctrinã Bezæ de Cœna Domini se amplecti testatur ad Reginam 249.57
Bezæ gratulatur à se audito 250.5
de illo prædictio Cursoliæ 250.10
Idem Bezam & Collegas circunuenire conatur 253.37
arte sua capitur 253.47.254.2
in Bezam & Collegas abruptionẽ colloquij deriuare tentat. 254.36
Cardinales tres inquisitores in Gallia 201.
77.& 203.14
Carmelita quidam Lugdunensis audax & ambitiosus 37.19
Caro Christi viuifica per Spiritum 161.30
à Carne Christi & sanguine vitâ haurimus 161.26
eadem cibus noster 316.15
Castellani consilium pernicioſum à Deo inuersum 53.14
Castellio 135.49.
de eodem Sultzeri iudicium 136.16
Catechismi vsus necessarius 69.3
in Cerimoniis duo spectanda 135.4
in Cerimoniis noxia contentio 38.32
in Cerimoniis delectus habendus 11.47.89.
30.237.20.241.13.352.20.328.14.
Ad Cessatorem admonitio 191.7
Charitati obstant arrogãtia & iracundia 223 31
propter Choreas in Consistorium vocati 64.24
Chrismatis & Vnctionis nullus nunc vsus in Ecclesia 70.25
Chrisma in Baptis. papistico pluris fit Baptismo 238.53
Christo dimidio contenti facilè transigeremus 30.48
Christus offendiculi perpetuus lapis 154.18.
Christum legis finem esse amplissimè docetur
Christi præsentia localis hîc non datur 289.36
393.22
Christi imminutio efficacissima 399.16
Christi Domini & Euangelij ipsius Veritas aduersus profanas Iudæi nebulonis infectationes asseritur amplissimè 306.23
Christus Intercessor Deus & homo in Mediatoris persona docetur aduersus Stancarum 290.50
Christi veri filij Dei & filij hominis vnio personalis, eiúsque veritas & efficacia asseruntur aduersus deliria Mennonis 298.1
Christus Deum nobis exhibet in sese, & ad Deũ deducit 399.54
Christi perceptio spiritualis in Cœna cum scriptura, Symbolo, & veteribus consentit 297.8
Christus in Cœna percipitur spiritualiter, non autem solus Christi Spiritus 289.29
339.16.
Christianismi professio legitima vel secus 106.
45.77.50.85.20
Cicellius Anglus 215.8
Clauuburgus Senator Francofurtensis piorum exulum patronus 175.30
Coadiutores Euangelij 143.4
in Cœna D. adeunda quid piis cogitandũ 36.15

doctrina de Cœna Domini conciliata inter Germanos 36.36
in Cœna D. veritas constat cum verbis 39.16
in Cœnæ Domini doctrina transubstãtiationem merè exclusisse nimis iciunum est 40.12
Cœnam primùm aditurum Ministro se sistere laudabile est 43.15
de Cœnæ apud ægrotos communione 43.23.329.52.331.15.
de Cœna D. absurdæ sententiæ 182.8.& 31
de Cœnæ administrandæ tempore 329.40
Cœna ex eorum manu non sumenda qui de illa non rectè docent 335.50
in Cœna Christus verè percipitur virtute Spiritus 211.18.289.43
Cœnę substantia ordine fructibus prior 182.23
ad Cœnam qui admittantur Geneuæ 228.38
Cœnæ D. verba quomodo accipienda 411.5.
Cœnę D. vsus 409.16
Cœna D. integra ab omnibus percipiẽda 409.3
in Cœnæ D. doctrina ab vno Christo pendemus, non ab antiquissimis hominum 408.34
Cœnæ D. cum Missa repugnantia 408.11
eiusdem in Missam transformatio 388.1
Cœtus Ecclesiæ ab euentu nõ diiudicãdi 331.45
non deserendi 217.29
Cœtus nocturni piorum nec periculo carent nec exemplo 332.6
Inter Collegas toleranda multa propter Dominum 113.35
Colloquij Posiaceni abruptio captata à pontificiis 251.49
Colloquij Ratisb. summa 30.3.31.29
Colonienses Canonici aduersus Archiep. omnia moliuntur 377.21
Combaudus 376.25
Communicationis neglectus in Ecclesia damnũ adfert 74.51
An Communicandum in Cœna D. cum iis quibus hæretici simus 226.17
Communicatio piorum cum Christo incomprehensibilis 295.18
Concilij põtificij vanissima expectatio 376.50
quæ ratio Concilij Generalis Christiani iniri possit 334.47
Concordia in Ecclesia vel necessitate retinenda 270.6.
Conciones papisticæ piis vitandæ 342.26.204.21
Concionum libertas tentata 87.53
Concionatoris aulici fermentum 151.35
eiusdem viua descriptio 152.12
alterius item 207.40
Concionatores papistæ veritatem promouentes quatenus probandi 342.2
Concubinæ quomodo pro iustis vxoribus agnoscantur 330.35
Confessio fidei Ecclesiæ Paris. nomine Henrico II. oblata 400.8
Confessio fidei Eccles. Gallicarum ad Imperat. & status Germaniæ 402.19
Confessio veritatis à Christianismo inseparabilis 221.28
Confiscationem pij viri etiam ad ipsius commodum bona conscientia petere difficillimũ 344
Confidentia piorum legitima 207.48
Bonæ Conscientiæ fructus 207.33
Conscientiæ integritas cum fratrum testimonio coniuncta esse debet plurimùm 31.2
Conscientiæ vnus legislator Deus 405.33
Consilium Ecclesiasticum præter Consistorium an habendum sit 347.7
Consistorij Geneuæ constituendi ratio 228.48
Consistorium ex solis Ministris non constat 125.33
Consistorij ius tentatum 126.8
Consistorij fines 347.3.126.21
Consobrinorum coniugia per se non prohibita 359.10.360.31
Constantiæ ciuitatis status quoad Religionem 80.25
Controuersiæ piorum cum Pontificiis summa 403.13
Contumeliæ pars crucis piorum 331.51
à Coniuge abscedere Religionis nomine quatenus liceat 343.28.344.41.355.5.545.26
Coniugij prohibitio intolerandum hominum interdictum 406.15
ad Coniugij controuersiam pertinentia 73.41
Coniugij papistici discussio 93.50
Coniugium lepra non solui 173.43
Coniugium in minori ætate temere promissum 31.9
quæstiones Coniugales 357.10.359.1
Coniugij insciis parentibus contracti infaustum exemplum 361.32
Coniurati Geneuæ 165.49.& Superius
Conuentus seu congregationis Ministrorum vsus 380.32 10
Coraldi mors
Correctiones fraternæ ad personarum circunstantias exigendæ 48.41
Corruptiones promiscuæ aduersus Dei legem non præscribunt 223.11
Crammeri Archiep. studium pro cõsensu doctrinæ 100.& 101 149.18
idem vinctus in Anglia 68.10
Cultus Dei summa quædam
Cultus Dei vno ipsius verbo comprehenditur 145.8
Curati cuiusdam consilium ad pestem procurãdam 388.25

D

Damnati in Gallia quæstioni extraordinariæ subiiciuntur 202.8
Danielis liber exemplũ iactationis & directionis Ecclesiæ 242.4.47.& deinceps
Desertores ad Ministerium non admittẽdi 50.32
Deus insignibus afflictionibus insignioré suorũ propugnationem molitur 276.30
Dei nomen simpliciter positum vel cum distinctionis nota. 286.7
de Deo ex ipsius verbo sapere tantùm oportet 287.20
Deus vnus Essentia trinus Personis docetur ex scripturis 287.42 288.8
Deitatis Christi notitia practica 288.13
Deitatis Spiritus S. doctrina
Deum in Christo habitare & omnia implere absurdè non dicitur 203.6 65.6
Diazij Hispani cædes

Disciplinæ in Ecclesia remissio pernicioſissima 75.23
Calumniæ in Disciplinæ restauratores 7
Disciplina neruus Ecclesiæ 275.2.337.25
Disciplinæ necessitas 371.24
Disciplinæ substantia & forma 48.56
Disciplinæ cum Doctrina coniunctio 256.48
Disciplina vnicum ad Ecclesiam retinẽdam vinculum 236.40.243.1
Disciplinæ Eccles. Geneuensis summa quædam 124.52.228.25
Disciplina Geneuæ impetitur 122.48.126.8
Dissensio in quibusdam seruos Dei distrahere non debet 138.45.181.40
Disidium inter exules propter religionem importunissimum 158.13
Distinctio naturarum in Christo vnionem non lacerat 202.30
Diuitum mollities in causa Euangelij 371.4
Diuortij causa idonea non est morbus 360.5
Diuortio alterius ex coniugibus alter à fide non liberatur 360.43
Doctores idonei oblati primùm à Domino ad Ecclesiam restituendam 142.11
Doctoris personam ad tempus sustineat, qui Ministri non potest 318.15
Doctoris Theologi cuiusdam inueterati mores 382.40

E

Ecclesiæ asylum inuocatio Domini 29.39
Ecclesiæ status post reditum ex captiuitate Bab. 245.42
Ecclesiæ reformandæ opus difficillimum 65.44
ad Ecclesiæ reformationem summa quædam capita perquam necessaria 68.2
alia item capita expendenda 335.33
in Ecclesiæ reformatione omnia ad Dei verbum exigenda 70.40
Ecclesia in Papatu quatenus 85.13.94.49
Ecclesia vera & adulterina 145.5
Ecclesiæ regimen cum ciuili confusum in Papatu 190.51
Ecclesia nouale Domini 198.9
Ecclesia nisi miraculis non seruatur 93.17
Ecclesiæ in Gallia in mediis persecutionibus 201.15
Ecclesia prodita à quodam aulico instrumento apud Germaniæ Principes 201.30.202.45
Ecclesię vnius libertas alterius libertati non prę-iudicat 145.5
ab vna Ecclesia damnatum, ab altera sine testimonio non admittendum 49.37
ab vna Eccl. probatum in altera ad confessionẽ fidei non adigendum 177.32
Ecclesiæ ius in pastoribus discernendis 20.42
Ecclesiæ cõiunctio quanti facienda 13.18.16.50. 18.11.21.52
Ecclesiæ morbus pastorum distractio 100.39
Ecclesiæ morbi quomodo tractandi 14.22
Ecclesiæ oeconomiam ad tribunal forense reuocari non oportere 51.27
Ecclesiæ renascentis & adultæ certum discrimẽ 322.44.& 334.26
Ecclesiæ reformatæ nomen & vsus 275.5
in Ecclesia videndum quantùm hominibus tribuatur 55.15
de Ecclesiasticorum bonorum administratione 13.43.34.44.56.23.57.2.368.29
Eduardus Angliæ rex piissimus 97.17
eiusdem pietatis exemplum appositum 100.34
eiusdem mors 114.3
Electi non semper auditionis verbi participes 236.3
Electionis fides fide Euangelio data constat 247.14
Electionis effectus adoptio & fides 104.37
Electio gratuita vna & prima salutis causa 403.3
Electio necessari reprobationem statuit 105.45
Electio cum promissionibus non confundenda 108.51
de Electione Martyr sentit cum Caluino 149. 24
propter Elephantiasim separari coniuges expedit manente coniugij fide 360.16
Elizabetha Angliæ post Mariam Regina 214.3
Eloquentia in Ministro vltimo loco habenda 351.22
Episcopus Polonus veritatis sectator 211.15
Episcopus Treuirensis obsidet suos 227.3
Episcopi in Polonia ius suum præscriptione longi temporis tuentur 224.44
Episcopi Londinensis propensum in pios exules studium 232.18
si Episcopus vel Curatus ad Ecclesiam sese adiunxerit 339.25
Euangelium humano ingenio repugnat 66.30
Euangelio causa malorum pridem imputata 66.50
ab Euangelio alieni omnes 344.34
ab Euangelio etiam allata perturbatio salutaris est 244.26
Euangelium vera & non fucata sapientia 399. 40
ab Euangelij notitia nihil abducit in Christum intuentes 398.16
Euangelio exulante regnum Christi exulat 244.4
Euangelium in Gallia erumpit sub Frãcisco II. 231.28
Cognitionis Euangelij vsus & finis 130.30. 221.13
Euangelij notitia summum Dei beneuolentiæ argumentum 220.47
Euangelij prædicatio legitima qualis sit 68.43
de Eucharistia inquirendi modus 35.17
Excommunicationis ius ad Consistorium pertinet 126.17
Excommunicationem in Ecclesia publica auctoritate fieri procurandum 326.48
Excommunicationis vsus 336.35
Excommunicandi facultas non est penes vnum 133.23
Excusatio modesta filij ad patrem religionis nomine 143.24
Experientia vanissimum Idololatriæ fundamentum 389.18

F

Fabri spurij historiola 63.18
Factiosi vni Disciplinæ Ecclesiæ infensi 163.34

Fallesius Bolseco fauet 105.31
Famosi libelli exosi 136.24
Farellus primus Geneuæ Minister 24.47
quomodo acceptus aliquando 124.20
Farelli ignauia aliorum zelum superat 19.3
Far.Meti concionari aggressus 365.48
Farelli tonitrua Caluinũ reuocarunt Geneuam 26.35
eiusdem grauis aduersus P. Caroli contestatio 58.47
sancta confidentia in Opere Domini 60.46
Farellus habere superstitem Caluinum optat 112.34
Farellus in collegam durior admonitus à Caluino 113.13
Farellus Caluinum consolatur & erigit 173.12
Ferdinandi Imperat.inauguratio Pontifici ignominiosa 205.47.212.49
in Festis diebus admittendis habendus delectus 43.49.327.50.347.7
Fides quid & ipsius effectus 404.18
Fides sine fide peti non potest 325.53
Fidei electorum & reproborum discrimen 316.24.317.4.317.15
Fran.Maurisij petulantia 99.42
Fratris mortui viduam in vxorem ducere non licere 316.10
Frigidi vel Eunuchi matrimonium nullum. 359.30
quis Fructus ex pecunia colligi possit legitimè facilè statui non potest 354.45.
Frum. vxoris calumniæ 64.3

G

Galliæ rex in clientelam Imperij recipi postulat pro Ducatu Sabaudiæ 28.20
Galliæ regis absciſum ad interceſſores Heluetticos pro piis responſum 111.24
Galli hospites Geneuæ in ciues allecti 163.48
Iidem extremo periculo dormientes erepti 164.55
Gallus quidam nomine aduersarius Melancht. 162.23
Gallicinium ad Melan.excitandum
Gardineri Euchariſtica à P. Martyre confutata 214.10
Gaspar Liserus 131.30 & 132.42
Gaspar Carmelus 95.23
Gasparis Oleuiani & piorum labor Treueris 226.31
in Geneuensi Ecclesia sustinenda singulare Dei beneficium 21.4
Geneuenses Caluinum repetunt 26.47
Geneuensium Plebiscitum 34.6
Geneuensis Ecclesia obstricta Tigurinæ 128.11
Geneuensis tumultus historia 163.9
Geneuæ Ducenti in minorem Senatum inspiciunt 163.31
Geneuensis Senatus in coniuratos clementia 165.5
Geneuensis Senatus quæstiones ad Tigurinos de disciplina Eccl. 119.5
Geneuensis Senatus iudicium in Seruetum à Melan.commendatum 174.37
Geneuæ erectus ludus literarius 224.13
Geneuæ admissæ non impunè insolentiæ exemplum vtile 65.4
Germaniæ status quod ad Religionem 76.9
Germanis cum Gallis conuenit in summis capitibus doctrinæ de Cœna D. 249.42
Germaniæ Principum & Ordinum Augustanæ Confessionis intercessio pro piis Gallis ad Franciscum I. 283.35
Gibotius Tolosanus 267.33
Guisiani Ducis verba turgentia 231.7
Guisianorum collusio apud Germaniæ Principes 271.28
Gribaldi historia 183.6
eiusdem impietatis notæ 183.4.206.23
calumniæ in Calu. 183.21
Grinianus regis Galliæ legatus 56.8
Grueti impietas retecta 378.24
Grynæus Calu.& Farellum confirmat 361.45
eiusdem de Calu iudicium 365.12
eiusdem facilitas 13.34

H

Hæreses à profanis ingeniis scripturam inuertentibus 236.30
Hæretici à Magistratu plectendi 147.8
Heliogabalus Romanus Pont. fax belli adu. Euangelium 244.39
Helueticarum ciuitatum pro piis Gallis laborantibus studium 111.18
Henrici Angliæ Regis Ecclesiastica reformatio qualis 15.46
Herodis metus pestis adu. Christi regnum 344.14
Herodis & Pharisæorum fermentum 264.33
Heshusij liber de Cœna D. 238.1
idem Melan.damnat 240.28
Hierarchia Papistarum discutitur 140.12
Hieronymi Bolseci impudentia & impietas 104.3.104.17 & 43.105.13.106.8
Hoc est corpus meum à Paulo explicatum 297.1
Hominis per Christum restitutio quomodo accipienda 203.40
Hopperus in carcerem coniectus immeritò sub Eduardo Rege 98.14
Humanæ infirmitatis magnitudo 279.43
Hyperius 273.6
Hypocrisis Papistica in multis ad Euangelium traductis hærens 371.15

I

Iacobus Andreæ animo cum Calu. coniunctus 184.24
Iacobus Bernardus disputationem instituit Geneuæ 59.1
nomen IEHOVA quo sensu Christo tribuitur 290.28
Idololatria & verbi Dei neglectus duo summa in orbe mala 388.14
de Imaginibus tres ad Sangermanum sententiæ 265.49
Impœnitentia malorum fomes in Ecclesia 271.39
Incestuosa coniugia ex Dei lege iudicãda 359.6
Increduli quatenus percipiant Christũ in Cœna Domini 187.5
Incredulitas impedit Christi perceptionem in Cœna D. 409.36.& 49
Indigni quo sensu rei corporis D. 409.51
Si infans sine Baptismo decesserit 320.18

Infantes quo nomine baptizandi 129.18.180.30
Infideles reformationē Ecclesiæ deformationē iudicant
Infideles rebus prosperis temerè gloriantur 388.52
Infideles exemplo præeunt nobis 208.44
Infirmitas perpetua in seruis Dei 131.17
Insidiæ hostiū veritatis cauendæ vt vis externa 196.12
Integritatis pij hominis exemplum 207. 16.216.50
Interim Germanicū 77.11.79.15.372.45
Inuocatio Dei Christum Mediatorem præsuppo nit 286.34
Iohannes Habius Consul Tigurinus legatus ad Regem pro piis Gallis 111.21
Iohannes à Lasco pontificiorum carnifex habitus in Polonia 193.48
Iohannes Sleidanus vnus ex Inspectoribus Ecclesiæ Gallicanæ Argentinæ 137.47
Iohannes Vngariæ rex Turcæ addictus
Irrisorum impietas infausta adu. Martyrum constantiam 199.9
Iuliacensis Gueldriæ Ducatum repetit 15.26
ad Iudæi cuiusdam quæstiones & obiecta responsio Caluini 306.23
Iudæi prophetas ipsos contemnunt 309.12.311.9
Iurisdictio spiritualis vnius Dei est 406.45
Iusgentium in coniugiis ex moribus Orientis petendum non est 358.2
In Iuuentute difficilè fouetur pietatis semen 178.29
Iuuentutis corruptelas coërceri contendit Caluinus 72.50.76.28

K

Katabaptistæ hæreticos à gladio Magistratus eximunt 116.26
Καλὴ ἀβρολατρεία pollicetur se scripturum Melanchthon 174.42
Κοινωνία in Cœna quid signif. 238.6
Κοινωνία ἰδιωμάτων 289.6
Knoxus & Goodmanus Collegæ in opere Domini 241.35

L

Langæus tentauit Melanchthonem 54.6.222.36
Landgrauij resipiscentia 372.20
Lapsus Adami 403.19
Lapsis bene sperandum à Domino 155.35
Lapsis manus porrigenda 155.30
Latomi & sodalium acerbitas in fideles 226.37
Lausanensis synodus 362.28
Leipsiæ altaria confracta præter vnum 42.18
Leonis Iudæ de Caluini Epistolis duabus iudicium 22
Leuitici 18.18.expensus 359.18
Libertinorum secta perniciosissima 54.6.222.36
Liberatio à carcere pio homini vti quærenda 344.19
Lingua incognita in Ecclesia intoleranda 409.8
Locarnenses pro Religione periclitantur 172.11
Ludi Geneuæ editi 72.10
in Lusu moderatio adhibenda 326.7
Lutheri Ecclesia vna disciplinam præ cæteris admisit 8.17
Lutheri epistola ad Melan. 23.50
Sancta confidentia 24.1
Eiusdem amplissima commendatio 383.27
Lutherus subleuationem in Cœna tollit 42.16
Luthero aduersantur qui Cœnam absurdè venerantur 238.31

M

à Magistratus auctoritate non pendet arbitriū doctrinæ 39.24.40.36
Magistratus non est Ecclesiæ rector 46.39
Magistratus officium in vindicandis sceleribus 71.18
Magistratus Christiani officium ad propagandā pietatem latissimè patet 139.41
Magistratus non debet sua auctoritate diuortia concedere 174.7
Magistratum per se abdicare alicui Ministeriū periculosissimum 348.37
quatenus Magistratus in Seniorem Ecclesiæ eligi possit 346.38
Malotius 263.24
Martinengus 206.28
Martyres Nemausi 3.15
Martyres Lugduni 113.42.115.8
Martyres in Aquitania 138.4
Martyres in ditione Venetorum 138.6
Martyres Lutetiæ 200.45
ad Martyrem designatum exhortatio 188.11
Martyrum tormenta Spiritus virtutē declarant 197.38.277.35
Martyrum cineres fœcundi 277.5
Martyrum sanguis irrigat Ecclesiam 199.2
Martyres Domini procuratores 199.7
Matthæi locus 18.expensus 49.12
Matrimonium sacra Dei ordinatio, etsi non sacramentum 407.41
Matrimonij inter impuberes stipulatio nulla est 359.41
res Mediæ quæ & quid de illis statuendū 153.52. 158.21
Mediatoris nomen expenditur adu. Stancarum 291.15
Melanchthon simplicitatis amans 279.25
de Melan. Caluini iudicium 108.14.109.10
Caluinum commendat 49.45
agnoscit quid debeat Ecclesiæ 162.25
semper timidus 213.10
atramento nimis parcit 55.32.90.3
Inhumani nomen pretiosius redimit 90.29
ad Philosophiam nimis Theologiam exegit 108.48
In doctrina de Electione obscurus 133.40
Caluino gratulatur ob editū librū in Seruetum 148.38
Mennonis deliria confutata 298.2
Metenses 42.33.225.36
Militia seruorum Dei perpetua 209.20.220.4
Minister non debet ferre illegitimam aliorum vocationem 11.33
in Ministro alia cautio esse debet quā in quouis alio 351.29
Ministri habendi Ecclesiæ, qui puram doctrinā tradunt 21.18
inter Ministros summa quædam doctrinæ statuenda 68.55
Ministri ab Ecclesiis non abstrahendi 19.6

Si quis ex Miniſtris diſciplinã cõculcabit 91.27
Miniſter improbus 40.1
Miniſter pius Vlma indignè iectus 12.33
Miniſtri partes Eccleſia conuulſa 83.4
Miniſter quatenus faſtidio ſuorum cedat 176. 41.179.34
in Miniſtro popularitas certa cõmendatur 45.7
Miniſtri peculiari diſciplina inter ſe opus habent 47.47
in Miniſtro ſummum vitium ἀυθάδεια 48.35
ad Miniſtrum admonitio appoſita 207.49
Miniſter vi iectus alia conditione poteſt vti 171.40
Miniſtri verbi ad confeſsionem veritatis peculiariter adſtringuntur 188.19
Miniſtris ſtatio ſua ad extremũ retinenda 191.41
Miniſter criminis reus non ferendus 354.13
Miniſtri ab armis tractandis alieni ſint 353.43
Miniſtrũ à populo approbari quouſque pateat 350.47
Miniſtri electio ex ſtatu eccleſiæ naſcentis vel adultæ diiudicanda 346.38.348.12
Miniſtro an liceat pecuniã fœnori locare 346.20
in Miniſtro quatenus probãdus cœlibatus 337.36
an Miniſter obſtrictus maneat Eccleſiæ negata omni diſciplinæ ratione 319.50
Miniſtrorum Geneuæ eligendorum ratio 228.25
Miniſterium quanti faciendum 20.27
Miniſterij vocatio non carens defectu quatenus ferenda 20.48
ad Miniſterium facilè non admittendi qui ſeſe obtrudunt 37.9
Miniſterium mediũ ordinatum à Deo ad cordiũ conuerſionem 219.36
Miniſterij Euangelij finis 295.12
Miſſarum priuatarũ nouitas & impietas 408.29
Miſſam à piis nec adiri poſſe nec probari 152.50
Monachus Hungaricus 28.45
cum Monachis & Sacrificulis quomodo agendũ quod ad eorum alimenta ſub Euangelij Miniſterio 323.1
Mortui in Chriſto melius noſtri quã dum viuerent 282.12
pro Mortuis non precandum 405.14
Mulierem baptizare ferendum non eſt 327.19. 334.37
Mulieri à viro deſertæ quomodo conſulatur 177.5
Mundus vnus Dei ſeruos ferre nõ poteſt 214.48

N

Naamani exemplum 273.37
Narbonæ fidelibus illuſum 270.47
Nauarrena traducta à Sarbonicis 1.12
Nauarrenus tentatus à Pontifice 239.7.260.4
ad illum appoſita Bezæ admonitio 247.40
quantum Eccleſiæ damnum attulerit 218.38
Nazianzeni locus 148.49
Negligentes Eccleſiæ communionem, excommunicandi 327.45
Negligentia in liberis inſtituendis notanda 327.4
Nicolaus Clerici Sorbonicus notatus à ſuis 2.4
Nicolaus Gallaſius Eccleſiæ Gallicanæ in Anglia Miniſter ex cœtu Geneuenſi conceſſus 232.30
Non dolere Chriſtus non docet, ſed dolorem temperare 282.35
Noui Fœderis nomen 396.22
Nouioduni in Gallia quiddã memorabile 381.34
Nouitas in Eccleſia cum delectu expendenda 342.45.351.5

O

Occaſio reformandæ Eccleſiæ facilè amittitur 168.49.
Officia noſtra à ſucceſſu apud homines non pendent 177.9
ad Officialem à pietate non alienum admonitio 190.21
bonorum Operum commendatio apud vnos verbi Miniſtros extat 145.22
bona Opera nullam iuſtitiæ rationem habent in Dei iudicio 404.30
ad pios Orbæ Euangelij reſtitutionẽ molientes admonitio Caluini 149.40
Orbæ Euangelium obtinet 151.4
Originale peccatum 403.25
Oſiander 108.33
eiuſdem in Melan. contumeliæ 134.23
eiuſdem commẽtum de Eſſentiali iuſtitia 303.22
eiuſdem in pios procacitas 377.33
Oſtentatio & πολυπραγμοσύνη in Miniſtro notatur 177.21
D. Othonis Henrici Palatini Comitis in pios Gallos affectus 202.31

P

Papæ primatus duplici nomine condemnandus 406.36
Papæ nutus nullius momenti in Eccleſiæ reformatione 141.29
Papa Gallus Turca coniurati 212.54
Papa bulla ſua ſeipſum detegit 279.6
Papatus quid 169.41
Papiſtica ſuperſtitio multis malum bene poſitũ 245.2
in Papiſtarum conuictu offendicula notantur 204.52.205.3
Pharerus Conſul Argentinæ 183.52
eiuſdem in profligando papatu ſtudium 184.7
Panis & vinum quo ſenſu corpus Chriſti 187.20
Panis adoratio in Miſſa abominationis cumulus 153.26
Panis animæ primùm quærendus 58.29
Panis animæ cœleſtis 35.33
Pariſienſi Curiæ mollities exprobrata in perſecutionibus 201.44
Pariſ. Senatorum pontificiorum ad excindendam religionem conſilium 266.46
Pariſienſis cuſtodiæ barbaries aduerſus pios 202.52
Paſtores quomodo ordinandi 141.35
circa Paſtores indoctos & incompoſitos quid agendum 326.30
Paſtoribus & eorum familiis ab Eccleſia proſpici debet 343.1
Paſtores improbi notantur à Grynæo 364. 16 & 40
Paſtorũ in Eccleſia perpetuus eſt locus & ſtatus 406.20.& 50
Paſtores Titularij à veris diſcernendi 406.27
Si quis Pater religionis cauſa periclitetur, quid ſit ipſi agendum 345.14.354.56

Patientia piis vnicè commendata 241.49. 245.28.276.47
Patientia & labor in opere D. coniunguntur 242.14
Patriarcharum inſtitutio in Eccleſia 140.54
Patroni papiſtarum eodem modo ſe habẽt quo veterum idololatrarum 389.8
Pauli locus de Chriſto Mediatore 1. Timoth. 2. expenſus 292.27
Paulus ferè vnus Gentium Apoſtolus 140.24
Paulus pœnã nõ defugit, ſi reus probetur 116.33
Paulus Fagius Capitonis ſucceſſor 42.26
Pax publica receptæ Religionis fomento redimitur 212.11
Peccatis noſtris imputandæ noſtræ calamitates 19.48
Pedemontani pij duriſsimè à Gallis iudicibus afflicti 203.5
Pedemontani cuiuſdã Fanatici hiſtoriola 97.43
Penteſilea 63.38
Pericula quantumuis aperta neminem ab officio excuſant 332.28
Perrinus Geneuenſis 109.50.115.52.164.31.& 40
Perſecutio piorum ab Epiſcopis in Germania 372.20
Perſecutio veræ Euãgelij profeſsionis index 197. 8
ad Perſecutiones ſubeundas appoſitiſsimæ rationes 198.22
Perucelius 192.47
in Peſte fugienda vocationis ratio præcipua eſſe debet 330.40
Petrus Martyr 42.43.254.53
eiuſdem ingenuitas in veritate aſſerenda 135.28
Petrus Caroli improbus 50.16
eiuſdem aduentus Geneuam 58.8
Superciliũ & linguæ amarulentia notatur 50.54
idem deſponderi Eccleſiam ſibi petit 51.2
Caluinum accuſans calumniæ damnatur 362.18
Sorbonicum agit Geneuæ 58.39
verſipellis
impoſtor 59.48.60.18
eiuſdem rictus 60.41
curſitat falſo perſecutionis nomine 60.1 61.14. & 362.19
Petrus Faber 178.15
Petrus Rob. Oliuetanus 392.55
Philoſophiæ cum Dei veritate comparatio 82.30
Piorum in mundo iactatio perpetua 338.32.134.35
Piis quatenus liceat baptizandos iis liberos offerre, à quibus Cœnam D. non percipiant 333. 6.& 49
Piis cum papatus ſuperſtitionibus nihil commune eſſe debet 347.17
an Piis liceat muneris cauſa proſequi ſuperiorẽ ad ſacra illicita 273.25
Piorum conſtantia ab improuiſæ liberationis euentu non pendet 243. 25
Piórum officium inſtante perſecutione 223.2
Pij Treueris accuſati ſeditionis 226.18
Piis acerbitates quomodo eluctandæ 131.10
Piorum lucta perpetua 146.26
Piorum cruenta certamina 160.12
Pocquetus Libertinorum magiſter 54.17
Pœnitentia vera ignoratur paſsim 42.40
Politici cuiuſdã conſiliũ à D. ſuggeſtum 227.39
Poloniæ rex debet tranſitum Turcæ 15.5
Polonia lucem Euangelij percipit 160.35
Poloniæ rex Io. à Laſco reſponſo tuetur 194.1
Polonorum confeſsio orthodoxa de Trinitate 257.32
Pontificis tyrannis & ambitio inueterata 285.15
Pontificis bulla pij excludũtur à Concilio 98.49
Pontificiorum in Germania tria genera 29.13
Pontificis artes ad Concilium Trid. diſſoluendũ 98.40
Pontificiorum in Germania modificatio in cauſa Euchariſtiæ & Confeſsionis auricularis 31. 42.& 49
Pontificiorum machinæ in Polonia adu. Ioan. à Laſco 193.41
Pontificiorum iactantia aduerſus eos qui abipſis deficiunt 240.10
Poralis Syndici Gen. mors piiſsima 38.5
Preculæ Pontificiorum blaſphemæ 405.10
In quæſtione de Prædeſtinatione Melancht. cum Calu. ſentit 280.21
Presbyterorũ in Eccleſia regenda legitima prudentia eſſe debet 341.27
Principũ culpa in paſtorũ diſtractione notatur 100.41
Proditores qui inter hoſtes Chriſti diutius latẽt 211.34
Profanitas in multis vnde 170.27
Prophetæ & Apoſtoli rudes rudium doctores 391.37
Proteſtantium Principum conuentus Francfordiæ 14.43
eorundem laudabile Smalcaldiæ facinus 16.36
fœdus & conſtantia 18.12
Citati ad comitia diſsimulante Cæſare 28.15
affectus in Eccleſiam & Remp. 29.9
reſponſio ad Pontificis legatos 285.5
vnum Imperatorem in terra Dominũ agnoſcunt 285.42
Prouidentiæ Dei fides præſentiſsimum malis remedium 276.14
Prouincialium Synodorum vſus 48.14
Prouincialium piorum in Gallia ſtatus afflictiſsimus 283.40.382.49

Q

Quintinus Libertinorum magiſter 54.17

R

in Reformatione Eccleſiæ mutatio neceſſaria fuit 387.26
Refutatio otioſarum calumniarum aduerſus Eccleſiæ reformationem 219.3
Regnum Dei in terris conſtitui quam ſit difficile 160.45
Regno Chriſti pax externa conſtat 169.55
Regnum Chriſti quò humilius eò mirabilius 208.51
Regni Chriſti expectatio piorum fultura 398.40
Regina mater 223.55.265.52
Relapſorum in peccata ac deinde reſipiſcentium certa eſt doctrina ex Scriptura 305.4
Relapſi in peccata ſeuerius tractandi 327.31. 344.28
Religionis veræ cum falſa collatio 144.7
in Reprehẽſionibus extrema duo cauẽda 49.33
in Reprehenſionibus infirmorum modus tenendus 204.37

in Reprehenſionibus non ſola delinquẽtis perſona intuenda 49.2
Reprehenſionis publicæ vſus 49.25
Reſipiſcentia reproborum qualis 317.21
Reſurrectionis doctrina & eiuſdem confirmatio 85.32
pro Reſurrectione fœlici precari abſurdum eſt 325.42
ad Richeburgium Caluini Epiſtola 288.27
Richerij ex Gallia Antartica epiſtola 195.3
in Ritibus Eccleſiæ varietas quædam tolerabilis 44.7
in Ritibus diſtinguendum pro ratione temporũ 158.32
Ritus adulterini quorſũ reſtituti in Eccleſiis 89.6
Rituum legaliũ ſub Apoſtolis & Papiſticorum diſcrimen 328.7
Rochæi liberatio mirabilis 206.46
Roma Eccleſiarum mater vt Babylon. 141.18
Rom.pontifex Epiſcopus Epiſcoporum eſſe nõ poteſt 141.8
Rudiorũ ad Cœnam admittendorũ ratio 327.35

S

Sacramentorum auctor vnus Deus 207.35
Sacramenta in Eccleſia adminiſtranda & percipienda 207.31
Sacramentorum neglectus eſt à faſtu diabolico 207.28
in Sacramentis ad ſalutem percipiendis requiritur fides 207.25
Sacramentorum efficacia à miniſtro non pendet 407.20
Sacramenta non ſunt figuræ inanes rerum 407.19.409.27.401.53
Sacramenta quid ſint 407.10
in Sacramentorum doctrina quid requiſierit Lutherus 137.18.139.15
Sacramentorum legitima adminiſtratio apud vnos verbi Miniſtros extat 145.41
Sacramenta pars miniſterij ſunt 236.50
an abſque Sacramentorum adminiſtratione ad tempus Eccleſia foueri poſsit 317.37
Sacramentorum profanatio quæ habẽda 319.27
Sacramentum adorabile Luthero 81.51
Sacramentariorum nomen calumnioſum 203.21
Sacramentalis mutatio 249.23
Sacrificij nomen parum commodè ad Cœnam traductum iam olim etſi non eodem ſenſu, qui nunc inualuit 408.17.& 43
Sacrifici Papiſtici quorſum inſtituantur 141.47
iidem à Schiſmaticis pridem ordinati 141.54
Sacrifici tumultus auctores ad Medardi Lutetiæ 263.4.& 43
Sacrificia in lege pro ſpontaneis delictis 305.15
Saliniacus 261.10.265.6
Sanctorum defunctorũ recta obſeruatio 145.31
Saracenus Medicus Caluino ægrotanti adfuit 275.21
Saturitas verbi Dei inauſpicatiſsima 268.42
Schaffuſianorum Miniſtrorum de Serueto iudicium 120.1
Sciſsio in Eccleſia ſummũ artificium Satanæ 210.47
Scortationes verbo Dei deſtrictè damnatæ 269.37
Scotica Eccleſia 241.10
in Scriptura quæ ſolida ſunt quærenda 236.21
Scripturæ editio priuilegiũ ex ſeſe habet 391.21
Scriptura quomodo legenda 390.24
Securitas promiſcua ſummum Euangelij impedimentum 246.29
Sepulturæ moderata ratio 43.44
Seruetus Geneuæ comprehenſus 114.17.& 40
ab Helueticis Eccleſiis conſtanter damnatus 114.46
ex multis hæreſibus confutus 117.51
pædobaptiſmum flagellat 118.39
Semina impietatis pridem ſpargit 121.52
Blaſphemiæ ipſius horrendæ 120.46
Serui Dei in ipſius ſunt non in hominum poteſtate 216.21
Sommerſetus Anglicanæ reformationis procurator 65.35
Sorbonici facti rationem reddere coacti 1.34
Sorbonicis gratiſsima eſt confeſſus Sangermanici de Religione abruptio 266.11
Sorbonicorũ calumniæ ne ſcriptura euulgetur 391.33
Spenſæ de imaginibus ſententia implicita 265.18
Spirenſis Epiſcopi decretum crudele 373.9
Spurij & idololatrarum filij vti ad Baptiſmum admittendi 322.20
Stancari argumenta ad reſtringendum Mediatoris officium ad humanam in Chriſto naturã 293.15
Supplicationes papiſticæ quas proceſsiones vocant 388.42
Suſpiciones inter Dei ſeruos importuniſsimæ ſunt 363.46

T

Taurini verbi Miniſter combuſtus 303.9
Templorum papiſticorum aditio an licita ſit 85.25.328.14
Tepiditas multorum in Gallia 381.26
Tertullianus ſtridet magis quàm loquitur 272.29
Teſtamenti Chriſti tabulæ ad omnes ſpectant 397.35
in Teſtimoniis Eccleſiarum admittendis prudẽtia opus eſt 177.48
Theatrum ſeruorum Dei 162.33
Theologi ex Germania miſsi poſtulante Nauarreno 260.49
Tigurinæ Eccleſiæ libertas in diebus feſtis 103.20
Tigurinorum de diſciplina Eccleſiaſtica Geneuenſi iudicium 119.10
Tigurinorum de Trinitate doctrina & iudicium de Serueti 120.29
Tigurinæ cum Geneuenſi Eccleſia concordia 278.48
Tigurinorum erga pios Locarnenſes fides & pietas 172.18
Timiditas quorundam quatenus ferenda 95.9
Timiditas multorũ remoratur opus Dei 217.19
Timor diuturnus matura fortitudine compenſandus 215.17
Traditiones humanæ 405.38
Treuirenſis Capituli pars Religionem probat 226.52

Trinitatis & Personarum voces ad ædificationẽ Ecclesiæ appositæ 290.13
Trinitatis opera intrinsecus indiuisa 293.4
Turonensis Synodi deliria de Christi externa perceptione 410.8
Tumultus ad Amboſ. 229.29.230.6
Tumultus ad Medardi narratio 263.4

V

Vadiani mors 99.9
Valdensium cum Polonis consensus 170.52
eorundem cum Caluino communicatio 233.3
eorundem in confessione, de Cœna D. articulus obscurior 186.47
Valentinus Gentilis Blandratæ coniunctus 257.12
Vendelius 166.6
Veritatem dissimulantium miserrimus status 188.48.189.27.244.51
Verbi Dei auditio quanti vsus & momenti 235.34.& 40
Verbum caro factum, quo sensu 289.2
Vestes lugubres quatenus tolerabiles 343.52
Veterum salebræ in quibusdam doctrinæ capitibus 272.27
Vezeliævti pij excepti 192.10
Villagagnonis pietas in America 195.11
Vintonienſis piorum acerbissimus persecutor in Anglia 172.50
Viretus Geneuensem Ecclesiam absente Caluino sustinet 26.17
eundem Caluinus collegam exoptat 33.5.45 34
Virtembergici ducis pietas 131.23
eiusdem Ecclesiæ residuæ 132.32
Vitus Theodorus conciunculam Calu. de Cœna laudat 63.14
Vnius arbitrio Ecclesiam regi non oportet 264.30.319.44
Vocatio in Ecclesia nisi vi maiore expulsis, retinenda 264.25
Vbi Dominus vocat non cessandum 130.50 146.17
Vocationis nostræ finis 154.47
Vocatio D. persequenda 189.15. & sequente epist.
de Vsuris reponsum Caluini 355.23
Vulpes aulicæ 264.24
quæ Vxor pio viro ducenda 84.38.93.45
qualem Vxorem probet Caluinus 19.26
Vxoris Calu. mors 83.32.& seq. pag.

X

Xantij Sorbonici blasphemia 253.22

Z

Zuinglij & OEcolampadij memoria in honore 52.50

FINIS.

Errata vel omissa sic restituenda.

IN vita pag.15.lin.20.neque IN Epistolis pag.13.lin.14.minutula pag.15.lin.vlt.auctoritatis inter Proceres maximæ 16,38.retinuerant. 17.9.refrixisse. 18.27.Nostri 19.33.profectione 20.36.vobis. 21.10.moderarentur. 20.homines habeant pro.52.tantùmnon. 22.11.interpone nos. 23.14.Gratia Dei, opera D. Vir. 36.exhibendam 48.Phlugiu. Groppe-rus. 52.ominibus 53.consilio 24.31.Tandiu 25.19.Feræo. 37.nunc mihi 39.Ecclesiam 26.10.sic autem 19.*tolle* ex te 29. munerum 31.non 27.9.Caluinus 31.28.nostram. 32.41.Natalem D. *sine interpunct.* 35.13.Inuocantium. 33.viuificum 36.1.Hinc. 12.dum non 41.3.ne. 42.8.Euangelium. 40.conspirantes 43.4.fratres missi à vobis. 16.representent. 52.Assumptionem. 54.rideat 45.32.me 50.20.Cupiditate 53.3.premamur 26.clarissime 60.39.Geneuæ. 41.Cantiuncula 61.15.nemine 62.2.hac 6 ac.45.Theodorus 65.15.Tirolensem 38. præstiterit 67.32.lucem à D. 70.22.proinde 71. 15.Ergo 72.6. M.D.XLVIII. 27.secedere. 52.orationem 73.45.sed ex. 77 35 Atqui 80.12.nostris 82.27.Cal.Bucero 83 4.vos. 84.35.Cal.Zozino 85.2 nisi quod. 17. *tolle* eos. 20.non abstinent 86.39.Atque hæc. 87.19.incredibiliter. 32. materiam 89.37.prodant 95.32 totius 96.19.scribuntur 97.5.participatione tradant 101.4.diuersis.47.cum. 102.16. scisciarer 107.23.cedendum. 109.20.discessu. 111.40.CHEKO 113.6.quodsi 116.7.Normendium 39.Friburgum. 117.9.quem.15.haud.38.eneruet 40. Atque 118.6.queatis 119 Epistola Buling. repon pag.127.& Scafusianorũ 122. 120.5. iudicare. 121.35.extremam. 48.scriptis 125.5.si qui. 129.29.esset cum aliis. 132.34.ignari.37.nobis 133.2.Nurlingensis 132.41.dedigneris 135.25.nutare 137.48.gauisus 143.31.quam pro vera.55.obsequium 144 22.*tolle* tibi 146.50. ei.56.Christum 151.11.proximum 152.5.apud te.45.Enigitur 154.12.præcipua potius 155.16. *tolle* M.D.IIIII. 39.Hero 156.12.sit 159.35.Castellano.38.scriptis. 160.24.Oliſa.Niessin.25.Marscalco.38.hortandi 49.nascitur 162. 19.Charissime, 25. *tolle* per 164.7.proteruius.30. Schvvig Schvvig.33.scipione 176.53.tolle N. 177.8.fracta & 186. 44.vt communibus 195.32.denique 197.28.elapsi.32.desertores 198.16.teneremus 199.18.ista quam 204.7.dedi-tis, vos coram Deo & Angelis eius quum sciatis esse obstrictos. 206.1.illac. 208.43.addicat. 211.5.Vrladistauiensis. 216.7.illam. 217.2.aliter 222.27. in persequutione 224.26.σοφίζονται 227.3.inferatur 229.4.autem 230.15.de-statuti. 231.19.Statuum. 237.49.Domini 238.1.Heshusij.40.sum. 240.30.faciat. Origenis 242.10.futurum *tol-lendum.* 247.32.salutaram. 33.sese ita. 34.sum conspicatus. 44.Dominam. 248.8.sessuros. 250.15.palinodiam. 25. & 43.Bezæ.35.Lotaringi. 49. ostendit 251.51.cecidit 253.34.tria. 38. Palatino 266.36.quid non? 272.1.scribat 274. 20 Principalia 27.ne 275.21.medicus 276.2.lucrum est 277.15.vno 279.19.me ornaris 180. 13.vt erigamus.15. Θέλησον-ὁ Θεὸς προσπαντῷ.25.ἀντίδωρον.26. significationem. 283.10.nostro. 18. restitueremur. 27. adnitentibus 284.11.istic.52.Pontificis 286.46.imaginandus. 228.35.supra 289.37.exigitur. 290.37.quoniam 295.20 Filio 299. 33.canalem 303.18 moderatus sibi. 305.18.ignorantiis. 35.in marg.Dan. 318.4 docẽdi. 323.27.Augustano. 328.32. Iacobo. 333.17.ignosces 337.18.suspicere. 338.29. illas. 49. item. 53. illudi 340.16.suscipiendo 341.14.modestè. 345.28.propositam. 347.20.vt in ista 348 44.percipiat. 52.tam. 349.1.vt *tollend.* 12. veterani contemptu. 362.28. petimus.50.Sermonem 368.13.sine 390.5.alantur. 391.10.Christi 393.28.opere. Adde ad marginem [*Ex Gallico*] pag.53.30.144.21.146.2.149.40.151.18.155.18.& 51.199.5.220.40. Tolle ex marg. [*Ex Gall.*] 363.29.366.49.367.21.